
ETA
ion

AZPILCUETA
Enchiridion
1587

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

ENCHIRIDION,

SIVE MANVALE

CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM,

Complectens resolutionem omnium penè dubiorum, quæ in sacris confessionibus occurrere solent circa peccata, absolutiones, restitutiones, censuras, & irregularitates.

AVCTORE MARTINO AB AZPILCVETA
DOCTORE NAVARRO.

Nunc quartò recognitum, & innumeris penè locis emendatum, & multis locis locupletatum ab eodem in Rom. Curia S.D.N. Gregorij XIII. eiúsque in foro Pœnitentiariæ obsequiis inseruiente.

Ad S.D.N. Gregorium XIII. Pont. Opt. Max.

LVGDVNI,
APVD. GVLIELMVM ROVILLIVM.
M. D. LXXXVII.
Cum priuilegio Christianiss. Regis, & Catholicæ Maiestatis.

17982

Insignis forma, doctrina insignior vnus:
At superat summi cultus vtrunque Dei.

S. D. N.

GREGORIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

MARTINVS AB AZPILCVETA
DOCTOR NAVARRVS,

In ista mira gubernandi vigilantia perpetuam perseuerantiam.

QVOD Enchiridion, siue Manuale Confessariorum, & pœnitentium ante annos viginti sermone vulgari edideram, nunc latinitate donatum editurus, tuæ, quæ secundum diuinam prima est, Maiestati, audeo nuncupare, B. Pater, non quidem quòd humilitatem Auctoris, & operis non agnoscam, neque quòd istam tuam, Sacrosanctæque Sedis, cui præsides sublimitatem post Dei maximam, cui nil nisi altum offerri decuit, exploratam non habeam: sed quod in id me moueat primum vehemens illud desiderium signo aliquo testandi meam erga te obseruantiam, & pietatem, conceptum iam inde, à quo tempore missus in Hispaniam à latere Legatus, admirabilis prudentiæ, iustitiæ, constantiæque specimen toti ei edidisti Illustriss. Deinde quod visum est nonnullis esse muneris, ætatis, & officij mei, vt qui iunior in aliis Regnis multis Regibus, & principibus officinæ meæ pauperis

munuſcula obtulerim, iam ſenior multis annis in tuis moratus, & ſacerrimo tuæ Pœnitentiariæ Prætorio adſcriptus, offeram iſtud humile quidem, ſed ad id, ni fallor, perutile, & longe aliis præſtantius Sanct. tuæ, à qua, & fæl. rec. Pio V. quem tu tanti facis, tantoque opere præter aliorum conſuetudinem, quibus præceſſorum facta diſplicere ſolent, imitaris, & qua licet exuperas, maiora beneficia quàm ab aliis accepi. Accedit quòd eiſdem ipſis viſum eſt, vt opus in Hiſpania Hiſpano ſermone ab homine Hiſpano compoſitum Hiſpaniarum ſummæ eidemque incomparabili Proreginæ Dominæ Ioannæ Auſtriacæ Luſitaniæ Principi dicatum, idem in Latio ab homine iam quadamtenus Latino factum latinum Latinorum Regi, totiuſque Chriſtiani populi ſummo Patri dicetur, quo vt illud fuit ab omnibus illius ſubditis maximo cum plauſu ſuſceptum, ob Maieſtatem tantæ patronæ, quæ tot Auguſtorum, & Auguſtarum, tot Regum & Regiarum vxor, mater, filia, nurus, ſoror, amita, & matertera extitit, & extat, quæque omnium virtutum heroicarum radiis, ceu ſydus irradians, earum ſe toti orbi præſtat exemplar: ita hoc à toto orbe Chriſtiano tibi ſubdito pari plauſu, & eo maiori, quo materies illius ſpirituum patri magis, quàm corporum dominis conueniat, ſuſcipiatur, te patrono velut Deo quodam tutelari, qui non ſolum dignitate, qua Prodeus es, ſed etiam meritis longo interuallo omnes ſuperas, quippe qui per ingenitas, & inditas animi, corporiſque dotes diuini, humanique iuris præſtantiſſimarumque omnium artium exactam cognitionem tibi comparaſti, quique ab ineunte ætate concreſcentem prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, conſtantiam, modeſtiam, omneque virtutis decus coluiſti, ita vt exiſtimeris alius Fabius Maximus temperantia, Curius frugalitate, Xenocrates conſtantia, Fabricius magnanimitate, Scipio prudentia, Marcellus animo,

iuſtitia

iuſtitia Cato, Iulius dictator clementia, niſi qua parte ea fide, ſpe, ac charitate exornando eos ſuperas, per quas ab imo in ſummum per omnes numerum gradus progreſſus, & non per flexaminas, ac potentes Cæſarum, Regumque commendationes, non per eblandita ſuffragia viam tibi ad hanc monarchiam muniiſti, aut certe Deus ipſe muniit, & ita quidem, vt dignus fueris, qui prima collatione intra Sacroſanctum Illuſtriſs. Cardinalium conclaue habita, Spiritu ſancto afflante, omnium vnanimi conſenſu in Max. Pont. deligereris, cum numquam fortaſſis in Summo illo Senatu interregni anterioris, tanto muneri ſubeundo tot pares fuerint. Quo euenit, vt ſi vllus vmquam huic cæli vicariæ vrbi, adeoque toti imperio Chriſtiano iucundiſſimus dies illuxit, ſi ex honore cuiquam delato ad illos, qui eum decreuerunt immortalis gloria, & ad bonos omnes incredibilis lætitia redundauit, is certe III. Idus Maias 1572. concordibus cunctis omnium ſacri Senatus Patrum ſuffragiis, te Pont. Max. renunciato, obtigit. Quid enim factum eſt vnquam, vel ad cõmendationem Patrum purpuratorum illuſtrius, vel ad recreandum Rempublicam Chriſtianam morte pientiſſimi Pont. Pij V. cuius in locum ſuffectus es, ſummo mœrore confectam opportunius, aut ſapientius, quàm te Dei Vicarium delectum eſſe? Neque verò patres purpuratos ſua fefellit ſpes, nec orbem ſua expectatio, quandoquidem cerneris tecum te reputare, non tam Regem dominantem, quàm paſtorem vere Gregorium ſuper grege tuo vigilare debentem, vocatumque à Deo tamquam Aaron, non ad feſtum, non ad voluptates, aut otium, ſed ad labores, curas, & vigilias, quibus ita te torum dedis, vt nihil à te inferius Solium modeſtè recteque moderante, nunc ſupremum moderans degeneres, & (vt Fabricij verbo vtar) difficilius à recto, quàm Sol à ſuo curſu, auerta-

† 3

ris. Quamobrem B. P. confidenter supplico S. T. vt hoc munus humile humillimi filij, & serui, quod antea sereno animo susceperis, nunc serenissimo suscipere digneris: simul benedictionem tuam Apostolicam impartiri ei iam octogenario, quo te præeat in cœlum, in aliquo eius recessu locandus, ex quo te olim post multos annos sanctissimè populo Christiano impensos videre liceat, maximo dracone victo, amplissima eius sede, vel alia cuiuspiam eiusdem ordinis, donatum. Amen.

BEATISSIME PATER,

TAN Enchiridion, siue Manuale Confessariorum, quod Sanctitati tuæ octogenarius ante circiter decem annos dedicaueram, & postea ter in hoc decennio reuisum, & nunc iam quantò serius, & accuratius, adeo pluribus in locis, quàm putabam emendatum, auctum, ordinatum, & illucidatum, (vt cupiam videri possit nouum) denuo eidem nonogenarius consecro, supplicando quàm humillime sublimitati tuæ post diuinam primæ, vt ex alto humilia respicies, animo de more sereno, ac benigno suscipere digneris munus pauper in paupere officina refectum, & ab Authore paupere quidem: sed quàm dignissimam pro sua tenuitate concipere potest, re uerentia oblatum: quo animosius audeam eidem offerre alia omnia opuscula mea simili diligentia recognita, & lucidiora, vtilioraque facta simul typis excusa: quod propediem me facturum spero in gloriam D. N. Iesu Christi, qui te suum summum in terris Vicarium Ecclesiæ suæ sanctæ, quàm diutissimè seruet incolumem. Amen.

GREGO

GREGORIVS XIII.

AD futuram ei memoriã. Cum à fœl. record. Pio Papa Quinto prædecessore nostro emanauerint literæ tenoris subsequẽtis. Dilecto filio Martino ab Azpilcueta Decretorũ Doctori Pius Papa Quintus. Dilecte fili salutẽ, & Apostolicã benedictionem. Dudũ à fœl. record. Paulo Papa Tertio prædecessore nostro emanarũt literæ tenoris subsequẽtis. Dilecto filio Martino ab Azpilcueta Decretorũ Doctori, primariã cathedram Iuris Canonici in vniuersitate studij Conimbricẽsis actu Regẽti Paulus Papa Tertius. Dilecte fili salutẽ & apostolicã benedictionem. Cũ sicut nobis exponi fecisti, vt aliis iuxta traditum tibi à Deo talentum prodesse posses, nonnullas lecturas super voluminibus Decreti, & Decretaliũ non sine maximis laboribus & vigiliis, ad laudem diuini nominis, cuius ope literariæ rei & Christianæ Reipublicæ consuluisse, & profecisse credis, scribendo cõposueris, & compilaueris, easque de proximo tuis propriis expẽsis in lucẽ edere, & imprimi facere intẽdas, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, vt tibi, quod lecturę huiusmodi absq; tuo consensu imprimi nõ possint, vt tuarũ vigiliarũ effectu læteris, cõcedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos volentes te specialis gratiæ fauore prosequi, huiusmodi supplicationibus inclinari tibi, quòd ad septenniũ à die quo tu lecturas prædictas imprimi feceris cõputãdum, nullus alius per vniuersum orbẽ Christianũ constitutus lecturas ipsas, vel illarũ partem aliquã imprimere, seu imprimi facere, vel impressas in sua domo, aut alibi habere, & tenere, nec illas vendere, seu mutuo aut ex dono vel alias donare possit auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: districte inhibentes in virtute sanctę obedientię, & sub excõmunicationis pœna, eo ipso si cõtra factũ fuerit incurrenda, omnibus, & singulis, cuiuscunque status, & gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quauis apostolica authoritate, aut facultate fugẽtib. per vniuersum orbem constitutis, ne lecturas huiusmodi, vel earũ partẽ aliquã absque tuo expresso cõsensu, & licẽtia septẽnio prædicto dũtaxat durante imprimi facere, aut vẽdere, seu donare præsumãt. Non obstãtibus cõstitutionibus, & ordinibus Apostolicis, ac quarũcunque prouinciarũ, & locorũ statutis, & consuetudinibus, etiã iuramento, cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnõ priuilegiis. Indulgẽtiis, & literis apostolicis quibusuis prouinciis, & illarũ personis, ac vniuersitatibus, & collegiis, etiã per nos, & Sedẽ Apostolicã sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam derogatoriarũ derogatoriis, vel alias quomodolibet concessis, cõfirmatis, ac etiã iteratis vicibus innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nõ autẽ per clausulas generales idẽ

importantes mentio, seu quæuis alia expressio habēda, aut exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbū, insererentur præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbū insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus cęteriſque contrariis quibuscunque. Datū Romę apud Sanctū Petrū sub annulo piscatoris die 8. Ian. M. D. X L I I I I. Pontificatus nostri anno nono. Et deinde. Cum sicut nobis nuper tu exponi fecisti, sicut asseris, rogeris à multis, vt opera tua tam prius edita, quàm nondum edita, quę super iure Pōtificio, & ad declarationem illius pertinentibus habes compositatypis excudi faceres, idque facere proponas vita comite, & Deo iuuante impensis tuis, & te presente, quo correctiora, auctiora, & pientiora prodeāt, nobis humiliter supplicari fecisti, vt in prędmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos te amplioris gratię fauore prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaram⁹, intentionem nostrā esse, vt prædicti Paulipręcessoris nostri literę, quę delecturis loquūtur, habeant etiā locum in aliis Commentariis, libris, & tractatib⁹, quos tu ederis super iis, quæ pertinent ad prędicti Iuris pontificij declarationē. Nō obstantibus omnibus supradictis, quę idem Paulus Prædecessor in dictis præinsertis litteris voluit non obstare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 17. Maij M. D. L X X I. Pontificatus nostri anno sexto, cum post modum videlicet nonis Nouembris, Pontificatus nostri anno primo, eundem Martinum specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes statuerimus, prædictoque Martino concesserimus literas fœl. recor. Pauli Tertij, & Pij V. prędecessorum nostrorum prędinsertas locū habere, & se extendi in his, quę de lecturis, & aliis lōquuntur in quibuscunque Cōmētariis, & tractatibus, quæ idem Martinus ediderit, super prædicti Iuris Canonici declaratione, & interpretatione, & prędsertim super Manuali Cōfessariorum, ab eo prius linguā Hispanica edito, nunc regnito, aucto, latinitatequedonato. Cum autē, vt accepimus, in obsequiū Dei, sacro sanctæque Sedis Apostolicæ nō sine magno labore duobus annis proxime prędteritis idē Martinus intenderit, & in præsentia intēdat recognitioni operum suorum tam editorū, quàm non editorū, quo ementiora, defœcatiora, auctiora, & vtiliora effecta typis excudātur. Nos eundem Martinum ampliorib⁹ fauoribus & gratiis prosequi volentes, Motu proprio, non ad dicti Martini, aut alterius pro nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, indultum, inhibitionem, declarationē, decretum, derogationem, aliaque omnia in præinsertis literis Apostolicis & earū singulis contenta ad decē annos à Data præsentium computandos, ita vt quis ea, vel illorū partē aliquam sine suo expresso ad id in scriptis consensu imprimere, vel alibi impressa dicto decennio durante vendere, aut venalia tenere, donare, aut permutare non

re non possit Apostolica auctoritate tenore præsentiū prorogamus, extēdimus, & ampliamus, & quēlibet cōtraueniēntem censuras & pœnas in prędinsertis literis contentas eo ipso, & absque alia declaratione incurrere. Sicque per quoscunque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter cōtigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac omnibus illis, quæ in omnibus supradictis literis concessum est nō obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Insuper quia difficile foret, præsentes literas ad quæcunque loca deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus ipsarum transumptis, & exemplis, & in eisdem exemplis, lecturis, Commentariis, Manuali, & aliis operibus huiusmodi impressis plenam & eandem prorsus fidem vbique in iudicio & extra adhiberi, quæ originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 21. Nouembris, Pontificatus nostri Anno nono.

Ce. Glorierius.

Extraict du priuilege de France & de Polongne.

PAR grace & priuilege du Roy, est permis au Docteur Martin de Azpilcueta Nauarrois demeurant à Rome (apres auoir veu la permission & bref de nostre sainct pere le Pape Gregoire XIII. obtenu par ledict Azpilcueta) de faire imprimer toutes ses œuures en France, & mesmes le liure intitulé Manuale Confessariorū *en langue Latine, lequel il a nouuellement reueu, corrigé, augmenté. Pource est faict defence de par ledict Seigneur Roy, à tous Libraires & Imprimeurs, & personnes quelconques, de non imprimer, ny faire imprimer, vendre, ny distribuer en ses Pays, terres, & Seigneuries ledict liure, si ce n'est par consentement de luy, ou de Guillaume Rouille Libraire de Lyon auquel il a donne charge de l'imprimer ou faire imprimer aux frais & despens dudict Azpilcueta, & ce iusques au temps & terme de dix ans, à compter du iour & datte que sera paracheuee la premiere impression, sur peine d'amande arbitraire & de confiscation des liures qu'ils auroient imprimez, comme plus à plein est contenu aux lettres de priuilege sur ce données à Paris l'onziesme iour d'Auril mil cinq cens quatre vints & deux, & de son regne le huictiesme.*

Par le Roy maistre Mangot M. des Requestes de l'hostel present.

Signé, DENOVVEAV.

Et seellé du grand seau en cire iaune à simple queuë.

Universidad de Deusto

PIO LECTORI S.

NVnquam adeo noui, candide Lector, illud omnib⁹ notũ, Curę posteriores meliores, vt in hac hui⁹ nostri Enchiridij, siue manualis recognitione vltima. Siquidẽ cũ illud ante hac ter recognouerim, emẽdauerim, reformauerĩ, atq; auxerim: nihilominus nũc tot loca emẽdãda, reformãda, elucidanda, ordinanda inueni: quod cogor memoria repetere illud, q, Ecclesia catholica Spiritu sancto illi Deo nostro æterno, donorũq; omniũ largitori cantat & psallit: *Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium, nihil sincerum, nihil limpidum, nihil integrum.* Cuius opem quã humillime implorãdo, & quęcũq; dixerim Sacrosãctę Ecclesię Rom. quę vna, vt suprema omniũ est magistra, cẽsurę, & cuiusuis ali⁹ melius sentiẽtis iudicio summittẽdo, conabor, vt hoc opus omni nationi orthodoxę hactenꝰ gratũ, post hac sit lõge gratius. Ob quod etiam omittimus multa, quę ad te prędicti fuimus in primis tribus edictionibus, eo quorundam piorũ, & prudẽtiũ consilio, ne quę tunc ob aliquas causas erant oppotuna, nunc eis cessantibus tibi videantur importuna. Omittimus etiã asteriscos hactenus additos, & in hac recognitione addendos: ne frequẽtia eorũ Lectorem remoretur, & eius attentionẽ impediat. Nomina itẽ eorũ, ob quorũ interrogata & monita multa addidimus & addimus: quia nõnulli eorũ nolũt nominari: & nonnullis aliorum nominatio displicet: & modestia prudentia, quę maxima est, Romana id quodãtenꝰ fastidit. Vale in Christo Iesu: qui nos omnes saluet. Amẽ.

GEOR

GEORGIVS CALANDRVS LVSITANVS IVRISCONS. Candido Lectori S.

EXpectabam (Lector beneuole) aliam maiorem occasionem, qua possem Domino, ac præceptori meo officii mei debitum ex integro persoluere, sed recens editio aurei Enchiridij, siue Manualis Confessariorum, & operum aliorum eiusdem frequentia non patiuntur longiores moras, & me quasi nolentẽ cogunt, vtcumque prodire foras, ac illum veluti magnæ summæ creditorem, leui quodam, sed grati animi indice, munusculo præuenire, donec pleno aliquando opere satisfaciam. Sic frondibus coronantur Diuorum altaria, & mola litant, qui thura non habent. Quod autem præcipue me ad hoc adegit, est, quòd arbitrer è Republica Christiana esse, vt vel leuis notitia habeatur de magna æstimatione eruditionis eius: quam cum vitæ integritate coniunctam semper habuit, deque qualitate operum eius, quo libentius ea legantur. Ob oculos ergo propono tibi, candide Lector, vnum nostri sæculi doctrinæ, an sanctitatis exemplar, D. Martinum ab Azpilcueta Doctorem Nauarrum, qui tam præfato Manuali, quàm omnibus aliis, vtrumque sartum tectum ostendit. Alterum quidem, dum primum in se, deinde in aliis vitia omnia atque peccata remediis opportunis extirpat, & actus hominum ad bene beateque viuendum sedulo instruit. Alterum dum in iis rite peragendis omnia iuris diuini, & humani, & vtriusque philosophiæ penetralia reserat, & abstrusa quæque recludit, & in medium profert, ea copia, vt nihil addi possit, ea breuitate, vt nihil diminui, tanto in hac vltima manu suis prioribus superior, quanto suæ priores aliena superarunt. Sic sunt eiusdem Auctoris opera nouissima, vel quæ addendo prioribus olim editis locupletat: quæ de nouo nunc edit plurima. Vergente quippe deorsum conditione corporea, vigor spiritus in sublimiora conscendit, & quasi alter naturæ cygnus quo morti proximior, eo suauius modulatur. In eo sub tenui carne tenuissimus spiritus enitescit: quasi sine carne totus spiritus. Nihil turbidum manat, nil insipiendum: sed omnia pura, ac defæcata, vtroque sale, tam conscientiæ, quàm scientiæ bene condita. Fluunt ex ore doctrinæ, ac sanctitatis flores, Amaltheæ cornu copiam dixeris, si gratiæ, ac lepores, doctæ ac beatæ animæ circumstant

vndiquꝫ

vndique, siue antiquis operibus addit, siue de nouo cudit. Vtriusque temporis ego testis oculatus sum, qui à quadraginta annis Salmanticæ, & Conymbricæ (Castellæ, ac Lusitaniæ literarum Emporiis) cœpi sub eius disciplina operam iuri nauare: & vsque ad præsens, quo Romæ in almo gymnasio, gratia S. D. N. Gregorij. XIII. Pont. Opt. Max. iam per septennium iuris Pontificij ordinarius interpres, quamtumuis minimus existo, eiusdem D. mei præceptoris eximiis scriptis addisco, & quotidie proficio, sicut omnibus multum, sic magis nouissimè. Quanto igitur maiori laude putas, Candide Lector, quòd celebrare potuissent hodierna eius opera insignes illi duo viri, quorum Epigrammata subiiciuntur edita Conymbricæ ab hinc annis triginta quinque, quo tempore ille primos suos ededat fœtus: quorum alter heroico, alter elegiaco carmine cecinerunt, toto orbe iam tunc celeberrimum Nauarrum, tum prælegendo, tum de iure respondendo in inclytis Hispaniarum Academijs ea, quæ didiscerat, simul & docuerat antea iunior in Gallicanis, si vidissent eundem nunc longe seniorem, & maiori otio Romæ vetera sua augentem, & noua indies proferentem, & vtraque ingenio acutissimo exornantem, industria solertissima elaborantem, doctrina absolutissima perficientem, gratisque ad quæsita tamquam alterum iuris Apollinem ex tripode respondentem? Deduxi Candide Lector, magni mei præceptoris, ac domini primas hic tantum lineas: depingent alii suos colores, hoc artem oratoriam, in qua non adeo versor, desiderat, illi simplex veritas, in qua soleo versari, sufficit. Bene vale, & fruere.

Romæ XX. Martij M. D. LXXIX.

DVO

DVO

EPIGRAMMATA

ILLORVM DVORVM INSIGNIVM VIRORVM,

Quos Regia Maiestas ex Gallia Conymbricam magnis honorariis duxit, primis Authoris operibus ante triginta annos Conymbricæ adiecta.

Alterum illius eruditissimi, qui tunc insignis Collegij bonarum artium Conymbricensis professor erat primarius.

AD AVTHOREM,

Macte animi, venerande senex, qui pectore sancto
Abdita secreti reseras penetralia iuris:
Et veras recludis opes, vitijque rebellis
Sæpe renascentem resecas rationibus herbam.
Non tu Dictæo mendacia callidus antro,
Authoremque Iouem fingis, lucoue Capeno
Auia nocturnæ simulas commercia nymphæ,
Nec tripodas Phœbi mentita oracula fundis:
Sed liquidas veri puris de fontibus vnda
Pectora nostra rigas: moresque in praua fluentes
Corrigis, & iustis legum compescas habenis.
Spes nimias, animosque feros moderamine flectis.
Pontifices tu per sacros, dominosque potentis

Ausoniæ

Ausoniæ, Regesque doces discrimine certo
Nosse modum iuris: flexuque obliqua doloso
Exigis ad Canones interpres commodus æquos.
Ergo velut dubys Phœbea oracula rebus,
Aut libycas sortes, aut Dodonea petebant
Templa inopes veri, trepidoque instante tumultu:
Sic cum perplexis mentes ambagibus error
Implicat, & iuris sinuoso tramite fallit
Semita: tu dubios regis errantesque reducis,
Confirmas trepidos, reuocasque in cæca ruentes:
Et mala ne serpant rabiosæ semina litis,
Ante caues: & iustitiæ præceptor inermis
Aurea compositis instauras secula bellis.

Catholicæ Maiestatis priuilegio cautum est, ne biblio pola, Typographus, aut quiuis alius cuiuslibet conditionis, vendere in regno Hispaniæ hoc Manuale Confessariorum citra voluntatem Authoris audeat. Qui autem id attentare præsumpserit, pœnis in dicto priuilegio adscriptis multabitur.

ALTERVM
IACOBI TEVII I. C.
ELOQVENTISSIMI
AD EVNDEM.

MENS, lingua, ingenium, naturæ dona parentis
Sint licèt, artificis munere cuncta nitent.
Pura quidem, & minimis mens candida sordibus vt sit
Natura, arte eadem purior esse potest.
Linguæ itidem sonitum præbet natura suauem,
Suauior, vt fiat, postulat artis opem.
Quis neget ingenium nostra magis arte iuuari,
Vt solet assiduo vomere cultus ager?
Hæc data diuino tria sunt tibi munere dona,
Mens pia, & ingenii lumen, & oris opes.
Purius illa tamen studiis exculta nitescunt,
Et rude si quid erat, sedulus arte dolas.
Sidera ceu claro debent sua lumina Phœbo,
Sic sua virtutum lumina terra tibi.
Sermo fluit facilis, sapienti è pectore manans:
In sene doctiloquo Nestore qualis erat.
Testis erit linguæ, & mentis latissimus orbis:
At quale ingenium sit tibi scripta docent.

QVONIAM

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVONIAM ELENCHVS PRÆLVDIORVM INSERITVR infrà initio Præludiorum, ideo hic tantùm inſerimus Elenchum capitum in hanc, quæ ſequitur formam.

ELENCHVS CAPITVM.

De contritione, prima parte ſacramenti Pœnitentiç. cap. 1.
De confeſſione, ſecunda parte Pœnitentiæ. cap. 2.
De ſatisfactione, tertia parte Pœnitentiæ. cap. 3.
De poteſtate, ſcientia, & bonitate Confeſſarij. cap. 4.
De interrogationibus pœnitentis, & qua prudentia faciendæ. cap. 5.
De peccatorũ circunſtantiis. cap. 6.
De conſeruanda fama proximi in confeſſione. cap. 7.
De ſigillo confeſſionis. cap. 8.
In quibus caſibus confeſſio iteranda. cap. 9.
Quomodo confeſſarius excipiet cõfitentem. cap. 10.
De primo præcepto Decalogi, De colendo Deo. cap. 11.
De ſecundo præcepto, De non vane iurando. cap. 12.
De tertio præcepto ſeruandi feſta. cap. 13.
De præcepto honorandi patrem, & matrem. cap. 14.
De quinto præcepto, De non occidendo. cap. 15.
De ſexto præcepto, De non mœchando. cap. 16.
De ſeptimo præcepto, De non furando. cap. 17.
De octauo præcepto, De non falſe teſtando. cap. 18.
De nono præcepto, De non concupiſcendo vxorẽ proximi. cap. 19.
De decimo præcepto, & conſiliis euangelicis. cap. 20.
De quinque præceptis eccleſiæ. cap. 21.
De ſeptem ſacramentis eccleſiæ. cap. 22.
De ſuperbia, & ſeptem peccatis capitalibus. cap. 23.
De operibus miſericordiæ, & ſenſibus exterioribus. cap. 24.
De peccatis diuerſorum ſtatuum. cap. 25.
Quomodo ſe geret confeſſarius erga confeſſum. cap. 26.
De cenſuris eccleſiaſticis, caſibus reſeruatis, & irregularitate. cap. 27.

ENCHI

ENCHIRIDION,

SIVE MANVALE CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM,

Complectens reſolutionem omnium pene dubiorum, quæ in ſacris confeſſionibus occurrere ſolent circa peccata, abſolutiones, reſtitutiones, cenſuras, & irregularitates.

AVCTORE MARTINO AB AZPILCVETA DOCTORE NAVARRO.

Nunc quartò ab eodem Auctore recognitum, & innumeris pene locis emendatum, & multis locupletatum & auctum.

QVONIAM totus hic liber de peccatoris anima per pœnitentiam à peccato liberanda tractat, præludemus pauca, quæ cõſiderata & perpenſa facile poſſunt nos peccantes vrgere ad agnoſcendam aliquorum noſtrorum erga Deum optimum maximum ingratitudinem, imprudentiam, & impudentiam, qua maiora minoribus, immo & mala bonis, & peſſima optimis præponimus. Ea vero duximus contrahenda in decem præludia, nihil plane, quod non ſit vtile, & neceſſarium fere omnibus, etiam vtrumque ius callentibus, continentia.

ELENCHVS PRAELVDIORVM.

Primùm ob oculos proponet nobis peccantibus aiæ nostræ dignitatẽ.

Secundum, eius vires, & pœnitentias sensitiuas.

Tertium, eius vires, & potentias intellectiuas.

Quartum, finem vltimum, & beatitudinem, in quam creati, & redempti sumus, & miseriã æternam, quam cauere debemus.

Quintum, animæ passiones, & habitus, quibus in merita, vel demerita mouemur.

Sextum, animæ actus humanos, quibus in æternam beatitudinem, vel miseriam itur

Septimum, quæ sint merita, & demerita.

Octauum, membra demeriti in peccatum originale, & actuale.

Nonum, peccati actualis varia genera: & quid sit peccatum mortale: & quid veniale: & quibus notis peccatum mortale à veniali discernatur.

Decimum, pœnitentiæ sacramentum, & eius partes.

De essentia animæ rationalis.

Prælud. I.

SVMMARIVM.

1 *Anima quid sit definitur.*
2 *Definitio genere & differentia constare debet.*
3 *Animam qui dixere corpoream, aut mortalem hæretici.*
4 *Animam vnam tantum esse in homine contra glos.*
5 *Animam rationalem veram formam substantialem corporis esse.*
6 *Anima rationalis quẽ in finẽ creata.*
7 *Gratia & operibus, & non sola fide hominem saluari.*
7 *Iustus fit nullus, nisi per merita Christi: nec per illa, lege primata, nisi sic, & sic communicate.*
8 *Gratiã primã nemo de cõdigno meretur.*
9 *Christi anima quo tempore iusta, & beata effecta.*
9 *Mariæ, Ioannis, & Ieremiæ animæ, quando iustæ factæ.*
10 *Animam humanam imaginari paruulis membris distinctam error.*
10 *Anima totã in toto corpore, & totæ in qualibet eius parte.*
11 *Deus totus in toto orbe, & totus in qualibet eius parte.*
11 *Christi corpus totum in tota hostia, & totum in qualibet eius parte.*
12 *Animam asserere non esse formam substantialem hominis hæreticum.*
13 *Intellectus dicti Pauli de interiore, & exteriore homine*
14 *Animæ sedẽ esse cor, & illã in sanguine habitare & crescere, vt intelligẽdũ.*
15 *Animam, Deum, & Angelos putans corporeos, An peccet, & sit hæreticus.*
16 *Peccatur quibus modis circa credenda de anima. & nu 17.*

DE præfata essentia animæ rationalis dicimus sequentia. Primo, quod multi, qui corpori magis, quam animæ indulgemus, parũ auscultamus illud psal. 65. *Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ*: quandoquidem nimium occupati in curando corpore parum de beneficiis illi à Deo collatis curamus. Ob quod ait B. Bern. in princ. Meditationũ: *Stulti multa sciunt, & seipsos nesciunt, alios inspiciunt, & seipsos deserunt, Deum quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus.* Et illud: *O anima Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, capax beatitudinis, heres bonitatis, rationis capax, quid tibi cum carne, vnde tanta mala pateris?*

1 Secundo, quod animæ nostræ rationalis perfecta cognitio nulli vnquam sine sacrarum litterarum, aut fidei orthodoxæ cognitione plene patuit. Quapropter, omissa definitione animæ, quam tradit Aristo. lib. 3. de anima. text. 4. & 5. quamque explicat Angelicus, & omniscius ille Thom. 1. par. q. 76. art. 4. scilicet, *Anima rationalis est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis*, definiamus eam nostro proposito sic aptius: *Anima rationalis est substantia, per se subsistens, incorporea, immortalis, creata à Deo ex nihilo, vbi & quando infunditur corpori, vt sit forma substantialis eius, per se, ad beatitudinem per gratiam, & bona opera consequendam apta.*

2 Dixi: Substantia, ne definitio careat genere, quo & differentia debet constare omnis optima definitio. quod docuit per theoriam Arist. lib. 6. Topicor. cap. 1. & 2. & per práxim & vsum Iurisconsultus Vlpianus in l. 1. ff. de dolo malo. & l. 1. ff. de testa. vbi Barto & alij hoc explicant: & constat, verbum, Substantia, esse genus ad animã humanam: omnis etenim anima humana est substantia, vt probat diuinus Thom. 2. libr. sentent. distin. 3. quæst. 1. art. 6. non tamen econtrario omnis substaria est anima humana.

Dixi: Per se subsistens, vt differat ab anima vegetatiua plantarum, & à sensitiua ceterorũ animalium, quæ non possunt per se subsistere, vt probat idem sanctus Thom. 1. part. quæstione 75. art. 5. & 6. & q. 76. art 3.

3 Dixi: Incorporea, ad differentiam substantiæ corporeæ, & ad damnationem Diogenis, & aliorum ethnicorum philosophorum, qui dixerunt, animam esse ventum, vel aërem, vt refert beatus Isidorus lib. 11. originum, siue etymologiarum c. 1. de homine, & partibus eius: & S. Antoninus par. 1. tit. 1. c. 4 in princ. quos appellat hæreticos Tertullianistas Isidorus vbi supra lib. 8. cap. 5. relatus in c. pen. 24. q. 3.

Dixi: Immortalis. tum ad retundendam hæresim, quæ, vt ait Isidorus in eod. cap 5. Arabicorum est, dicentium, animam simul cum corpore interire: quod hæreticum esse declarauit concil. Lateranen. sess. 8. cap. 1. in princ. & antea probauit sanctus Thom. 1. part. quæst. 61. art. 2. ad 3. & 4. 2. 2. quæst. 164. artic. 1. ad 1. tum ad differentiã aliarum animarum, quæ cum suis corporibus moriuntur, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait ibidem sanctus Thom. & gloss. clement. 1. §. porro. verb. intellectiua de summa Trinita. & fide cathol. quæ tamen minuit vnũ falsum (quod etiam male affirmat Ioannes Brunus de sponsalib. conclus. 14. num. 4.) quatenus loquitur de anima vegetatiua, qua viuimus, & sensitiua, qua sentimus: significat etenim in nobis esse tres animas, videlicet vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, & morientibus nobis mori duas. quod vtique falsum est: quoniam nulla est in homine alia anima præter rationalem, vt habetur in libro de eccles. dogmat. cap. 15. in princip. tom. 3. inter opera August. & late probat sanctus Thom in 1. part. quæst. 76. artic. 3. & lib. 2, cõtra Gent. cap. 58. & de anima artic. 11. & quolibet. 1. quæst. 4. artic. 1. Et ita ipsamet est vegetatrix, siue vegetatiua; & sentiens, siue sensitiua; & intelligens, siue intellectiua.

Dixi: Creata à Deo, ad damnandam hæresim Tertulliani, asserentis animas ab Angelis creari, vt tradit B. Augu. in lib. de hæresib. ad Quodvultdeum. cap. 86. contra Symbolum Athanasij, & cap. firmiter. de summa Trinit. & fid. catho. quibus docemur, Deum esse creatorem omnium, visibilium, & inuisibilium.

Dixi: Ex nihilo, ad fugiendũ hæresim Gnosticorum, qui, vt ait Isidorus in dict. c. 5. & refert August. vbi supra cap. 6. ob altitudinem scientiæ, quam sibi arrogabant, se ita appellare voluerunt: & dixerunt ex natura Dei creatas animas, & nõ ex nihilo. quæ hæresis fuit etiam Manichæorum, damnata per primum concilium Baccharen. cap. 5. in hæc verba: *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Deo credit substantia exstitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.*

Dixi: Vbi, & quando infunditur corpori, ad fugiẽdum errorem Origenianorum, asserẽtium animas hominum iam inde à principio mundi fuisse simul cum Angelis creatas in cælo: & inde postea mitti in corpora, vt ait Isidorus vbi supra, & refert sanctus Thom. in 1. part. quæst. 118. art. 4. Contra item illos, qui asserunt, prius creari animas, quam in corpora mittantur, quod videtur sensisse glo. c. si quis obiecerit. 1. quæst. 3. dum ait, animã prius viuere, quam sit in corpore. quod tamen hæreticum esse dicit gloss. Ioan. in cap. quod vero non formatum. 32. quæst. 2. in hæc verba memoratu dignissima, quæ decerpere potuit ex Magistro sentent. lib. 2. distinct. 17. *Fides nostra est, quod quotidie Deus nouas creat animas, & infundit nouis corporibus, & infundendo creat, & creando infundit.* Cui consonat S. Thom. communiter receptus in dicto lib. 2. sententia distin. 3. quæst. 1. artic. 4 ad 1. & distinct. 17. quæst. 2. artic. 2. & 1. part. quæst. 90. artic. 4. Ita quod anima nõ creatur in cælo, sed intra corpus: & non antequam infundatur, sed cum infunditur, vt infra eodem numero 11. dicetur.

5 Dixi: Vt sit forma substantialis eius per se. Primum ad declinandam hæresim eorum, qui dixerunt animam non esse formam substantialem corporis. Deinde contra eos, qui dixerunt, non esse talem formam, saltem in quantum est rationalis. quos damnauit concilium Viennense in clement. 1. §. porro. de summa Trinit. & fide cathol. in hæc verba: *Porro doctrinam omnem, seu positionem, temere asserentem, aut pertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua vere, ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto sacro approbante concilio reprobamus.* & tradit sanctus Thom. Opusc. 24.

6 Dixi. Ad obtinendam beatitudinem, quo mõstraremus finem illum vltimum & felicissimum, ad quem habendum creatæ sunt animæ nostræ, ac subinde nos ipsi, iuxta illud B. August. in Enchiri. cap. 9. citatum à Magistro in 2. lib. senten. dist. 1. *Fecit Deus rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur.*

7 Dixi: Per gratiam, ad excludendum errorem Pelagianorũ tradentium (vt refert B. August. in præcitato lib. de hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 88.) posse nos per solam potentiam naturalem cum concursu generali Dei, sine vlla ope speciali gratiæ, iustificari, & glorificari (quos appellat hæreticos Isidorus in c. pen. 25. q. 3.) qui damnati fuerunt olim in concilio Mileuitano, c. 5. & concilio Africano, c. 80. relatis in tribus capitibus vltimis de consecr. distin. 4. & nouissime in concilio Trid. sess. 6. c. 1. & can. 1. 2. & 3. vt dicemus infra in prælud. 3. nu. 11.

8 Dixi: Et per bona opera, ad significandum, quod licet primam gratiam, qua per baptismum, vel pœnitentiam iustificamur, nemo suis operibus de condigno mereri possit, vt definit præfatum concilium Trid. vbi supra cap. 5. & can. 1. & 3. & docet sanctus Thom. 1. 2. quæst. 112. artic. 1. & 114. artic. 2. nullus tamen adultus iudicio rationis fungens lege communi iustificatur, nisi præuio aliquo actu moraliter bono, libero arbitrio suo producto, etiam si fide perpolleat, iuxta illud Augu. in cap. omnis. de consecrat. distin. 4. *Omnis, qui iam suæ vitæ arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium nisi eum pœniteat veteris vitæ, nouam non poterit inchoare. ab hac pœnitentia, cum baptizantur soli paruuli immunes sunt: nondum enim vti possunt libero arbitrio.* quod ipsum ait in cap. firmissime. 15. quæstione 1. & iuxta ea, quæ tradit sanctus Thomas 1. 2. quæstione 113. per totam. Adultus, inquam, iudicio rationis fungens: quia infantes, pueri, & adulti, carentes iam à natiuitate ratione, ob merita Iesu Christi domini nostri per baptismum communicata eam nunc sub lege gratiæ consequuntur, cap. maiores. de baptis. & olim sub lege naturali & scripta ob eadem merita applicata per circumcisionem, & alia sacrificia & oblationes, in id instituta, consequebantur. non tamen ex opere operato, sicuti nunc per sacramenta, cap. quod autem. & cap. ex quo. de consecrat. d. 4. Domini autem nostri Iesu Christi anima illa gloriosissima, & semper benedicta, lege priuata, sine vllo eius actu & merito præcedente, in primo suæ cõceptionis instanti, non solum fuit iustificata, sed etiam beatificata, quoad beatitudinem animæ propriam, vt ante & post alios declarat sanctus Thom. 3. par. quæst. 19.

art.3.& 3.lib sent. d. 18.art.2.4. & seq. 9.& opuic.5.c.238. eadem item lege priuata beata & immaculata virgo Maria Dei mater in primo suę conceptionis instãti, Beatus item Ioannes Baptista, & Ieremias antequam nascerentur, sine vllo sacramento & sacrificio fuerunt iustificati,iuxta ea,quæ leguntur,& notantur, Luc.1. & Iere.1.&tradit S.Tho.in d.3.par.q. 17.art.2.& 6.& q.27. per tot.& 3. lib. sen.dist.3.q.1.art.1.& 2.

10 Tertio dicimus, quod ex hac definitione sic explicata infertur primo,errare illos,qui imaginãtur animas humanas esse diuisibiles, quales sunt animæ aliorũ animantium, habereque capitula, seu parua capita, brachiola, manusculas, & alia membra, quæ respondent corporis partibus,quas animant& informãt. Quoniã anima rationalis est res incorporea,& indiuisibilis, neque habet vlla talia mẽbra:immo tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte quoad ipsam animæ substantiã,& essentiam. quod doctus S. Tho.ab omnibus receptus in 1.part. quæstione 8.artic.2.ad.3. & in tertia parte quæstio.46. art. 7. & in 1.lib. sent. distin.8.q.5.artic.3.post beatum

11 Augustinum lib. 6. de Trinitat. c.6.quemadmodum Deus optimus maximus est totus in toto mũdo, & totus in qualibet eius parte:quia est vbique secũdum magistrum & alios in dicto 1.lib.sententt.dist.37. & sanctum Thom.inpræcitata 1.par.quæstio.8.art.2.& 3 lib.contra gent.cap. 68.& sicut sanctissimum Christi corpus in almo & admirabili Euchari. stiæ sacramento totum atque integrum est sub tota panis & vini specie, & totum sub altera tantum aequalibet eius parte, cap. singuli. & cap.vbi pars. de consecrat.distin. 2. & definiuit nuperrime sacrosanctũ Conc.Trid.sess 13.cap. 3. declarando in cano.3.hæreticum eum, qui negat totum Christi corpus contineri sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta.

12 Secundo infertur:animam non esse hominem.tum quia anima, vt diximus supra nume.2 & 3. est substantia incorporea, & immortalis, cap.firmiter.de sum. Trinit. & fide catho.& tradit S.Tho.opusc. 23. tum quia homo duabus partibus constat,anima nempe rationali & corpore. Id quod tradit grauissimus auctor Innocent. tertius in cap. in quadam.§.sed aduersus.de celebrat. missar.in hæc verba: *Ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus, & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit.* quod ipsum antea docuit sanctissimus ille pater noster Augustinus in libro 19. de ciuita.Dei, cap.3. per totum, & in cap. Moyses. 32. quæstione 2.& latius expressit diuinus Thom. prima parte quæstio.75.artic.4. & quæstio. 79.art.1 post Aristo.2. lib. de anima, tex.3.

Tertio infertur, cauendum esse nequis ex illis verbis eiusdem Augustini in præcitato cap. Moyses. *Oportet primum domum compaginari, & sic habitatorem induci*, colligat id, quod vtinam nemo colligerit, nempe perinde animam rationalem esse in corpore, ac motor nauis est in naui, & habitator domus in domo, quod non sit vera,& essentialis forma humani corporis. quoniam hoc est hæreticum, & damnatum per cle.1. §. porro. de sum.Trinit.& fide cath.vt prædiximus supra nu.5.

13 Quarto infertur, quod Paulus cum in epistol.2.ad Corinth. cap.4. appellat hominem interiorem partem intellectiuam, & hominem exteriorem partem sensitiuam, noluit dicere, quod aliqua illarũ pars separata sit homo, vt quidam hæreticus Tertullianus nomine inde collegit, auctore sancto Thom. ibid. lect.5.sed quod secundum rei veritatẽ pars intellectiua est principalior pars hominis: & secundum aliquorum falsam æstimationem pars sensitiua est pars principalior eius: & torum solet interdum nominari à parte principaliori,vt declarat idem sanctus Tho.1.part.quæst. 75. art. 4. ad 1. & latius in dicta lect. 5. super præfatum caput.4.epistolæ secundę ad Corinth.

14 Quinto infertur glo.illam c.1. de sacra vnction.in prin.quę inquit, cor esse animæ sedem, non esse ita intelligẽdam,quod anima soli cordi insideat,indeque reliquum corpus gubernet: sed quod licet per sẽ totã immediate omnes eius partes animet & informet: in corde tamen operatur quamplurima eorum, quæ ad vitam pertinent,quæ non operãtur in aliis partibus,iuxta illud Parthenices Marianæ,

Cor prius ex illo, quoniam descendit in artus
Vitalis calor à pleno ceu flumina fonte:
Illic prima domus vitæ,postrema pre illud.

Discedẽs terris animus vestigia ponit.

Neque tamẽ ex hoc eleganti elogio colligas, prius tempore cor ipsum animari, quam cetera alia corporis membra,nec posterius tempore,quã illa destitui ab anima. Quoniam vno & eodem tẽpore creatur à Deo ex nihilo intra corpusculum iam ad id organice fabricatum& paratũ,& simul ei toti,& cuilibet parti coniungitur tanquã forma eius substantialis,& essentialis,ex qua & illo corpusculo cõstituitur verus homo, vt colligitur ex S.Tho.communiter recepto 1 part.q.90 art.2.3. & 4.& q. 118.artic.2.& ex Magistro,Scoto, & aliis in 2. lib.senten.dist.17.

Sexto infertur ad eumdem itẽ modum intelligendũ esse illud B.Augustini in prẽcitato cap.Moyses.32.q.2. *Anima,quia spiritus est, in ceco habitare non potest,ideo in sanguine fertur habitare.* Infertur itẽ, quod in illo dicto beati Hieronymi in cap.ne tales.de consecrat.dist.5.*Nec potest viuere anima,nisi crescendo capax sit.* per verbum, anima,intelligẽdum esse hominem animatum, vt ibidem glo.intellexit per figuram Synecdochen, capiẽdo partem pro toto(quamuis recentior editio aptius pro anima habeat animal.)anima enim humana nec augeri,nec minui potest:sed semper manet eadẽ,& incorruptibilis, vt supra dictum est,& probat S.Thom.1. par. q.75.art.6.& Scotus,Bonauentura,& alij in 2.lib.sent.dist.17.

Septimo infertur, illud Vergilij: *Igneus ollis est vigor, & cælestis origo:* quod glo.in §.fi.institu. de iur.natu. gẽt. & cini.intelligit de hominibus, esse quidem verũ in eo sensu, quod origo hominum quoad animam est

immediate à Deo per creationem ex nihilo intra corpusculum, quod embrio dicitur: non autem in illo, vel de aliqua parte cælesti sit illa facta hoc enim est, vt diximus, erroneum.

15 Octauo infertur, longe magis è re nostra esse per se, & simpliciter scire prædicta, eademque ruminare, quam alias scientias (etiam iuris) cognitioni fidei catholicę minime necessarias. tum per illud dictum Bernardi relatum supra initio huius præludij. tum quia hęc pertinent ad cognitionem fidei orthodoxę, cuius studium esse vtilius & melius, quam aliarum scientiarum, (etiam iuris, etiam laicis) singulariter definiuit Inno. receptus in cap. firmiter. nu. 6. de summa Trin. & fid. catho. tū quia oportet, omnes credere, saltem implicite, omnia, quæ sunt catholicę fidei, hoc est credere in genere esse vera, omnia, quæ credit sacrosancta catholica Romana ecclesia: & etiam explicite articulos fidei secundum S. Tho. 1. 2. q. 2. art. 5. & 6. saltem eos, quos illa sollemnizat, secundū eundem, quoad hoc ab omnibus receptum ibid. art. 7.

Nono infertur, quæstionis esse quotidianæ, An, & quantum peccent circa prædicta errantes? imo: An sint hæretici, adeo vt incurrant censuras contra eos latas?

Ad quam quidem quæstionem dicendum videtur primo, quod peccant, nisi simplicitas, vel ignorantia iusta eos excuset: & quod sunt hæretici, si pertinaciter id teneant, arg. clem. 1. de sum. Trinit. & fid. catho. §. porro. iuncta glo. in verb. pertinaciter de hæret. & cle. 1. §. pe. iuncta gl. eod. verbo. de vsur. & tradit sanctus Tho. vbi supra.

Secundo, quod non sunt hæretici, si pertinaciter non errant, hoc est, si habēt pręparationem animi actualem, vel virtualem resipiscendi, & credendi contrarium, cum primum nouerint, id teneri pro fide ab ecclesia Romana: quales arbitror innumeros, qui simpliciter, & bona fide sine pertinacia imaginātur animas humanas, exutas corpore pāruulas quasi infantes, eo quod frequenter audiunt, vel legunt, animam sancti Pauli primi eremitæ vitam fuisse in huiusmodi figura à sancto Antonio per angelos in cælum deferri, vt in eius vita describit diuinus Hieronymus: & animam sanctæ Scholasticæ à beato Benedicto eius fratre, vt in 2. lib. Dialogor. cap 33. scribit Beatus Gregorius: & alias ab alijs. Sicut & imaginantur angelos infantulos. & (quod peius est) imaginantur etiam ipsum Deum patrem omnipotentem figuræ cuiusdam viri grauis & senescentis: & Spiritum sanctum columbam. eo quod passim vident angelos pictos puerili figura in tabulis representationis Natiuitatis, & Adscensionis domini nostri Iesu Christi, & Assumptionis Deiparæ virginis, & alibi sæpe. & eo quod vident Deum patrem representatum in figura grauis, senioriſque hominis: & Spiritum sanctum in specie columbæ. quas imaginationes falsas concipiunt, eo quod non satis docentur à parochis & concionatoribus, animas, & angelos non esse corporeos: & longe minus infinite Deū ipsum optimum maximum, licet per species corporeas represententur. & quod

quod huiusmodi representatio ideo fit, quia spiritalia, & incorporea nequeunt oculis corporeis representari talia, qualia vere sunt: & ita representantur in figuris, quæ significent nobis, non quidem ea esse talis figuræ sed aliquas eorū virtutes, & proprietates habere. Figura etenim infantilis animæ, quæ in cælum defertur, significat eius innocentiam. & quod eiusmodi figura angeli ornantis Christi Natiuitatem, & Adscensionē, & eius Mariæ matris Assumptionem, significat simplicem, & promptam deuotionem ad eis ministrandum. Senilis vero ætas in Deo patre summam eius auctoritatem, & prouidētiam designat. Columbæ vero, quę simplex & amans est figura, summā simplicitatem, & amorem Spiritus sancti, qui est summus & simplex amor patris, & filij eis consubstantialis. Nam si satis hæc docerentur, libenter deponerēt huiusmodi falsas imaginationes, crederētque firmiter: quod nec anima, nec angelus, & longe minus Deus ipse pater, nec filius, qua parte est Deus, nec Spiritus sanctus vllatenus visu corporeo cerni possunt.

16 Tertio, quod cum, vt plurimum, nulli orthodoxorum cōcipiant prædictas imaginationes cum credulitate pertinaci, quod Deus, angeli, & animæ habeant corpora, siue quod sint corporea, non solum non sunt censendi hæretici, immo nec regulariter peccare, saltem mortaliter, si simpliciter & bona fide id faciant: per id quod in simili singulariter dixit Innoc. in præcitato cap. firmiter de summa Trinit. & fide catho. nu. 7. cui nemo hucusque quem viderim, contradicit, & adsistit Panor. in ea. rub. nu. 4. & seq. communiter receptus, videlicet, nō esse hæreticum, immo neque peccare eum, qui naturali ratione motus falsō opinaretur, patrem in diuinis seniorem & antiquiorem esse filio: & filium Spiritu sancto, modo paratus sit corrigi ab ecclesia, iuxta Ang. in cap. dixit apostolus 24. quæst. 3. quod ipsum tenet Castren. lib. 1. aduersus omnes hæreses cap. 49. de omni alia hæresi, quam quis sine pertinacia credit, vel asserit, nesciens contrarium teneri à sancta catholica Romana ecclesia.

17 Quarto, quod hoc limitandum est. Primo, ne procedat quoad forum exterius, in quo præsumentur hæretici, licet vere tales non sint. & ideo, vt plurimum, aliqua pœna maiore pro qualitate personarum plectuntur qui probantur, vel confitentur asseruisse talia, arg. cap accusatus. in prine. & § 1. & 3. de hæretic. lib. 6. Secundo, ne procedat quoad forum conscientiæ quoad peccatum in iis, qui tenentur scire, illa esse de fide, licet id sua culpa ignorent, vel non animaduertant, nec considerent. Tales enim & si coram Deo, & in foro conscientiæ non sint censendi hæretici, vt præcitati asserunt, nec consequenter in illo foro incurrant censuras, & alias pœnas contra hæreticos statutas: censendi sunt tamē graviter peccare, cum ignorantia iuris, quod quis tenetur scire, non excuser. §. notandum. posito sub cap. si quem pœnituerit. 1 quæst. 4. cum glo. & omnibus aliis scribentibus, & c. ignorantia cum glo. & ei adnotatis de regul. iur. lib. 6. & tradit sanctus

Tho.in 1.2.quæst.76.art.2.& 4.& q. 90.art 4.& 2.2.quæst.53. art. 2. quod satis sentit Innoc.in dicto cap. firmiter.de fum.Trin.&fid.catholic.nu.2. dum sentit differre clericos à laicis in materia credendi fidei articulos, & clarius Panor.vbi supra: quamuis nec ipsi,nec alij,quod sciam, hoc satis declarent.Sed probatur ratione illa irrefragabili,quod paria sunt scire, vel scire debere,l.quod te mihi dare oportet.ff.de reb.cred. cũ multis ibi à recentioribus allatis.& constat grauissime peccare illos, qui scientes,contrarium esse de fide, affirmãt talia,ergo etiã qui nesciunt, si scire deberent, grauiter peccant: licet illa qualisqualis ignorantia & incogitantia cum fide implicita, & proposito,saltem virtuali, credendi quidquid nouerint, & aduerterint esse de fide,à pertinacia,censura, & alijs pœnis excuset.In quod faciunt cap.hæc est fides.24.q.1.& cap. dixit apostolus.ead.caus.q.3.& quæ latius tradit beatus Antonin°.2.par.tit. 12. cap.5.§.1.

Quinto, quod nullus prædictorũ errorum,nec alius,si tantum mentalis fuerit,inducit excommunicationem,nec alias pœnas à iure staturas, licet vere sit hæresis, & peccatum mortale grauissimum,vt dicetur infra cap.11.nu.17.

Circa

Prædicta ergo alij peccant mortaliter,& sunt hæretici, alij peccant mortaliter,& non sunt hæretici, alij non peccant,vel solum venialiter.

Primi ordinis est primo,qui sciẽs, & aduertens contrarium teneri à sancta catholica Romana ecclesia, credit animam non esse substantiã, quæ per se subsistere possit, differentem à corpore,quod informat.supra nu.2.3.& 10.

Secundo,qui cum eadem scientia credit,eam esse corpoream, vel habere formam humanam in parua membra digestam.nu 3& 10.

Tertio,qui cum eadem scientia credit,eam simul cum corpore interire.nu.3.

Quarto,qui cum eadem scientia credit animas creari ab angelis, vel esse de substantia,vel parte Dei. numero.4.

Quinto, qui cum eadem scientia credit, omnes animas creari antequam infundantur corpusculis. numero 4.

Sexto, qui cum eadem scientia credit, animam non esse formam substantialem humani corporis.numero 5.

Septimo,qui cum eadem scientia credit,posse nos saluari solis viribus naturalibus,&nostro libero arbitrio sine gratia speciali supernaturali.nume.7.

Secũdi ordinis sunt,qui prędicta credunt ignorantes, vel non aduertentes, contrarium teneri à sancta ecclesia catholica Romana: quod si scirent, & aduerterent, non crederent illa:sed sunt personæ, quæ id scire, & aduertere debent. numero 16.& 17.

Tertij ordinis sunt, qui credunt prædicta nescientes, nec scire debentes contrarium teneri ab ecclesia.ibid.

De

De animæ potentiis,quatenus est vegetatrix,& sentiens. Prælud. II.

SVMMARIVM.

1 *Animæ potentia quid,& quot.*
3 *Potentiæ sentiendi exteriores quinque.*
3 *Interiores quatuor.*
4 *Anima rationalis habet vim appetitiuam animæ sensitiuæ.*
5 *Sensualitas appellatur vis appetens, sensibilis,irrascibilis,& concupiscibilis.*
6 *Anima rationalis distinguitur à potentijs sensitiuis.*

1 DE potentiis animæ,quatenus est vegetatrix, & sentiens,dicimus pauca. Primo,quod potentia, seu virtus, siue vis animæ, de qua hic agimus,est proximũ principium operationis eius, vt satis colligitur ex sancto Thom.1.part.q.67.art.1.& 4.& quæst 79.per totam.

Secundo dicimus, quod diuina bonitas eam ornauit omnibus potentiis, virtutibus, & viribus, quas habet anima vegetans,siue vegetatiua, qua plantæ viuunt. adeo quidem quod merito anima rationalis posset appellari vegetatrix, siue vegetatiua,vt resolute ait Ioan. Maior in 2.lib.sentent.distin.16.quæst.2.Siquidem cum in homine, vt dictum est supra, prælud.1.nu.4.vna sola sit anima: & videamus eam nutriri, augeri, & perfici:& nutritũ, actum, & perfectum similem sibi generare, consequens plane est, eius animam habere omnes vegetatiuæ animæ potentias,vires, facultates,quæ sunt tres. Nutritiua, quæ conseruat corpus: Augmentatiua, quæ auget & perficit illud:& Generatiua, quæ sibi simile producit, iuxta illud Arist. 2.lib.de anima,text.13. *Opera animæ vegetatiuæ sunt tria, generare, alimento vti,& augmẽtum facere*, vt declarat S. Tho.1.par.q.78.art.1.& de aĩa,art.13.

2 Tertio dicimus, quod eadem illa bonitas ornauit eam etiam potẽtijs,viribus, & facultatib° omnibus animæ sensitiuæ.adeo quidẽ vt meritò anima rationalis appellari possit sentiẽs,siue sensitiua, vt recte dicit Ioan.Maior in dicto 2.lib.senten. dist.16.q.2. Cũ enim videamus, hominem mouere se se,efficitur eũ habere potentiam motiuã animæ sensitiuæ.Cum item perspiciamus,eum sentire & cognoscere, consequitur, eum habere potentiam animæ sensitiuæ cognoscitiuam, quæ diuiditur in interiorem,& exteriorem.Exteriorem exercet per potentias exteriores,quæ sunt quinque, Visus videlicet,Auditus,Odoratus, Gustus, & Tactus,quos recensuit etiam gl.l. quod meo.ff.de acq.poss.Interiorem autem cognitionem sensitiuã exercet per potentias sensitiuas interiores,quæ sunt quatuor.

3 Prima est Sensus cõmunis,cuius munus & officium est recipere interius cognitiones omnium quæ prædicti quinque sensus exterius cognoscunt,& de illis iudicare.Secunda est Imaginatiua,seu Cogitatiua, cuius muneris est seruare omnia, quæ recipit Sensus cõmunis. Tertia Aestimatiua, ad quam spectat recipere intentiones, quas animal naturaliter percipit, sed aliter quam per sensus exteriores: vt est illa,qua ouis æstimat lupum esse suũ inimicum. Quarta est Memoratiua, cuius officium

Universidad de Deusto

cium est conseruare tãquam in thesauro intentiones, quas æstimatiua recipit, secundum sanctum Thom. 1. part. quæst. 79. articul. 6. in corpore quæsti. qui in quæst. 78 articul. 4. ait Auicen. addidisse his quintam, videlicet phantasiam: sed superuacanee, cum eius officium efficiat Imaginatiua.

4 Quarto dicimus, quòd hæc eadem anima nostra habet potentiam appetendi, qua pollet anima sensitiua, quia potest appetere ac renuere quæ per sensus prædictos cognoscit. Quæ quidé potentia appetitiua sensualitas vocatur à sancto Thom. 1. part. quæst. 81. art. 1. & à Ioann. 22. in procœmio clem. & ab Innoc. III. in c. 1. §. in vertice. de sacra vnctione. quæ vox, quamuis non videatur latina, ea tamen vtitur etiam magister in 2. lib. sent. dist. 24. vbi eam definit.

5 Quinto dicimus, quod hæc sensualitas, siue potentia, siue vis appetitiua sensitiua diuiditur in concupiscibilẽ, & irascibilẽ. Concupiscibilis est illa, per quam anima humana, quatenus conuenit cũ sensitiua, potest appetere, siue velle, vel renuere, siue nolle illa, quæ apprehendit conuenire, vel non conuenire per prædictos sensus, ea ratione quod conueniant, vel non conueniant. Irascibilis vero est illa, per quã audet resistere illis, per quæ impugnantur, vel per quæ impediũtur illi ea, quæ sibi conuenire videtur. Itaque potentia irascibilis propugnatrix est potentię concupiscibilis, vt dixit S. Thom. in dicta quæst. 81. art. 2. qui in seq. artic. probat, prædictas duas potẽtias subdi rationi, eique obedire: licet quoad aliquid ei repugnent, & submurmurent. Quoniam dictãte ratione, non esse expetendum, vel cupiẽdum, aut renuendum illud, aut illud, aut non esse resistendum illi, aut illi: aut omnino obediunt, aut certe refrenantur. Quod experientia palam docet, quoties ira, timore, audacia, amore, vel odio perciti, aut omnino, aut ex parte sedamur, considerando aliqua à nobis, vel ab aliis proposita rationi consentanea: sicuti 1. Reg. c. 25. Dauidis ardens ira extincta fuit per rationes & preces Abigail iustissimas. Amor item effrenatus, & furés Mariæ Magdalenæ, repressus & extinctus fuit per prædicationem domini nostri Iesu Christi, diuinæ & humanæ rationi consentaneã, Luc. c. 7.

6 Sexto, quod satis grauis quæstionis est: An quælibet prædictarum potẽtiarum vegetatiuæ ac sensitiuæ sit re ipsa idem quod anima? In qua quidem quæstione illa videtur verior, facilior, & commodior sententia, quæ habet, nullam harum potẽtiaru, quas habet anima rationalis humana, quatenus est vegetatiua, vel sensitiua, cognoscitiua, aut appetitiua, esse idem quod ipsamet anima, eo quod omnes prædictæ potẽtiæ constant & sunt cõpositæ ex aliqua parte corporis & ipsamet animæ: sicut totus homo constat ex anima, & toto corpore. Et ita sicut totus homo non est sola anima ipsius, vt prædictũ est prælu. 1. nu. 11. ità partes illæ hominis, quæ sunt potẽtię sensitiuę. & organa sensuũ ipsius nõ sunt sola anima, ex qua & aliquibus partibus corporis constãt. quia eadem ratio, quæ est de toto ad totũ, est de parte ad partem, l. quæ de tota. ff. de rei vend. & c. pastoralis. §. item cum totum

totum. de offic. deleg. quod longe dilucidius, quã alij omnes tradit Ioan. Maior in 2. lib. sent. dist. 16. quæst. 2.

Circa.

Potentia sensitiua animæ humanæ nullus fere peccat, credendo illud, aut illud, nisi qui scit, vel scire debet, vnam tantum animam (rationalem scilicet) esse in homine, iuxta dicta supra in prælud. 1. nu. 4. & nihilominus credi, animam rationalem non sentire, sed solum intelligere: quia consequenter videtur confiteri, plures animas esse in homine, quod est erreneum. An autem id sentiens sit hæreticus, vel peccet mortaliter? facile colligitur ex præl. 1. nu. 16. & 17.

De potentiis animæ, quatenus est rationalis, siue intellectiua. Prælud. III.

SVMMARIVM.

1 *Anima rationalis quas potentias habeat:*
2 *& an sint ipsa.*
2 *Anima & memoria non differunt:*
3 *sicut nec intellectus & ratio.*
4 *Anima cur appellatur intellectus, memoria, intellectus agens, intellectus possibilis, & ratio, tum superior tum inferior.*
5 *Anima appetitus, & intellectus varie appellatur.*
6 *Appetendi & noscendi vis intellectiua vt differunt.*
7 *Intellectus an potior voluntate.*
7 *Voluntas & intellectus vario modo animam mouent.*
8 *Appetendi vis diuiditur vt sensualitas.*
9 *Anima sola rationalis habet liberum arbitrium.*
10 *Liberum arbitrium non esse hominis hæresis.*
11 *Liberum arbitrium, vt sufficit ad cadendum, & non ad surgendum.*
11 *Gratiam gratum facientem primam nemo de condigno meretur.*
12 *Gratia Dei quæsita sine dono perseuerantiæ non perdurat.*
13 *Anima plura nouit vi rationali, quam sensitiua.*
14 *Anima vt nouit se, & angelos, & vtrumque actus.*
15 *Anima & angelus non cognoscunt per suas essentias, vt Deus per suam.*
16 *Homo imago Dei est quoad mentem, non quoad corpus.*
17 *Imago Dei est mulier sicut vir.*
18 *Homo imago Dei quoad naturam, potentias & actus.*
19 *Homo qua via Deum vnum & trinum melius cognoscit.*
20 *Generatio, & processio in diuinis spiritualissimæ.*

1 DE potentiis animę, quatenus est rationalis, siue intellectiua dicimus sequentia. Primo, quod Deus Opti. Maxi. donauit animã rationalem humanam nõ solum præfatis potẽtiis, quibus decorauit animam vegetatiuam & sensitiuã: sed etiã aliis duabus longe nobilioribus videlicet potentia intelligẽdi, quam scholæ intellectum appellant, & potentia appetitiua, siue appetendi, quã eædem voluntatem nominant.

2 Secundo dicimus, quod sanctus Thom. cũ suis asseclis 1. part. quæst. 77. art. 1. & lib. 1. senten. dist. 3. q. 4. art. 2. & de anima artic. 12. & alibi sæpe ait, illas non esse animã: sed ab ea. & inter

Universidad de Deusto

inter se re ipsa differẽtes, ita vt anima sit substantia: intellectus vero & voluntas duo accidentia diuersa inseparabiliter ab ea emanantia. Scotus autem contra tenet in 2. lib. sent. dist. 16. cum suis sequacibus & omnibus Parisiensibus, exceptis Dominicanis, vt testatur ibidem Ioã. Maior quæst. 1. qui eam per multas propositiones dilucidius, quam alij omnes ibi explicat: sicut econtrario Gabriel, diffusius aliis obumbrasse videri potest. Equidem Scoto magis accedo tum ob eius rationes, tũ quia cũ parũ, immo nihil referat quoad salutem animæ, de qua tractamus, vtram harum teneamus, per hanc vitamus multas difficultates quæ multum laboris, & parum vtilitatis ingerũt: tum quia ipsemet S. Thom. in dict. 1. part. quæst. 79. art. 7. ait memoriam non esse potentiam separatam ab intellectu, & ante in eadem quæst. articul. 1. 3. & 4. affirmat, intellectum possibilem non separari ab intellectu agente, neque speculatiuum à practico, ibidem artic. 11. nec rationem ab intellectu: nec rationem superiorem ab inferiori, artic. 8. & 9. Ad quæ omnia dicenda vir sanctissimus, itidemque doctissimus eo mouetur, quod absque necessitate non sunt res multiplicãdæ, iuxta illud Arist. 1 Physicor. cap. 5. *Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora.* Id quod non latuit glossam in princ. & in fin. clemen. 1. de summa Trinit. & fid. catholic. & æque fere facile sustineri potest, quod hæ duæ potentiæ, intellectus scilicet, & voluntas sint vna & eadem res inter se & cum anima ipsa, & quod memoria & intellectus sint vna, & eadem potentia. tum denique, quod clarissimus ille iuxta ac sanctissimus totum vtilium doctor Isidorus, quem nemo eorum citat, in hac fuit opinione 11. libr. originum, siue etymologiarum capi. 1. eamque declarauit quambreuissime per hæc verba: *Hæ* (videlicet potentiæ) *ita adiunctæ sunt animæ: vt vna res sit: pro efficientiis enim eausarum diuersa nomina sortita est anima. nam & memoria mens est: vnde & immemores dicuntur amentes. dum ergo viuificat corpus, anima est: dum vult, animus est: dum scit, mens est: dum recolit, memoria est: dum vectum iudicat, ratio est: dum spirat, spiritus est.* Quæ quidem verba aperte sonant, animam pro varietate officiorum variis appellari nominibus: non quidem eo quod illæ vires & potentiæ sint ab ea, vel inter se re distinctæ: sed eo quod diuersos, & distinctos effectus operatur per illas, quemadmodum Deus ipse, cum sit vna res simplicissima, tamen quia infinitas vires habet, & infinita operatur, infinita sortitur nomina: cum tamen nihil sit in eo, quod non sit ipsiusmet substantia, iuxta capitul. firmiter. de summ. Trinitat. & fid. catholic. adiuncta gloss. in verb. simplex omnino. & tradit Aquinas 1. part. quæst. 3. & quæst. 9. articu 1. & sicut vnus & idem homo propter varia officia, varia sortitur nomina: dicitur etenim pater, quia filium habet, rex, quia regnum, & comes, quia comitatum.

4 Tertio dicimus, quod anima humana, quatenus habet vim intelligendi, varie appellatur. Nam appellatur intellectus, qua ratione intelligere potest, & intellectus agens, qua ratione agnoscit & agit cognitiones

tiones & notitias: intellectus vero possibilis, quatenus recipit eas: memoria vero, quatenus eas recolit, secundum Arist. libr. 3. de anima. Ratio autem dicitur secundum Aug. libr. 3. super Genes. ad literam, cap. 10. quatenus aliud ex alio deducit. quod pulchre declarat S. Thom. in 1. part. q. 78 arti. 8 pars vero superior rationis secundum eundem Augu. ibid. c. 15. eo quòd intendit æternis concupiscendis, & cõsiderandis. pars vero inferior rationis, quatenus intendit temporibus gubernandis, quòd latius declarat idem Thom. in dict. q. 79. art. 9. & Magister, & alij in 2. libr. sen. dist. 24. intellectus vero speculatiuus quatenus id, quod intelligit, non ordinat ad opus: practicus autem, quatenus id, quod intelligit, ordinat ad opus, vt idem declarat in præcitata quæst. 79. art. 11. iuxta illud Arist. 3. libr. de aĩa, text. 49. *Intellectus speculatiuus per extensionem fit practicus.*

5 Quarto dicimus, quod eadẽ anima varie appellatur, quatenus habet vim volẽdi, vel nolendi rationalem. appellatur enim proprie animus, vt Isidorus ait vbi supra appellatur itẽ à vulgo voluntas, quamuis à nullo auctore linguæ latinę idoneo, quem legerim, sic appelletur. Nã ille actus volendi, vel nolendi, qui barbare dicitur volitio, vel nolitio, est latine voluntas, vt docet Marcus Tullius 4. lib. Tusculanar. ibi: *Appetitionem, quam Græci βούλεσιν appellant, nos voluntatem vocamus.* Quod ipsum sentit August. §. 1. 15. quæst 5. ibi: *Voluntas est animi motus ad aliquid imitandum, vel non imitandum.* Appellatur etiam spiritu, à Paulo ad Galatas 5. vbi: *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritum autem aduersus carnem*, vbi spiritus significat concupiscẽtiam spiritualium, vt colligitur ex S. Thom. ibidem lect. 4. & 1. 2. quæst. 70. artic. 4. in corpor. quæst. Appellatur item appetitus intellectiuus vulgariter. Veruntamen quia loquendum est vt plures, vim, seu potentiam intelligẽdi appellabimus intellectum: vim vero, seu potentiam volendi, aut nolendi volũtatem, vt vterque, tam Scotus, quam S. Thom. appellat.

6 Quinto dicimus, quod ex iis infertur, quod voluntas, quæ est vis, & potentia volendi, & appetendi intellectiua longe differt à vi, seu potentia volendi, seu appetendi sensitiua. tum quod illa, vt infra in 8. dicto. num. 15. dicetur ad plura extenditur. tũ quod hæc appellatur sensualitas, vt in proxime præcedenti prælud. diximus, iuxta illa, quæ tradit Arist. 3. de anima. quæ subtiliter tractat vterque Thom. in 1. part. quæst. 80. articu. 2. illa vero à vulgo appellatur voluntas, seu potentia, vel vis appetitiua, siue rationalis. tum ob illud Pauli ad Galatas 5. supra relatum: *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem*: vbi per carnem, significatur sensualitas: per spiritum autem volũtas superior: tum quia experimur, nos velle aliqua per sensualitatem, à quibus abhorremus per vim appetitiuam intellectiuam, iuxta illud eiusdem Pauli ad Roman. septimo, *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Tum quia potentia appetitiua sensitiua, siue sensualitas, non est ipsa anima: sed pars quædam hominis composita ex anima, & materia, siue corpore,

in

in qua est vis appetitiua sensitiua. Voluntas autem est secundum opinionem, quam sequimur, ipsa anima puta: secundum vero sanctum Tho. est quidam quoddam inseparabiliter ab essentia animæ fluens, vt dictum est. Quibus quidem omnibus addo asserere ab omnibus, quod alia ratione volũtas, siue anima velle potens mouet intellectum, siue seipsam intelligere potentem: & alia anima, quatenus est intellectus, voluntatem. Voluntas enim mouet intellectum veluti volendo, & imperando, vt agat illud, aut illud: intellectus autẽ mouet voluntatem præsentando, & obiectum, & rationem, qua illud velle, aut nolle debeat, vt declarat S. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1.

8 Sexto dicimus, quod sicut sensualitas, & potentia appetitiua animæ humanæ sensitiuæ comprehendit vim irascibilem, & concupiscibilem, quæ non re, sed tantum ratione differunt: sic potentia, & vis appetitiua animæ intellectiuæ cõtinet sub se irascibilem, & concupiscibilem eiusdem partis intellectiuæ, per quas non solum potest facere id, quod faciunt concupiscibilis, & irascibilis sensualitas circa sensibilia: sed etiam circa ea, quæ tantum sunt intelligibilia, & potest concupiscere ea omnia, quæ cognouit per sensum, vel rationem conuenire, & renuere contraria quod est officium partis concupiscibilis. Potest item renuendo resistere omnibus impugnantibus, vel conuenientia impedientib⁹, quæ cognoscit esse talia, siue per sensum, siue per intellectum: quod est officium irascibilis, vt colligitur ex S. Tho. in dicta q. 82. art. 3.

9 Septimo dicimus, quod licet anima humana ea ratione, qua est sensitiua, non habeat liberum arbitriũ: habet tamen illud qua ratione est intellectiua tum per illud Eccle. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, id est libertate arbitrij sui, secundum glo. eiusdem, & sanctum Thom. 1 parte quæst. 21. art. 1. & 1. 2. quæst. 104 art. 1. tum quia libere eligit, & refutat per potentiam, siue vim appetendi ea, quæ sibi repræsentantur à potentia, siue vt intelligendi, & iudicandi, ratiocinando, quando fusissime docet Magister 2. lib. sentẽ. dist. 24. cũ aliis in eum commentantibus: & sanct. Thom. in dict. 1. parte. q 83. per quatuor articulos. tum quia hoc distat inter inanimata, & animata sola anima vegetatiua tãtum ex vna parte, & animalia bruta ex altera, & hominẽ ex tertia, quod prima agunt sine iudicio proprio: alia cum iudicio proprio, sed naturali, non libero: homo vero ex iudicio proprio libero, potenti diuersa eligere. Nec ideo putet quis, liberum arbitrium esse actum, vel habitum naturalem infusum, vel acquisitum alicuius potentiæ: quia immo est ipsa potentia animi, vt concludit sanctus Thom. 1. part. quæst. 83. arti. 2 post Magistrum in 2. lib. senten. distinct. 24. vbi idem S. Thom. & alij idem affirmant. & cum per supra dicta nume. 8. non distinguantur re ab anima secundum eos, quos in hoc sequimur, sed solum ratione, consequitur, liberum arbitrium esse ipsammet animam ea ratione, quod cognoscendo aliquid, per vim intelligendi potest libere illud velle, vel nolle per vim appetendi.

tendi, & ideo non abs re definitur à prædictis esse facultas voluntaris & rationis: quia in eius exercitio oportet interuenire actum cognoscendi, & ratiocinandi, seu consultandi, qui pertinet ad intellectum, seu vim intelligendi, & actum eligendi, qui pertinet ad voluntatem, seu vim appetendi. Itaque anima est, & dicitur liberum arbitrium ratione præfata.

10 Ceterum circa liberum hominis arbitrium duæ sunt hæreses. Altera est Lutheranorum, vel potius antiqua Albanensium per impium Lutherum renouata, quæ omnino negat inesse homini liberum arbitrium. Altera est Palagianorum, quæ habet (vt testatur beatus Augustinus in lib. de hæresib. ad Quoduultdeum c. 88.) tantum esse illi liberi arbitrij, vt per illud solum sine speciali gratia possit iustificationem mereri. Quarum prior reprobatur non solum à sancto Thom. vbi supra. & latissime à Castrensi in lib. 9. aduersus omnes hæreses, verbo libertas. in princip. & à quamplurimis aliis alibi: sed etiam à sacrosancto Concil. Trident. sess. 6. de iustificat. can. 4. 5. & 6. quorum quartus sic habet: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque possit dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere; anathema sit.* Quintus vero sic inquit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique à Sathana inuectum in ecclesiam; anathema sit.* Sextus demum sic: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita, vt bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se adeo, vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.*

11 Cuius rei consideratio valde nobis profuerit. multum etenim nos ad eius gratiam petendam, & flagitandam submittet reputare nobiscum, posse quidem nos mala facere per solum nostrum liberum arbitrium: bona vero, quæ sufficiant ad vitam æternam consequendam nequaquam. Posterior vero hæresis prædicta Pelagianorum, damnata olim in concilio Milenitano can. 3 & cap. 4. & 5. relatis in tribus cap. vltimis, de consecrat. distinct. 4. nuper iterum damnata fuit à sacro Concil. Trident. præcitata sess. 6. de iustificat. per tres canones. 1. 2. & 3. Primus sic habet: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.* Secundus vero sic: *Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius hominem iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægre tamen, & difficulter possit; anathema sit.* Canon vero tertius sic ait: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei in-*

stificationis gratia conferatur ; anathema sit.

12 Quibus addendum, quod etiam ad perstandū in gratia iam quæsita, & perficiendum in ea ad finem vsque, egemus auxilio Dei speciali, vt probat Aquinas communiter receptus 1.2.q.109.ar.10.& q.114.art.2.& in 2. lib. sentent. q.38.art.4. Immo & Conc. Trid. declarauit in dicta sess. 6.c.13.& can.22. contrarium esse hæresim. Quare summo studio niramur eam quærere, & quæsitam conseruare, ne Deus noster non minus iustus, quā misericors, videns nostrā in ea quærenda oscitantiam, & in eadem conseruanda negligentiā obiiciat nobis illud Deuter.32. *Abscondam faciem meam à vobis, generatio enim peruersa est, & infideles filij.* à qua nos indignatione misericordia eius infinita liberet. Amen.

Quæ autem gratia requiratur ad merendum de condigno, & siqua, & quæ, etiam quoad bene operandum moraliter tantum, dicemus infra cap.27.

13 Octauo, quod lōge plura potest anima nostra cognoscere, & appetere, quatenus est rationalis, quam quatenus est sensitiua. Nā quatenus est sensitiua nihil aliud cognoscere, vel appetere potest (vt prædiximus) quā corporea, & sensibilia: quatenus vero est rationalis potest cognoscere, ac appetere primum omnia sensibilia. etenim ad ea omnia quālibet materialia, corporalia, & singularia prædictæ illius potētiæ se extendunt per notitias, & appetitus immateriales, secundum omnes : licet de modo, qui parum facit ad conscientias, inter eos omnes non conueniat, vt videre est per vtrumque Thom. 1. part. quæst 86.art.1.

14 Deinde potest etiā cognoscere & appetere omnia vniuersalia insensibilia, incorporalia, & spiritualia; puta se ipsam, & suos actus interiores; angelos item, & eorum actus, immo & Deum ipsum aliquo modo & in eius simplicissima, indiuiduaque substantia trinitatē personarum (licet nō naturali lumine) iuxta illud collectæ eius diei festi : *Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem.* Non tamen dicimus, Deum esse primum, quod cognoscimus, cum communiter per cognitionem creaturarum (quæ sunt eius vestigia) in illius, qui est causa earum, agnitionem veniamus, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* : vel per doctrinam, seu prædicationem magistrorum ad Rom.10.& c. cum ex iniuncto. de hæretic. quæ omnia latius fundari possunt per ea, quæ tradit Angelicus doctor 1. part. q. 88.art.1.2.& 3.

Nono dicimus, quod anima nostra cognoscit se per intellectus sui actum, suam naturam considerando. quæ consideratio tam vtilis erit ea vtentibus, quam eius negligentia nocens ea non vtentibus, iuxta sanctum Thom. in dicta 1.part.quæst.87.art.1. qui in art.3. & 4. concludit, animam nostram per vim intellectus cognoscere proprium actum intelligendi, iuxta illud beati August. 9. de Trinit. cap.3. *Intelligo me intelligere.* Immo & proprium actum volendi, iuxta illud eiusdem

eiusdem ibidem : *Intelligo me velle:* per quem modum, etiam in statu præsenti, possumus intelligere angelos, saltem imperfectè, & per similitudinem, etiam affirmatiue, aliquid cognoscere de illis, vt declarat diuinus Thom. 1. part. quæst. 88.artic.1.

15 Decimo dicimus, quod inter cognitionem Dei, & cognitionem angeli, & animæ nostræ plurimum interest. Deus enim sua simplicissima essentia, sine vlla alia qualitate, vel accidente, & sine vllo discursu se, cunctaque alia simul intelligit: angelus vero, & anima nostra nihil cognoscunt, per suas ipsorum essentias, sed per qualitates sibi inhærentes. Siquidem omnis tam angeli, quam animæ nostræ intelligentia, notitia, & cognitio est quædam qualitas, & accidens reale distinctum ab eis, & eorum potentiis, inhærens illis. quæ colliguntur ex S. Thom. vbi supra art.2. & 4. & de anima art.16. Inter angelum autem, & animam nostram hoc interest, quod hæc intelligit componendo, & diuidendo ea, quæ actu simplici apprehendit, & rationando, seu aliud ex alio ex eis deducendo : angelus vero sine vllo discursu simulac quidditatem rei cognoscit, omnia, quæ illam consequuntur, apprehendit.

16 Vndecimo dicimus, debere nos quammaximas gratias Deo agere, eo quod non solum dederit nobis esse, vt aliis creaturis suis inanimatis: & viuere, vt plantis; & sentire, vt bestiis; sed etiam sapere, & intelligere, vt angelis : & ita effecerit nos imagines sui ipsius, iuxta illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* quæ imago Dei non consistit in corporali figura, neque in esse, vel sentire : sed in esse intellectuali, quo præstat ceteris animantibus. secundum diuum Augu. in lib. octuagintarium quæstionum quæst.51. & in sapere, & intelligere, & aptitudine ad cognoscendum & amandum eum, vt inquit sanctus Thom. 1. part. quæst. 93. artic. 2. & 4. quod quidem beneficium nullis aliis creaturis concessit, præterquam angelis, qui eo maiorem eius imaginem, quam homo gerunt, quo magis intellectualem naturam habent. Vnde neque homo quoad alias partes, quam quo ad mentem gerit prædictam Dei imaginem, sed solum vestigium, sicut & aliæ creaturæ, vt declarat idem sanctus Thom. vbi supra. Nec obstat l. si quis in metallum. C. de pœn. quatenus habet, faciem hominis, non esse maculandam aliqua nota pœnæ, eo quo ad imaginem pulchritudinis cælestis est figurata. Quia non significat, vt aliqui putāt, imaginem Dei, quæ est in homine, esse secundum faciem corporalem, & ideo non esse maculandam : sed solum insinuat, corpus hominis erecta facie longe aptius esse ad cōtemplandum cælum, & ad significādam imaginem Dei, eius in mente reconditam, quam ceterorum animalium : & propterea maius vestigium relucere in eius corpore (præsertim facie) quam in aliis, vt ait Augu. in præcitato lib. octuagintarium quæstionum, quæst. 51. & declarat sanctus Thom. in dicta quæst.93.artic.6.ad 3.& ideo non esse maculandam.

17 Duodecimo dicimus, quod hæc imago Dei ita est in muliere, ac in viro, vt post, & ante alios concludit sanctus Thom. vbi supra, art. 4. quia vterque habet animam rationalem, & intellectualem naturam. Nec obstat illud 1. Cor. 11. *Vir est imago Dei, mulier vero imago* (alias gloria) *viri.* Nec illud August. lib. Iquæstionum veteris testamenti, q. 45. relatum in cap. hæc imago. 33. quæst. 5. *Mulier ad imaginem Dei non est facta.* Non, inquam, hæc obstant, quia nō agunt de imagine Dei principali, quæ consistit in essentia hominis: sed de alia minus principali, quæ consistit in productione, & processione. Nam quo ad hanc vir dicitur similis Deo; eo quod sicut ille à nullo alio est, ita vir ex nullo alio homine processit: mulier autem processit à Deo, assumente illam ex homine, vt sentit S. Thom. vbi supra.

18 Decimotertio dicimus, quod anima nostra non solum est imago Dei, secundum suam naturam intellectualem: sed etiam secundum suas potentias, & actus, quia non solum, quatenus est apta ad cognoscendum, & amandum Deum, est illi similis: sed etiā quatenus habet vim memorandi, intelligendi, & volendi. Primo, quia sicut Deus ille summus, habens in se simplicissimam substantiam, potest meminisse, intelligere, ac velle sine vlla materiali qualitate: ita & anima nostra habēs immaterialem substantiā potest meminisse, intelligere, ac velle sine aliqua materiali qualitate, licet non sine immateriali, vt Deus. Secundo, quod sicut in illa summa, vna, diuina, & individua essentia sunt tres personæ, pater, filius, & Spiritus sanctus, ita & in anima nostra vna, & individua sunt tres potētiæ, memoria, intellectus, & voluntas. Tertiò, quod sicut in illa summa, & individua substantia est pater, qui cognoscendo se generat notitiam & imaginem sui, quæ est verbum, & filius eius ei consubstantialis: & rursus pater, & notitia illa, & verbum supremum, quod est filius, amando se se producunt summum illum mutuum amorem, sui consubstantialem, qui est Spiritus sanctus: ita in essentia animæ nostræ ipsa se se intelligēdo per suum intellectum generat notitiam sui, quæ est eius imago; & per illam notitiam, quæ eius est imago, & volūtatem generat sui amorem. Quarto, quod sicut filius genitus à patre non est pater, neque Spiritus sanctus: nec Spiritus sanctus productus à patre & filio est, pater, aut filius, aut vterque: ita neque imago illa, quæ est filia quædā animæ est ipsa anima, siue intellectus, nec amor sui productus ab ea, & à notitia sui, qui est quidā filius eius, est ipsa, nec intellectus, nec volūtas. Est tamen immensa differentia: quia notitia illa, imago, & verbum à patre productum est substantia, & consubstantialis eius imago coæterna: amor item ille summus à patre & filio productus est substantia consubstantialis, & coæterna vtrique: at verbum, & imago, & notitia nostræ animæ, intelligendo se genitam est accidens, & accidentaria forma: similiter & amor à notitia, & voluntate productus est accidens, & non substantia, & recentior ea. quæ omnia sunt ex mente omnium in 1. lib. senten

sententia. dist. 2. & sancti Thom. 1. part. quæst. 93. artic. 7. & eiusdem in 1. lib. senten. distin. 3. q. 4. ar. 1. & q. 5.

19 Decimo quarto dicimus semper memorandum esse id, quod sentiunt Beati August. in cap. 31. Soliloquiorum, & Bernardus in cap. 1. Meditationum: optimam nempe viam perueniendi in Dei cognitionem esse per cognitionem exteriorem vagam introire in cognitionem nostræ animæ stabilem: & per eam satis ruminatam adscendere ad cognitionem eius diuinæ maiestatis. Quibus addo, quod omnium excellentissima via perueniendi ad qualem qualē illius summi summæ Trinitatis mysterij, & personarum diuinarum emanationis cognitionem est cōsideratio eorum, quæ proxime superiori Corollario continentur. per quā stolida illa, & pudenda imaginatio eorum, qui generationem filij Dei, & processionem Spiritus sancti imaginantur veluti corporalē, exploditur & longe abigitur. qua in re, multos, multum errare, nouimus: & in iis quēdam gente Iudæū, & professione Christianum, qui ab hinc triginta plus minus annis plurimum in hac alma vrbe valuit, & maximis largitionibus, & astutiis Officio Sanctæ Inquisitionis in Lusitaniæ regna introducendo frustra obstitit. Is enim omnes leges, & sectas expertus ad spurcissimam Mahometis sectam tandem transfugit, eam, quæ Iudæorum est, eo exosus, quod diceret, nullū Iudæum, qui sibi vir bonus videretur, vmquam inuenisse: Christianam vero, quam dicebat sibi ex omni alia parte placere, eo respuēs, quod firmiter doceret, & crederet, Deum habere filium: quod ei videbatur impossibile. quale profecto, immo impossibilium impossibilissimum videri debet, stolide, nefande, ac hæretice imaginanti (vt ille imaginabatur) generationem filij Dei esse corporalem: possibile vero, immo & infinita Dei omnipotentia dignissimū contemplanti, generationem illam esse ter spiritualissimam, vt sancta mater catholica ecclesia Romana sanctē contemplatur, contemplanti, inquā, & quā submississime suspicienti, & adoranti.

20 Scio item, multos multum se profuturos, si sæpe memoria volue rint generationem illam filij Dei, qua pater æternus, vti memoria fecunda, generat filium, qui est summa notitia, & imago eius, & productionem illam, qua pater & filius producunt Spiritum sanctum, summum vtriusque amorem esse spirituales, & quadamtenus similes generationi spirituali, qua in essentia animæ nostræ memoria fecūda generat ipsius notitiam, & imaginem, & rursus illa, & voluntas eiusdem amorem producunt.

Contra dicta errat

Primo qui credit non esse homini liberum arbitrium. nu. 10.

Secundo, qui credit liberum arbitrium sufficere ad benemerēdum gratiam de condigno. nu. 11.

Tertio, qui credit angelos, vel animas se solas sine accidentibus cognoscere. nu. 15.

Quarto, qui credit, hominem esse imaginem Dei quoad corpus. num. 16.

Quinto, qui credit generationem in diuinis esse corporalem. nu. 19.

Universidad de Deusto

Quis autem horum pecceat mortaliter, & sit hæreticus, & excommunicatus: & quis tantum peccet mortaliter, & non sit hæreticus: & quis non pecceat saltem mortaliter, colligitur ex præludio. 1. nu. 16. & 17.

De summa beatitudine, & summa miseria.
Prælud. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Beatitudinis & miseriæ æternæ notio magnum ad pœnitentiã calcar.*
2 *Finis quid: duplex, vltimus, & medius, & quid vterque. & nu. 3.*
3 *Finis multiplex, verus, falsus, cuius, & quo, & quid sint. & nu. 3.*
4 *Finis vltimus & beatitudo idem.*
5 *Beatitudo essentialis est actus intellectus S. Thomæ, voluntatis Scoto.*
6 *Beatitudo quid sit, & quotuplex.*
7 *Deus est quidquid in eo est.*
8 *Beatitudo est actus, & non habitus, neque potentia.*
9 *Beatitudo sine cognitione, & amore Dei esse non potest.*
10 *Beatitudo vera duplex, perfecta, & imperfecta.*
11 *Beatos nõ videre Dei essentiam asserere hereticum.*
11 *Beatitudinem perfectã non facit cognitio Dei confusa, neque demõstrata, neque fidei, sed intuitiua.*
12 *Beatitudo perfecta vt secura: & quid, imperfecta.*
12 *Paulum & Moysen non fecit beatos visio Dei transitoria.*
13 *Dei visio intuitiua inseparabilis à gaudio, & delectatione.*
14 *Beatitudo ab omnibus intenta paucis est vera.*
15 *Beatitudo creaturæ obiectiua increata, sed formalis creata.*
16 *Beatitudinem perfectam viribus naturalibus quæri asserere hereticum.*
17 *Beatitudo humana duplex, perfecta & imperfecta.*
18 *Beatitudo imperfecta, quæ magis ad perfectam accedat.*
19 *Beatitudo perfecta satiat animum cuncta cupitis, quæ sunt hæc.*
20 *Miseria quid, & quotuplex, & eius partium definitio nu. 21.*
22 *Miseriam inferni esse interminabilẽ, est de fide.*
23 *Miseriæ summæ quatuor gradus.*
24 *Pœna summe miserorum supremi gradus septuplex.*
25 *Beatitudo summa, & miseria ei cõtraria sunt explicite credenda. nume. 26.*

1 DE summa beatitudine, & summa miseria dicimus sequentia. Primo, quod quia vix aliquid aliud magis nos ad vere pœnitendũ mouere potest, quam earũ frequens consideratio, ideo expedit eas ob oculos hoc in loco proponere. præsertim cum etiam ethnicus Persius carpserit illum, qui vltimum finem, in quem est creatus, non sibi proponit vti scopum, in quem suas actiones dirigat, per illa verba.

Est ne aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testaq; lutoq;
Securus quò pes ferat, & ex tempore vivis?

Cuius quidem finis & scopi definitio, & inquisitio quamplurimorum philosophorũ ingenia frustra exercuit. Nec enim plene satisfecit oporosa illa hac de re Aristotelis inqui

inquisitio in lib. 1. & 10. Ethic. & longe minus verbosa illa Marci Tullij in quinque lib. de finib. bono. & malo. quæ profecto non sunt tanti facienda, quãti ego ea olim adolescẽs faciebam, imitatus gloripetas illos, qui malunt veritatẽ discere per ambages ex ethnicorũ Philosophia obscura & nubila, quam recta ex Euãgelio claro & sereno, à sacris doctoribus exposito.

2 Secundo, quod nũper in Commentario de finib. humano. actuum super cap. cum minister. 23. q. 5. definiuimus ex mente Aristo. 2. Physicor. cap. 3. & sancti Tho. & aliorum in 2. lib. senten. distin. 38. finem esse bonum verum, vel apparens, quod propter se appetitum facit, vt aliud propter ipsum appetatur. Cuius definitionis declaratione breuitatis studio hic non repetita, ad memoriam reuocamus quod ibi, nu. 4. diuisimus finem in vltimum & medium. Vltimus est, qui propter se ipsum solũ amatur. & hic est duplex, Alter est vere vltimus, & omnium creatorum scopus, qui propter se tantũ, & non propter aliud est amabilis: qualis est solus Deus, vt probat sanctus Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 2. & quæst. 27 art. 1. quippe qui super omnia est diligendus, Deutero. 6. Matth. 22. Marc. 12. & Luc. 10.

3 Alter est falsus, quem falsi homines pro sua falsa imaginatione impudentissime, stolidissimeq; tacite, vel expresse fingunt, & adorant, iuxta illud Apostoli ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*, qualis erat voluptas Epicureo, in quem Marcus Tullius duos libros prædictorum quinque de finib. bono. & malor. fere prodegit. Finis medius est, qui propter se, & propter aliud amatur. qui etiam est duplex. Alter vere medius, ille scilicet, qui vere est propter se, ac propter aliud amabilis: quales sunt virtutes, & honesta omnia, secundum Ambrosium lib. 1. officior. Alter falsè medius, ille scilicet, qui non potest esse amabilis propter se: qualis est pecunia. vel non est amabilis propter aliud: qualis est Deus.

Tertio dicimus, quod etiam ibidem, nu. 6. diuisimus finem, in finẽ cuius, & in finem quo (licet hæc nomina Ciceronianis parum probentur.) Finis cuius est id, in quo est ratio boni: finis autem quo adeptio & possessio, siue vsus, vel fruitio eius. vt auari finis cuius est pecunia, in qua est ratio boni: finis vero quo est adeptio, possessio, & vsus eius, vt declarat sanctus Thom. 1. 2. quæst. 1. artic 8. & quæst. 2. art. 7. & ita finis, & scopus cuius totius humanæ vitæ est ipse Deus optimus maximus semperque benedictus, in quo est summa & infinita ratio boni: finis vero quo, eius adeptio, & possessio, siue fruitio.

4 Et consequenter alius est finis vltimus noster cuius, & alius finis vltimus noster quo. & quia vltimus finis noster cuius, & obiectum beatitudinis nostræ, siue beatitudo obiectiua, idem sunt: & finis vltimus noster quo, & adeptio finis cuius, siue beatitudo essentialis nostra, etiam idem sunt: consequitur aliud esse beatitudinem nostram essentialem, & aliud eiusdem obiectum, secundum omnes catholicos in locis prædictis, præsertim S. Tho.

in dicta 1.2.q.3.art.1.vbi definit beatitudinẽ essentialem esse rem creatam,& factam: obiectum autẽ eius est Deus ipsum, increatum,& rerum omnium creatorem.

5 Quarto dicimus, quod (vt aliorum opiniones prætermittam) sanctus Thom.cum suis assectis,& Scotus cum suis diuersimode definiunt beatitudinem, siue finem vltimum verumque nostrum, quoniam sanctus Thom. cẽset eam essentialiter esse actum intellectus speculatiui: Scotus autem esse actum voluntatis. Vterque namque ait, eam esse actum potentię maximę intellectiuarum: & sanctus Tho.eam putat esse intellectum: Scotus autem voluntatem. de qua tamen differentia, quæ solam theoriam respicit, & non praxin, quò nos animum in hoc opere intendimus: cuiusque nihil refert, an hoc, vel illud teneamus,parum curandum censentes,sequimur in definienda beatitudine opinionem sancti Thom. quæ receptior videtur. Quibus addimus, quod beatitudo, & beatitas tempore Marci Tullij Ciceronis videbantur nomina duriuscula: sed ea, vsus emolliuit, & generaliter sumpta videntur significare omnem rei volitæ possessionem, iuxta illud vulgo iactatum: *Beatus qui 6 possidet.* Ec quia non solum res verè bonas,sed etiam malas, quæ aliqua ratione apparent bonæ, velle solemus, beatitudo diuidi potest in veram, quæ definiri potest esse possessio (veri boni: & in falsam, quę communiter definitur esse possessio boni tantum apparentis, iuxta illud Regij Prophetæ, psal. 143. *Beatum dixerunt populũ, cui hæc sunt: Beatus populus cuius dominus Deus eius* quorum quidem prius ad falsam:posterius vero ad veram pertinere ait sanctus Antonin⁹ in 4 part.tit.7.cap. 4.§.1.

Quinto dicimus,quod beatitudo vera diuidi potest in summam, quę est summum bonum, siue vltimus finis verus, vel possessio eius & in non summã, quæ est possessio boni non summi.Beatitudo rursum summa in increatam & creatam. Beatitudo increata est ipsemet Deus optimus maximus, qua ratione est infinita sui ipsius cognitio, & fruitio. Cum omnis operatio Dei, & quidquid est in Deo, sit ipsemet Deus,qui se ipso solo simplicissimo cognoscit & amat se,& omnia alia. vt probat sanctus Thom. communiter receptus 1.part. quæst.3.per totam,& de simplicitate Dei art. 5. & 6.& in q.14.de scientia Dei. art. 4. & quæst.20.de amore Dei,art.1. Beatitudo vero summa creata generaliter sumpta definiri potest iuxta mentem prædicti sancti Thom. esse cognitio intellectiua Dei cum fruitione eiusdem.

8 Dixi: Cognitio,pro genere ad insinuandum,quod beatitudo essentialis creata est operatio, siue actio, vel actus:& non potentia, non habitus,neque alia vlla virtus animæ partis intellectiuæ,vel sensitiuæ, vt probat S.Tho.1. 2 quæst. 3. artic. 2. asserente philosopho 1. & 7. Ethicor felicitatem, siue beatitudinem esse operationem secundum virtutem perfectam.

9 Dixi: Intellectiua, ad insinuandum, quod beatitudo est operatio præstan

præstantissimę potentiarum animę, quæ est intellectus, secundum sanctum Thom.quem sequimur: & ad significandum,quod beatitudo non potest esse in parte sensitiua, vt luculenter demonstrat idem lib. 3. contra gent. cap.33.Contrariũ enim est hæresis,de qua Alfonsus Castrẽsis lib.3.aduersus omnes hęreses verbo,beatitudo.

Dixi:Dei,ad excludendas omnes cognitiones aliarum rerum, etiam eas,quibus diriguntur actus omniũ virtutum moralium. actus item, & cognitiones pertinentes ad prudentiam,& ad cognitionem omniũ aliarum artium,in quibus non consistere beatitudinem non solũ probat: sed etiam demonstrat angelicus Doctor vbi supra, cap.34.35. & 36.Immo neque in vlla cognitione, quamlibet ampla,omnium substantiarum separatarum, seu angelorũ, siue quia illa non potest haberi sine Dei cognitione, vt idem Angelicus Doctor vbi supra & mirabiliter in lib.4.cap.4 41.& 43.demonstrat: siue quia etiam si absque illa haberi posset,tamen sine illa non sufficeret ad hoc, vt esset beatitudo, per ea, quæ idem auctor ibidem cap. 44. adducit.

10 Dixi: Cum fruitione eiusdem: quia cognitio, quæ Dei fruitione caret, non potest esse beatitudo,quę vtrãque comprehendit,vt infra patebit.quare cognitiones illæ, quas multi theorice(sine vllo amoris affectu)differentes,concipiũt de Deo, non sunt beatitudo: quippe quibus nõ inest fruitio,quæ est inhæsio rei per amorem propter ipsam solam conceptum, vt tradit sanctus Tho. communiter receptus.1.2.q.11.art. 1. & 3.& q.11.art.2.

11 Sexto dicimus,quod beatitudo summa creata est duplex.altera perfecta:imperfecta altera.Perfecta est cognitio Dei intellectiua, intuitiua, perpetua cum fruitione eiusdem, producente summum gaudium ac delectationem & satietatem omniũ desiderabilium.

Dixi:Cognitio Dei intellectiua, eadem ratione, qua in definitione beatitudinis in genere.

Dixi:Intuitiua,siue visiua tum ad confutandum errorem Armeniorũ, asserentium beatos nõ intueri Dei essentiam.quod hæreticum est per ea, quæ tradit Alfonsus Castren. lib.3.aduersus omnes hæreses, verbo beatitudo.in prin.tum ad confutandum errorem Beguinorum, dicentium posse quem in hac vita esse perfecte beatum & ab exercitio virtutum absolutum.qui damnatur in ele.ad nostrum. de hæretic. tum quia nulla cognitio citerior illa potest dici beatitudo perfecta essentialis. Non quidem illa confusa, & communis, quæ fere communiter omnibus hominibus inest: siue quia Deum esse sit per se notum, sicut alia demonstrationis principia: siue,quod verius existimat sanctus Thom.1.part.q.2.& artic.1.& 2.& 1. lib.senten.dist.3.quæst.1.artic.2. quia euidenti ratione demõstratur: præsertim illa, qua homo videns res naturales certum ordinem seruare (cum ordo absque ordinatore non consistat) percipit aliquem esse ordinatorem earum,vt pulchre deducit sanctus Thom.vbi supra.& lib. 1. cont. gent.cap.12.13.&14. Non etiã

illa, quæ per demonstrationem habetur, licet altior sit prædicta communi. tum quia licet per eam ostendatur Deus esse immortalis, æternus, incorporeus, omnino simplex, vnicus, & alia huiusmodi, vt præfatus auctor in prædicto lib. contra gent. multis capp. dilucide ostendit: per eam tamen non peruenitur ad cognoscendum, Deum esse commune bonum, possibile communicatu omnibus hominibus, quibus insitum est beatitudinis desiderium, neque ad cognoscendum multa alia prædicata de Deo. tum quia perfecta beatitudo omnem miseriam excludit. & cognitioni prædictæ multiplex miseria, & error adiungi potest, vt palam est. tum per alia, quæ profunde tradit sanctus Thom. vbi supra cap. 37. Non item sufficit illa cognitio, quæ per fidem habetur, licet sit longe certior, purior, & amplior, quam prædicta, quæ per demonstrationem contingit. tum quia beatitudo est perfecta humani intellectus cognitio: & cognitio fidei ex parte intellectus est imperfecta: quia per eam non capit perfecte id, cui credendo assentitur. tum quia beatitudo (cum sit vltimus finis) tranquillat, siue quietat naturale desiderium: & cognitio fidei non tranquillat, immo accendit, & inflammat eam habentem ad videndum illud, quod credit, & amat. cum quisque, quod credit & optat, desideret videre. tum per alia, quibus idem auctor id concludit vbi supra, cap. 44.

12 Dixi, Perpetua, quia transitoria, de qua qui eam habet, non est certus perpetuo esse duraturam, non sufficit: qualis fuit illa Pauli, qua in raptu vidit Deum, 2. Corin. cap. 12. vbi hoc lectione 2. declarat sanctus Thom. & qua etiam Moyses vidit eum, secundum August. cap. 2. super Genes. ad litteram. quæ non fecerunt eos beatos: immo remanserunt viatores, vt Ioan. Maior post alios dixit in proœmio 1. lib. sent. quæst. 1. Est enim de necessitate beatitudinis certitudo perpetuitatis eius, vt late probat sanctus Thom. 1. 2. quæstio. 5. artic. 4. & lib. 3. contra Gentiles, cap 61. & 62. & 4. cont. gent. cap. 92.

13 Dixi: Producete summum gaudium, & delectatione ad significandum, hoc esse inseparabile ab illa cognitione, siue intuitione Dei beatifica. Nemo enim potest habere summum bonum, quod est intuitio Dei, absque summa delectatione, vt tradit idem sanctus Tho. 1. 2. q. 4. art. 1. & 2. ex visione enim Dei causatur tanta delectatio, vt qui Deum videt, nulla delectatione indigere possit, vt ipse ait vbi supra, art. 1.

Dixi: Satietatem omnium desiderabilium, ad maiorem declarationem præfati gaudij, & delectationis: & ad significandum, quod nulli beatorum deest aliquod bonum desiderandum: cum habeat ipsum bonum infinitum, quod est bonum omnis boni, secundum Augu. epist. 56. & 13. de Trinit cap. 7. relatum vbi supra à sancto Tho. q. 5. art. 2.

Beatitudo vero imperfecta est cognitio Dei intellectiua, non intuitiua, perpetua, cum fruitione eiusdem.

Dixi: Non intuitiua perpetua, ad differentiam perfectæ beatitudinis, quæ requirit, vt proxime dictum fuit, illud vtrumque: & quia donec ad

nec ad illam perueniat semper crescere potest, contra alium errorem, damnatum in clem. ad nostrum. de hæretic.

14 Septimo dicimus, quod iure quis mirari potest, vt inquit Beatus Aug. in lib. 13. de Trinit. capi. 4. quod cum omnes homines naturaliter desideremus cõsequi beatitudinem illam & felicitatem æternam, cumque omnes ob oculos eam habere debeamus, vti scopum, in quem nostras actiones tanquam sagittantes sagittas in metam dirigamus, vt ait philosophus à Catholicis receptus, in 1. Ethic. pauci tamen collatione aliorum satis eã explicite nouerunt, & noscunt. Siquidem cum illa (præsertim perfecta) nequeat satis cognosci, nec percipi absque catholicæ fidei lumine, pauciissimi gentilium, etiam philosophorum ad iustam & perfectã cognitionem peruenerunt, & perueniunt: pauci quoque christianorum collatione aliorum eam, saltem satis explicite noscunt: & pauciores iustã nauãt operam ad eam cognoscendam & ob oculos habendam perfectũ, & exercendam imperfectam, per quam tandem peruenjamus ad perfectam illam omnibus votis semper desiderandam.

15 Octauo dicimus, quod licet obiectum beatitudinis, siue beatitudo obiectiua, & vltimus finis cuius beatitudinis, qui ipsemet Deus est, sit res increata, iuxta illud Symboli Athanasij: *Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus*: beatitudo tamen ipsa, qua quis formaliter est beatus, res creata est, vt post, & ante alios concludit sanctus Thom. 1. 2. quæst. 3. artic. 1. & quæst. 26. art. 3. est enim qualitas quædam creata in potentia intellectiua, qua Deus clare, & facie ad faciem cognoscitur, si est perfecta: per speculum vero in ænigmate, si est imperfecta, vt ait Paulus 1. ad Cor. 13.

Nono dicimus, quod neque beatitudo formalis perfecta, neque imperfecta est ipsa anima beata: neque vlla eius potentia: neque vllus habitus, vel virtus eius, etiam charitas etiam consummata in patria: sed neque est gratia ipsa gratum faciens (siue teneamus cum sancto Thom. esse aliam à charitate, quod significat clemen. 1. §. fin. de summa Trinit. & fide catholic. siue cum Scoto esse eãdem:) sed neque est aliquod aliud bonum, vel opus operatum, manens extra operantem: sed est operatio, non quidem transiens in exteriorem materiam, qualis est sectio, & vstio, quæ non perficit agentem, vt ait philosophus 9. Metaphysic. sed manens intra ipsum, qualis est intellectio, & (vt ita dicam) volitio, seu voluntas, quæ perfecit agentem secundum eundem.

16 Decimo dicimus, quod inter productionẽ beatitudinis perfectæ, & imperfectæ plurimum interest. Perfecta enim nullaten⁹ potest produci ab intellectu creato viribus eius naturalibus, neque gratuitis, quãlibet magnis, sine illo admirabili gloriæ lumine, iuxta illud Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen* quod Deus ipse sua infinita bonitate indit intellectui beati, quo eleuatur, & augetur virtute ad illã admirandam operationem clare videndi Deum, immenso lumine resplendentem, vt

probat

probat sanctus Thom. vbi supra cap. 15. cum Magistro & omnibus aliis in 4. libr. sentent. distinct. 49. quin & in dicta distinct. ad nostrum. de hæretic. declaratum est, hæreticũ esse dicere contrarium, vbi gl. in verbo, nõ indiget. assignat rationẽ desumptam ad literam ex sancto Thom. vbi supra. Imperfecta vero potest produci absque illo gloriæ lumine. in gradu quidem infimo viribus naturalibus animæ, quibus peruenit ad cognitionem, & fruitionem Dei confusam, vel claram per demonstrationem eius existentiæ & bonitatis: in altiore vero gradu addito dono fidei, & spei informis: in maximo autem addito dono mirabili charitatis & gratiæ superna bonitate infusæ, qua anima fit Deo grata, & ad perfectam beatitudinem accepta. & de hac quidem imperfecta beatitudine, quæ est principium, vel via, vel participatio aliqua beatitudinis perfectæ, intelligendæ sunt omnes scripturæ vtriusque testamenti, appellantes aliquos viatores beatos, secundum mentem omnium catholicorum in locis præcitatis. Cuius modi sunt Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.* & 127 *Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius.* & octo beatitudines euangelicæ Matth. 5. Luc. 6. & aliæ innumeræ.

Vndecimo dicimus, quod Euangelia, & Epistolæ catholicæ, & Symbola appellãtia beatitudinem vitam æternam, non significant, illam esse substantiam, & esse viuẽtis: sed prædictam beatificam, & æternam operationem viuentis. Sola enim beatitudo Dei est ipsius esse. Boëtius item dicens, libr. 3. de consolat. Philosoph. prosa 2. in princip. quod beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, non definit beatitudinem per genus, sed per effectum, scilicet, quod beatitudo perfecta causat statum nullius boni egentem, vt sentit S. Thom. 1. part. q. 26. art. 1. & 1. 2. q. 3. arti. 2. & 3. in dicta distinct. 49. q. 2.

17 Duodecimo, quod licet beatitudo Dei sit ipsemet Deus, quia eius esse, vt prædictum est, sua est operatio: beatitudo tamen perfecta creata, siue angelorum, siue hominum, est operatio ab eorum substantiis & esse distincta, contra hæresim, de qua Alfonsus Castrens. vbi supra verbo, beatitudo, in princ. nõ tamen est interrupta, sed sempiterna, qua semper, & æternum vnientur ei, vt supra numer. 11. est declaratum, quo confutatur hæresis Origeniana, de qua Alfonsus vbi supra post August. in lib. de hæresib. ad Quodvultdeũ, capitul. 42. & 43. & 52. de ciuitat. Dei cap. 20.

18 Decimotertio, quod humana beatitudo est duplex, perfecta, & imperfecta. Perfecta est, quæ supra eod. num. 11. definitur: quæque nulli potest contingere in hac vita, vt declaratum est per concilium Viennẽ. clement. ad nostrum. vers. quarto. de hæretic. Quoniam, vt ait Aristo. 10. Ethic. & vltimo Metaphysicor. non potest esse perpetua, & sine interruptione, tum esus & potus, tum somni, & aliarũ actionum necessariarũ.

Imper

Imperfecta vero est, qua homo in hac vita per cognitionem, & contemplationem Dei, adiuncto amore, coniungitur eidem: quæ tanto magis ad perfectam accedit, quanto minus interrumpitur. quo nomine vita contemplatiua plurimum superat actiuam, quæ multo magis interrumpitur, iuxta illud testimoniũ Christi Luc. 10. *Maria optimam partem elegit.* nulla tamen cognitio Dei, quantumlibet intensa, & quantalibet fide, spe, & charitate comitata, & continuata, in hac vita potest dici perfecta, vt prædictum est. Cui consonat illud Pathenices Marianæ.

Felices quicunque istis à Syrtibus altam
Visuri pacem sunt in loca tuta recepti,
Nam neque mens vllam secum est habitura quietem,
Neglectos sensura dies, nec dulcia secla.

Et illud Iob capit. 13. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis.* at nemo potest esse simul miser, & beatus, vt supra dictum est.

19 Decimoquarto, quod hæc beatitudo summa & perfecta, quæ est intuitio, & visio Dei, implet cumulatissime, etiam ante iudicium finale (vt definit concil. Florent. sub Eugenio quarto, de quo per Alfonsum vbi supra) omne desiderium cuiuslibet generis omnium bonorũ homini à natura insitum, iuxta illud Psalm. 102. *Qui replet bonis desiderium tuum.* Et illud Psalm. 16. *Satiabor cũ apparuerit gloria tua.* Omnia enim, quæ homo naturaliter desiderat, reducuntur ad scientiam, aut ad vitæ rectitudinem, aut ad honoris sublimitatem, aut ad famæ celebritatem, aut ad sui conseruationem. at omnia prædicta cumulatissime affluentissimeque confert prædicta, quam credimus & speramus, visio beatifica. Siquidem, vt egregie deducit sanctissimus, qui ea nunc fruitur Aquinas, in præallegato libro 3. contra Gẽtiles, cap. 63 cõfert primo omnium generum, & specierum, & virtutum, & totius ordinis vniuersi, & omnium, quæ sunt in rerum natura scientiam. Secundo, vt in omnibus, & per omnia voluntas sit recta, & per omnia pars hominis inferior, parti superiori subiiciatur, & omnia ratio gubernet. Tertio, honoris sublimitatẽ, quatenus beatus Deo, sæculorum summo regi vnitus, ipse quoque merito rex dicitur, iuxta illud Apoc. 20. *Regnabunt cum Christo.* Quarto nominis, & famæ celebritatem non solum apud homines quorũ opinio falli potest: sed etiam apud ipsummet Deum, angelos, & sanctos eius, ita vt in sacra scriptura merito dicatur gloria, iuxta illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit dominus.* Quinto, diuitias, iuxta illud Psalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Sexto summam voluptatem, iuxta illud Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Septimo sui conseruationem, iuxta illud Isaiæ 25. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, nec sol.* & illud Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.*

Universidad de Deusto

runt. Quæ quidem omnia confirmantur, eo quòd (vt Isaias cap.64.& Paulus 1.Cor.cap.2.inquiunt,) *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se.* Quod paulo magis explicans Beatus August.in vltim.lib. de ciuitat. Dei capi.vltim.in princip. relatus à S.Anton in 4.par.sum.titu. 7.cap 7.§.10.sic ait: *Quanta illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum? vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus*, & paulo post. *Quid est enim aliud quod per prophetam dixit? Ego ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs: nisi ego ero, vnde satientur, ego ero quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax & omnia bona?* & paulo inferius in fine: *ibi vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus, iuxta illud* (addit Beatus Antoninus) Psal.83. *Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te.* Et quamquam non omnes erunt pares in gloria, sicut nec fuerunt pares in merito: quia alius alio clarius Deum videbit, & Deo copiosius fruetur, iuxta illud Ioann. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*: & illud Pauli: *Sicut stella à stella in claritate differt.* quo confutatur error Iouiniani contrarius, vt tradit Alfonsus Castrens. præcitato libro 3.aduersus omnes hæreses, verbo Beatitudo, hæresi 7.post cõci. Florenti.supra citatum, ante quod clarius S.Thom. receptas.1.2.quæst. 5.artic.2.omnes tamen omnino omnibus concupitis replebuntur, satiabuntur,& tranquillabuntur.

10 Decimoquinto dicimus, quòd sicut malum est duplex, verum, & apparens: ita miseria est duplex, vera,& apparens. Vera est passio veri mali: apparens vero passio mali apparentis tantum, qualis est passio vinculorum phrenetico, & fames esurienti otioso, quæ ipsum ad bene operandum incitat, capi.non omnis. 5.quæst.5.

11 Decimosexto dicimus, quod miseria vera diuiditur in summam, & non summam. Summa miseria est passio carentiæ visionis, & fruitionis Dei quæ diuiditur in perfecte summam, & imperfecte summam: sicut beatitudo summa, vt supra diximus. Miseria perfecte summa est miseria carentiæ visionis & fruitionis diuinæ, comitata æterno sensus cruciatu, & omnium malorum genere.

Dixi: Miseria pro genere. Dixi: Carentiæ visionis ac fruitionis ad differentiam aliarum mille miseriarum, quas in hac misera vita patimur. Dixi: Cum cruciatu, ad excludendam carẽtiam visionis Dei, quã sæpe patimur in hac vita sine cruciatu, immo aliquando cũ voluptate, iuxta illud Prouerb.2. *Lætantur cum malefecerint: & exultãt in rebus pessimis.* relatum in cap.quam sit graue. de excessib.prælator.

12 Dixi: Aeterno, ad excludẽdam miseriam existentium in Purgatorio, quorum cruciatus est temporarius.capi.cum Marthæ.§.tertio loco. de celebr.missar.& cap.animç.& ca. pro obeuntibus.13.q.2.& ad damnãdum errorem Origenianorum, & aliorum asserentium, præfatam miseriam aliquando terminandam de quo post August.in libro de hæresib. ad

ad Quod-vult-Deum c.43. Alfonsus Castren.lib.3.aduersus omnes hæreses verbo, beatitudo.hæresi 3.& libr. 8.verbo, Infernus, hæresi 2.

Dixi: Sensus, ad excludendam miseriam decedentium cum solo peccato originali, qui pœnam quidem patiuntur damni, hoc est carentiæ visionis Dei: sine tamen aliquo cruciatu.cap.maiores.§.verum quidem. de baptismo.& capitu.firmissime.de consecrat.dist.4.& tradit S.Thom. in 3.lib.sentẽt.dist.23.q.2.arti.1.quæstiuncula 2.& in 4.dist.45.q.1.artic.3.

Dixi: Omni omnium malorũ, ad explicandam illam ter horrendam pœnam, quã patiuntur decedẽtes in peccato mortali, qui perfecte summam miseriã patiuntur: & ad cõfutãdam hæresim, quæ haber, verũ infernũ esse in hac vita, & non in alia. de qua per Alfonsum vbi supra verbo, infernus, nullus enim cruciatus in hac vita est eiusmodi, vt palã est.

13 Miseria imperfecte summa est miseria carentiæ visionis, & fruitionis Dei, sine cruciatu, saltem sensus, qualis est miseria decedẽtium cum solo peccato originali, qualis est itẽ existentium in Purgatorio: immo & illa viuentium, qui nullam cognitionem Dei coniunctam cum fruitione eiusdem habent, qui ore, vel opere sunt de numero insipientium, qui dicũt in corde suo (vt inquit Regius Propheta psal.52.) nõ est Deus.

Decimoquinto dicimus, quod ex prædictis infertur, eos solos qui locati sunt in inferno illo loco, in quo, testante Iob.cap.10.nulla est redemptio, esse in supremo gradu miseriæ perfecte summæ: qui vero in loco, quem Limbum puerorum vocãt, in gradu eis proximo, qui autem in Purgatorio, in tertio: qui autem adhuc viuentes nullam Dei optimi maximi cognitionẽ & fruitionem habent, in quarto. Porro miser & infelix quiuis supremi gradus iure dicere potuit, cum infectus mortifero peccato decederet, illud Iob.10. *Vadam (& non reuertar) ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo: sed sempiternus horror inhabitat.*

14 Ex quo elogio prolixe colligit B. Antoninus in 2.par.tit.5.c.3. septuplicem pœnam, quarũ summa, paucis additis, & multis detractis est, quod prima est carcer æternus, situs in loco infimo turpissimo, & obscurissimo, in quem omnis fæx elemẽtorum effundetur, quem non potest non summe horrere anima nobilissima, ad altissimum idemque nitidissimum & splendidissimum cœli empyrei palatium creata: vt rex delicatissimus carcerem squalore, & pædore sordentem non potest non maxime horrere.

Secunda est priuatio visionis intuitiuæ Dei parentis omnigenam miseriam, quã sanctus Chrysostomus tanti faciebat, vt diceret, malle se mille alias pœnas infernales pati, quam ea æternùm priuari.

Tertia, ignis ille ardentissimus, quo adeo infelices ardebunt, vt illi soli pœnę nulla martyrum tormenta æquari possint, teste Aug.in §.fin. de pœnit.dist.7.

Quarta, desperatio, nulla vnquam, dum Deus erit Deus, consolatione, refrigerio, nec redemptione leuanda. Sicut enim summè perfecta beatitu

Universidad de Deusto
Biblioteca

beatitudo omnem excludit miseriam, sic summe perfecta miseria nullã consolationem admittit. Quia quod operatur oppositum in opposito, operatur propositum in proposito. cap. sciendum. 8. q. 1. l. & si contra tabulas. ff. de vulgari. & pupil. & tradit S. Thom. de malo. q. 6. artic. 6. & quæst. 13. art. 4.

Quinta, tenebræ, tum exteriores densissimæ, quæ nullo solis radio, nulloque splendore ignis, qui licet ibi plurimus sit, est tamen obscurissimus, attenuantur, tum interiores, quibus adeo cæcantur, vt Deum putent iniustum. & scientia hic quæsita, & per mortem plurimum aucta, quæ beatis est solatio, eis sit maiori supplicio, dum per eam clarius cognoscunt, quantæ beatitudinis damnum sua culpa patiantur: vnde vermis ille sæuè corda eorum corrodens & lanians numquam intermoriturus oritur, Isa. 66.

Sexta, societas cacodæmonum, & continua cum eis cõuersatio, quorum aspectus adeo est terribilis, vt quidam vir sanctus, testante beato Antonino, vbi supra, vnius solius aspectu fere exanimatus, postea in se reuersus testaretur, malle se fornacem ignis ardentem ingredi, quã iterum eum videre.

Septima, confusio. vt enim habet prædictum elogium, ibi nullus ordo: sed sempiternus horror inhabitat. horror, inquam, clamorum, blasphemiarum, lamentorum, eiulatuum Deo, sibiipsis, & sociis, tam cacodæmonibus, quam aliis infelicibus maledicẽtium, maleque precantium, quibus confunditur illud innumeris nominibus lamentabile regnum.

25 Decimosexto dicimus, quod omnes orthodoxi debemus sub pœna peccati mortiferi credere non solum implicite, sed etiam explicite vitam æternam, & mortem æternam. Quoniam omnes sub prę dicta pœna tenemur explicite credere articulos fidei, vt ait sanctus Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. & 6. quem omnes probant, vt minimum eos, quos sancta catholica Romana ecclesia sollemniter celebrat, secundum eandem vbi supra art. 7. & hunc articulum de vita æterna, & morte æterna illi contraria non solum celebrat per finem symboli Apostolorum, quo illa vtitur, & Nicæni & Athanasij: sed etiam per festum particulare omniũ defunctorũ, postridie festi omnium sanctorum, per missas defunctorum, & alia multa diuina officia.

26 Decimoseptimo dicimus, expertos asserere, nihil fere magis mouere homines ad peccata præterita plangenda, & alia in posterum non committenda, quam frequẽs, & intensa beatitudinis, & miseriæ prædictarum, earumq; æternitatis meditatio, quod satis probat illud Eccles. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Duæ enim illæ sunt bona pars illorum nouissimorum, & earundem eiusmodi meditatio pars non minima exercitij cuiusdam illustrissimæ Religionis, quo breui eius nouitij perducuntur ad iustum voluptatum, vanitatum, & cupiditatum contemptum: & ad pium amorem & cultũ Dei, angelorũ, sanctorũ, & sanctarũ præsertim principis omnium illorum gloriosissimæ

simæ virginis matris Mariæ, quæ nobis ea impetret, semperque conseruet. Amen.

De passionibus, habitibus, virtutibus, & vitiis animæ rationalis. Prælud. V.

SVMMARIVM.

1 *Passio animæ quid, & nulla proprie in appetitu intellectiuo.*
2 *Passiones principales quatuor: & aliæ quot, & quæ.*
3 *Passiones sex in appetitu concupiscibili sensitiuo;*
3 *& quinque in irascibili. & earum sub ordinatio nu. 4.*
4 *Bonum absolute consideratum obiectum potentiæ concupiscibilis: & consideratum vt arduum potentiæ irascibilis.*
5 *Passionum alia bona, alia malæ suapte natura.*
6 *& quæ bona, & quæ malæ in se, & suo genere. & 7.*
7 *Passiones animæ omnes esse morbos, falsum.*
8 *Auctorum dicta de passionibus animæ vt interpretanda.*
9 *Dubiũ, & non clarũ esse locum conferendi.*
10 *Passionum sacra confessio qualis esse debeat.*
11 *Confessarius confitentem passiones quid moneat.*
12 *Habitus quid, & quotuplex. nu 13.*
14 *Virtus quid, & vt non repugnat peccato.*
14 *Vitium quid, & vt non repugnat merito.*
15 *Peccatum mortale vt solum charitati repugnat.*

1 DE passionibus, habitibus, virtutibus, & vitiis animæ rationalis dicimus sequentia. Primo, quod passio animæ est motus appetitiuæ virtutis, sensibilis, in imaginatione boni, vel mali, secundum Damascenum libro 2. cap. 22. circa princi. relatum & declaratum à sancto Thom. 1. 2. quæst. 22. articul. 3. Ex quo infertur, quod passiones proprie non sunt in appetitu intellectiuo, & voluntate superiori, quatenus distinguitur ab appetitu sensitiuo, & inferiori eiusdem, licet inueniantur in eo motus præuenientes deliberationem conformes motibus appetitiuæ virtutis sensibilis, iuxta mentem sancti Thom. in dict. 1. 2. & q. 17. art. 7.

2 Secundo dicimus, quod passiones principales sunt quatuor, duæ potentiæ concupiscibilis; scilicet gaudiũ, & tristitia: & duæ potentiæ irascibilis; spes scilicet & timor, iuxta illud Severini Boëtij 1. de consolat. Philosoph. metro vltimo.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit;
Nulla mens est,
Vinclaque frenis,
Hæc vbi regnant.

Et iuxta illud Parthenices Marianæ, lib. 4.

Quatuor aduersis miscentur vt æquora ventis,
Hesperus, Zephyro, Libyeo, gelidoque Aquilone:
Sic totidem nostras ingenti turbine mentes
Soluerti furiis, pelleisque in prælia mixti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spes leuat arrectos, metus alto à vertice fluctus
Deiicit: hinc animum pulsat furibunda cupido:
Inde dolor, fluctuque ceu fractis fluctibus altum
Clamore ingeminat, piceis ascondita nimbis
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.

3 Tertio dicimus, quod gaudium est de bono præsenti: tristitia de malo præsenti: spes de bono futuro arduo: timor de futuro malo arduo, vt exprimit S. Thom. 1.2.q.25. art.4. Est autem vna passio, quæ non habet contrariam, nisi priuatiue, vel per cessationem ab ea, puta ira: irasci enim non est aliud contrarium proprie, quam mitescere, & ab ira cessare, secundum philosophum 2. Rhetoricor. cap.3. declaratum à sancto Thom. vbi supra quæst.23. art.4. in corp.quæst.

Dixi autem quattuor esse principales passiones, significando, esse alias minus principales. sunt enim omnes vndecim, vt tradit S. Antoninus.1. par.tit.6.c.2.prin. Sex quidem in potentia concupiscibis; amor scilicet,& odium,desiderium, seu concupiscentia, & fuga, siue rectius renutus,aut refutatio:& gaudium,siue delectatio,& tristitia, siue dolor. In irascibili autem quinque; spes scilicet, & desperatio:timor, & audacia, & ira, cui, vt paulo superius diximus,nulla alia passio opponitur. Illæ vero supra dictæ quattuor ea ratione dicuntur principales: quia sunt fines & scopi aliarum passionũ quod cum ordine, & sufficientia illorum colligitur, præsuppositio quod obiectum potentiæ appetitiuæ concupiscibilis est bonum, vel malum absolute consideratum, obiectum vero irascibili, bonum, vel malum arduum, siue difficile, consideratum sub ratione arduitatis, vel difficultatis, vt tradit S. Thom. 1.2.23.art.1. quem subtiliter defendit ibi Caiet. contra subtilem Scotum: quamuis quoad animæ salutem parum referat,verum illorum sequamur.

4 Quarto dicimus, quod ex prædictis colligitur præfatarum vndecim passionum ordo: & quod quattuor prædictæ sunt principaliores, sic: Bonum absolute consideratum causat in potentia appetitiua quandam complacentiam ob conformitatem & aptitudinem, quam habet ad illam, quæ est amor, siue prima passio amoris: bonum autem amatum, & nondum habitum causat desiderium adipiscendi illud, quod est secunda passio desiderij, seu concupiscentiæ, bonum vero desideratum iam adeptum, siue obtentum parit in appetitu quietem quandam ex ipso bono adepto: quæ est tertia passio, videlicet delectatio. Econtrario autem malum cognitum causat displicentiam ob inepitudinem, vel contrarietatem, quam habet ad appetitum, quæ est passio quarta odij contraria passioni amoris: malum vero cognitum,& exosum,nondum acceptum, vel (vt ita dicam) nondum ventũ generat fugam, vel (vt clarius loquar) respuitionem, vel latinius renutum, ne eueniat, quæ est quinta passio, contraria desiderio: malum autem iam acceptum, siue ventum causat tristitiam, vel dolorem, quæ est sexta passio, contraria

contraria gaudio, & lætitiæ. quæ sunt sex passiones potentiæ appetitiuæ concupiscibilis. In potentia vero irascibili sunt quinque. nam bonum apprehensum, vt arduum & difficile propter bonitatem,quæ habet,aptitudinem,& conformitatem ad appetitum generat spem, quæ est prima passio irascibilis. Idem autem speratum vt quæsibile nondum adeptum generat fiduciam, vel audaciam, quæ est secunda passio irascibilis: & econtrario malũ apprehensum, vt ineuitabile generat desperationem, quæ est tertia passio potentiæ irascibilis, contraria spei, secundum sanctũ Thom 1.2.q.23. art. 2.in cor.q. & q.40.art.4 Malum autem futurum apprehensum, vt euitatu difficile generat timorẽ, quartam irascibilis potentiæ passionem, contrariam fiduciæ, & audaciæ, secundum eundem sanctum Thom. dicta q 35. art.1. Quinta vero passio potentiæ irascibilis est ira, quæ generatur frequenter ex malo iam accepto, quæ non habet contrarium secundum Aquinatem, præcitata 1. 2.quæst.23 art.3.Quia bonũ arduum iam adeptum non parit passionem vllam in irascibili: sed gaudium in potentia concupiscibili: quia definit habere rationem ardui. Dixi autem. frequẽter itam nasci ex malo accepto: quoniam frequenter nascitur tristitia sola, quæ pertinet ad potentiam concupiscibilem.

5 Quarto dicimus, quòd præfatarum passionum aliquot etiam per se in genere consideratæ dicuntur bonæ, & aliquot malæ. Bonæ quidem quia,vt beatus Augu.in lib.9. de ciuit. Dei, cap.5. ait, misericordia ad virtutem perttinet: & misericordia, quatenus est dolor, siue tristitia de aliena miserra est passio, vt declarat sanctus Thom. 2. 2. q. 30. art. 3. Aristot. item in 2. Ethic. ait, verecundiam esse passionem laudabilẽ, quæ species quædam timoris est, vt belle declarat Angelicus doctor 1. 2. q. 6 42.ar.4 Et quia sicut quidã actus exteriores considerati in suo genere,siue ex obiecto suo dicuntur boni, vt dare eleemosynam, & subuenire proximo, c. venerabilibus. §.fi. de senten.excom.& tradit late idem Angelicus doctor in præcitata 1. 2. q.18.ar.2.ita passiones quædam, quæ sunt de obiecto suo genere bonæ, quales sunt misericordia, quæ est quædam tristitia de malo proximi, & verecundia, quæ retrahit à turpitudine,, merito in se, & suo genere sunt bonæ. Malæ autẽ sunt in se, & suo genere quædam passiones; illæ scilicet, quæ sunt de obiecto suo genere malæ; cuiusmodi est gaudium de malo alieno, & tristitia de bono alieno.Sicut etiam quidam actusexteriores in se, & suo obiecto sunt mali; vt capere alienum, & percutere proximum, iuxta doctrinam sancti Tho. in dict. q. 18. art. 8. quæ autem sint bonæ,& quæ malæ mox dicetur. Neque obstat opinio Stoicorum, quæ habet, omnes passiones esse malas,& animæ morbos, & perturbationes. Quoniam illa opinio est falsa, aut certe intelligenda, de passionibus rectæ rationi dissonantibus, aut eam præuenientibus, vt declarat sanctus Thom. in dicta q. 24.art.2.in corpor.quæst.

7 Quinto dicimus quod ex iis infertur. Primo, non omnes passiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse bonas: neque omnes malas, vt Stoici docuerunt: sed alias esse bonas, illas scilicet, quæ rectæ rationi consonant: & alias malas; illæ scilicet, quæ illi dissonant De amore bono est illud Prouerb.29. *Qui amat sapientiam lætificat patrem suum.* De malo autem illud Eccle.10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.* De desiderio bono est illud Psal.118.*Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* De malo autem illud Psal. 111. *Desiderium peccatorum peribit.* De bono gaudio, siue lætitia illud Matth. 23. *Intra in gaudium Domini Dei tui.* De malo autem illud Iob. 20. *Gaudium hypocritæ est instar puncti.* De bono odio est illud Psal.118. *Iniquos odio habui.* De malo illud 108. *Odium pro dilectione mea.* De desperatione bona est illud 1. Reg. 23. *Desperauit Dauid posse euadere.* De mala autem illud Eccles. 27. *Denudare amici mysteria desperatio est animæ infidelis.* De tristitia bona est illud Marc. 14. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* De mala autem illud Eccles. 14. *Felix vir, qui non habuit animi tristitiam.* De bona spe, siue fiducia est illud Psal. 13. *Quoniam dominus spes eius est.* Et illud Prouerb. 3. *Habe fiduciam in domino.* De malo autem illud Prouerb. 15. *Spes impiorum peribit.* Et illud 47. *Fiduciam habuisti in malitia.* De timore bono est illud Eccl. 1. *Initium sapientiæ timor domini.* De malo illud Psalm. 13. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* De ira bona illud Psalm. 34. *Irascimini, & nolite peccare.* De mala autem est illud Psalm. 36. *Desine ab ira, & derelinque furorem.* Quibus addo, quod malarum aliæ sunt mortaliter malæ; illæ scilicet quibus frangitur lex, cuius fractio est mortalis; & aliæ venialiter tantum; illæ scilicet, quibus frangitur lex, cuius fractio est venialis tantum.

8 Secundo infertur: omnes textus, tam Bibliorum, quam canonum, & legum, omnia item dicta sacrorum doctorum, & etiam Ethnicorum generatim significantium, non esse amanda, neque desideranda temporaria, neque de illis adeptis gaudendũ, intelligi debere de amore, desiderio, & gaudio inordinatis, seu rectæ rationi dissonis. Illa autem, quæ habent non esse odio habendum proximum nec fugiendum, nec de morte, aliisue malis acceptis contristandum, nunquam irascendum, intelligenda sunt de odio, fuga, & tristitia inordinatis, seu rectę rationi dissonis.

Ex quo subinfertur, procul dubio excusari posse a nota hæreseos eos, qui generaliter asserunt, non esse timendum, aut non esse sperandum in homine; sine timore seruiendum domino Deo nostro: non esse timendũ diabolum: procurandum esse mentis securitatem, & id genus alia. quoniam hæc omnia possunt esse aliquo respectu ordinata, siue rectæ rationi consona, & consequenter bona, & catholica. & in dubio generale ver-
9 bum quod ad bonum sensum, & malum trahi potest, interpretandum est in bonum. l. in ambigua. ff. de legib cap. 2. de reg. iur. c.1. de iureiur. lib.6. l. merito. ff. pro soc. & l. si procurator. ff. de condi. indeb. Dixi supra, generaliter, nullatenus declarando se loqui de inordinato: nam si id faciat, in illo sensu malo sunt accipien

accipienda. quia in claris non est locus coniecturis. l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig.

11 Tertio infertur quiddam confessariis quotidianum; videlicet, quod pœnitentes multis confitentur se habuisse præfatas passiones, amoris, odij, spei, desperationis, gaudij, tristitiæ, timoris, & iræ, &c. & non declarant satis, an habuerint eas bene, vel male ordinatas: neque qui declarant habuisse illas inordinatas, satis declarant, quanta fuerit earum inordinatio, vt iudicari possit, an peruenerint ad culpam mortiferam, & consequenter admoneri possint, & debeant, vt de illis tamquam de mortalibus doleant, id est,
11 vt ita doleant, quod proponant firmiter nunquam se admissuros similes, iuxta ea, quæ infra c.1.num.2. & cap. 2. nu. 5. notantur. Quare pœnitens qui sic generatim & confuse confiteretur huiusmodi passiones, interrogandus est, num omnes illæ, vel quæ illarum fuerint tantæ, vt mouissent eum, ad volendum potius transgredi legem ad peccati mortiferi pœnam obligantem, quam desistere à prosecutione huiusmodi passionis, amoris, odij gaudij, lætitiæ, tristitiæ, vel spei, & fiduciæ, timoris: & iræ: nisi confessarius ex qualitate personæ, vel modo confitendi tacite cõiiciat paruitatem, vel magnitudinem malitię, vel vanitatis earum, vt frequenter coniiciunt.

12 Sexto dicimus, quod habitus animæ est qualitas stabilis, inhærens essentiæ ipsius, vel alicui potentiæ eius, inclinans eam ad aliquid agendum. Dixi, qualitas, pro genere: quia omnis habitus est qualitas: non tamen e contrario omnis qualitas est habitus, vt docet Aristot. in prædicamen. qualit.

Dixi. Stabilis, ad differentiam actus, qui est trãsitorius, vt infra præl. 6. num. 1. dicetur. Dixi: Inhærens, ad significandum, quod non est anima, neque aliqua substantia per se subsistens, sed quoddam accidens, quod potest subiecto adesse, & abesse, sine illius corruptione, secundum Porphyrium in prædicabilib. Per quod reprobatur opinio Magistri, dicentis in 1. lib. sent. dist. 17. & libr. 2. d. 26. gratiam esse ipsummet Spiritum sanctum & hæresis Lutheranæ quæ habet, gratiam non esse inhærentem contra elem. 1. §. fi. de sum. Trinit. & fid. catho. & tradita per S. Tho. communiter receptum in 1 2. q. 110. arti. 1. & eundem & Scotum, & alios omnes in d. dist. 17. & 26. & contra Concil. Triden. sess. 6. can. 11.

Dixi: Essentiæ ipsius, ad includendum gratiam gratum faciẽtem, quæ secundum opinionem S. Thom. inhæret essentiæ animæ, quia regeneratur, & fit consors diuinæ naturæ iuxta illud. 2. Pet. 1. *Vt simus consortes naturæ diuinæ.* declaratum per eundem sanctum Tho. 12. q. 50. art. 2.

Dixi: Vel alicui potentię, inclinans eam ad aliquid agendum ad includendum omnes habitus alios à prædicta gratia, qui secundum eundem non inhærent essentiæ animæ: sed potentiis eius, quas disponunt, inclinant, & impellunt ad aliquid bene, vel male agendum. quod colligitur ex eod. sancto Thom. in 1. 2. q. 49. art. 2. & ex Arist. 2. Ethic.

An autem habitus gratiæ, & habitus charitatis distinguantur re, vt

ait S.Tho.cum suis affectis in dicta 1.2.q.110.art.3 & in 3.par.q 7.art.1.an vero ratione tantum, vt sentit Magister, & affirmat Scotus cum suis in 2.lib.sent.dist.26.&, an charitas inhæreat plus animæ potentiæ differenti re ab ea,sed inseparabili, vt ait S. Tho.an ipsi animæ,vt alij,de quibus est Io.Maior.3. lib. senten. dicta dist. 26. q. 1. non tracto. quoniam quoad animæ salutem nihil refert, an hoc,vel illud teneamus.

13 Septimo dicimus, quod habitus est duplex,infusus,& adquisitus. Infusus est,quem benignissimus Deus solus infundit,vt probatur in cle 1. §.fi.& in cap.maiores.in fin. prin. de baptism. & tradit S.Thom. communiter receptus 1.2.q.51. art. 4.Adquisitus autē est,qui producitur ab actibus frequentatis.ita quod actus est causa partialis habitus adquisiti,vel aucti:& econtrario,habitus est causa partialis producendi nouos actus similes illis,per quos est genitus,vel auctꝰ,vt colligitur ex sancto Thom. 1.2.quæst.fi.art.4.& quęst.49.art.2.& 5.qui in art. 4. probat necessitatem habituum.

Octauo quod duplex est habitus adquisitus, bonus, & malus. Bonus est qui producitur ab actibus bonis: malus autem, qui ab actibus malis.

14 Nono dicimus,quod virtus est habitus animæ bonus: vitium autē habitus animæ malus.tum per illud Augustlib.de perfect.iust. circa finē 4.ratiocinationis. relatum à sancto Thom.1.2.q.71.art.1.*Virtus est qualitas,quæ facit bonum habentem: vitium autem qualitas, secundum quam malus est animus.* tum quia vitium est contra naturam hominis quatenus homo est, vt probat Angelicus doctor in præcitata quæst.71.art.2. qui in art. 3. concludit, actum malum peiorem esse simpliciter habitu malo,quamuis secūdum quid(eo quod vitium est diuturnius)sit peius actu malo,& vitioso.& in art. 4. concludit,actum malum,qui est peccatum compati sibi virtutē, sicut & actus bonus compatitur sibi vitium.quan-15 quā peccatum mortale nō potest esse simul cum charitate regina virtutumquæ est gratia gratum faciēs, vel ab, ea inseparabilis, quæque est habitus omniū longe nobilissimus à Deo supernaturaliter infusus: licet possit esse cum fide, & spe informibus, vt ibidem S.Tho.tradit:& Cōc. Trid.nuper definiuit sess.6.cap.14.& nu.28.

De actu humano, siue morali animæ humanæ.

Prælud.VI.

SVMMARIVM.

1 *Actus humanus & moralis idem: & quid sint.*
2 *Voluntarium simpliciter, & secundum quid.*
3 *Omissio pura quid.*
3 *Violentum quid, & in quo à metu differat.*
4 *Metu facta regulariter valere, sed rescindi possenisi. &c.nu 5.*
5 *Sacramenta quæ metu facta valent.*
6 *Violentus nullus est actus elicitus, sive interior.*
6 *Voluntas etiam à Deo non cogitur violenter.*
7 *Metu factum rescinditur,nē autem blā ditijs extortum.*
8 *Ignorantia,quæ facit actum non esse humanum.*

1 DE actu humano, siue morali dicimus sequentia. Primo, quod ea,quibus in beatam vitā, vel mortem æternam ab adultis mentis compotibus itur, sunt actus humani,siue morales, secundum S. Tho. receptum in 1.2. q.6.art.1.& alios in 2.lib.senten.dist.24. & 25. Definitur autem actus humanus, siue moralis esse actus hominis transitorius, & voluntarius perfectē, ac simpliciter, vel omissio eius.

2 Dixi:Transitorius,ad differentiā habituum,qui sunt qualitates stabiles,& permanentes, iuxta Aristo. in præd.qualitat.Dixi:Voluntarius, ad excludendum actus hominis omnino violentos: qui sunt illi, quorū principium est ab extrinseco, passo non conferente vim,id est,eo qui patitur,non opitulante, neque iuuāte, qualis est is,quo homo per vim absolutam facit,vt oblatio thuris, quæ per manum violenter ab alio ad id adactam idolo fit, cap presbyteros. 50. dist.

Dixi,Perfectē, ad excludendum actus puerorum,amētium, & subitò ex sola imaginatione absque deliberatione more brutorum agentiū, quorum actus,& si ea parte sint voluntarij,qua propter finem (saltem imperfectē cognitum)aguntur:non tamen sunt perfectē volutarij: quia non aguntur propter finem satis perfectē cognitum, eo quod non aguntur ob finem cognitum propter rationem, & proportionem quam habet finis ad id, quod propter illum agitur: quod solius iudicio,& ratione vtentis est, vt pulchre de more docet Angelicus doctor in 1.2.quæst.6.art.2.

3 Dixi:Simpliciter, ad includendos actus factos metu,qui licet non sint secundum quid voluntarij: sunt tamen simpliciter tales, secundum eundē S.Tho.in ead.q.6.art. 6. Dixi: Vel omissio, ad comprehendendam omissionē,per quā id,quod quis potest,& debet agere,agit, iuxta eundem vbi supra,art.3 ex quo,&altero Thoma ibidem colligas, tria requiri ad hoc, vt omissio cuiuspiam sit purè volūtaria,videlicet, quod possit,& debeat facere,& non velit, negatiue tantū,id est,quod neque velit,neque nolit.Nam si nollet agere, id est,haberet nolitionem, siue voluntatem non agendi,non esset tam actus omissionis,quā commissionis.

Secundo dicimus, quod ex iis infertur.Primo ratio decidendi principij 32. q 5.quatenus habet, nihil peccare illam, cuius omnino renitentis virginitas violatur, quia immo,vt beata Lucia,relata ibi à Gratiano dixit,ea duplicatur ad coronā.

4 Infertur secundo,quod actus(etiā metu factus) est actus humanus, quia est volūtarius simpliciter, licet sit inuoluntarius,secundum quid, vt ait Aquinas in 1.2.q.6.art.6.& probatur in cap. merito. 15. q. 1. quatenus habet,eum,qui metu alicuius mali facit aliquid,velle illud,licet nō propter se, sed propter aliud. In qua re insignis quidā Theologus in quadā epistola ad me scripta, & insignissimus Decius in l.velle. ff.de reg. iur. lapsi fuerunt,quatenus dixerūt,metu facta non esse simpliciter voluntaria:sed secundum quid tantū. Ratio siquidem diuersitatis inter vio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lenter,& metu factum,illa est, quod violenter dicitur, cuius principium est ab extrinseco, passo non confe rente vim, seu non adiuuante,l. 1. ff. quod met. cau.quæ habet, vim esse rei maioris impetum, cui resisti non potest, vt tradit Angelicus doctor 2. 1.q.175. ar.1.ad 1. qualis est thurificatio supradicta:quod autem metu fit, licet ab extrinseco impulsioné habeat: passum tamen,id est,qui compellitur,cõfert vim, & adiuuat:quia consentit,dicto cap.merito.& l. 2. ff. quod met.cau. Et ita factum per vim puram.nec meritum, nec peccatum est:neque prodest,neque nocet quoad vllum forum: quia non est actus humanus, factum autem metu,quia est actus humanus potest aliquando esse meritum,& (vt plurimum) prodest, & nocet quoad vtrumque forum: quamuis regula riter rescindi possit, vt resoluit gl. recepta in cap.abbas de his, quæ vi met.nisi quoad sacramenta charactherem imprimentia,quoad quæ nõ potest rescindi,cap.maiores.§. item quæritur.de baptis.& eius est.& nisi quo ad ea, quæ liberam & spontaneam voluntatem requirunt,vt matrimonium.cap.cum locũ. de sponſ. & votum.cap. 1. de iis, quæ vi met. quia illa metu facta nihil valent,&, sine vlla rescissione sunt inualida,sine nulla.

6 Infertur tertio, quod nullus actus voluntarius elicitus,siue interior potest esse violentus:nam nullus talis fit, passo non conferente vim. Voluntas enim,siue anima velle potens,non potest absolute cogi, siue per vim præcisam ad actum à se ipsa eliciendum,id est, ad volẽdum, aut nolendum, vt pulchre probat sanctus Thom.1.2.q.6.art 4.Nam,vt ibi ad 4.ait, etiam si moueatur, & cogatur à Deo ad voleudum, non patitur violentiam: quia ipsa confert vim,& adiuuat,dum vult: & ita non fit,passo non conferente vim. & consequenter non est violentum per supradicta.

7 Infertur quarto, quod nullus actus, neque interior,neque exterior desinit esse inuoluntarius, eo quod producatur per concupiscentiam plurimum impellentem animum ad volendum: immo est magis voluntarius,secundum sanctum Thom.in dicta quæst.6.art.7. Quæ potest esse recta & noua ratio, quare blanditiæ faciũt,vt actus per eas factus rescindi possit,sicut metus. & quod licet testamentũ metu factũ non valeat,l.fin. ff.si quis aliquem testu. prohib. testamentum tamen vxoris blando sermone mariti procuratum valet.l.fi.C.eo.& d.l.fi. ff. si quis aliq.

8 Infertur quinto, quod actus factus per ignorantiam aliquando est actus humanus,&aliquando non.& quidem est actus humanus, regula riter.non est autem humanus quando tria concurrunt.Quorum primũ est ignorantia illius rei, quam quis non tenetur scire.Secundum, quod non sit affectata,seu desiderata, vel procurata. Tertium, quod sit talis, sine qua non fieret actus. quia hæc tria efficiunt inuoluntarium. Quæ pulchre determinat Angelicus Doctor in dicta q.6.art.1 & probatur in cap.2.de consti.& cap. ignorãtia. de reg.iur.lib.6.& c.fi.37.dist.& melius. §. notandum,1.quæ. 4. sub cap. turbar. cum eis adnotatis per glo.& doctores.

Infertur denique sexto,actũ humanum non esse habitum:quia hic est stabilis,ille autem,vt dictum est, transitorius. hic impellit eum, cui hæret,ad actus sibi conuenientes:ille vero non, vt satis colligitur ex cle.1. §.fi.de sum. Trinit.& fid. cath. & Card.Imol.ibid.

De actu humano siue morali bono,qui est meritum, & malo,qui est peccatum. Prælud. VII.

SVMMARIVM.

1 *Meritum quid,& quotuplex.*
2 *Gratia gratũ faciens quid, & quanti valoris,nu.3.*
3 *Bona in peccato mortali facta quãtum prosunt.*
4 *Actus humanus malus, & peccatum mortale idem.*
5 *Peccatum morale quid,late.*
6 *Lex æterna quid, & quid ei contrarium.*
6 *Omissio pura cur dicatur factum negatiue.*
7 *Verba illa,dictum,factum,& concupitum quomodo accipiantur.*
8 *Definitio hæc peccati cur eligitur.*
9 *Peccatum & delictum in proposito idem.*
10 *Peccatum originale quomodo voluntarium.*
11 *Peccatum veniale qua ratione vere peccatum.*
12 *Peccata omnia esse mala, quia prohibita vt defendatur.*
13 *Peccatum non est vitium:& quibus cõstat.nu.14.*
15 *Peccatum vt aliud est in genere entis & aliud in genere moris.*
16 *Actus manens idem in genere entis nunc bonus nunc malus.*
17 *Actus nullus simul bonus, & malus, etiam diuersa ratione.*
18 *Bonis in agẽdis ne sine mala, magna cura adhibenda.*
19 *Peccatum cordis,oris,& facti in genere moris vnum tantum esse.*
20 *Confiteri peccatum mentis siue operis non sufficit:sed contra sic.*
21 *Peccatum non esse reatum,licet aliquãdo sic vocetur.*
21 *Reatus quid proprie,& ad quid transfertur.*
22 *Reatum pro obligatione ad pœnam esse filium peccati:& triplicẽ.nu.23.*
22 *Actionis mater obligatio.*
24 *Otiosum omne malum.*
24 *Circunstantiæ cuius defectu omnis actus sit malus.*
25 *Peccatur quibus modis circa peccati cognitionem.*

1 DE præfatis membris actus moralis dicimus multa. Primo, quod actus humanus, siue moralis diuiditur in bonum, & malum: & quod bonus est,qui nulla lege obse, neque ob suas circumstãtias prohibetur,& appellatur meritum secundum mentem S.Thomæ communiter recepti 1.2.q.14.art.6.

2 Secundo,quod meritum est duplex. Alterum simpliciter seu de eõdigno. Alterum secundum quid, seu de congruo.Meritum simplex, siue de condigno est,quod meretur gratiam & gloriam,& vitam æternam. Quod definiri potest esse actus humanus bonus, factus ab eo,qui habet gratiam Dei gratum facientem. Cuius meminit glo.in.§. fi.cle.2. de

sum. Trinit. & fid. catho. verbo, omnibus. Quæ gratia gratum faciens definiri potest, esse donum Dei supernaturale, infusum à Deo creaturæ rationali, quo est illi ad vitam æternam accepta, ex mente sancti Thom. 1.2. quæst. 110. & 111. & Scoti. & aliorum in 2. lib. sentent. distinct. 26. & 27.

3 Meritum autem de congruo, vt sanctus Tho. in dicta q. 114. art. 6. & alij multi loquuntur, siue meritum secundum quid, vt ipsemet S. Tho. ibidem nominat, est actus humanus bonus, factus ab aliquo extra gratiam Dei existente, cui de quadã congruitate, & secundum quid debetur aliqua merces spiritualis, vel temporalis, vt sentit gl. c. quod quidam. de pœnit. & remiss. quæ ponit illos duos senarios:

Quæ cum mortalibus bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Cui est alia similis in cap. quærat. §. quod autem. de pœnit. distin. 3. vbi nuper. nu. 2. addimus aliquos fructus vltra eos, quos scripsimus infra in cap. 27. num. 270. qui fructus licet magnæ sint in se vtilitatis, collati tamen cum gratia gratum faciente, & gloria æterna, ei respondente, adeo paruæ sunt, vt in cap. nihil. de consecrat. distinct. 5. dicantur, nihil prodesse: cum tamen de fide sit, prodesse ad multa, vt dictum est, & satis definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. & can. 7.

4 Tertio dicimus, quod licet verbum, peccatum, generaliter acceptum, vt docet sanctus Thom. in 1. part. quæst. 63. artic. 1. significet omnem deuiationẽ, vel declinationem à rectitudine operi debita, siue in naturalibus, siue moralibus, iuxta Arist. 2. Physicor. vbi monstra naturæ vocat peccata: in proposito tamẽ solum accipitur pro deuiatione in moralibus, qualis est omnis actus moralis malus, siue peccatum morale. Definitur autem peccatum morale varie à variis. ex omnibus autem definitionib. quas post veteres auctores tradit Magist. cum sancto Tho. & aliis recentioribus in 2. lib. sententiar. dist. 35. & in 1.2. quæst. 71. art. 6. & alij alibi, illam eligimus, quam magnus ille August. tradit in 2. lib. contra Faustum, cap. 27. quæ non latuit glo. in cap. ille rex. de pœnit. distin. 3. Videlicet peccatum est dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei æternam: tum quia clarior, & vsitatior est: tum quia conuertitur cum suo definito. Nam cuicunque conuenit definitum, id est, peccatum, cõuenit etiam definitio: & contrario, vt per infra dicenda patebit. Nam lex æterna, vt idem August. ait in lib. 1. de libero arbitrio c. 6. & post eum Angelicus doctor. 1.2. q. 91. art. 1. est summa ratio Dei, quę iam inde ab ęterno cuncta ordinauit: & post mundum creatum omnia gubernat, iuxta illud Poëtæ,

Quidquid habet Phlegethõ, quidquid cæca viscera terræ,
Quidquid habet pelagus, quidquid secat æthra pennis.
Feci sti solus, totumque opus ipse gubernas.

Et ita quidquid est contra legem, & rationem naturalem, est contra legem æternam: licet non econtrario, quicquid est contra legem æternam, sit contra legem & rationem naturalem, qualia sunt quæ supernaturalibus obuiant, & fere omnis hæresis, blasfemia, & similia. quod docet Angelicus doctor in dicta q. 91. artic. nn. & late iuxta ac subtiliter enu. leat alter Thom. ibidem.

6 Non obstat primo, quod prædicta peccati definitio non videtur conuenire puræ omissioni, quæ, vt prædictum est supra prælud. 6. nu. 3. saltẽ tribus concurrẽtibus est actus humanus malus, & peccatum: & tamen non est dictum, factum, aut concupitum. Nam licet illa omissio non sit dictum, factum, aut concupitum affirmatiuum: est tamen negatiuum. est namque non dictum, quod debebat dici: nõ factum, quod debebat fieri: vel non concupitum, quod debebat cõcupisci. Quoniam affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, vt in hac specie tradit Aquinas in 1.2. q. 71. art. 6. & probatur per l. si mora. ff. solut. matrim. quæ non factum, quod debebat fieri, vocat factum, vt ibi adnotauit gl. Ibi enim iurisconsultus appellat factum omissionem traditionis dotis faciendæ mulieri. Et gloss. recepta ibi per Bartol. Alexand. & alios in l. 2. ff. de verbor. oblig. ait, diuisionem illam iurisconsulti, qua diuidit stipulationem in stipulationem de faciendo, & dando, comprehendere etiam stipulationem de non faciendo, & non dando.

7 Non item obstat secundo, quod res dictæ, factæ, aut concupitæ non sunt peccata: quia illa verba definitionis, dictum, factum, & concupitum, non accipiuntur pro illis rebus: sed pro ipsis actibus dicendi, faciendi, & concupiscendi, seu volendi eas, hoc est, pro ipsa dictione, factione, & (vt ita dixerim) concupitione, seu volitione, vel latinius voluntate: quod post alios Gabriel recte intellexit in d. q. 35. q. 1.

8 Non obstat tertio, quod illa Augusti. relata à Gratiano in §. 1. 15. q. 1. videlicet: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat*, nullam facit mentionẽ de dicto, vel facto: cum enim mentionem fecerit de concupito, & volũtate, quæ radix est malitiæ dicti, seu dictionis, facti, seu factionis vel actionis, adeo quidem vt vnum tantum peccatum constituatur ex illis, vt in prælud. sequent. dicemus, faciendo mentionem de voluntate, satis videri potest fecisse mentionem de illis, quorum malitia pendet ab ea.

9 Non obstat quarto, quod secundum hanc definitionem delictum esset peccatum: & tamen August. in quæst. Leuit. significat, quod peccatum est perpetratio mali, & ita cõmissio: delictum autem desertio boni; & ita omissio. quod adnotauit gloss. in regul. peccatum. & reg. delictum. de regul. iur. libro sexto, & ante illam Magist. in 4. lib. sent. dist. 42. quia ibidem ipsemet Magist. dixit, indifferenter apud auctores, omne peccatum nomine delicti intelligi: & econtrario omne delictum nomine peccati, per capitul. ille rex. de pœn. distinct. 3. & cap. si peccatum. de pœn. dist. 1.

10 Non obstat quinto, quod peccatum originale infantis, immo & nõdum nati est peccatum: & tamen non

Universidad de Deusto

non videtur esse dictum, factum, aut concupitum: quia licet non sit factum, aut concupitum personale ipsius actuale: est tamen suæ naturæ humanæ, iuxta dicenda in princip. prælud. seq.

11 Quarto dicimus, quod ex prædictis infertur primo, omne veniale peccatum esse peccatum: quia ei præfata definitio cõuenit: tum quia illud appellat peccatum Aug. in cap. vnum. §. fi. dist. 25. & Ioan. Chrysost. in ca. de quotidianis. de pœnit. dist. 3. tum quia sanctus Thom. 1.2. q. 61. articul. 1. omnem actum inordinatum, & vitiosum appellat peccatum. at inter omnes conuenit, omne peccatum veniale esse actum inordinatum, tum quia Magist. cum eod. sancto Thom. & aliis in lib. sent. dist. 35. & 42. præsupponit veniale peccatum comprehendi sub verbo, peccatum, quot ab August. vbi supra definitur esse dictum, factum, &c. Contrarium vero ait S. Bonauentura cum aliquot aliis in dicta distinct. 42. videlicet peccatum veniale non esse contra legem, sed præter legem. Cui consonat etiam Angelicus Doctor ibid. quæst. 1. artic. 4. & 1.2. quæst. 88. arti. 1. & contra gent. cap. 139. dicens, quod diuisio peccati in mortale & veniale non est diuisio generis in species, quæ æqualiter participant rationẽ generis: sed est diuisio analogi in ea, de quibus prædicatur secundum prius & posterius. nõ enim, inquit, est contra legem, sed præter legem. vbi Caietanus nihil non facit, quo illum à telis Durandi libro secundo senten. dist. 43. vbi nostram illationem tuetur, defendat. Quin & ipse Caietanus. 1.2. quæst. 72. artic. 5. carpit Scotum, eo quod in distin. 22. eiusdem 2. libr. sentent. dixisset, peccatum veniale non esse contra legem: quia negari nõ potest esse contra legem æternam & virtutis. Quæ quidem contentio dirimi posse videtur, dicendo, quod altera opinio procedit de contrarietate legis, sufficienti ad assequutionem æternæ vitæ impediendam: altera vero de contrarietate secundum quid, quæ solum sufficit ad eam differendam.

12 Infertur secundo, illud celebre elogium, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, iuxta gloss. celebrem capi. ex parte. 1. de offic. delegat. intelligendum esse de prohibitione humana: non autem de prohibitione legis æternæ, per quam omne peccatum prohibetur, vt ex hac definitione colligitur, & adnotauit S. Thom. in dicto artic. 9.

13 Infertur tertio, peccatum non esse vitium: quoniam peccatum est dictum, factum, aut concupitum, & ita actus, vt supra dictum est, vitium autem est habitus, secundum Marcum Tullium in 4. libr. Tusculanar. relatum à S. Thom. in 1.2. q. 71. arti. 1. ad 3. quod etiam colligitur ex Ambrosio in cap. ille rex. de pœnit. dist. 3. vbi gl. Ioan. singularis.

14 Infertur quarto, peccatum cõstare ex duobus, videlicet ex ipso actu, qui est quædam res naturalis, & ex tortuositate, (vt ita dixerim) & defectu rectitudinis, qua caret, ex eo, quod deuiat, & est contra legem, & regulam æternam: quæ carentia appellatur priuatio, inordinatio, tortuositas, & deformitas, & quod, quatenus est actus, & res merito

rito dicitur quoddam bonum naturale: quia omnis res, quatenus est aliquid, est bonum naturale: iuxta illud Genes. 1. *Omnia, quæ fecerat, erant valde bona.* Sed quatenus est defectus, & priuatio boni dicitur malum, & nihil ab Aug. super Ioan. qui verbum, nihil, positum in illo celebri dicto Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil*, exponit de peccato, quod non est intelligendum de peccato quoad ipsum actum, quatenus est quædam res: sed de peccato, quatenus est inordinatio, & deest ei rectitudo, vt posi, & ante alios declarat S. Thom. in 2. lib. sentent. dist. 37. q. 1. arti. 2. vbi concludit, non debere dici peccatum esse à Deo, nisi cum illa additione, in quantum est actus, & in quantum est quædam res.

15 Infertur quinto, aliud esse peccatum in genere naturæ, & prout est quoddam ens naturale: & aliud in genere moris, & prout est quoddam ens morale. Nam, vt in illatione præcedenti est dictum, peccatum est aliquid & bonum prout est ens naturale, & prout est ens morale dicitur nihil, & malum. Ex quo subinfertur fieri posse, quod actus, qui sit vnus & idem numero in genere entis, vel naturæ, nunc sit bonus, & paullopost malus in genere moris, id est, quatenus est ens morale. Nam ambulatio, qua quis vadit ad ecclesiam est vna, & eadem res in genere naturæ, at si eam cupit facere ob inanem gloriã, erit mala toto tempore, quo ob eam ambulauerit, & si mutata voluntate continuat eam ad Dei obsequium, erit bona, dum ei de aliis requisitis nihil desit, vt tradit Aquinas 1.2. quæst. 20. artic. 6.

16 Ex quo subinfertur, quod vnus actus, qui est simplex, & idem numero secundum genus entis, & naturæ potest esse duplex, & diuersus in genere moris, puta bonus, & malus: peccatum & meritum, id quod idem Aquinas probat vbi supra. Et quamuis ille de actu solo exteriori formet & prosequatur quæstionẽ, non tamen ob id intelligas, contrarium sensisse de actu interiori, quod ibidem adnotauit Caietanus, cuius quotidianum exemplum accipe in actu volendi comedere carnes, continuato ab hora, qua licet eas comedere vsque ad horam, qua non licet, quod non raro contingit apud infimates in carnispriuio, & apud summates passim in noctibus, quæ præcedunt dies, quibus esus carnium vetatur, qualis est dies Iouis, & quicunque præcedit. Quattuor tempora, & festorum vigilias.

17 Animaduertendum tamen est, quod nullus actus pro eodem tempore adæquato potest esse bonus simul, & malus: peccatũ, & meritum, etiã diuersa ratione: quia implicat contradictionem, nam si est malus, aliqua rectitudo ad bonitatem necessaria ei deest: & si est bonus, nulla. Quia bonum constat ex integra causa secundum Dionysium, c. 4. de diuinis nominib. id, quod affirmat 18. S. Thom. 1.2. q. 2. artic. 6. & clarius in 2. lib. sent. dist. 40. q. 1. art. 4. & Ioã. Maior ibid. q. 7. & Caiet. super Matt. cap. 6. quib⁹ (proh dolor) consequens est, bonam operum aliquorum nostrorum partem esse malam, minor enim pars est eorum, quibus nulla deest rectitudo, vel obiecti, vel finis vel alicuius circũstantiæ. Quamobrem

rem magna cura, & studio est opus, vt quæcunque agimus, circūspecte agamus: ne bona, quæ labore magno ad bene merēdum perficimus, parua incuria perdamus: vel (quod peius est) fiant nobis mala, ob quæ puniamur.

19 Infertur sexto, quod peccatum interius, quo quis peccat, volendo aliquid dicere, aut facere, & dictum, & factum ipsum exterius sunt quidem plura entia, & plures res, quo ad essentiā rei naturalis. Siquidem alia res est exterior actus, & alia interior: sunt tamen vnum peccatum in genere moris, quidquid voluat, & reuoluat satis leuiter & inutiliter Ioann. Maior, in dicta distinct. 42. q. 2. Quoniam, vt eleganter de more ait Aquinas 1.2. quæst. 20. articul. 3. actus interior & exterior, ei respondens, licet sint duo in genere, & esse naturæ: in genere tamen & esse morali sunt vnus. Neque tamen ex hoc inferas sufficere pœnitenti confiteri peccatum interius solum sine exteriori. Quoniam oportet confiteri omnia peccata mortifera, capit. omnis. de pœnitent. & remiss. & clarius in cap. 5. & can 6. sess. 14. Conci. Trid. & constat, peccatum exterius esse peccatum mortiferum, quando interius est huiusmodi, & licet peccatum interius, & exterius sint vnum peccatum in genere moris: sunt tamen duo in genere naturæ, vt prædictum est. 20. Neque obstat, quòd sufficit confiteri exterius: quia qui confitetur exterius, implicite confitetur interius, l. Labeo. §. Tubero. ff. ff. de supellect. leg. arg. item cap. præterea. de offic. delegat. cum sine illo non esset peccatum. Non autem contrà, qui confitetur interius, videtur confiteri exterius: cum interius passim inueniatur sine exteriori: & non concludit hoc adesse, quod contingit abesse. l. neque natales. C. de probat. & cap. in præsentia. eod. tit.

21 Infertur sexto, peccatum esse aliud à reatu peccati, tum quia peccatum per prædicta est dictum, factum, &c. reatus autem peccati est obligatio nata ex peccato ad pœnā subeundam tum quia Magist. in 2. lib. sentent. dist. 42. ait, quod licet aliquando in scripturis auctorum verbum, reatus, significet culpā, & aliquando pœnam: id tamen non contingit ex originaria verbi significatione: sed quia, cum reatus sit quoddam medium inter illa, nomen eius transfertur ad significandum extrema, tum quod verbum, reatus, est verbum nouū & incognitū Marci Tullij ætati, & à Messala sub Augusto Cæsare vsurpatum, vt docet Quinctilianus lib. 8. Institu. c. 3. Vsurpatum, inquam, pro statu rei criminis, quod colligitur ex l. si quis diutino. ff. de pœnit. quidquid ibi reuoluat Accurs. Vbi adnotauit Budæus, errore nimio apud iurisconsultos ætatis nostræ pro crimine reatum accipi. Et quāuis iuxta sensum Budæi, etiā obligatio ad pœnam non dicatur proprie reatus, sed ipse status rei, qui accusatus est, & inter reos receptus: Gregorius tamen in capitu. si peccatum de pœnitent. distinct. 1. & Magister cum Aquinate, & aliis vbi supra pro illa obligatione accipiunt. At quia duplex est peccatum: alterum mortale, alterū veniale, cap. vnum. §. criminis. 25. distin. sic duplex est reatus.

tus. Alter, quo quis obligatur ad pœnam æternam. Alter, quo quis obligatur ad pœnam temporalem, secundum omnes. Itaque peccatum est mater reatus: reatus vero filius peccati: sicut obligatio est mater actionis, l. licet. §. ea obligatio ff. de procur. & actio filia eius, gl. in rub. 23. de action. instit. Reatus autem siue obligatio ad pœnam est triplex: quia peccatum eo quod tripliceem ordinem offendat, ad triplicem pœnam obligat. Quatenus enim offendit ordinem propriæ rationis, obligat ad pœnam remorsus cōscientiæ, iuxta illud Aug. lib. 1. Confess. ca. 12. *Omnis inordinatus animus sibi ipsi est pœna.* quam conscientiæ remorsum esse dixit S. Thom. 1.2. q. 87. articul. 2. Quatenus autem offendit ordinem Dei, obligat ad pœnam æternam, vel temporariam ab eo infligēdam. Quatenus vero offendit legem humanam, obligat ad pœnam illius legis per hominem statutam. Quo fit, vt qui peccamus, considerare deberemus, quod licet possimus effugere frequēter hominis legislatoris pœnam, errata nostra ignorantis, nequaquam tamen possumus vitare pœnam Dei, omnia cernentis: nec conscientiæ nostræ omnia nostra videntis: nisi per pœnitentiam legitimam peccato accommodam.

24 Infertur septimo, quod actus deliberatus, qui non est bonus, est peccatum. Quoniā multi sunt actus, qui iuxta suum genus, vel suam speciem, id est, ex obiecto suo neque boni sunt, neque mali, qualis est deambulatio in campum & leuatio festucæ, vt S. Thom. cōmuniter receptus habet 1.2. q. 18. artic. 8. nullus tamen inuenitur in individuo, qui non sit malus, si non est bonus: quoniam nullus talis inuenitur, cui non desit bonitas vel obiecti, vel finis, vel alicuius circunstantiæ & quāuis olim contrarium visum fuerit mihi verius sequuto Scotum in 2. lib. sent. dist. 7. & 41. & quolib. 18. eoquod videbatur dari posse actus indifferens sine vlla circunstantia in nullum finem bonum, vel malum ordinatus: postquam tamen legi Caieta. super S. Thom. in dicto articul. 8. sequutus sum hoc. Quia omnis actus deliberatus otiosus est malus, iuxta illud Matth. 12. *Omne verbum otiosum, &c.* Sed redij postea ad eam illa firma ratione, quòd omnis actio, quæ non fit ad aliquem finem est otiosa: & ita deest ei circunstantia finis, siue ordinatio ad bonum finem: & consequenter est cōtra legem æternam, quæ ad bonitatem actus exigit omnium circunstantiarum concursum rationabilem, quæque habet hominē agere propter finē. iuxta Aristot. in 2. Physicor. capitul. tertio relatum. à sancto Thom. 1.2. quæstio. 1. articul. 1. & 2.

25 Infertur octauo, quam vane, & stulte errauerint multi super peccato actuali. Alij quidem, vt Valerius, quod peccatum non est à libero arbitrio, sed à dæmone tantum. Alij, vt Lutherus, quod omne opus, quālibet recte factum, est peccatum. Alij, vt Aetius, & Armenij, quod aliqua sunt peccata omnino irremissibilia. Alij, vt Vualdenses, quod nullum peccatum mortale est tolerandum, etiam ad vitandum maius malum. Alij, vt Iouinianus, quod semel iustificatus non potest amplius

Universidad de Deusto
Biblioteca

plius peccare. de quibus late Castren. lib. 11. aduersus omnes hæreses, verb. peccatum. hæresi 3. & seqq. Alij vt Valentes, quod per peccatum mortale perditur omnis potestas, tam laica, quam ecclesiastica, vt per eundem Alfonsum vbi supra verb. potestas. hæresi. 1.

De peccati vna specie, quæ est peccatum originale. Prælud. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum duplex, originale, & actuale: & quid originale.*
2 *Peccatum aptius genus ad originale, quam carentia iustitiæ originalis.*
3 *Peccatum originale tollitur per baptismum, sed non carentia.*
4 *Peccatum quod primi parentis, & vt transfertur in descendentes.*
5 *Iustitiam originalem sibi, & omnibus perdidit Adam.*
6 *Peccatum originale non est reatus, & cum eo omnes nascimur.*
7 *Peccatum originale non est ea multa, quorum nomine appellatur.*
8 *Peccatum originale excludit omnes à vita æterna.*
9 *Peccato originali vt carnit Christus, & mater eius.*
10 *Peccatum circa originale qui sic, & sic errant, hæretici.*

1 DE præfata peccati originalis specie dicimus. Primo, quod peccatum diuiditur in peccatum originale, & peccatum actuale. & quod peccatum originale, attenta magis mẽte, quàm verbis Anselmi de conceptu virginali, c. 2. & 3. & Magistri, & aliorum in 2. lib. senten. dist. 30. & sancti Thom. 1. 2. quæst. 81. & 82. & 3. par. q. 77. art. 1. & melius ad Romanos 5. lect. 2. colum. 3 & 2. & aliorum catholicorum alibi, præcipue trium §§. 1. 2. & 3. Decret. de peccato originali. sess. 5. Conc. Trid. potest definiri esse peccatum primum primi parentis, quatenus fuit naturæ, transfusum per virtutem seminalem in omnes, immediate, vel mediate ab eo genitos, quo sibi, & illis perdidit iustitiam originalem quoad hoc sæculum, & beatitudinẽ æternam quod alterum.

2 Dixi: Peccatum, pro genere: quia licet Anselmus frequẽtius receptus ponat vbi supra pro eo, carentia iustitiæ originalis, & alij concupiscentia, vel habitus improprius, vel fomes, vel lex membrorum, vel tyrannus, & alij reatus, vel pœna: aptius tamen ponitur peccatum. Tum per hæc verba circumspectissima sancti Tho. ad Ro. 5. lec. 3. col. 2. *Sicut peccatum actuale est peccatum personæ, quia per voluntatem personæ peccatis committitur: ita peccatum originale est peccatum naturæ, eo quod per voluntatem principij humanæ naturæ commissum est. Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum personæ, trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem: ita peccatum originale trahitur ad singulos homines per actum naturæ, qui est generatio.* Tum per præfatum conc. Trid. quatenus vbi supra §. 2. declarat hæreticum eum, qui dixerit, Adamum inquinatum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse: non autẽ & peccatum, quod mors est animæ. Et quatenus §. 5. definit hæreticum esse negare, quod per baptismum remittatur omnis

omnis reatus originalis peccati: aut asserere non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet.

3 At per baptismum non tollitur carentia originalis iustitiæ, nec concupiscentia, nec habitus ille improprius, neque fomes, neque lex membrorum, neque tyrannus, licet aliquantum refrenẽtur, secundum omnes: Ergo nullum illorum est de vera, & propria ratione peccati originalis: ac cõsequenter neque verum genus definiti, quod est de quidditate & ratione speciei iuxta Porphyrium in Prædicabilib. Et quamuis reatus omnis tollatur per baptismum: tamen secundum Magistrum senten. cõmuniter receptum, peccatum originale, non est reatus, neque pœna, sed culpa, vt infra dicemus. Ergo aptius genus est peccatum, quam aliquod illorum.

4 Dixi: Primum primi parentis, quoniam alia peccata, quæ ipse fecit, vel posteri eius faciunt, non sunt peccata originalia, neq; transierunt, neque transeunt in posteros, vt probat S. Thom. receptus in hoc ab aliis 1. 2. q. 82. art. 2. & melius in prælegata lect. 3. c. 5. ad Roma.

Dixi: Quatenus fuit naturæ: quia quatenus personale, ac sola personali voluntate cõmissum fuit, non fuit neque est originale, neq; transfusum: sed quatenus fuit peccatum naturæ, & voluntate posterorum eius commissum, ea ratione, & modo, qui ex prædictis verbis sancti Thom. colligitur.

Dixi: Per virtutem seminalem, ad significandum quomodo, & à quo, & in quos deriuatur. Nam homo, qui in puris naturalibus crearetur miraculosè alia de materia, quam humana carne non haberet hoc peccatum originale: quia ille non esset ex Adami posteris. Immo nec si crearetur de carne humana ratione alia, quàm per virtutem seminalem, iuxta sententiam eiusdem sancti Thom. 1. 2. quæst. 81. artic. 4. & 2. lib. sententiar. distinct. 31. quæst. 1. ar. 2. & aliorum præsertim Durandi in dict. distinct. 30. quæst. 2. & tamen careret iustitia originali, & fomitem ac concupiscentiam, quam baptizati habent, haberet, vt satis colligitur ex eodem sancto Thoma quæst. 81. ar. 4.

5 Dixi: Quo sibi & posteris, perdidit iustitiam originalem quoad hoc sæculum ad insinuandũ illud grande, irreparabileque damnum, quod sibi, & nobis intulit protoplastus. Illa enim iustitia erat quoddam donum supernaturale, inditum à Deo Adamo pro ipso, & pro posteris eius, quo vires inferiores subiiciebar superioribus, & superiores Deo, harmoniam quandam miram constituens: cui per peccatum amissæ succesſit discordia, & rebellio deploranda, & potentia concupiscendi tam sensualitatis, quam voluntatis superioris effrenata, secundum omnes. De qua Poëta quidam celebris, postquam graphice conscripsit mortem, & alia, quæ perditio hæc iustitiæ attulit, concludit:

Hæc fuga iustitiæ nostris mala cuncta diebus
Intulit; &c.

Dixi: Et beatitudinem, quo ad alterum sæculum, ad ostendendum terribilem effectum, quem hoc pec-

catum operatur; scilicet quod facit æternum vita carere beata. cap. firmissime. de consecrat. dist. 4.

6 Secundo dicimus, quod ex præfata definitione infertur primo, peccatum originale non esse reatum, vt probat Magister 2. lib. sententia. distin. 30. quia, vt supra in præludio præcedenti, nu. 22. diximus, peccatum non est reatus.

Infertur secundo, hæreticos esse, qui dicunt, non nasci homines cum vero peccato: quia est contra prædicta, fundata in illo Apostoli, Ro. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* & in illo eiusdem, ad Ephes. 2. *Omnes filij iræ nascimur.* Et in definitione c. firmissime crede, &c. de consecra. dist. 4. & Conc. Trid. vbi supra. §. 1.

7 Tertio dicimus, quod peccatum originale non est actus personalis, neque potentia, vt palam est, neque habitus, vt distinguitur ab actu, quia est peccatum: & nulla peccata sunt habitus, vt dictum est supra prælud. præcedenti, nu. 14. quamuis late accepto vocabulo metaphoricè dici queat habitus: eo quod, vt ille inclinat ad suos actus, ita originalis peccati fomes inclinat ad suos, iuxta sanctum Thom. 1. 2. q. 82. art. 1. ad 1. & Durandum & alios in 2. lib. sentent. distinct. 30. quæst. 2. Neque est vere concupiscentia, seu, vt Magister in dicta distin. 30. declarando ait concupiscibilitas. Neque fomes peccati, licet materia eius aliquo modo dici queat iuxta sanctum Thom. in dicta quæst. 82. ar. 3. & licet quandoque vocetur peccatum, nominando effectum per causam, iuxta illud Apost. Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, adiuncta expositione sancti Thom. ibid. lect. 3. dum ait, non iubere apostolum, ne peccatum, hoc est fomes peccati, sit in nobis: sed quod non regnet in nobis, qui debemus, & possumus cum gratia Christi ei resistere. Quoniam, vt supra, nu. 2. dictum est, per baptismum tollitur totum id, quod est de vera ratione peccati originalis, vt determinat Concil. Trident. vbi supra; & tamen experimur baptizati post baptismum motus iræ, amoris, & voluptatis, præuenientes rationem, qui ex fomite illo manant. Et idem est dicendum de carentia iustitiæ originalis, quæ per baptismum non restituitur.

Quarto, quod peccatum originale proprie est peccatum, seu culpa, siue deformitas, & defectus rectitudinis, qua caruit ille actus primi peccati primi parentis, quatenus fuit actus voluntarius totius naturæ, omniumque ab illo deriuandorum per virtutem seminalem, eo modo, quo initio huius præludij monstratum est.

8 Quinto, quod in vno homine non est, nisi vnum peccatum originale, vt idem sanctus Thom. receptus, in 1. 2. quæst. 82. artic. 2. docet. qui in 3. & 4. concludit inesse id omnibus hominibus, & æqualiter. Cui consequens est, omnes homines mundi, natos iam, & nondum natos, mares, & fœminas, adultos, & paruos, discretos, & fatuos, qui manentes in originali peccato moriuntur & morientur, damnari, saltem pœna

pœna damni, per quam excluduntur à vita æterna beata æternùm, per finem prædictæ definitionis, & cap. firmissime. de consecrat. dist. 4. quod Gratianus attribuit Augustin. licet bonam eius partem tribuat Magister sentent. in 2. lib. dist. 30. lib. de Dogmaticis ecclesiasticis.

9 Sexto, quod hoc peccato originali caruerunt dominus noster Iesus Christus, secundum Aquinatem 1. 2. q. 81. art. 5. & 3. par. q. 27 art 2. quia non descendit ab Adamo per virtutem seminalẽ, & gloriosissima Virgo eius mater, secundum plerosque catholicos, eo quod fuit præseruata priuilegio particulari: quamuis plerique grauissimi & sanctissimi viri contra sentiant. Vnde neutra opinio est damnanda, iuxta iussa Papæ Sixti in extrauagan. 1. de reliq. & venera sancto. renouata nuperrime per Conc. Trid. vbi supra, §. vlt.

10 Septimo, quod contra prædicta errat, & est hæreticus qui non confitetur, Adamum statim ac peccauit, sanctitatem, & iustitiam, in qua constituus fuerat, amisisse incurrisseq; iram, & indignationem Dei, atque mortem sibi comminatam totumq; Adamum per illam offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, vt habet Conc. Trid. sess. 5. c. 1.

De peccati altera specie, quæ est peccatum actuale, & de speciebus eius, præsertim mortali. Prælud. IX.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum actuale quid, & quæ eius species noscendæ confessario.*
2 *Peccatum diuiditur septem modis, in cordis, oris, & operis. nu 2.*
3 *Et in facti cordis, & consuetudinis.*
4 *Et in septem capitalia.*
5 *Et in Deum, proximum, & seipsum*
6 *Et in peccatum per excessum, & defectum.*
7 *Et in peccatum mortale, & veniale.*
2 *Peccati diuisiones in quo prosunt confessariis.*
3 *Mors animæ triplex, signata per tres suscitatos*
3 *Peccatum mortale & veniale specie differunt.*
8 *Peccatum ad mortale possunt obligare leges humanæ.*
9 *Conscientiæ contra legem quis dicitur peccare.*
10 *Ignorantia quæ excusat.*
11 *Subreptitio quæ excusat.*
12 *Paruitas rei vt excusat: & quid sit illa remissiue.*
13 *Dispensatio quæ excusat à mortali.*
14 *Dispensatio alia iusta, alia iniusta, alia nulla.*
14 *Dispensatio sine causa quæ non mortalis*
15 *Dispensatio inferioris circa legem superioris quæ valet.*
16 *Causa quæ iusta excusat circa legem humanam.*
17 *Peccatum mortale est contemptus consilij diuini,*
18 *& salutis proximi.*
19 *Finem vltimum non ponit in creatura quisquis mortaliter peccat.*
20 *Peccatum quoddam duplex, quoddam simplex, quoddam multiplex.*

1 DE hac re dicimus primo, quod peccatum actuale definiri potest, esse peccatum, quod non est originale. Dixi, Peccatum pro genere,

& reliquum pro differentia.

Secundo, quod quia erroneum, & hæreticum est illud paradoxum Marci Tullij:

Omnia peccata sunt æqualia,

2 vt tradit sanctus Tho. receptus ab omnibus catholicis 1.2. q.73. art. 2. & q.2. art. 9. de Malo. & non sufficit pœnitenti confiteri peccata sua in genere, neque confessario ea sic audire: sed oportet confiteri, & audire illa in specie, vt infra c. 2. latius tradetur, ideo peccati actualis diuisiones sunt considerandæ.

Prima est Anselmi in lib. de similit. c. 24. relati ab eod. sancto Tho. 2.2 q.162 art. 4. & in c. super tribus. de pœnit. dist. 2. in peccatum cordis, oris, & operis: quæ per tria verba prædictæ definitionis clare probantur. Quæ tamen diuisio non est generis in suas species, sed eiusdem peccati in diuersos gradus, vt supra prælud. 7. nu. 11. diximus, admonendo confessarium quiddam quotidianum.

3 Secunda diuisio est Augu. in lib. de sermone domini in monte relat. in c. sicut tribus de pœnit. distin 2. in peccatum cordis, facti, & consuetudinis: quæ etiam non est diuisio peccati in membra diuersæ speciei: sed in tria membra diuersorum graduum eiusdem peccati. Quod eleganter de more ait ibi Augu. significari per tria genera mortuorum, quos dominus resuscitasse ait Euangelium, Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11. cui cap. sicut tribus adtexuit glossa eod. illa carmina, magna pietate parique arte composita:

Mens mala mors intus, malus actus, mors foris;
Tumba puella, puer Lazarus ista notant. vsus
Hanc verbo, hunc motu, lacrymando suscitat illum
Christus, & in modico nascitur ager homo.

4 Tertia diuisio est S. Gregorij in lib. 31. Moralium, c. 31. relata à Magistro in 2. lib. sentent. dist. 42. in septem capitalia. Et rursus septem capitalia in quinque spiritualia; videlicet Inanem gloriam, Iram, Inuidiam, Auaritiam, & Accidiam: & in duo carnalia Luxuriam scilicet, & Gulam. Quæ est diuisio peccati in membra specierum diuersarum, seu diuersorum generũ subalternorum: quia singula illorum septem à se inuicem differunt specie; cum eorum omnia obiecta specie differant, vt erudite declarat S. Thom. in dicta q.72. artic. 2. Id autem, quod in alia editione hoc in loco subiecimus de differentia confitendi aliquam circumstantiam necessario confitendam non confessio ipso peccato, omittimus, quia satis exprimitur in c. 6. sub finem infra eo.

5 Quarta diuisio est Isidori in lib. de sum. bono in peccatum in Deum, & proximum, & se ipsum, quam refert sanctus Thom. vbi supra art. 4. quæ tamen diuisio parum est confessariis necessaria.

6 Quinta diuisio colligitur ex sancto Tho. vbi supra artic. 8. in peccatum per excessum, & in peccatum per defectum: de qua idem dicendum est, quod de duabus proxime præcedentibus.

7 Sexta diuisio peccati est in peccatũ lethale, seu mortale, siue mortiferum, & in peccatum veniale. quæ diuisio, an sit generis in suas species, nec ne, satis colligitur ex præludio 7. num. 11.

Tertio dicimus, quod longe vtilissimum fuerit pœnitenti, confessarioque nosse notas, quibus veniale à mortali discernatur. quod non satis discernitur dicendo, quod mortale sit contra legem: veniale vero præter eam. Quia supra prælud. 7. nu. 11. probarum est, etiam peccatum veniale esse contra legem: & per infra scripta patebit, non omnia contra legem facta esse mortalia. Notæ autem præfatæ satis colliguntur ex definitione infra scripta peccati mortalis, & sua declaratione.

8 Quarto, quod peccatum mortale est peccatum contra præceptum diuinũ: vel humanum, promulgatũ, receptũ, & non derogatum, æterna pœna munitum, vel contra aliquid pro tali habitum, vel an tale sit dubitatum, quod ignorantia, subreptio, vel paruitas rei, aut dispensatio iusta, vel causa iusta, quo ad legem humanam ab ea non excusat, vel contra diuinum cõsilium contemptum, vel contra salutem animæ proximi spretam, vel ob finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur.

Dixi: Peccatum, pro genere: quia omne peccatum mortale est peccatum: non tamen contra omne peccatum est mortale: quandoquidem innumera sunt venialia, c. de quotidianis de pœnit. dist. 3.

Dixi: Contra præceptum: quia factum contra consilium, etiam diuinum, regulariter non est peccatum, etiam veniale. §. fi. 4. dist. & cap. pen. 14 quæst. 1.

Dixi: Contra præceptũ diuinum, vel humanum, vt comprehenderem præcepta naturalia diuina, diuina positiua, & humana, quæ tria possunt obligare ad mortale. Diuina quidẽ, siue naturalia, siue positiua, iuxta illud Psal. 118. octonario 2. vers. 5 *Maledisti, qui declinant à mandatis tuis.* Et illud Psal. 88. versic. 31. *Si iustitiæ meas profanauerint, & mandata mea non custodierint.* Lex vero humana iuxta cap. 2. de maiorit. & obedien. si modo sit promulgata, recepta, & non derogata in totum, vel pro parte, contra quam agitur, §. leges. 4. distinct. vt late trademus in Commentario prædicti cap. fraternitas. 12. quæst. 2.

Dixi, Æterna pœna munitum, ad excludendũ peccata, quæ fiunt cõtra præcepta legum, quæ non infligunt pœnam æternam. Qualia sunt etiam aliquot diuina; puta de non iocose, nec officiose mentiendo, c. primum. 22. q. 2. & latius tradimus infra c. 23. num. 47. post Caietanum tomo 1. Opuscul. Opusculo 25. q. 1. & 2. 2. q. 72. art. 5. Qualia sunt etiam illa, quorum auctor non habuit animum obligandi ad illam pœnam, vt sunt statuta Dominicanorum, secundum sanctum Thom. 1.2. q. 106. art. 9. ad 1. quem sequuntur Ioan. And. & alij in c. relatum. ne cler. vel monach. Qualia item sunt statuta complurium aliorum ordinum, & collegiorum, facta instar Dominicanorum. Qualia item sunt, quæ non continent verba præcipientia, sed tantum ordinantia, vel statuentia, vt sunt multæ leges sæculares, vt latius traditur infra dicto c. 23. nu. 43. & seqq. & in præallog. Comment. c. fraternitas. 12. q. 2.

9 Dixi:Vel contra aliquid pro tali habitum,ad comprehendendū peccata facta contra cōscientias dictantes,vel dubitātes ea esse mortalia quamuis non vere sint talia, per c.per tuas.2. de simon. Quibus addo,quod ad hoc,quod peccatum sit mortale,non sufficit quod fiat contra conscientiam,quæ dictat,id esse peccatum simpliciter, sed oportet, (vt dictum est)esse peccatum mortale.Vnde peccata, quę fiunt contra conscientiam dictantem, illa esse venialia, vel esse simpliciter peccata,solum erunt venialia, si ex se alioqui non sunt mortalia. Quia, vt ait Bal.l.1.ff de senatori. in causato non potest esse plus virtutis, quā in id potentia causæ infundat. Pro quo facit cap.licet ex quadam de testib.& c.1.§.hoc notandum. qui feudar.poss.Et conscientia, quod aliquid sit veniale, vel simpliciter peccatū, nō infundit in id grauitatem lethalem, quam non habet. Addo item, quod non sufficit,nec requiritur ad hoc conscientia, vel dubietas generalis: sed requiritur & sufficit specialis, vt post Thom. à Vio dicto 1. tom.Opuscul.Opusc.31. responsione 13. vers.septimum dubiū.tradidimus in cap.si quis autem.num.61 & seq. de pœn.dist.7.verbi gratia: Si iurisperitus dubitaret in genere, an iurisconsultis liceat die festo consulere:nulla tamen eum teneret dubitatio,an hoc die festo hoc consilium huic à se dari liceat,nullum admittitur ex parte dubitationis conscientiæ peccatum:econtrario autem, si quis arbitretur licere generaliter iurisperitis,diebus festis consulere: dubitet autem,an nunc, & huic, & hoc consilium sibi liceat dare, peccatum esset ex capite dubitationis. Addo denique,quod non sufficit ad hoc scrupulus in genere, nec in particulari.Nam si quis facit opus licitum,quod credit ei licere, non peccat,licet angatur scrupulo generali, vel particulari in contrarium, vt late probamus in præcitato cap.si quis autem.num 23.

10 Dixi:Quod ignorantia non excusat:quoniam illa quādo est facti, immo & frequenter,quando est iuris, excusat eo modo, quo reddit actum inuoluntarium,vt supra prælud.6.nu.9.declaratum fuit.

11 Dixi:Subreptio non excusat:ea enim in omni materia excusat à peccato mortali, vt dicemus infra cap. 11.nu.4. & tradidimus in cap. inter verba. 1. quæst.3.post alios ibi citatos,præsertim sanctum Tho. quæst. 88.art.5.& 2.2.quæst.33.art.5.& q. 58. artic.3.Qualis frequenter inuenitur in Accidię materia,dum quis habet displicentias quasdam bonorum diuinorum non satis deliberatas. Cui addi potest paruitas iudicij, qualem habent semidormientes, vel semiebrij, vel adeo turbati, quod licet sufficiat ad veniale, non tamen ad mortale, vt pulchre determinat Io. Maior in 3. lib.sentent.distinct. 37. quæst.14.

12 Dixi:Vel paruitas rei · quia etiā hæc in omni materia excusat, secūdum S. Tho.in locis proxime citatis. Quæ autem quantitas dicatur magna & notabilis ad efficiendum furtum mortale, latius, quàm alij, tractauimus in Commen.c.fi. 14. q. 6.cuius summa inseritur infra, cap. 17.post princ.

13 Dixi:

13 Dixi:Vel dispensatio iusta: quia hæc quoque semper excusat.Per iustam autem intelligo eam, quæ valet ipso iure,licet nō fuerit iuste facta, quales multæ fiunt circa leges humanas:quamuis nulla earū, quæ circa legem diuinam, & naturalem sine iusta causa fiunt, inuenitur talis:nulla enim earum valet ipso iure. Quia nullus Princeps id faciendi facultatē habet, iuxta gl. sollemnem cap.non est de voto. quæ agit de dispensatione super voto: & glo. cap.quanto.de iureiur. quæ agit de dispensatione super iuramento. Arbitror autem, quod licet dispensator peccet:tamen dispensatus, si bona fide,nixus superioris auctoritate putat, eam sibi iusta de causa esse datam excusatur,donec satis nouerit,eam non fuisse sic datam, arg. c. 14 quid culpatur.23.quæst. 5. Tales etiam sunt, quæ fiunt circa legem diuinam,& naturalem iusta de causa ab eis,qui potestatem habent, secundum prædictas glo. Tales item sunt, quæ fiunt à Principibus, qui non recognoscunt superiores, circa suas leges,etiā sine iusta causa, modo sine subreptione fiant. Nam iustæ dicentur quoad hoc:etiam si dispensans,& dispensatus ambo sciāt, non inesse iustam causam. Quia licet Princeps dispensans circa suam legem sine causa peccet,iuxta mentem vtriusque Thom.1.2.quæst. 96. art.5.quam latius explicauimus in prædicto cap.si quando. de rescrip. excepr.8.nu. 12. & licet dispensatus peccet, noscendo sine causa se conformare moribus honestis illorum, quibus conuiuit contra c.quæ contra,distinct.8.non tamen peccat ob transgressionem legis per dispensationē ei relaxatæ. Quia illa dispensatio,& relaxatio (licet iniusta) valida est ipso iure,vt absolutio excōmunicationis iniusta. c. venerabilibus.§ sane de senten. excommu.lib. 6.Aduertendum autem,quod peccatum,quod admittit superior in relaxando sine iusta causa suam legem erga aliquem, per cap. iustum est.9.dist.& peccatum quod dispensatus committit, petendo eam sine dicta iusta causa, solum,sunt venialia, si scandalum & damnum notabile alterius cessant, secūdum Caietanum 1.2.q.96.art.5.

15 Magna tamen quæstio est, an dispensatio inferioris circa legē superioris,etiam in casu,in quo ei cōceditur potestas dispēsandi, sine iusta causa facta valeat?Et verius puto non valere.tum quia dispēsatio definitur esse relaxatio legis,causa cognita,iuxta gl. sollemnem.§. nisi rigor.1.q.7.quia sic se habet inferior ad legem sui superioris principis: sicut ille ad legem Dei, cap. cum inferior.de maior. & obed. & c. inferior.21.dist.Et dispensatio principis superioris circa legem Dei sine iusta causa nihil valet,nec excusat, vt prædictum est.tum quod Innoc.singulariter dicit,inc.dudū. 2. de elect. quod dispensatio à Legato facta, etiam auctoritate Papæ sibi cōmissa,sine iusta causa non valet.

Quibus omnibus addo primo,inferiorem non censeri dispensare circa legē superioris, nisi id exprimat,etiam si inbeat, aut permittat fieri aliquid,quod sine ipsius dispensatione iuste fieri nequiret, iuxta duo dicta Inno.relata, & cōcordata

ab Ostien.& Pan.in c.diuersis fallaciis.de elect.coniug.

Addo secundo, quod non creditur ei dicenti, se facere illam aliquam fornicationem illa probetur, si non est facta cum causæ cognitione, per ea, quæ latius adduximus in Commen.cap.non liceat. §.4.12.q.2. Immo neque si fiat cum illa, si sciretur, causam esse falsam quoad forū conscientiæ: quamquam dispensatus credens bona fide, secum dispensatum, excusari posset ob superioris auctoritatem.

Addo Tertio, quod dispensatio ab inferiore circa suam, vel prædecessoris, vel inferioris sui legem facta valet in vtroque foro, etiam si pro solo voluntatis libito eam fecerit. Immo etiam arbitror, eum tacite dispensare circa illam, quoties prudens & sciens iubet aut concedit fieri aliquid contra eum, nulla de dispensatione mētione facta, quæ breuitatis causa latius in præsentia non confirmo.

16 Dixi: Vel iusta causa, quia (vt dicemus in cap.23.infra.nu.42.) causa rationabilis semper excusat, saltem à mortali trangressorem legis humanæ, secundum mentem sancti Thom.1.2.q.96.art.6.& aliorum, in dicto num.42.citatorum. Eam vero causam equidem dixerim iustam, ob quam legislator, si adesset, eum pro excusato haberet, arg. gl. singularis, & communiter receptæ in l. tale pactū.§.qui prouocauit. ff. de pact. Quia & causa, quam quis bona fide putat iustam, etiam si omnino iusta non sit, excusat à mortali, licet non à veniali, vt eleganter dixit Caietan.in §.2.quæst.143.art.3. post alios non citatos ab eo, quos ibidem citauimus.

17 Dixi: Aut contra diuinum consilium contemptum: nā licet consilia diuina non obligent, etiā ad veniale, vt prædictum est: tamen qui ea per contemptum transgrediuntur, vel non implēt, mortaliter peccant: iuxta gl. singularem & receptam in cap.quis autem.10.dist.

18 Dixi: Vel contra salutem animæ proximi spretam: nam qui facit aliquid, quod ex se nō est mortale, nec forte illicitum, qualis est exornatio mulieris, vel viri per contemptum salutis animæ proximi, quem credit spiritualiter per eam periturū, mortaliter peccat: quamuis non ita peccaret, si huiusmodi contemptus abesset, vt late dicetur infra c.13. nu.23.

Dixi: Vel ob finem mortalē: quia omnis actus in finem mortalem relatus est mortalis, etiam si suo genere mortalis non sit cap. cum ministeri.23.q.5. vbi post sanctum Tho. 1.2.q.18.art. 4. id'late tractauimus, nume.25.

19 Dixi: Vel in quo finis vltimus constituitur: quia per hoc efficitur mortale, vt tradit vterque Thomas in d.1.2.q.88.art.4. Constituere autē videri potest quis alicui vltimum finem in aliquo, quando sic afficitur ei, vt malit auerti à Deo, siue mortaliter peccare, quod continet auersionem ab eo, quam omittere illud, per dicta vtriusque Thom. in dicto art.4.& artic.seq. Sed contrarium esse verius diximus in Commentario prædicti cap.cū ministeri. nu.21.tum quia hoc non exprimitur à præfatis. tum quia alioqui bis peccarent omnes, qui semel scienter peccarent mortaliter: quia trāsgrederentur legem, quod est vnum peccatum: & ponerent finem vltimum in eo, quod est alterum. tum quod multi peccant mortaliter, cognoscentes se minime in eo finem vltimum constituere.

Quinto dicimus, quod peccatum veniale potest definiri esse peccatū actuale, quod non est mortale.

20 Sexto, quod potest addi alia diuisio peccati in simplex, & multiplex. Peccatū simplex est, quod vna sola ratione est peccatum, vt furari & fornicari sine alio malo fine, vel alia mala circunstantia. Multiplex autem est, quod multiplici ratione est tale: vt furari ad mœchandum & percutere religiosum. Vnde oportet confessarium & pœnitētem circumspicere non solum, an actus sit peccatum ratione sui obiecti tantū: sed etiam, an sit tale ratione alterius mali finis, vel malæ circumstantiæ. Totuplex est enim peccatum, & totuplicis speciei, quotuplici ratione diuersa est tale. Furtum enim factum ad mœchandum est peccatum iniustitiæ ratione obiecti, quatenus est contrectatio rei alienæ: & peccatum luxuriæ ratione finis, quatenus fit ad mœchandum: & si fieret in loco sacro, esset sacrilegium: & si ad emendum gladium ad occidendum hominem, diceretur homicidium.

Dixi: Mali finis, & malæ circumstantiæ: quia non omnes circumstantiç multiplicant peccatum, vel speciem peccati.

Septimo, dicimus quod hęc diuisio confirmatur eo quod etiam bonus actus, qui est contrarius peccato est multiplex. Simplex, qui vna sola ratione est bonus. Multiplex autem, qui multiplici ratione est talis. Verbi gratia, ieiunium passum ea sola ratione, quod est præceptū, est actus bonus simplex, & aptus ad solam virtutem obedientiæ, & eius præmium quærenda: passum autem ad castigandum corpus est duplex, & aptum ad quærendum etiam virtutem castitatis & præmium eius: passum vero ad placendum Deo est triplex, & aptum etiam ad quærendum charitatem, & eius præmium: passum autem ad sacrificandum carnem suam Deo quadruplex, & aptū etiam ad quærendum latriæ, siue religionis virtutem, & præmium eius, & sic de singulis.

De pœnitentia, & eius partibus.

Prælud. X.

1 *Pœnitentia quid generaliter, & aliqua sine dolore, & aliqua cum dolore.*

2 *Pœnitentia verbum latinum quid proprie, & quid improprie significat.*

3 *Pœnitentia alia bona, & alia mala.*

4 *Pœnitentiæ Sacramenti à Christo instituti tres actus de fide est.*

1 DE pœnitentia, & eius partibus dicimus pauca. Primo, quod pœnitere dicitur generaliter, qui nollet feciſſe aliquid iam à se factum. Quod dupliciter contingit. Vel sine dolore, vt in beatis, quos sine dolore suorum erratorum pœnitet, vt tradit Angelicus doctor in 4. lib.senten.distinct.14.quæst.1. art. 3. quæstiuncula 3.& 4. Vel cum dolore, vt in viatoribus, qui non solum nolunt: sed etiam dolent peccasse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta illud Augustini cap. pœnitentia. 1. de pœnit. dist. 3. *Pœnitere est pœnam tenere.*

2 Secundo quod verbum, pœnitentia, minime latinum esse, & vtendum esse loco eius verbo Græco *μετανοια* plerisque visum est: sed eo vtitur Plinius iunior in illo Epist. 130. *Superest vt agat pœnitentiam pœnitentiæ suæ.* Et seniorlib. 17. cap. 12. *Nihil est fœdius agricolis, quam gesta rei pœnitentia.* Et quod verbo, pœnitudo, vtitur Sacra Scriptura in eadem significatione, Deut. 30. & 1. & Reg. 15. & vtrumque proprie significat actum pœnitendi, hoc est, nolendi feciſſe aliquid à ſe factum. Transfertur tamen ad ſignificandum ſacramentum pœnitentiæ, vt in cap. quod in te. de pœnit. & remiſſ. & etiam ad ſignificandum pœnam à ſacerdote in ſatisfactionem impoſitam c. falſas. de pœn. diſt. 5. & proprius ad ſignificandum habitum, qui eſt virtus inclinans ad prædictum pœnitendi actum immediate, vel mediate, iuxta ſanctum Tho. & præfatos, diuidentes pœnitentiam in pœnitentiam virtutem, & pœnitentiam ſacramentum. In hoc autem libro, vt plurimum, vtemur eo ad ſignificandum habitum pœnitendi, quæ eſt pœnitentia virtus, vel eius actum, vel ſacramentum pœnitentiæ, vel pœnam, quæ à confeſſario iniungitur confeſſo.

3 Tertio dicimus, quod verbum pœnitẽtia generaliter acceptum includit mala, qualis eſt, quæ de opere bono habetur, & bonam qualis eſt quæ de opere malo concipitur, de qua in propoſito agendum. Porro pœnitẽtia bona priori modo accepta, videlicet pro actu, ſiue habitu bene dolendi iam inde ab Adamo protoplaſto incœpit: fuitque ſemper ad ſalutem neceſſaria iis, qui peccatum mortale incurrerunt, vt declarauit nuper ſacroſanctũ Cõc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. & ſeſſ. 14. cap. 1.

4 Pœnitentia vero, prout eſt ſacramentum, cœpit à paſſo Chriſto, qui omnia ſacramenta nouæ legis, & in iis pœnitentiæ inſtituit, vt nouiſſime clarius, quam vmquam declarauit prædictum Conc. ſeſſ. 7. can. 1. quod in dicta. ſeſſ. 14. c. 3. ait, quod licet vis præcipua ſacramenti pœnitentiæ ſit forma, & illa ponatur in illis miniſtri verbis: *Ego te abſoluo*, & cet. tamen quaſi materia eius ſunt illi tres pœnitentis actus Cõtritio, Confeſſio, & Satisfactio. Et adeo quidem quod in cano. 4. eiuſdem ſeſſ. declarauit hæreticum, qui contradixerit per illa verba: *Si quis negauerit, ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicũtur, anathema ſit.*

Et quia in iis tribus actibus recte proponendis, iuſtificatio eius, qui gratiam baptiſmalem perdidit, præcipue conſiſtit, vt declarauit idem Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. ideo ab illis incipimus, fauore diuino tamen iterum prius implorato, ſubmittendo quæcunque dixero Sanctiſſ. Domini Noſtri, eiuſque Sacroſanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ Romanæ iudicio (ex optata cuiuſuis alterius melius me ſentientis cenſura.)

Finis Præludiorum.

ENCHI

ENCHIRIDION,

SIVE MANVALE CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM,

Complectens reſolutionem omnium penè dubiorum, quæ in ſacris confeſsionibus occurrere ſolent circa peccata, abſolutiones, reſtitutiones, cenſuras, & irregularitates.

AVCTORE MARTINO AB AZPILCVETA
DOCTORE NAVARRO.

De contritione primæ partis Sacramenti pœnitentiæ. Cap. I.

SVMMARIVM.

1 *Contritio quid, & vt non eſt eſſentialiter dolor. nu. 3 & nu. 4.*
2 *Pœnitudo peccati eſt velle illud admiſiſſe.*
2 *Amor Dei debet eſſe firmiſſimus, & vt non intenſiſſimus. nu. 4.*
5 *Amor Dei ſuper omnia & obedientialis, virtualis eſt contritio.*
6 *Contritio quem, de quo, & quantum dolorem requirat, & numero 7. & 8.*
7 *Contritio non neceſſaria de futuris, ſed propoſitum ea cauendi.*
9 *Pœnitens non tenetur credere, ſe mortaliter non peccaturum.*
10 *Peccatum licet contritum, eſt tamen confitendum.*
11 *Contritus virtute vt tenetur conteri actu.*
11 *Propoſitum virtuale vitandi futura quomodo ſat pœnitenti.*
13 *Et quod ſatis eſt oranti, ſacrificanti, & bona in Deum referenti.*
15 *Contritio in finem vitæ dilata quo ad quæ dubia.*
16 *Contritus non eſt qui non odit peccatum pluſquam alia mala. numero 17.*
18 *Contritus vt eſt, qui conatur eſſe contritus, & non eſt.*
19 *Pœnitens volens peccare data certa occaſione non abſoluendus.*
20 *Dolor pœnitentis vt non debet eſſe nimius & nu 21.*
22 *Contritio quam ſingularis requiritur de ſingulis peccatis, & numero 23*
23 *Contritio ſingularis non neceſſaria de venialibus.*

Antiquo

ANtiquorum & recẽtiorum quos in capit. perfecta de pœnit. dist. 1. citauimus, secuti sententiam, definimus, quod, contritio est pœnitudo voluntaria, cum dolore maximo actuali, vel virtuali, peccati proprij, iam commissi, quatenus est offensa Dei, super omnia dilecti, cum spe veniæ, & proposito non peccandi amplius (saltem mortaliter) & confitendi, & satisfaciendi, vt minimum virtuali.

2 Dixi: Pœnitudo: tum pro genere, quia omnis contritio est pœnitudo, sumpto verbo, pœnitudo, pro actu pœnitendi, vt supra prælud. 10. num. 2. & 3. diximus: nõ tamen, contra, omnis pœnitudo est contritio: tum quia licet alij asserant, contritionem esse dolorem, alij pudorem, alij aliud: ipsa tamen quoad suam essentiam proprie est pœnitentia, seu pœnitudo, & actus pœnitendi, seu nolendi peccasse, vt clarius aliis exprimit Cardinal. ille doctissimus Caietan. in 1. tom. Opusc. Opusc. 4. q. 1. quod antea senserat Palud. in 4. lib. sentent. dist. 19. quæst. 1. & subtilis doctor, quem ipsi tacent in eo 4. lib. sentent. dist. 14. in fin. qui admodum subtiliter ait, quod hæc quatuor inter se distinguuntur. Pœnitentia virtus, quæ est habitus, inclinans nos ad volendum vltionem nostri peccati. Voluntas puniendi, seu velle punire, quod ex ea oritur. Pœnitudo peccati, seu non velle peccasse: quæ est pars punitionis. Et susceptio ac toleratio punitionis, quæ est satisfactio, vel pars eius. Quorum discrimen ex eo constat, quod singula illorum sine tribus reperiũtur: quamuis tertium sub quarto quadamtenus continetur: quæ breuitatis gratia, quia parum praxi sunt vtilia, non explicamus: quod tamen ipse Scotus vbi supra facit. Tertium autem horum, scilicet nolle peccasse, est essentialiter, vt ita dixerim, contritio.

3 Dixi: Voluntaria, tum quia pœnitentia violenta, qualis est damnatorum secundum Scotum in 4. libro sentent. distinct. 17. art. 3. non sufficit, neque illa, quæ repente ac naturaliter sine vlla deliberatione prouenit, quia non est voluntaria, per ea, quæ supra prælud. 6. numer. 2. & sequent. post S. Thom. 1 2. quæst. 6 artic. 1. posuimus. Dixi: Cum dolore. ad differentiam pœnitentiæ dolore carentis, qualis est illa beatorum, qui sine vllo dolore meminerunt peccatorum olim admissorum, & nollent illa admisisse, vt tradit sanctus Tho. in 4 lib. sentent. dist. 14 quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3 qualis item reperitur in eo viatore, qui nollet peccasse sine actuali consideratione, quod ipse id perpetrauit, sine qua non nascitur dolor, secundum Scotum in 4 libro sentent. distinct. 14 articul. 3. quod etiam Adrianus in 4 de pœni. quæst. 1. col. 4 affirmat. Non curo hic tractare illam opinionem subtilem doctoris subtilis in prædicta distinct. 14. art. 3. quem late sequitur Andræas à Vega in libr. 14. capit. 5. & capit. 18. de iustificat. videlicet, quod pœnitẽtia ornata iis, quæ in proposita nostra definitione continentur, sufficit ad delenda peccata, etiamsi absque dolore contingat, vt hic dicitur contingere posse: quia id de rarissime contingentibus est, de quibus

bus lex parum curat, l. nam ad ea. ff de legibus.

4 Dixi: Maximo, nõ quidem ideo, quod dolor ille debeat esse summè intensus: rarus enim, aut nullus dolor est, qui non possit magis intendi, vt omnes sentiunt, & experientia (quæ rerum est magistra, cap. quam sit de elect. libro sexto) docet. Neque ideo, quod omnes alios dolores superare debeat: non enim opus est, vt damnatorum dolorem excedat, qui omnes huius sæculi dolores facile vincit, capi. fin. de pœn. distin. 7. Neque quod æquari debeat illi acerbissimo, quem saluator noster Iesus Christus pro nobis miseris patiens sustinuit, qui fuit maior omni alio huius sæculi dolore, secundum sanctum Thom. 3 part. quæst. 46. articul. 6 ad 4. & quæst. 48. articul. 2. in cor. quæst. Immo nec debet esse intensior qnolibet alio dolore cuiuscuis mali: sed debet esse maximus, quoad æstimationem, id est, quod malit perpeti, perpassumque fuisse omnia mala, quàm mortifere peccasse, secundum eundem sanctum Thom. in 4. libr. sententiar. distin. 15. quæst. 2. articul. 3. quæstiuncula 3. & quolib. 1. q. 5. arti. 9. Sicut etiam diximus, timorem Dei maximum esse debere, non quidem necessario quoad intensionem, sed quoad firmitatem, hoc est, quod dilectio eius præferenda est omni dilectioni cuiuscunque creaturæ: nec propter vllam aliam deserenda: non tamen est necessum, vt intensior sit ea, qua parentes nostros, vel filios diligimus, vt diximus, sequuti sanctum Thom. 1. 2. q. 109 artic. 5. in addit. cap. quando de consecrat. dist. 1. nu. 10.

5 Dixi: Actuali vel virtuali, quia sufficit actus, qui licet non sit pœnitentia talis formaliter: est tamen virtualiter, secundum Scotum communiter receptum in 4. libr. sentent. dist. 14. q. 1. artic. 10. Qualis est actus peccatoris, quo amore Dei vult subire martyrium sibi oblatum repente, sine peccatorum memoria. Immo quilibet amor Dei, quo plus, quam omnia alia diligitur, videtur virtualis peccatorum pœnitentia, secundum communem, cui assentit Gabriel in præcitato 4. lib. sentent. dist. 14. quæst. 1. concl. 12. & 13. & in 3. dist. 27. quæstio. 1. quam sequitur ille doctissimus & perspicacis ingenij vir Ioan. Medina in Codic. de pœnit. q. 2. Et merito cum ille hoc intelligendum esse existimet de amore, quem obedientialem vocauit, qui virtualiter cõtinet voluntatem efficacem adimplendi quidquid Deus præcipit. Veruntamen eruditissimus iuxta ac pius frater Dominicus Sotus, soli martyrio hoc tribuendum esse existimauit, lib. 1. capitul. 18. de nat. & grat. Sed prior sententia confirmatur primo eoquod in hoc plus operatur amor, quo quis martyrium patitur, quam pœna eius subita. argum. 1. ad Cor. capitul. 13. Secundo, quod fieri potest, vt quis plus amet, desideretur martyrium, non patiendo illud, quam alius patiendo, præsertim momentaneè. Posset item contingere, vt ex duobus, qui sese martyrio obtulerunt, alter, qui plus diligit, & desiderat, non patiatur, alter vero sic. Tertio, quod eiusmodi amor extenditur ad recipiendum martyrium debitum: immo & ad volendam concipiendamque formalem

Universidad de Deusto

malem contritionem tempore, & loco debito, ſicuti recte vbi ſupra probat Medina. Quamobrem aperte conſtat, quantum hæc ſententia à Lutherana diſſideat: eſt enim limitanda procedere tantum, quando defectus temporis, aut inculpata inconſideratio peccatorũ fuit in cauſſa, quo minus formaliter pœniterer, cum tamen Lutherus, nec actuale, nec virtuale propoſitum huiuſmodi requirat, dicens ſufficere reſipiſcentiam, & nouam vitam, quod damnatum eſt à ſacro conc. Trid. ſeſſ 14. ca. 4. & can. 5.

6 Interrogarus autem: An id, quod fertur dixiſſe quidam inſignis doctor Academiæ Cõplutenſis aſſumptus poſtea in Epiſcopũ Legionenſ. meritiſſimum, videatur tenendum, nempe contritionem ſuapte natura requirere formale propoſitũ de non vlterius peccando, ſed per accidens, temporis, vel conſiderationis defectu, ſufficere virtualem? reſpondi affirmatiue: modo ita eum peccatorũ pœniteat, quòd ſi aduerteret ad futura proponeret de nunquam iterando ea, nec admittendo futura. Et ad hunc modum intelligẽda videntur ea, quæ de ſufficientia propoſiti virtualis erudite ac magnifice nuper ſcripſit prædictus Andræas à Vega lib. 13. c. 21. de iuſtificat. Et hinc confirmari videtur illud Silueſtri verb. Contritio quæſt. 1. Qui mauult mori quam peccare, contritus eſt. Et illud Paludani in 4. lib ſent. diſt. 17. q. 1. concluſ. 5. Cui diſplicet, quod huiuſmodi formalem contritionem ſibi comparare non poteſt, contritus eſt, de quo mox plura.

7 Dixi: Proprij iam commiſſi, ad differentiam de pœnitente de peccato alieno, & ad ſignificandũ, quod non eſt opus, vt ſit de peccato futuro licet, vt ſtatim ſubiiciam, intentio, ſeu propoſitum non peccandi amplius, verunque debeat cõplecti. Præteritum quidem ad hoc, quod non repetat illud denuò. Futurum vero ad hoc, vt illud non admittat.

Dixi: Quatenus eſt offenſa Dei: quia ob id principaliter debet pœnitere. Nam quem alio reſpectu (puta metu pœnæ, infamiæ, aut alio ſimili) principaliter pœnitet, vt proditorem Iudam, & Antiochum pœnituit, non concipit eam, de qua loquimur, pœnitudinem & contritionẽ. cap. Iudas. ca. Sceleratior de pœn. d. 3. & tradit S. Thom. in 3 part. q. 86. art. 1. & alij in 4. lib. ſenten. diſt. 14. & 16. & Adrian. de pœni. q. 1. col. 4. Plus enim pœnitere ac dolere oportet de peccato, eo quod ſit offenſa Dei, quam quod incommodet ſibi, vt aperuit Angelicus doctor in d. 4. lib. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 3. q. 1. ad 4.

8 Addo, quod ex iis, quæ in hoc num. 7. diximus, & infra nu. 33. dicemus, infertur, non eſſe veram illam opinionem, quam nuper vidimus defendi in ſelectis quibuſdam commitiis. Videlicet, ſufficere ad condonationem peccati per ſacramẽtum pœnitentiæ attritionem, qua pœnitens dolet de peccato, etiam ſi ſciat, eam non eſſe contritionem, nec doleat propter Deum, vel quia eum offendit: ſed propter infamiam, vel alia mala temporalia. Oportet enim in primis, vt pœniteat ob amorem Dei, vel eo quod eſt eius offenſa, ſaltem virtualiter, & quod videatur ei ſufficere illa pœnitentia: aut ſaltem quòd

quòd non videatur ei non ſufficere ad petendam abſolutionem, arg. ca. firmiſſime. 15. quæſt. 1. & eorum, quæ ſupra allata ſunt: Quamquam pœnitere minus principaliter de peccato ob prædictos reſpectus non obuiat contritioni, modo principalius id fiat, eo quod eſt Dei offenſa: ſicut & amare Deum minus principaliter ob ea in nos collata, vel conferenda beneficia non obuiat merito diligendi eum principaliter ob ſemetipſum, iuxta illud pſalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, in æternum propter retributionem*, id eſt, propter repoſitã mercedem, quam promiſiſti his, qui tibi placuerint. Quinimo minime malum eſt pœnitere ſolum metu pœnæ, infamiæ, vel alterius mali: modo voluntatem peccandi excludat, vt luculenter declarat concil. Trident. ſeſſ. 14. capitul. 4. §. illa vero. Cuius illa verba: *ſi voluntatem peccandi excludat*, perinde ſignificant, ac illa: Modo non ea mente pœniteat, & eis reſpectibus, quod ſi illi non intercederent, non pœniteret, immo peccare pergeret.

Dixi: Super omnia dilecti: quoniam amor Dei, niſi maior ſit, quam quiuis alius cuiuſcunque rei (ſaltem quoad firmitatem) nõ ſufficit: immo eſt peccatum, ſi magis aliud, quam Deus, vel æque ac ille diligitur, vt poſt Angelicum doctorẽ 1. 2. q. 109. artic. 3. iamdudum in additione cap. quando. de cõſecr. diſt. 1. diximus. Quod intelligendum eſt de amore, quo diligitur Deus cõparatiue, minus quam aliud, vel æque ac ille: nõ autem de amore, quo ſimpliciter diligitur Deus ſine comparatione ad aliud minus, licet amor ille vere non ſit amor ſuper omnia, vt facile colligat quis ex dicto concil. Trid. præcitato capitul. 4. ſeſſ. 14. Dixi: cum ſpe veniæ: quia ſine illa ſaltem virtuali non contingit venia, cap. ſceleratior. de pœnit. diſt. 3.

9 Dixi: Cum propoſito non peccandi amplius (ſaltem mortaliter) quia ſine eo non ſufficit, vt ſentit Ambroſius in capit. pœnitentia. 1. de pœni. diſt. 3. & Conc. Florẽtinum coactum ſub Eugenio quarto exponit. Licet enim pœnitudo non ſe extendat ad peccata nondum perpetrata: non tamen fiet contritio, niſi eam comitetur propoſitum vitandi in poſterum omnia, & ſingula peccata mortifera, tam præterita, & præſentia quo ad effectum nõ committendi ea denuo, quam futura, teſte Adriano de pœnitentia. quæſt. 1. col. 3. poſt Palud. in 4. lib. ſent. diſt. 17. q. 1. col. 5. Non tamen eſt neceſſarium, vt credat pœnitens ſe amplius nõ peccaturũ mortifere: quinimo id quandam ſuperbiam ſaperet, vt oppoſitum humilitatem, quod teſtatur Innocent. receptus in capit. omnis. de pœn. & remiſſ. quia ſatis eſt, vt nolit amplius peccare, & proponat id efficere ope diuina.

10 Dixi: Cum propoſito confitendi, quia licet contritio dimittat peccata, quoad culpam: non tamen tollit obligationem confitendi ea proprio ſacerdoti, iuxta illud ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: hoc eſt, non ſunt remiſſa quoad obligationem confitendi ea eccleſiæ, vt innuit Adrianus in quarta de confeſſione.

Universidad de Deusto

q.1.& tradit S. Tho.in 4. lib. sentent. distin.17.q.2.art.1. quæstiuncula 1. in cor.quæst.& innuit. Concil. Triden. sess.14. cap.3. Neque cum ratione pugnat, cum, qui restituitur in Dei gratiam per contritionem, teneri ad confitendum offensam: cum & is, cui crimen in foro laico ea lege condonatur, vt vnum annum in bello militet, à die quidem condonationis in gratiam regis redit: tenetur tamen militare illum annum. Dixi: Saltem mortaliter: quia non est necessum habere propositum numquam peccandi venialiter, arg. cap.septies.de pœnit.dist.3.

11 Dixi: Et satisfaciendi, propter ea,quæ inferius c.3. dicentur. Et adieci: Vt minimum virtuali: eo quod sicut actus, qui est pœnitētia virtualis sufficit, ita eadē ratione sufficere videtur,quod eā comitetur id, quod est propositum virtuale confitendi, satisfaciendi, & amplius nō peccandi. quod Ioā.Maior.in 4. lib. senten. dist.14.q.1. affirmat. Et licet Caietanus lib.1. Opusculor. Opusc.4.q.1. sentiat, tale propositum debere esse expressum: in summa tamen verb. confessionis conditio 12. & verbo confessionis iteratio. idem sentit.& merito,cum nihil referat, quid ex æquipollentibus fiat, l.fi ff. mand.& cap.licet ex quadam.de testa. & tacitum,& expressum,siue virtuale, & formale exæquantur,l.cum quid. ff. de reb.cred. quod tamen intelligo procedere,quando defectus temporis,vel quædam inculpabilis inconsideratio pœnitentis fuit in causa, quominus haberet formale propositum.

12 Neque obstat,quod quidā dicitur tenuisse mordicus contrariū:scilicet semper requiri propositū formale mutandæ vitæ,& non peccādi de cetero. Tum per rationes hic à nobis insinuatas,quæ si satis explicentur probāt,sufficere propositum virtuale,quādo(vt limitauimus)defectus tēporis,vel inculpabilis consideratio pœnitentis est causa non habendi formale.Tum,quod etiam contritio virtualis sufficit, quod est plus,vt supra nume.5 diximus. Tum quod Conc. Trid.sess.14. cap.4. requirit quidem propositum non peccandi deceterο in genere, & non in specie formale: & ita satisfit ei per virtuale, quod est vna species propositi generaliter concepti,vt nuper scripsimus in gl.sum.nu.6.& capi.ecce.nu.1.de pœnit.dist.1.

13 Tum, quod etiam ad horas canonicas rectè pronunciādas requiritur propositum intendendi, & attendendi:at sufficit virtuale,vt probauimus in Enchirid de orat.& horis can.cap.13.num.17.Tum quod ad conficienda sacramenta,præsertim Eucharistiæ, maximū propositum, & maxima intentio, & attētio conficiendi ea requiruntur:at sufficiunt propositum,intentio & attentio virtualia. Ita quod licet qui confirmat vngit,absoluit, & consecrat nullum propositum actuale, siue formale, neque vllam intētionem, neque attentionem actualem: siue formalem habeat quando id facit, conficit verum sacramentum, modo ea virtualiter habeat, secūdum omnes. Tum denique quod, vt opera sint bona,debent in aliquem bonum finem referri:attamen sufficit,vt virtualiter referantur. Quin,& vt sint meritoria, oportet ea referri in Deum: at sufficit relatio virtualis, etiam illa, quæ fit tacite per gratiam habitualem, vt post sanctum Thom.2. lib. sentent. dist.4. quæst.1. art.4. & 5. & alios alibi,diximus in c. charitas.2.de pœnit.dist.2.nu.12.

COROLLARIA.

14 Ex hac definitione sic explicata multa inferuntur.Primo,quod communis modus loquendi probatus à Conc.Floren. & Trid.sess.14.c.4 per quem contritio definitur esse animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, intelligendus est causatiue, hoc est, quod est causa doloris, & detestationis. cum per supradicta hoc cod.c.num.2. constet, non esse dolorem essentialiter: sed causam,ex qua, & aliis ad id necessariis nascitur dolor, si aliunde non impediatur.secundum Scotum in 4.lib. senten.dist.14.& 16.

15 Secundo infertur, quod plurimum decipiuntur quidam putantes, quemlibet dolorem, & quamlibet pectoris tunsionē,& quamlibet prolationem Miserere mei, esse contritionem, & sufficere ad lethalium peccatorum condonationem impetrandam: cum ad id sit necessaria talis pœnitentia, qualem superius depinximus, nobili ac generoso animo digna. Neque obstat, quod quilibet peccator, quamlibet magnus, præsumitur mori contritus, siqua contritionis signa ostenderit,c. à nobis. de sent. excō. puta si petierit confessionē: si iurauerit parere mandatis Ecclesiæ: si cum loqui nō possit,subleuat oculos, aut palmas in cælum, aut tūdit pectus, vt exprimit Ostien. communiter receptus in dicto cap. à nobis. Non, inquam, hoc obstat: quoniam id solum procedit quo ad effectum,vt ecclesia præsumat, cum habere pœnitentiam,prædictis qualitatibus ornatam ad effectum non denegandi ei ecclesiasticam sepulturam: non autem ad effectum astruendi, quod per id impetret à Deo veniam peccatorum mortiferorum: nisi veram concipiat pœnitentiam, quam concepisse præsumitur.

Tertio infertur, quod merito B. Augu. dubitabat in c. si quis autem. & c.fi.de pœnit.dist.7. de salute illorum, quos non ante, sed post ægritudinem pœnitebat peccasse. Nam, vt eius dictum ibi declarantes diximus, æger pressus ægritudine, metu mortis, & aliis curis, vix erigit animum ad descriptam contritionem concipiendam & ita ibi August. dubitabat de vera salute: non autem de præsumpta ad concedendam absolutionem, & ecclesiasticam sepulturam. quod omnes debemus animaduertere, & concionatores frequenter prædicare.

16 Quarto infertur, quod vt pœnitudo peccati perueniat ad gradum contritioni necessarium, oportet, pœnitentem plus odisse peccatum, quam quoduis aliud malum pœnæ, odio dignum, simul & velle vitare idem plus, quam quodlibet aliud malum vitatu dignum, vt sentit sanctus Thom. quolib.1. art.9. & omnes in 4. lib. sententiar. distinct. 17.quæst.2.artic.4 quæstiuncula 1. ad 4.& in dist.14.& 17.& rectè declarauit Tho. à Vio. Tomo 1. Opusculor.

Opuscul. 4.q.1. & Opuscul.17.quæst. vnica.

17 Quinto infertur, non esse contritum cum, qui actu, aut virtute nõ est ex animo, vt malit generatim pati quamlibet pœnã, quam mortifere peccare, aut peccasse, quicquid Innoc.in cap.omnis.de pœnit. & remiss.senserit. Quoniam, vt sanctus Tho.dicto quolib.1.art.9 sensit, omnis,qui est contritus, habet charitatem: & omnis, qui charitatem habet, Deum plus quam se amat: & omnis, qui Deum ita amat, mauult perdere se,& sua,quã Deum: & cum per peccatum mortiferum perdatur sibi Deus, consequens est, vt malit (saltem generatim) omnia mala pati,quam sic peccare.Dixi autem, generatim: quia nemo, vt idem sanctus Thom in dicto Opusc. 1. art. 9. ait, , & ante illum censuit Innoc. in præcitato c. omnis. de pœnit. & remiss. tenetur ad conferendum speciatim, reputando secum,quod malit illud,& illud mortis genus & pœnarum pati, quàm peccare, peccasseue. Immo id esse imprudentiæ; sicut & imprudens foret confessarius,qui interrogat pœnitentẽ, malleue potius filios suos, vel se mortem obiisse,quam peccasse: aut sine paratus potius mori, perdereue filios, quam mortiferum peccatũ admittere? Quoniam nimia est huiusmodi tentatio, &, vt perite ait idem Angelicus doctor d. ar. 9. sicut delectabilia plus mouent animũ ad delectandum, si speciatim recogitentur, quam si generatim: ita terribilia multo plus terrent, si speciatim cogitentur, quam si generatim. & fieri potest, vt qui generaliter malit omnia mala pati, quam mortifera peccata, nolit hoc, aut illud malum speciatim desideratum, quocirca satis est confessario, vt videatur ei pœnitens sufficientem peccatorum pœnitudinem habere.

18 Si vero intellexerit, eum minime eam habere, laboret quantũ poterit addere ei animum ad eam habendam,& ad malendum perdere in genere alia omnia sua bona, quam Deum, qui est summum bonũ eius, & omniũ, sine quo nihil est bonum. Quod si forte non possit eius animum ad tam excelsum contritionis gradum attollere, contendat eum eleuare saltem ad hoc, quod vere ipsum pœniteat, quod talem nõ habeat, per ea quæ breuiter infra c. 10. nu.4.tanguntur,& hoc sufficit, vt sit contritus, vel saltem ita attritus, vt possit absolui, iuxta Paludanum in lib.4.sententia.dist.17. quæst. 1.art.5. Quæ conclusio non parum consolationis secum adfert, & est communis apud sanctum Thom. & S. Bonauen. & omnes Theologos. Diximus: Saltem ita attritus, vt possit absolui, quò tollamus scrupulum, quem vir quidam valde doctus, & pius sanctissimæ Societatis Iesu nobis contra hoc insinuat. Eo quod pœnitere,ac dolere quod aliquid nõ habeam, non est illud habere: sicut nec dolere eo quod non communicauerim, est communicare, neque perinde valet, vt probamus in c. vt quid paras. de consecrat. dist. 2. post Ioan. Turrecrem. contra glo. ibid. Neq; animo diserutiari eo quod non sim confessus,est confiteri: sicut nec velle arborem conscendere, est ipsam conscendere, vt ait gloss. in l. in venden

vendentis. C. de contrahen. empt. Dicimus itaque re vera pœnitere quem, eo quod non habeat contritionem, non esse illam habere (saltem formaliter) neq; pœnitere me, quod non valeo pœnitere,quantum mihi expedit ad contritionem habendã, sufficit ad ipsam habendam: nisi alias iam ipsam habeam: sufficere tamen ad credendum,me habere iustam attritionem, quo possim à cõfessario absolui, & à Deo veniam obtinere, media sacramentali absolutione. Quin & dici posset, esto talis dolor non sit contritio formalis: desiderium tamen habendi eam, adiuncto iusto dolore, quo dolet se non posse peruenire ad contritionis perfectionẽ (saltem virtualiter) esse ipsam contritionem in voluntate partis intellectiuæ sita, fomento Dei auxilij bona desideria fouentis, etiam si pars sensitiua recalcitraret. Vtilis, & desiderata breuitas, quam liber expostulat, negat locum aliis replicationibus, & triplicationibus, potius subtilibus, quam fructuosis, quod etenim hucusque dictum est, nobis videtur sufficere ad scopum, quem proposuimus.

19 Porro bonum signum est,quod pœnitens sua spõte affirmet, se malle mortuum esse, aut quid aliud simile pati, quam peccasse,iuxta sententiam doctissimi Cardin. Ioan. à Turrecrem. in Sum.de pœnit. dist.3. qui secutus S. Bonauenturam tenet, peccatorem, qui secũ statuit, potius peccare mortaliter,quam mori, non esse absoluendũ: illi vero, qui nihil circà hoc secum deliberauit, etiam si dubitet, quid faceret, dum se in tali articulo constitutum adspiceret, non esse denegandam absolutionem: dummodo habeat propositum non peccandi, & nollet offendere Deum, etiam si talis illi occurrat occasio. Quocirca valde deplorandi sunt, qui ad confessionem, & communionem accedunt cum proposito vindicandi se auctoritate sua propria de illis, qui eos alapis, aut plagis cæderent, aut fustibus percuterent, vel proditores, latrones, meretrices,Iudæos,Sarracenos,Hæreticos, vel aliis huiusmodi ñominibus compellarent, aliaue simili iniuria afficerent. Eodem item modo deplorandi sunt illi, qui ad prædicta sacramenta accedunt antequam exuant suam deprauatam voluntatem vtendi hac, vel illa illicita voluptate, si ea, vel illa occasio eam percipiendi cum aliqua muliere, vel viro eis occurreret. Illi etiã, qui antequã ab animo depellant propositum perpetrãdi quidquid rex, pater, dominus, amicus, aut socius ipsius præciperet,aut rogaret, etiã si lethale crimen illud esset, præfata sacramenta sumunt. Horũ profecto misereri debemus, ipsosq; eũ lacrymis compassionis rogare, vt attendant, se in quodam diabolico statu, quæ dãnatio æterna est,delitescere, qui tali confessi&ne, & cõmunione magis ac magis excrescit, arg. c. si propterea.& c.si cui de pœnit.dist.1.

20 Sexto infertur, dolorem sensus,singultus,planctus, lacrymas, & id genus alia non esse ad contritionem necessaria: quoniam sufficit dolor voluntatis rationalis ex pœnitudine manans: tum per supra dicta: tum quia, vt sanct. Thom. in 4. lib.sentent.dist. 17.q.2.art.1.quæst. 1

& artic. 2. q. 1. & 2. ait, hic dolor non est in manu nostra, licet vtile sit illum habere, & desiderare, flereque largius eo, quod peccauerit, quam quod alia damna ei acciderint, secundum omnium mentem. Cui consequens est illud Paludani in dicto 4. lib. sentent. dist. 17. q. 1. ar. 5. approbatum à recentioribus, scilicet pœnitentē debere hoc desiderare, non esse intelligendum de debito obligationis: sed decentiæ tātum & vtilitatis. Parique ratione non inconueniens fuerit, vt pœnitens maiore dolore sensus afficiat ob mortem patris, aut alterius cognati, vel plagam propriam, quam ob peccatum admissum: quod passim contingit. Immo neque oportet, vt is dolor voluntatis rationalis sit intentior alio quouis dolore rationalis voluntatis ob alia multa concepto, per dicta supra hoc c. nu. 4. Sufficit enim, vt pluris faciat malum peccati, & ob id perdere, vel perdidisse Deum, quam quoduis aliud malum generatim ad finem euitandi illud, dolendique non euitasse, iuxta Maior. in 4. lib. senten. dist. 14. q. 2. Quinimmo satis est, vt velit, coneturque ita dolere, & non possit; doleatque ex animo se non posse id facere per dicta supra num. 18. & nu. 19. & subinde quamuis intensius persentiat, & defleat mortem patris, quam peccatum admissum: satisfacit tamen, si modo malit Deum non offendere, vel offendisse, quam patrem suum viuere.

21 Septimo infertur, quod dolor sensilis ex pœnitētia nascens, & alia corpus affligentia, qualia sunt ieiunare, cilicia vestire, humi accubare, & aliæ similes austeritates non debent adeo modum excedere, vt humani corporis habitudinem corrūpant, efficiantq; pœnitentem inhabilem ad faciendum ea, quæ secundum suum statū facere tenetur. Dolor enim ille nititur amore Dei, super omnia dilecti, qui huiusmodi nimietatem reiicit, cap. non mediocriter. de consecra. dist. 5. & tradit S. Thom in 4. lib. senten. distin. 17. q. 2. ar. 3. & Opusc. 1, art. 9.

22 Octauo, quod licet aliqui sentire videri possint; videlicet Raym. in summa & Ange. verbo contritio. § 3. Ludolph. 1. par. vitæ Christi, cap. 20. de singulis peccatis mortalibus singulas pœnitudines esse habēdas: contrarium tamen est tenendū cum Ioan. Maior. in 4. lib. sententiar. dist. 17. q. 5. & Cardi. S. Sixti eruditissimo Tomo 1. Opuscul. Opusc. 4. q. 2. super 3. part. sanct. Thom. q. 87. art. 1. scilicet sufficere, quod peccatorum pœnitudo adeo sit extensa, vt saltem virtualiter protendatur ad vniuersa mortifera, tam ea, quæ meminit, quàm quæ non meminit. Non enim est necesse, vt pœnitens recogitans, confitensue sua peccata de vnoquoque peccato mortifero specialem, & singularē eius pœnitudinem concipiat: sed satis est, vt concipiat generalem eiusmodi pœnitudinē, quæ virtute se extendat ad omnia mortifera, siue id faciat ab initio, cum incipit reuocare in memoriam peccata confitenda: siue inter reuocandum: siue quouis alio tempore, vel temporis momēto: qualis est pœnitudo, qua pœnitent Deum tam mortifere offendisse quouis modo cum proposito, saltem virtuali, confitendi, & satisfaciendi quando, & vt necessum fuerit, & nunquam amplius sic offendendi, eo quod eum super omnia diligit; capitalemque eiusdē offensam plus, quàm quiduis aliud odio dignum odit, vt supra hoc eodem cap. num. 19. tradidimus.

23 De hoc intelligitur illud Ezech. cap. 33. relatum in cap. ponderet. 50. dist. *In quacunque hora conuersus fuerit, & ingemuerit peccator; &c.* Nam, vt alia omittam, si de singulis peccatis singulæ pœnitudines cōcipiendæ essent, contingeret casus, in quo quis adhuc viuens priuaretur potentia consequendi salutem æternam, contra expressa canonum sacrorum testimonia in c. 3. de pœnit. dist. 7. & cap. ponderet. 50. dist. & contra prædictum Ezechielis locum Nam qui mille peccata lethalia commisisset, & solam quartam horæ partem victurus ægrotaret, aut ad suspendium duceretur, non posse viuens concipere de illis mille peccatis mille pœnitudines ad id necessarias, quo saluaretur. Nolumus tamen dicere, quod sicut eiusmodi pœnitentia generalis sufficit ad remissionem omnium peccatorum obtinendam: ita etiam sufficiat ad eximendum pœnitentem ab obligatione reuocandi in memoriam, & detestandi tempore debito omnia genera, & species illorum, quæ peccauit, enumerando illa numero certo, vel verisimili confessario.

Dixi: Genera, & species, quia non tenetur singulorum criminum cuiuscunque speciei in particulari reminisci: neque etiam in individuo singula detestari. id, quod etiam sentit Medina vbi supra.

Nono, non esse necessariam pœnitudinem supra definitam ad condonationem venialium consequendam: neque consequenter oportet, vt pœnitudo vnius venialis ad aliud extendatur, tum quia sufficit ad remissionem venialis quicunque dolor, siue actualis, siue virtualis: quāuis non sit tam magnus, quam exigitur ad delenda peccata mortalia, iuxta S. Thom. receptum in 3. part. q. 87. artic. 1. ad 1. & in 4. lib. sentent. distin. 16. quæstiuncula 2. tum quia, vnum veniale potest remitti sine alio, vt idem vbi supra tradit. Quia illa venialia tantummodo remittuntur, ad quæ dolor ille, siue actualis, siue virtualis extenditur, iuxta eundem S. Thom. in dicta. 3. part. q. 87. art. 4. Cæterum qui dubitat, an peccatum sit mortale, vel veniale, debet ita illius pœnitere, ac si esset mortale, vel saltem cum conditione, Si, & Quatenus esset mortale, secundum illud Augu. cap. si quis autem de pœnit. distin. 7. *Tene certum, & relinque incertum.*

SVMMARIVM.

24 *Contritio delet omne peccatum, etiam ante confessionem.*

25 *Quæ semper fuit necessaria sed non statim post peccatum. nu 26.*

27 *Contritio quando, & in quibus casibus necessario habenda. & nu. 28.*

29 *Contritio vt habetur sine memoria peccati nondum remissi. & nu. 30.*

31 *Pœnitudo maior de maiori peccato bona, sed non necessaria.*

32 *Contritio caret debitis circunstantiis non est contritio.*

33 *Attritio duplex, & quæ non sufficit*

ad absoluendum confitentem. & 32 & 33.

36 *Pœnitentia minor sufficit baptizando, non ad absoluendo.*

37 *Attritio quæ cognoscitur non esse contritio non sufficit baptizando.*

38 *Attritus vt sit contritus, & non attritio contritio.*

39 *Contritio perficitur gratia: & ad eã mouent sex*

40 *Contritionis effectus qui sint.*

41 *Contritio quod non sit pars pœnitentiæ, & attritio sit mala hæresis.*

42 *Contritio quæ sufficit, & quæ non ad absoluendum & nu. 45.*

43 *Sacramentum baptismi per se tẽdit in peccatũ. Eucharistiæ per accidens.*

44 *Attritio qua sufficit ad Eucharistiam non valenti confiteri. & quæ ad absoluendum valenti confiteri.*

24 DEcimo infertur, verum esse id, quod fere omnes asserunt, nempe frequenter per solam contritionem, etiã ante cõfessionẽ, & pœnitentiæ sacramentũ actu susceptum cõdonari mortifera peccata, iuxta cap. dixi. & cap. magna. de pœnit. dist. 1. & S. Tho 3. par. q. 86. art. 2. & in 2 lib sentẽ. distinct. 17. art. 5. quæstiuncula 2. à Palud. & aliis receptum & à Panor. in cap. Deus, qui. de pœniten & remiss. quod & nos in gl. ium. in cap. ecce. de pœnit. dist. 1. latius nuper tradidimus: licet Magister Gratianus in cap. pen. §. quibus præfatæ dist. cum aliquot antiquioribus dubitasset. de quo tamen hodie nõ licet dubitare post declarationem Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. quod tamen addit, huiusmodi condonationem, & reconciliationem non esse adscribendam Contritioni sine sacramento, id est, confessionis voto, quod in illa includitur. Quia talis condonatio non est credenda fieri per solam pœnitudinem, & dolorem inde natũ: sed potius per gratiam, quã ita pœnitendi donat Deus, quaque illa pœnitudo fit contritio, iuxta gl. receptam in cap. conuertimini. de pœnit. distin. 1. Gratia enim causa est formalis condonationis peccatorum, secundum S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 8. & in 4. senten. dist. 1. art. 4. quæstiuncula 1. & tradidimus latius in c. conuertimini. nu. 5. & in d. cap. ecce. nu. 4. & 5. de pœnit. dist. 1.

25 Vndecimo infertur quod sicut nunc in lege gratiæ contingit, sola pœnitẽtia peccata dimitti: sic etiam ante eam in lege naturæ scripta, vera pœnitentia remittebãtur. id, quod euidentiore ratione dicendum est. certum etenim est, quod tunc nondum erat sacramentum pœnitentiæ institutum, nec sacramentalis confessio. Certum item, quod etiam tũc erat remissio peccatorum, etiam mortalium: & ita nisi per pœnitentiam virtutis actum, & contritionem illa contigisset, nulla ten' aliàs contingere poterat. Facit, quod licet, vt prædictum est, sine sacramento pœnitentiæ, actu susceptο, contingat aliquando remissio peccatoris: numquam tamen contingit sine pœnitentia. Hæc enim pœnitentia semper fuit, est, & erit iure naturæ ad salutem necessaria, sicuti late in glo. Summæ de pœnit. dist. 1. & dist. 5. probauimus: nullaque necessitas excusat ab ea. Etenim, qui post lethale crimen admissum ante mortem non est vere contritus, licet non detur ei spacium ad recolendum, & detestãdum peccata sua, ob id

ob id potissimum, quod in ipsa peccati perpetratione moritur, vel subitanea morte corripitur, absque dubio damnabitur: licet ille, qui confiteri ea non potuit, si contritionem habuit, excusetur ab obligatione confitendi, vt post, & ante alios exprimit S. Antoninus in 3. par. tit. 13. cap. 18. §. 2. Dixi pœnitentia vera: non autem pœnitentia qualificata, modo supra dicto: nam hæc est vna ex tribus sacramenti pœnitentiæ partibus, & includit in se propositum confitendi, vt inquit sanctus Thom. in. 4. lib. senten. dist. 17. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. quod numquam fuit necessarium ante legem gratiæ, nec lege naturali præcipitur plus, quam ipsa confessio, sicut postea dicemus in cap. seq. nume. 2. neque plus quam sacramentũ pœnitentiæ, quod est legis nouæ tantum, secundum omnes.

26 Duodecimo infertur, quæstionis non mediocris, esse: An possit inueniri pœnitudo, cui tota hæc nostra definitio conueniat, per quam peccata mortalia non condonentur? Scotus enim in 4. lib. senten. distin. 14. quæst. 2. art. 2. & Card. S. Sixti & Caietanus Tomo 1. Opusculor. Opusc. 5. q. 2. & q. 4. aiunt posse. Tum quia iuxta eos pœnitudo prædicta diuiditur in eam, quæ appellatur formata, hoc est, quam gratia Dei iustificans, & condonans peccata format. & ornat: & in eam, quæ informis dicitur, hoc est, quam prædicta gratia non ornat. Tum quia peccator non potest sibi suo solo libero arbitrio, sine gratia gratum faciente quærere veniam, iuxta tria postrema capp de consec. dist. 4. & Conc. Trid. cap. 1. & can. 2. & gloss. in cap. magna. & cap. conuertimini. de pœnit. dist. 1. & secundum prædictos potest præfatam pœnitudinem concipere viribus suis naturalibus, quibus Deũ super omnia diligere possumus, iuxta Scotum in 2. lib. sent. dist. 28. & in 3. dist. 37. quæstio. 1. Tum quia eiusmodi pœnitudo non est vltima, & immediata dispositio ad gratiam. Quoniam alioquin scire posset quis, se esse in statu gratiæ sine vlla reuelatione, quippe qui scire posset, se habere eiusmodi pœnitudinem: quod est contra expressa Sacræ Scripturæ, & iuris testimonia, videlicet Eccle. 3. & c. fin. de purga. can. & Conc. Trid. sess. 6 cap. 9. contra inanem hæreticorum fiduciam. & can. 12.

Contrarium tamen nobis videtur verius, quod etiam contendit eruditissimus Catharinus lib. 5. ad notationum in Caietan. adnotat. de sacramento pœnitentiæ: quia eiusmodi pœnitudo non potest haberi sine amore Dei super omnia, qui solis viribus naturalibus sine gratia haberi nequit post Adami peccatum, vt docet sanctus Thom. declaratus ibidem à Caietano 1. 2. quæstione 109. articulo tertio. tam quia licet Scotus vbi supra & Gabriel, qui eum sequitur, in dicto 3. libro senten. dist. 17. quæst. 1. teneat, posse nos post Adæ peccatũ nostris propriis viribus diligere Deum super omnia: addũt tamen, neminem ad eum gradum peruenire, qui gratiam Dei nõ assequatur. Quinimmo subiiciunt, non solum prædictam actualem pœnitudinem, sed etiã virtualem, quæ ex amore Dei super

omnia resultet, sufficere, esseque vltimam, immediatam dispositionem ad gratiam Dei gratum facientem quærendã, ita vt nemo ad eam perueniat, quem misericordissimus Deus sua gratia non donet.

Neque obstat fundamentum alterius opinionis, videlicet quod hãc opinionem sequitur, posse nos scire Deo esse gratos sine reuelatione speciali: quia negamus, nos posse scire, quod pœnitudinem omnibus prædictis qualitatibus ornatam habeamus: tametsi frequenter iuste id credere possimus.

27 Decimotertio infertur quod licet sic toto tempore, quo quis se agnoscit lethali peccato mortuum de bono consilio debeat curare, vt à tam graui morbo resurgat, periculumque mortis subitæ ac æternæ effugiat, iuxta illud Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem.* & iuxta sanctum Tho. & communem in 4. lib. senten. distin. 17. & Caiet. Quæ lib. 7. non tamen ad id tenetur præcepto, ad nouum peccatum mortiferum obligante: nisi ea temporis parte, qua memoriæ occurrit quoad vsum, id est, cupiendum, vel renuendum: committendum, vel omittendum, secundum communem opinionem. Immo neque tunc ob ea, quę affirmauit Adrianus in 4. de Confess. quæst. 3. & Card. sancti Sixti Quolib. 7. & ob ea, quæ nos addimus in 3. part. glo. Summæ de pœnit. dist. 5. nume. 10. & seqq. quidquid Catharinus vbi supra dicat de Caietano, qui secum pugnat in eo, quod facile potuit eũ excusare, si voluisset. Et hoc est tenendum, quoniam sicut alia præcepta affirmatiua de baptismo suscipiendo, & confessione facienda non obligant sub pœna noui peccati, nisi pro tempore necessitatis: ita per cõsequutionem præceptum affirmatiuum de se conuertendo non obligat sub pœna noui peccati lethalis: nisi in articulo necessitatis: in illo vero sic. Quamobrẽ ad prædictam pœnitudinem concipiendam tenebimur imminente articulo mortis naturalis, vel violentæ, vel administrandi, suscipiendi vel aliquod sacramentum, secundum omnes. Immo etiã instante populi necessitate aliqua gradi, cui absque orationis feruore prouideri non posset, secundũ Adrianum vbi supra.

28 Decimoquarto infertur, quod licet salutare ac frugiferum consilium sit, vt toties concipiamus pœnitudinem omniu peccatorum mortalium, tam iam aliàs contritorum, quam aliorum, quoties ea nobis memoriæ occurrerint: non tamen est præceptum, quod nos obliget ad eã habendam bis speciatim de eodem. quia Deus non iudicat bis in idipsum. Naum 1. & cap. at si clerici. §. de adulteriis vero. de iudic. tametsi teneamur, ne vmquam illud nobis placeat actu, vel virtute. Quoniam licet illa noua (vt ita dicam) complacentia non suscitet iliam priorem culpam, quæ iam extincta fuit: producit tamen nouam ei similem, arg. cap notum. 2. q. 1. & cap. 1. de offic. deleg. cap. sicut tribus. de pœnit. dist. 1. & cap. sed pensandum. 6. dist. Vnde licet illud aliquorum consilium, vt peccata præterita, etiam bene confessa, frequenter ad memoriam reuocemus, quo melius illa iterum

iterum atque iterum detestemur, & veluti quendam myrrhæ manipulum, id est, sanctæ tristitiæ de illis faciamus, vehementer probem quo ad peccata, quę suapte natura tristitiam, metum, aut terrorẽ incutiunt: non tamen crediderim, eos intellexisse de illis, quorum refricata memoria ad illicitam delectationem instigat. Cuiusmodi sunt peccata carnis, mágni cuiusdam honoris, & lucri temporalis: quinimmo cõsultius existimarem, eorum numquam amplius in particulari meminisse: nisi quando opus est semel illa confiteri cum debita contritione, vt recte insinuat Frater Ludouicus à Granata Dominicanus, vir vita, & doctrina concionator omnibus numeris absolutus in eo libro admodum sancto & celebri, quem de oratione composuit: vel quando appetitus carnis sunt probe mortificati per vehementem aliquam contemplationem, aut orationem, siue per eximiam quandam abstinentiam, siue per morbos, aut dolores. Quoniam omne delectabile in particulari consideratum ad sui desiderium allicit, iuxta Arist. 3. Ethic. & sanctũ Thom quolib. 1 q. 5. art. 9. & dicemus infra cap. 9. & hoc in specie sensit idem S. Thom. in Opusc. 6

29 Decimoquinto infertur, magnę prudentiæ sanctique cõsilij esse curare, vt post peccatum admissum, quàm citissime nos eius pœniteat: eũ per id, etiam ante confessionem in Dei gratiam redeamus. adeo quidẽ vt fieri possit, vt qui centies mortaliter peccauit per totum anni ab vltima confessione spacium, non man serit quatuor horis sine Dei gratia: eo quod statim ac peccauit, singulorum peccatorum legitime pœnituerit. Quocirca multi simplices sunt merito instituendi, existimantes eos, qui mortaliter deliquerunt, semper esse in crimine quousque confiteantur. Nam, vt supra declarauimus, ad hoc, vt à peccatis resiliant, satis est eis habere excellentem illũ dolorem, supra definitum: quamuis remaneant obligati adhuc ad confessionem: ceterum, cum huiusmodi homines raro, vtpote rudiores, doleant, vt dolere conuenit, nisi quando confessarium adeunt, vti nos in repetit. §. in Leuitico. de pœnit. dist. 1. not. 18. num. 5. diximus, ideo consilium optimum & sanctissimum esset eos inducere ad frequenter confitendum. & saltem in tribus festis Paschalibus, & in festo Assumptionis Deiparæ virginis. Eo item respectu conducit maxime subitò post peccatum cõtritionem habere: ne videlicet bonorũ operum, quæ ante confessionem fiunt, iacturam faciamus: quæ quidem perirẽt, nisi adesset confessio. Nam opera quantumcunque moraliter bona, si fiunt extra charitatẽ in statu peccati mortiferi, absque dubio pereunt, & mortua reputantur, quãtum attinet ad gratiam & gloriam promerendã, 1. ad Cor. 13. &c. nihil. de consecra. distin 5. licet quoad alia prosint, iuxta gl. c. quod quidam, de pœniten. & remiss. in quibus tribus locis aliàs late id tradidimus, & in reper. c. quando. de consecr. dist. 1. cum in multis locis, tum in additione. Tradit etiam post alios Io. Maior in 4. lib. senten. dist. 14. q. 2. vt inferius c. 27. nu. 269. explicatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

30 Decimo sexto infertur, quod (quidquid dicat beatus Antoninus in 3 part. tit. 14. cap. 18. in princ.) tenendum est, quod peccator licet neque speciatim, neque particulatim meminisset alicuius peccati mortalis nondum condonati: posset tamē de illo contritionem habere, concipiendo pœnitudinem modo supra dicto qualificatū. Aliter enim sequeretur, eum, qui alicuius peccati mortalis nondum remissi recordari non posset, esse extra statum salutis, contra cap. 1. de pœnit. dist. 7. & cap. pōderet. 50. dist. & quamuis responderi possit in tali casu, amorem, quo diligitur Deus super omnia, sufficere, vt Gabriel insinuauit in 3. lib. senten. dist. 27. q. 1. replicari tamen posset, quod iam supra nu. 5. dictum est, eiusmodi amorem esse contritionē virtualem.

31 Decimoseptimo infertur, quod licet de grauiori peccato, grauior requiratur pœnitētia, siue pœnitudo: hoc tamen est intelligendū de consilio, & honestate, arg. cap. tempora. 26. q. 7. secundum sanctum Thom. in 4. lib. senten. dist. 17. 1. art. 1. & 2. non autem de necessitate, arg. cap. talis. de pœnit. dist. 3. Quoniam definitio supra tradita nihil tale requirit. Et quia secundum mentem communem doctorum, quam explicat Ioan. Maior in præcitato 4. lib. sententiarum dist. 14. q. 1. & dist. 17. q. 1. pœnitudo circumamicta debitis circumstantijs, & supradictis, quātumcunque sit remissa, & breuissimo tempore, etiam in instanti concepta, satis est ad crimina diluenda quantum ad culpam, & ad commutandum pœnam æternam Inferni in temporalem Purgatorij, cōtra sententiam Scoti in dicta dist. 14. q. 2. art. 1. quæ hodie communiter non probatur.

32 Dixi: Debitis circumstantiis: quoniam si ego alienum retineo, & potens restituere non restituo: vel habeo odiū mortale, quod ab animo nō expello: vel non relinquo sodalitia, & occasiones valde propinquas peccandi mortaliter: vel non peruenio ad concipiendum propositum actuale, quo mallē potius mori, quam mortifere peccare, non habeo veram talem pœnitentiā, neque proinde consequor remissionem.

33 Decimooctauo infertur, quod pœnitentia de peccatis imperfecta, quam neque debitæ circumstantiæ, neque qualitates prædictæ ornant, poterit nuncupari attritio: non autem contritio. quæ, secundum Caiet. Tomo 1. Opusculor. Opusc. 4. q. 1. & Opusc. 5. quæstio. 5. est duplex. Altera eorū, quos pœnitet mortaliter peccasse, vellentque non peccasse: sed non omnino statuūt à peccatis suis abstinere. Altera eorum, quos pœnitet quidem peccasse, & statuunt amplius non peccare, non concipiendo peccatum, vt rem supra omnia detestabilia detestandam, neque reputando ipsum vitādum supra omne vitabile. Quinimmo, etiam pœnitudo illa, à nobis supra definita, quam habent illi, qui detestantur peccatum supra omne detestabile, ipsumque vitare proponunt supra omne aliud merito vitandum, est attritio, vt ipse arbitror, quoadusque Deus propter suam misericordiam, gratiam suam impartitus fuerit: sed est alterius speciei, secundum eundem, appellaturque contritio informis. At secundum opinionem communem, quam supra sequuti sumus, enicunque habenti eiusmodi pœnitentiam Deus pro sua misericordia statim elargitur gratiam: & subinde non inuenitur sine gratia.

34 Prima species prædictarum attritionum non sufficit, vt per eam solum remittatur peccatum, immo neque per eam, & absolutionem sacramentalem simul: quinimo peccat, qui cum ea petit, aut accipit absolutionem. Id quod etiam est dicēdum de illa pœnitudine, quam quis concipit ob id solum, aut saltē principaliter propter detrimentum honoris, quietis, aut vtilitatis temporalis: aut propter metum infamiæ, laborum, aut pœnæ temporalis, vel æternæ: quamuis talis pœnitudo nō sit peccatum, neque malum opus (veluti quidam dixerunt) immo potius est laudanda: nisi quando eo animo concipitur, quod peccaret, vel à peccato non cessaret, nisi eiusmodi malum, vel metus intercederet. Quoniam hoc iam esset nouum peccatum adiungere, capitul. si propterea. & cap. si cui de pœn. dist. 1. vt supra diximus.

Secunda item species attritionis non sufficit, secundum eundem, vt propter illam remittantur peccata, etiam absolutione sacramentali adiuncta: licet sufficiat ad ipsam absolutionem licite petendam ac recipiēdam absque vlla culpa: & ad hoc, vt illa ita sit valida, vt non teneatur reiterare cōfessionem: immo etiam ad obtinēdum effectum sacramenti, quando pœnitens prædictam pœnitudinem fuerit consequutus.

35 Ab hac opinione propter summam eius auctoritatem, & quia ei à nemine contradicitur, hucusque nunquam fui ausus discedere: sed nunc, sub debita censura, videtur, eum, quem iure, & ex animo pœnitet moraliter peccasse, & statuit in posterum nunquam amplius peccare, ob id principaliter, quod peccatum est offensa Dei, & credens sine crassa ignorantia, suum dolorem esse in id sufficientem, confitetur sacerdoti, recipitque sacramentalem absolutionem, non solum satisfacere præcepto confessionis, sicut ille dicit: sed etiam consequi gratiam, & misericordiam à patre gratiarum, & misericordiarum. Quoniam nulla Scripturæ sacræ loca habent expresse, necessarium esse, concipere peccatum tanquam quid maxime omnium vitabile, & detestabile. Solum enim habent: *Pœnitentiam agite.* Matth. 3. & Luc. *Pœnitemini.* Marc. 1. & Actor. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Luc. 3. & capitul. consideret. §. fin. de pœnitent. distinct. 5. *In quacunque hora conuersus fuerit peccator iniquitatum suarum amplius non recordabor.* Ezechiel 33. & capitul. ponderet 50. distinct. *Conuertimini ad me.* Iohel 2. & capitul. conuertimini. de pœnitent. distinct. 1. *Scindite corda vestra.* Iohel. 2. & capitul. scindite de pœnitē. distin. 1. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* psal. 31. & capitul. 1. de pœniten. distinct. 1. Nullum præterea concilium, neque summus Pontifex, neque quisquam ex tot sacris doctoribus, in Decreto citatis, eo modo interpretatus est, quod

quod iamdiu conc. Florent sub Eugenio quarto, in decreto de sacramentis, & denuo Tridentinum in sess.14.capit.5.clarius, & explicatius dixerunt. Nempe necessarium esse dolere de peccatis cum firmo proposito non peccandi de cetero, & cum spe veniæ, neque requirũt huiusmodi reflexiones cõparationesque difficiles, paucissimis cognitas, & paucioribus vsitatas. Quinimmo beatus Augustin.in cap.nullus.§.quod quamuis,de pœnitẽt.distinct.7.constituens differentiam inter conuersum,& versum,dicit,versum esse,qui timore pœnæ compulsus abstinet à peccato:cõuersum vero, qui solummodo,vel saltem principaliter, propter Dei amorem à peccando supersedet, & quia ipsum pœnitet offendisse Deum. Et accedit ad hoc, quod pauci(collatione aliorum) cõfitentes ab institutione confessionis in nostra tempora fecerunt, & faciunt hoc,quod ille requirit: & pauciores confessarij id suaserunt, & suadent. Immo nostro iudicio conc. Triden.præcitata sess.14.capi.4.satis aperte hoc quod dicimus, intelligit. Quocirca recreat nos audiuisse,fratrem Franciscum à Victoria, virum profecto piissimũ, clarissimumque doctorem, qui Hispanias rara illa sua Theologica eruditione (sacramentali præsertim, & morali) præ suis antecessoribus illustrauit, idipsum asseruisse,quin etiam, quantum intelligo, idem sensit Dominicus Sotus lib.2.de nat.& grat.cap.15. asserens illud, quod in sequenti corollario continetur, quod hoc confirmat. Ex quibus omnibus constat, quàm vtilis, & secura sit homini pœnitenti confessio.

36 Decimonono infertur, ad illam magnam differentiam, quam idẽ Magister Sotus ponit inter pœnitẽtiam peccatorum ad suscipiendum baptismum necessariam,& inter eam,quæ necessaria est ad sacramentum pœnitẽtiæ: videlicet quod ad suscipiendum baptismum sufficit quæcũque pœnitudo,& detestatio peccati cum cessatione à peccando, ita quod sit extra propositum peccandi,& quod nõ placeat ei peccasse,id,quod ait sentire conc.Tridẽ. sess.6.capitu.6.Quinimmo addit vbi supra volẽti baptizari sufficere quãtulamcunque attritionem, vt baptismi sacramentum illi possit conferri:quamuis manifestum sit,illam non esse cõtritionem:ad sacramentum tamen pœnitentiæ requiri pœnitentiam de peccatis propter amorem Dei, & eoquod peccatum est eius offensa: & quod à pœnitente putetur esse cõtritio, vel saltem non credatur non esse contritio, aitque sibi videri concil. Tridẽ.præallegata sess.14.c.4.& sess.6.cap.14.id sensisse, per quod plurimum præcedens corollarium corroboratur.

Hæc tamen doctrina, licet satis bona videatur,quantum pertinet ad sacramẽtum pœnitẽtiæ: quantũ tamen pertinet ad sacramentũ baptismi,admodũ noua mihi visa est,quatenus habet qualemcũque pœnitudinem,etiamsi agnoscatur non esse contritio,adiuncta cessatione à peccatis,satis esse ad baptismi sacramẽtum suscipiẽdum. Quoniam B.Aug. relatus in aliquot decretis expresse ait, hominẽ peccari mortalis reatu implicitum nunquam Dei gratiam assequu

assequuturum,nisi eum veteris vitæ pœniteat.Nã in capit.firmissime.14. quæst.1.ait,nullum hominem vitam æternam accepturum,qui non fuerit hic à malo per pœnitentiam, fidemque cõuersus: & per sacramentum fidei,& pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus, & paulo inferius: *Maioribus opus est,inquit, de malis suis pœnitentiam agere*: & loquitur de pœnitentia ante Baptismum, & capitul.omnis,de consecrat.distinct.4. ibi: *Nisi cum pœniteat veteris vitæ, nouam non poterit inchoare, ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli paruuli immunes sunt*, & in cap.seq.ibi: *Agant homines ante baptismum pœnitentiam*, &c. Idipsum eisdem penè verbis affirmat Ambrosius in capit.1.& 2.de pœniten.distinct.3. Quin & alij omnes in aliis locis asserere solent, his, qui post baptismum in peccatum prolapsi sunt, necessariam esse pœnitentiam. Diuus etiam Petrus apostolus, Act.2.sic ait: *Agite pœnitentiã, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Vbi non videtur de quacunque pœnitudine intellexisse:sed de illa,quæ concipitur propter Dei amorem, & eoquod peccatum est eius offensa, & quamuis almum concil.Trident. præcitata sess.6.capit.6.& cap.14.dicat sufficere aliquod odium, & detestationem,addit tamen esse necessarium,vt talis sit pœnitentia, qualis ante baptismum exigitur,non tamen explicat qualis illa sit:& consequenter id reliquit antiquæ interpretationi.

Quapropter equidem sub debita correctione semper consulerem illis, qui infideles adultos aliquos baptizant, siue apud nos,siue apud Indos, vt priùs illos inducãt ad pœnitudinem peccatorum mortiferorum,eoquod illis offenderũt Deum, quem super omnia amare, & honorare debuissent. Nec auderem asserere,eis licere baptizare illos,quamuis videant, non pœnitere eos ob amorem Dei: sed ob alias causas. Quin affirmo,perperam agere illos, qui,vt fama est, baptizãt Indos antequam videant, eos habere pœnitudinem, quæ videatur contritio, eoquod petũt baptismum, eo respectu principaliter quòd pileus, vel alia ludicra illis donantur: licet aliquam pœnitudinem suæ malæ vitæ leuem,& imbecillem cõceperint ob aliquas causas, quæ amore Dei nequaquam nituntur. Videtur tamen nobis posse aliam assignari differẽtiam inter pœnitentiam ad baptismum suscipiendum necessariam, & illam, quæ ad sacramentum pœnitentiæ necessario requiritur:videlicet quòd ad baptismum sufficit pœnitentia, seu pœnitudo generalis omnium peccatorum morraliũ totiusque vitæ malæ transactæ,adducẽdo ad summum aliqua in memoriam,non descendendo particulariter ad omnes eorũ species:qua praxi videtur vsus fuisse diuinus Petrus in baptizando eos, quos primos in festo Pentecostes, Act.2.legimus baptizasse:ad recipiendum vero sacramentalem absolutionem vltra hoc etiam opus est recolere omnes species peccatorum,& de illis omnibus speciatim pœnitere: licet in individuo non teneatur figillatim, siue particulatim de singulis cuiuslibet speciei pœnitere,dolereque,vt supra nu.22.dictum est.

38 Vigesimo infertur, quod quamuis virtute sacramenti attritus fiat contritus, ipsa tamen attritio non efficitur contritio, secundū sanctum Thom. in 4. lib. sent. dist. 17. q. 2. art. 2. licet iuxta Scotum in eodem 4. q. 2. arti. 1. quem ex parte sequitur Caiet. tomo 1. Opusculor. Opusc. 4. q. 1. superueniente Dei gratia, fiat contritio. Possunt tamen cōcilian, intelligendo S. Thom. de attritione, quæ non est contritio propter defectum intrinsecum ex parte subiecti, & scopi qui esse debet Deus ipse, vel amor eiusdem, quia videlicet ille dolor nō concipitur solum, nec principaliter propter amorem Dei, vel eo quod peccatum est eius offensa, vel iniuria: sed solum, vel tantum, aut principalius propter damnum, quod ipsi ex eo contigit, vel timet sibi hac in vita, vel in futura euenturum: huiusmodi enim attritio nunquam efficitur contritio, licet ad eam ducat: Scotum vero, eiusque sequaces, qui contrarium opinantur, de illa pœnitudine, quæ est attritio, & non contritio, non ob defectum istum intrinsecum ex parte obiecti, sed ob aliam causam extrinsecam, qualis est defectus gratiæ, vel propositi de abstinendo.

Vigesimoprimo infertur, non esse nimis firmum illud Ioann. Maioris in præfato 4. lib. sentēt. dist. 17. q 3. videlicet, neminem esse adeo imprudentem, qui tempore, quo peccata sua confessario confitetur, non illa detestetur formaliter, aut virtualiter. Non esse, inquā, nimis firmum: quia inde sequeretur, quemlibet cōfitentem habere iustam contritionem: quod est cōtra duo præcedentia corollaria, & dicta in principio huius capi. Scotus autem in dicto 4. lib. sentē. dist. 14. q. 2. articul. 2. non ita láxe loquitur circa hoc, ac quidam aiunt: immo secundum eum, nulla pœnitudo momentanea sufficit ad remissionem peccati: quamuis iuxta communem, quam sequuti sumus supra, sufficiat.

39 Vigesimosecūdo, infertur quod causa contritionis ex parte Dei est eius gratia, & misericordia: ex parte vero nostra sunt sex, quæ secundum Raymūdum, relatum à S. Antonino in 3 part. tit. 14. c. 18. §. 5. disponunt ad gratiam obtinendam: Memoria, scilicet, peccati: Pudor ex peccato proueniens: Vilitas eius: Timor iudicij diuini: Meditari quòd per illud cœlestem gloriā amittimus, nostrumque creatorem offendimus: Spes veniam consequendi, & gratiam amissam recuperandi, perueniēdique ad felicitatem æternā. Conducit etiam maxime ad hoc considerare (vt in cap. fratres. de pœn. distinct. 5. nu. 96. diximus) quod qui mortaliter delinquit, in effectu Deum à se proijcit, sicque illum tractat, ac si non esset vltimus finis, & subinde ac si non esset summus Deus: reputareque secum. & ruminare, quidnam faceret, vt à Rege veniam impetraret, si eum negasset esse suum Regem: & quod, si semel Rex illi veniam cōcederet, quantum sibi caueret in posterum, ne iterum in eandem rebellionem prolaberetur, certò sciens à Regis voluntate & nutu pendere vitam suam, sicuti nostra pendet à Deo?

40 Vigesimotertio infertur, quod effectus contritionis est, non solum delere peccatum quātum ad totam culpam,

culpā, vt ex supra dictis nu. 24. & nu. 31. cōstat, per cap. dixi, & cap. magna. de pœnit. dist. 1. verum etiam extenditur ad remittendam aliquam pœnæ temporalis portionem, in quam æterna commutatur, secundum sanctum Thom. in 3. part. q. 86. arti. 4. & in 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. non tamen abolet, vt plurimum, totam pœnam, quod nos in extrauagante vnigenitus, de pœn. & remiss. in tractatu de indulgentiis super §. in Leuitico. de pœnit. dist. 1. notabil. 12. abunde satis superque collegimus, vbi de culpa & pœna dispuramus.

Dixi: Vt plurimum: quia nōnunquam tanta est contritio, vt deleat omnem culpam & remittat omnem pœnam, iuxta gl. cap. mensuram, de pœniten. distinct. 1. & gloss. in capit. Deus, qui de pœnitēt. & remiss. & gl. extrauagā. 1. de pœniten. & remiss. & tradit sanctus Thom. in 3. lib. senten. distinct. 19. art. 3. quæst. 2. & in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. & 17. quæst. 2. articul. 1. quæst. 1. nunquam tamen ob id tollitur obligatio confitendi peccatum, secundum omnium sententiam.

41 Vigesimoquarto infertur, quod sanctissime à sacrosancto cōcil. Trident. sess. 14. cap. 3. & 4. definitum est hæresim esse dicere, pœnitudinem, siue pœnitentiam, non fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam culpæ mortalis condonationem. Dicere item contritionem non esse vnam ex tribus partibus, quas sibi tanquam materiam substituit pœnitentiæ sacramentum. Dicere item, esse malum examinare conscientiam ad faciendum peccatorum memoriam cum ipsorum detestatione, & emendationis proposito: quamuis ad gradum integræ cōtritionis nō perueniat. Dicere item, non esse de fide, contritionem non solum includere in se cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, & propositum illud confitendi tempore debito cum spe obtinendi veniam, & misericordiam: licet, vt supra num. 11. & 12. diximus, sufficiat propositum virtuale, quando defectus temporis, vel inculpata consideratio pœnitentis fuit in causa, vt non habeatur formale. Dicere item, contritionem iustam nō esse necessariam nunc in lege gratiæ ad culpæ mortalis post baptismum admissæ delectionem.

42 Vigesimoquinto infertur, quod cuidā erudito visum est, dixisse nos supra nu. 36. attritionem cognitam, id est, quæ cognoscitur nō esse contritio, nō sufficere ad absolutionem. Contra quod opponit multa, quæ aliàs hic scripsimus: cui nunc breuius respondemus. Primo, nos id nō dixisse ibi: licet ex eo tacite colligatur, multas esse attritiones, quæ non sufficiunt ad iustam absolutionem. Qualis est pœnitudo præteriti sine proposito actuali, vel virtuali vitandi futura, vel restituendi male parta, per cap. pœnitentia, de pœn. dist. 3. & capi. falsas. de pœnit. dist. 5. cum multis, quę ibi adduximus. Fateor tamē, me secutum fuisse Sotum, quatenus ait in libro 2. de nat. & grat. quod ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ requiritur attritio, quam putet pœnitens esse contritionem: vel non puret non esse contritionem.

Secundo,

Universidad de Deusto

Secundo, quod licet ex præfato Soti dicto videatur inferri, non sufficere ad absolutionem attritionem illam, quæ cognoscitur non esse contritio: intelligendum tamen est illud necessario de attritione, qua putatur non esse contritio, nec futura talis, etiam munita calore absolutionis sacramentalis. Cum Sotus sequatur opinionem sancti Thomæ, communiter receptam, aientis, sufficere ad deletionem peccati attritionem illam, quæ accedente sacramento fit contritio.

Tertiò, quod eius tria priora argumenta vrgent quidem cõtra sententiam Gratiani in c. conuertimini. verſic. leprosi. & c. omnis. de pœnit. dist. 1. & Ioan. Maioris, & eorũ, quos ipse sequitur in 4. lib. senten. distin. 14. q. 2. quæ habet, per sacramentum pœnitentiæ non remitti cuipiã culpam: quia remittitur per contritionem præcedentẽ. à qua quidem sententia nos semper discessimus secuti sanctum Thomam communiter receptũ in eod. 4. lib. senten. dist. 17. q. 2. arti. 1. vt est videre supra eodem cap. nu. 36. & in Summa de pœniten. distin. 1. nume. 4. & 5. & latius & neruosius in cap. conuertimini. nume. 5. eud. distin. Vrgent, inquam, eius argumenta contra præfatam opinionem: nihil tamen faciunt cõtra Sotum, neque contra nos, qui fatemur, quam plurimos confiteri cum attritione, quæ sola non facit eos contritos, sed accessione sacramenti fiunt contriti. quorum de numero maiorem partem plebis esse putauimus in dicto cap. conuertimini. nume. 5.

23 Quarto, quod differentia inter sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ quoad hoc propositum non consistit in hoc, quod illud (vt ipse ait) solis infirmis, & mortuis datur: hoc autem solis sanis: sed quod illud per se ordinatur ad sanandum, & per accidens ad sanitatem cõseruandam, & augendam: & cõtra hoc principaliter ad sanitatem conseruandam & augendam, & per accidens ad sanandum. Siquidem sacramentum pœnitentiæ iuste datur secundum omnes eis, qui sola peccata venialia, vel sola mortalia iampridem confessa, & remissa cõfitentur, qui creduntur esse sani: cum neque venialia, neque mortalia iam confessa & condonata repugnent charitati, vt tradit S. Thomas in 4. libro sentent. dist. 22. q. 1. artic. 3. q. 1. ad 1. & frequentissima praxis selectorum presbyterorũ, præsertim monachorum, habet confiteri, quoties celebrant: quos tamen certum est non semper confiteri mortalia noua: sed venialia, vel mortalia antiqua iam 44. confessa. Cuius rei ratio est, quia omnia sacramenta nouæ legis conferũt gratiam, vt post receptam sententiam dist. 1. libr. 4 sentent. definitur à concil. Trident. sess. 7. de sacramentis in genere. canon. 6. 7. & 8. ita frequẽter auget charitatem, & nõ sanat: & contra sacramentum pœnitentiæ frequenter per accidẽs sanat: cum scilicet aliquis credẽs probabiliter, se esse in statu gratiæ, in quo tamen non est, sumit illud, vt docet sanctus Thom. communiter receptus in 3 part. quæst. 79. articu. 3. Quinto negamus, ex prædicto Soti dicto sequi, quod tanta dispositio requiratur ad suscipiendum sacramentum

mentum pœnitentiæ, quanta requiritur ad sacramentum Eucharistiæ. Tum quia ad sacramentum Eucharistiæ non solum requiritur contritio: sed etiam confessio, secundum glo. receptam in cap. de homine. de celebrat. missar. approbatam à Concil. Trid. sess. 13. can. vlt. Tum quia ad Eucharistiam oportet, putare se esse in statu gratiæ: ad absolutionem autem sufficit putare, se ita esse attritum, quod, mediante illa, fiet contritus.

Sexto, negamus sufficere ad absolutionem sacramentalem attritionem, siue pœnitudinem, qua peccator cessat à peccato propter solam pœnam inferni, quatenus pœna est, si nullus actualis, vel virtualis Dei amor, vel odiũ peccati, quatenus est ipsius offensa eum comitatur, per dicta supra, præsertim, nu. 34. & 35.

De Confessione sacramentali, secunda parte sacramenti pœnitentiæ. Cap. II.

1 *Confessio sacramentalis quid.*
2 *Confessio non fuit inducta iure naturæ:*
3 *Sed diuino Iesu Christi domini nostri.*
4 *Confessio facta laico non est sacramentalis.*
5 *Confessio sacramentalis exigit multa: & 6. 7. & 8.*
6 *In quibus multi errant.*
9 *Confessio, quo tempore facienda, lege diuina.*
9 *Quo humana, & quo extra illa, & num. 10.*
11 *Confessio sacramentalis fuit instituta à Christo?*
11 *de omni mortali, & eius circumstantiis.*

SEcunda pars sacramenti pœnitentiæ est Confessio sacramentalis (quam vocalem, & auricularem appellamus, eo quod voce, & in aurem secreto fiat) quam addentes aliquid recentiorum definitioni, præsertim Gabrielis in 4. libro sentent. dist. 17. q. 1. in hunc modum possumus definire: Confessio sacramentalis est peccatoris accusatio, secreta, de suis peccatis, coram proprio sacerdote; vt ab illis sacramentaliter absoluatur.

Dixi: Accusatio, pro genere, quo & differentia debet conuenire omnis definitio, vt dictũ est supra prælud. 1 nu. 2. & ad differentiam accusationum, & confessionũ iudicialium, vel quæ accidunt extra iudicium: quæ quidem nõ gratia seipsos accusandi, sed propter alios fines fieri solent: vt toto tit. de Confessis, Digestis, Codice, Decretalibus, & lib. 6.

Dixi: secreta; tum ad excludendam generalem illam: publicamque confessionem, quæ fit in principio, aut medio Missæ, vel alias sæpissime: tum ad insinuandum non esse necessarium, vt fiat publice, vel aliquo tertio audiente: quamuis etiam, aliis audientibus facta valere possit, vt infra eodem, num. 6. & 7. trademus.

Dixi: De suis peccatis, ad reiiciendum illam, qua quidam se de virtutibus, quidam vero de peccatis alienis accusant, cap. omnis. de pœnit. & remiss. ibi: *Peccata* & ibi: *sua.*

Dixi: Coram sacerdote, ad excludendam illam, quæ fit alijs: quoniam illa non est sacramentalis, d. c. omnis ibi: *sacerdoti*, & clarius in Conc. Trid. sess. 14. c. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteka

Dixi: Proprio, id est, habenti iurisdictionem in foro conscientiæ super illum, qui seipsum accusat, d. c. omnis. hoc: Proprio. Nam illa, quæ fit alij, quam proprio sacerdoti, non est sacramentalis: siquidem absolutio facta ab illo, qui non est sacerdos: vel à sacerdote, qui non est proprius, non est sacramentalis, vt infra c. 22. nu. 11. trademus.

Dixi: Vt ab illis absoluatur: quoniam quæ fit propter alium finem, non est sacramentalis: cum essentia sacramenti pœnitētiæ in absolutione consistat, vt diximus in c. sacrificium. de consecrat. dist. 2.

2 Ex qua definitione infertur primo, illam confessionem domini nostri Iesu Christi, Matth. 11. *Confiteor tibi, pater cæli, & terræ*, & alias multas huiusmodi cōfessiones, quarum in multis psalmis fit mentio, non fuisse sacramentales: sed potius Dei laudes.

Infertur secundo, hanc confessionem sacramentalem non fuisse iure naturali inductam, cum post aduentum redemptoris nostri omnia sacramenta nouæ legis initium habuerint, iuxta sententiam omnium in 4. lib. senten. distin. 1. & nuper expressit Conc. Trid. sess. 7. cano. 1. de sacramentis in genere: & ita consequenter post Christi domini aduentum incœpit sacramentalis confessio, quæ est vna pars sacramenti pœnitentiæ, vt prædictum est supra c. 1. nu. 25. & prælud. 10. nu. 4.

3 Infertur tertio, quod sacramentalis confessio, vt in glo. Summæ de pœnit. dist. 5. nu. 14. diximus non fuit inuenta, neque institura in paradiso terrestri, vt quidam relati ab eadem glos. dixerunt: neque à Iosue, vt alij, quos eadem glos. refert, asseruerunt: neque à Iacobo apostolo, vt alij ibidem relati affirmarunt: neque ab ecclesiæ consuetudine, vt ipsamet glossa à Canonistis, ibi & in c. omnis de pœnit. & remiss. communiter recepta videtur innuere: sed immediate à Christo domino nostro, vt tradit Aquinas in 4. lib. senten. dist. 16. & dist. 17. etenim ex præfata definitione colligitur, hanc confessionem sacramentalem esse partem substantialem eius, iuxta S. Tho. in 3. part. q. 64. art. 2. & in dict. 4. lib. senten. dist. 2. q. 1 art. 2. & dist. 5. q. 1 artic. 1. & communem opinionem in eodem 4. lib. senten. dist. 17. vt latius diximus in 1. parte glo. Summæ, de pœnit. dist. 5. nu. 14. id quod etiam explicuit Concil. Trid. vbi supra & in sess. 14. cap. 5 & can. 3. declarans id fundari irrefragabiliter in illo Ioan. 20. *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.*

4 Infertur quarto, confessionem factam homini laico non esse sacramentalē, ob idq; suo loco & tempore repetendam esse, secundū omnes in 4 lib sentent. dist. 17. & cap. quem pœnitet. de pœnit dist. 1. vbi nuperrime multa de confessione scripsimus.

5 Infertur quinto, huiusmodi confessionem sacramentalem, & auricularem, vt legitima sit requirere sexdecim conditiones, quæ iis versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Quæ quidem sexdecim conditiones explicantur à S. Thom. in 4. lib. sentent. dist. 17. quæst. 3. artic. 3. & à S. Antonino in 3. part. titul. 14. cap. 1. & 2. nosque etiam in cap. fratres. de pœnit. distinct. 5. num. 2. & seqq. copiosius & vtilius explicauimus, dicentes, in Summa, quod, Simplex insinuat, quod sit sine plica generalitatis, vel disiunctionis verborum, sic vt confessarius peccatum ita intelligat, vt possit discernere, an sit mortale, vel veniale.

6 Circa quod multi grauiter errant, qui mortaliter peccarunt nimis comedendo, nimis bibendo, loquendo, ridendo, murmurando, irridendo, iocando, & alia similia faciendo: quæ cum possint esse, immo frequenter sint venialia, confessarius intelliget, illa esse venialia. Quare oportet diligenter explicare circumstantias, per quas facta fuerunt mortalia: pura quod fuerunt facta cum notabili Dei, vel sanctorum, vel ecclesiæ, vel sacramentorū, aut religionū irreuerentia: aut cum notabili aliquo nocumento salutis spiritualis, aut corporalis honoris, famæ, vel alterius rei, siue ad se, siue ad proximum pertinentis, vt ita constet, an grauitas culpæ peruenerit ad mortalē, nec ne? nisi ex qualitate personæ, vel modo confitendi confessarius talem coniiciat paruitatem, vel grauitatem malitiæ, vt diximus supra prælud. 5. num. 11. per ea, quæ infra super vnoquoque præcepto ab 11. capit. vsque ad 21. & super vtroque vitio cap. 25. tradentur.

7 Humilis, id est, cum signis animi submissi, modestique. Pura, id est, sine mixtione rerum impertinentium. Fidelis, id est, sine mendacio, maxime in his, quorum veritatem confessio necessariò requirit. Frequens, id est, quod fiat sæpe. quæ conditio apponitur propter illum qui sæpe cadit, quæ quidem est secundum consilium, præterquam in illis tantum casibus, & temporibus, quibus ea præcipitur fieri à iure, vel statuto. Nuda, quod iocis, aut alia re peccati grauitas non occultetur. Discreta, quod fiat verbis honestis, sitque debitis circumstantiis explicata. Libens, hoc est, volūtaria; nempe vt fiat (saltem principaliter) propter Deum: licet alioquin minus principaliter ex verecūdia, vel quacunque alia humana causa is, qui confitetur, moueatur. Verecundia, videlicet, ne securi fabula, vel historia impudenter narretur: sed cum pudore cordis, quem facies ipsa præ se ferat. Integra, quod nullum crimen (saltem lethale) cuius adhibita debita diligentia recordatur, taceat. Secreta, quo significatur primo, quod ab eodem pœnitente, non autem per alium facienda sit: deinde, quod nullus teneatur confiteri, tertio alio audiente, immo neque licet regulariter, saltem de peccatis occultis.

8 Cæterum, quia ex prædicta verbo-, Regulariter, intulerunt aliqui viri pij, me sensisse hoc loco, licere aliquando publice confiteri, quod videbatur esse contra hanc conditionem secreti omnibus probatam: & quod ipse post S. Antoninum, 1.

Universidad de Deusto

part.tit.8.c.4.§.1.& post Caietanum, 2.2.q.71.art.3. & in c. inter verba. 11. q 3.dixi, esse peccatum infamare seipsum,constituendum est, quod confiteri publice non est illicitum eo quod speciatim id prohibuerit dominus noster Iesus Christus: sed quia regulariter non licet publicare propria peccata: verumtamen quia nonnumquam licet publicare illa in aliquem in finem bonum, prout in dicto cap. inter verba. rationibus & exemplis sanctorum Ambrosij, & Anselmi probauimus, ideo etiam licet aliquando facere dictam confessionem, audientibus aliis, vt scite declarauit sanctum Conc. Trid. sess.14.cap 5.subdens, quod Christus non præcepit, quod peccator confiteatur publice: sed quod non vetuit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humilitatem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit. Propter quod tollitur scrupulus de valore, ac iustitia illarum confessionum, quæ fiunt in mari à periclitantibus, & à peste infectis, remotis à confessario:& à vulneratis in præliis inter medendum, audientibus chirurgis, & aliis opitulantibus. Illarum item quæ fiunt per interpretem ab ignorante idioma confessarij: quia non definunt valere, & esse legitimæ, eo quod alij eas audiant.

Lacrymabilis, id est, quæ secum gerat contritionem, supra c.1. nu. 1. & seqq. definitam: vel saltem attritionem illam secundam,quam supra c.1.nu 34.& seq. memorauimus. Accelerata, id est, vt simul atque peccatum commissum est, fiat. quod quidem est consilium, vt dicetur infra num.1. Fortis,vt præ timore, aut pudore,vel verecundia,vel ex necessario dicendis omittatur. Accusans, seipsum: non autem carnem, mundum,aut dæmonem, vel saltem non æque, aut ita principaliter, sicut seipsum. Parere demum parata, nempe confessario, ita vt pœnitens habeat in animo exequi quod confessarius ei præceperit: quod quidem partim est de consilio, partim vero de præcepto, vt inferius, cap. sequenti explicabitur.

9 Infertur sexto, per solam legem diuinam nõ esse definitum tempus, quo homo confiteri teneatur: esse autem definitum iure canonico humano, omnes peccatores semel in anno obligari ad confitendum, c. omnis. de pœnit. & remiss. Religiosus autem sancti Benedicti & alij saltem de honestate duodecies in anno, semel scilicet singulis mensibus,ad confessionem adstringuntur, cle. ne in agro §. sane. iuncta glo. de stat. monach. omnes item sanctimoniales c. 10. sess. 25. de regu. & monialib.Conc. Trid.Vnde, secundum communem opinionem, nõ tenetur peccator simul ac mortifere peccat, statim confiteri, etiamsi fuerit sacerdos, aut monachus, vel peccatũ sit notorium, secundum Panor. in præcitato cap. omnis. de pœnit. & remiss. nu. 24. & S. Thom. communiter receptum in 4.lib.sentent. dist. 17.q.3. artic.1. id, quod nos etiam in cap.fratres.de pœnit.dist.5. à num. 9. copiosius disputauimus: quidquid dicat Innoc. in dicto cap. omnis. & gloss.in summa. de pœnit. ead. dist.5. in cu

in cuius tertia parte, nu. 27. & seqq. id diximus, præterquam quando vult sacram communionem accipere, aut sactum facere, & habet copiam confessarij, iuxta gloss. singularem in cap. de homine. de celebratio. missar. per argumentum à contrario sensu omnium calculis approbatam: & nunc demuo à sancto Concil. Trid. sess. 13. cap.7. confirmatam, contra nouam Caietani opinionem in 3.part. quæst.80.art.4. & in c. 11. epist. 1. ad Cor. & in summa, verbo, communio. vt inferius, cap.21. num 49. dicemus. Quocirca qui accedit ad quëcumque ordinem sacrum recipiendum, quoniam sacram Eucharistiam accipere debet, vt communi opinione receptum est, debet confessus accedere, secundum beatum Thom. Quolib. 1.art.11. vel etiam quando instat verisimilis mortis articulus, quem definit esse Panor. in cap. pastoralis. §. 1.nu.5. de offic. ord. illum in quo homines cõmuniter moriuntur, qualem facit probabile naufragium, imminens prælium, & grauis, & acuta febris, cap. cum infirmitas. de pœnit. & remiss.tempus item pariendi,arg.l.2.§. si non propter. ff. si quis cautionib. vt post Ostiens. Panor. vbi supra concludit, saltem quo ad mulierem, quæ numquam peperit, vel experta est partus difficiles.

10 Debet item cum probabiliter credit, se per totum annum non habiturum opportunitatem confitendi: vel etiam quando conscientia dictat, illum ad confessionem teneri, argu. cap. finalis. de præscript. quamuis hoc satis esset, illam deponere, si fuerit erronea, argu. cap. inquisitioni. de sentent. excom. vel quando voluisset, pluries confiteri, arg. cap. magnæ. de voto. vel etiam, secundum aliquos, quando statim post confessionem, & communionem in Paschate recordaretur, se fuisse oblitum alicuius culpæ mortiferæ in confessione. quod tamen nullus text. nec ratio concludit necessario faciendum: & ita non est asserendum, argu. cap. legatur. 24. quæst. 2. nisi forte in illo, qui iam ad sacræ Eucharistiæ perceptionem accinctus, antequam eam sumat,recordatur alicuius mortalis culpæ nondum confessæ, & ne aliis sit scandalo,aut impedimento,aut quia eius confessarius non est præsens, communicat, proponẽs eam statim à communione confiteri, nolens in sequentem annum confessionem illius peccati differre. quod licet secundum rigorem iuris antiqui non possit probari esse necessarium, si propositum illud non peruenit ad votum. siquidem cum eo non peruenerit, non habuit vim obligandi, secundum Archid. in cap. 1.17. quæst.1. & ea, quæ tradimus in cap. fratres. num.19. de pœnit. distinct.5. videtur tamen probari de iure nouo Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. quatenus præcipit, vt qui necessitate vrgente absque præuia confessione celebrauerit, quàm citissime postea confiteatur. & videtur, quod si concilium interrogatum fuisset de laicis, qui licite interdum communicant absque præuia confessione, veluti in prædicto casu, vel aliis huiusmodi, in quibus deest copia confessarij, idem, & de illis definisset: & ita videtur definisse, iuxta glos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

singul.in l.tale pactum §. fi.ff.de pactis. An autem propter oblivionis periculum quis ante tempus statutũ confiteri teneatur? dicemus infra, cap.5.nu.3.

11 Sexto dicimus, quod post primam huius libri editionẽ sanctum Conc.Trid.sess.14.cap 5.& can.6.excommunicauit eum qui dixerit, cõfessionem sacramentalem non esse vel institutam, vel ad salutem necessariã iure diuino ei, qui post baptismum in culpam lethalem incidit: aut non fuisse à Christo domino instituram,& præceptam.Eum item, qui dixerit nos nõ obligari iure diuino ad confitendum omnia, & singula peccata mortalia,quorum memoriam cũ debita, & diligenti præmeditatione habemus,etiam occulta,& interna,solo volũtatis consensu absque verbis, & operibus consummata,& circumstantias,quę speciem peccati ex vna specie in aliam mutãt cap.5 & can.7.Eum item, qui asseruerit, hanc confessionem omnium peccatorum,quã ecclesia seruat,esse impossibilem:vel illam habuisse originem à consuetudine, vel ordinatione ecclesiastica: vel ad eã nõ teneri omnes,& singulos vtriusque sexus Christi fideles, & ob id suadendũ esse eis,vt non confiteantur tempore Quadragesimæ cap.5. & can 8 & sess.13.can.9.de sac. euch. Vel quod non est bonum confiteri peccata venialia cod.cap.5 & can.7. Quo fit, vt temerarium sit aliquorũ laicorum iudicium,qui iudicãt, clericos,& religiosos toties peccasse mortaliter,quoties vident,eos confiteri.quod sæpe prædicari deberet ad seruandum famam illorum, qui frequentãt confessionem, etiam cũ eis non est necessaria: & ad eos in id animandum,ne tam pium, & salutare opus omittant, quod vidi omitti ab aliquibus, ne dicerentur, vel crederentur ab eis,qui viderent, eos tam frequenter confiteri, peccata mortalia confessos fuisse, & consequenter tam frequenter peccasse mortaliter.Quãdo autem, aut in quibus casibus cõfessio,quæ nulla est,debeat iterari,dicetur infra c. 9.nu.3.& seq.

De satisfactione,tertia parte sacramenti pœnitentiæ.

Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio quid.*
2 *Et est necessaria etiam post restitutionem.*
3 *Satisfactio triplex non est necessaria ob triplex genus peccati.*
4 *Satisfactio fit opere alias debito.*
5 *Et cur melior imposita.*
6 *Satisfactio sacramentalis in mortali facta quid prodest.*
7 *Pœna peccati temporaria, in quam æterna mutatur, an per bona opera in malo statu facta tollatur.*
8 *Bona in malo statu facta prosunt etiam ad prauæ gratiæ.*
9 *Satisfactio vna pensat offensam factã, altera cauet futuram.*
10 *Occasio peccandi propinqua cauenda, non remota.*
11 *Miles & mercator non tenentur necessario abstinere ab arte sua.*
12 *Occasio,quæ est est propinqua peccandi vni,non semper est alteri.*
13 *Pœnitens non tenetur credere,se non peccaturum in arte sua.*
14 *Occasio propinqua studiosè definita.*
15 *Occasione de qua credendum, quod ratio inducet ad mortale.*
16 *Matrimonio inualido coniuncti vt possint licite cohabitare.*
17 *Absoluendus quando quis, licet peccandi occasionem non vitet.*
18 *Miles volens redire ad bellum, quod credit iniustum,non absoluendus.*
19 *Concubinarij qui non possint absolui, & qui possint.*
20 *Hospita solita pollui cũ hospite quomodo potest absolui.*
21 *Absoluendæ quæ familiares peccantes cum cognatis,& heris,& numero 22.*
23 *Absoluendi,qui aulici non sunt regnarum mensis præsentes & nu 24*
24 *Absoluendus non est miserens se cæcui lasci uo & nu.26.*
25 *Absoluendus non est qui comedit ad mortale invitantia.*
26 *Clystere quis fundens non absoluendus.*
27 *Feminam quis manuducens non absoluendus.*

1 DE satisfactione dicimus multa.Primo,quod satisfactio secundum Scotum in 4.lib.senten. distin.25 q.1. art. 1. bifariam sumitur, largè videlicet,siue in genere, vt in l.1.ff qui satisd cog. & in l.si rem. §. omnis.ff.de pignor.act.& strictè, siue in specie, vt in cap. perfecta. de pœnit. dist.1.&in cap. satisfactio.de pœnit.dist.3. Et large quidem accepta comprehendit restitutionem, quippe quæ est genus ad illam, vt innuit gl.cap peccati venia. de reg. iur.lib.6. & diximus in rub.de resti. spol.Accepta vero strictè differt ab illa:quoniam restituitio est redditio rei acceptæ, vel dãni illati compensatio,secundum omnes in 4.lib.senten.dist.15.& toto tit.de resti. spolia. vel repositio rei in eum statum,quẽ habuit, l.restituere.ff.de verb. signi. & cap.si quem.§.fi.1.q.3. & diximus latius in dicta rub. Neque enim est solutio ratione culpæ contra Deum cõmissæ,immo potius est à peccato cessatio, iuxta communem sententiam in dicta dist.15.quam probat c. sæpe.de resti. spol. Satisfactio verò in specie accepta,nempe pro tertia parte sacramenti pœnitentiæ definiri potest,vt nuperrime definiuimus in cap.satisfactio.de pœnit.distin. 3. num.2.passio voluntaria pœnæ pro peccato,ad placandum Deum, cum proposito non offendendi eum amplius.

Dixi:Passio,pro genere,& non, vt in alia editione, Compensatio, quia cõpensatio propriè non est simplex solutio: sed debiti,& crediti inuicẽ inter se cõtributio.l.1.ff.de compensat.qualis non videtur proprie omnis,de qua loquimur,satisfactio.

Dixi:Voluntaria,quia debet esse actus virtutis,vt probat S.Tho.communiter receptus in 4.lib.sent. dist. 15.q.1.art.1. & omnis actus virtutis debet esse voluntarius, iuxta illud psal.118.*Voluntaria oris mei beneplacita fac,domine.*

2 Ex qua definitione infertur id, quod catholica doctrina cõtra execrandam Lutheranorum temeritatem nos docet, videlicet, eum, qui peccauit,non solum teneri ad restituendum damnum illatum alteri,si quod intulit,cap.si res 14.q.6. & reg. peccatum. de regulis iuris libro 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verum etiam ad satisfaciendū Deo pro offensa, & iniuria ei per rebellem transgressionem eius præceptorum facta, siue alteri noceat, siue non, vt resolutè diximus in cap.1. §.panar.de pœnit.dist.5. & in dicto cap.satisfactio.de pœnit.dist 3.& dicemus infra,c.26. nempe fore necessarium pœnitenti propositum satisfaciendi Deo in hac vita per pœnitentiam, aut indulgentiam: vel in Purgatorio per pœnam. An verò teneatur sub pœna peccati acceptare pœnitentiam à sacerdote iniunctam, & ad habendum propositum satisfaciendi in hac vita dicemus infra in dicto c.26.nu.1.& 20. vbi contrarias opiniones referemus.

3 Secūdo dicimus, satisfactionem tripliciter fieri, videlicet ieiuniis, orationibus,& eleemosynis, secundum omnes in 4. lib.senten.dist. 16. & facit c.animæ.13.q.2.ad quas omnes aliæ satisfactiones reducuntur: quoniam vigiliæ, peregrinationes, & alia huiusmodi,quæ carnem affligunt,ieiunio adnumerantur: opera verò misericordiæ corporalia eleemosynis: spiritualia verò orationi, secundum Scotum in præcitato 4. lib.senten.dist.15.q.1.

Tertio dicimus,non esse satis limitatum illud, quod multi dicunt, scilicet,quod fiant tribus modis cōtingit peccare,corde videlicet, ore, & opere:ita tribus modis oportet satisfacere, nempe corde per contritionem,ore per confessionem, & opere per satisfactionem. quoniam hic non agimus de contritione, & confessione,quæ sunt aliæ partes sacramenti pœnitentiæ:sed solū de satisfactione,quæ est tertia pars ab illis distincta. Et si responderis, contritionem,& confessionem, quatenus sunt duo opera pœnalia, posse nuncupari species huius tertiæ partis, licet alioqui sint duæ partes eiusdem sacramenti propter diuersas rationes, replicabo, esse multa peccata,quæ non perueniunt ad os, & plurima, quæ non perueniunt ad opus: pro quibus tamē omnibus est satisfaciendum.

4 Quarto dicimus, quod hæc satisfactio fieri potest per bona opera aliàs debita, vt copiosè deducit Caiet.Tom.1.Opusc.Opusc.6.q.1.dū tamen illa fiant non solum ad debitum persoluendum, verum etiam ad satisfaciēdum pro peccato. quin etiam potest fieri per ærumnas, tribulationes,& flagella à Deo nobis inflicta, & patienter tolerata, offerendo ea in recompensationem nostrarum offensarum, iuxta S. Tho. in 4.lib.senten.dist.15.quæst. 1.art. 4. quod postea Conc.Trid. redegit in articulum fidei,sess.14.cap.8.& 9. & cano.13.

5 Quinto dicimus, quod satisfactio à confessario iniuncta,& à pœnitente accepta duplici ex causa est præstantior illa, quam quisque spōte sua suscipit.Primo, quia est illa magis satisfactoria, nam ex definitione colligitur esse quid sacramentale, quod ceteris paribus ob sacramenti fomentum maiorem habet effectum, iuxta ea,quæ diximus in c.1 in princ.de pœnit.dist.6.num. 36.

6 Deinde quia, secundum omnes, satisfactoria est,licet fiat in peccato mortali, saltem pro tempore, quo peccator ab eo surrexerit:altera verò minime, iuxta S.Tho.& alios in 4.lib.

4.lib.sent.dist.16.q.1.art.1. licet nos in præcitato c. in princ.nu. 46 opinionem magis communem Scoti,& Io.Maioris indicto 4.lib.senten. distin.15.q.1. tenuerimus,dicētes, eam non solum valere quoad militātem ecclesiam: sed etiam quoad triumphantem contra distinctionem Cardinalis Caietani in dicto Tomo 1. Opusc.Opusc.6.q.1.

7 Neque obstat,quod quidam dicitur opponere, quod secundum S. Tho.& quosdam alios, nullum opus in statu peccati mortalis factum est satisfactorium pro pœna peccato debita,ea ratione, quod opera nostra bona non sunt satisfactoria,nisi virtute passionis domini nostri Iesu Christi:& quòd illa non communicatur,nisi eius amicis,sibique gratis.non, inquam, hoc obstat. Tum quia etiā ipse affirmo in c.1. in princ. nu.46.de pœnit.distin.6.id tenere S. Tho.in 4.lib. senten.distin.15.quæst. 1. art 3.Bonauenturam,Richardum, & Durandum in eo.4.lib.senten.distin.15. & Caietanum in præcitato Tom.1. Opusc.Opusc.6.q.1. quorum sentētiam appello communem ibi, & in eod.c.1.§.sacerdos. nume.27. & seqq.Tum quod non est pro communi opinione auctoritas aliqua, cui necessariò sit standum: nec ratio, quæ necessariò eam euincat. Tum quod omnes sentiunt, pœnitentiam à sacerdote iniunctam, & in peccato mortali adimpletā prōdesse pro tempore, quo peccator ad gratiam surrexerit. Tum quod etiam idem S. Thom. post Magistrum in 4.lib.senten.distinct.45. tenet in 2.lib.sententiar. distinct. 41. quæst.2. artic.4.q.4.ad 5. suffragia facta pro defunctis ab existēte in peccato mortali prodesse illis, qui sunt in Purgatorio.quod etiam Augustinus Triumphus Anconitanus asseruit in summa de potestate Papæ 1. par.q.32.artic.2. quem retulimus in tractatu de Iubilæo, notab. 22. nu. 3.& in cap.si nume.5.de pœni.distin. 4. Tum quod multi tenent, peccatum veniale posse remitti absque mortali, quorum sententiam validis argumentis muniuimus in præcitato §.sacerdos.nume.25.& cap. de quotidianis. num.11.de pœnit.dist.3. Tum quod ipsemet Christus, & apostoli eius ad preces aliquorum peccatorū sanarunt multos ægrotos,etiam antequam iustificarētur.

8 Tum quod rationi eorum nouè responderi potest, concedendo quidem,opera nostra non esse satisfactoria pro pœna peccato debita,nisi per virtutem,quā accipiunt ex passione Christi, vt declarat sacrum Conc.Trid.sess.14.c.8.& 9.& can. 13. & 14.& quod illa nō cōmunicatur, nisi suis amicis, sibiq; gratis quoad gratiam & gloriam æternam: nec consequenter quoad remissionem æternæ pœnæ,vt sentit idem Conc. Trid.sess.6. cap.8. negando tamen, quod nō communicetur bene operantibus quoad pœnam temporalē, in quam,remissa culpa, cōmutatur æterna, vt satis sentit idem Conc. quatenus habet, eam cōmunicari quoad præparationem necessariam ad consequendam gratiam iustificantem,quod est maius, quàm remissio pœnæ temporalis in quam commutata est per remissionem culpæ.Tum quod bona in statu peccati mortiferi facta prosunt

ad multa, iuxta gloss. cap. quod quidam. de pœnit. & remiss. & cap. quæ rat. §. quod autem. de pœnit. distinct. 3. & nos quoque post alios vtrobique tradidimus: & in hoc Enchirid. supra prælud. 7. num. 3 & latius infra cap. 27. nu. 170. etiam tangentia iustificationem, qualis est præparatio ad gratiam: auxilium item speciale ad illam faciendam, vt prædictum Conc. satis probat in dicta sess. 6. cap. 7. Tum quod maior ratio suadet, vt communicetur quoad pœnam temporariam, quàm quoad pœnam æternam, quæ commutata est in temporalem: & communicatum principali videtur communicatum accessorio. argumen. l. cum principalis. & l. nihil. §. cum principalis. ff. de regul. iur. & cap. accessorium. de regul. iur. lib. 6. Tum denique, quòd communis opinio non facit ius, immo vnius sententia meliore ratione fundata debet ei præferri l. 2. §. sed nec. C. de veter. iur. enuclean. vnde hoc Panor. receptus colligit. Quare non dinantes communem credimus, hanc esse veriorem, & eam cupimus esse omnibus persuasam ad effectum implendi pœnitentiam, & faciendi multa bona opera in malo statu peccati. Cupimus autem alteram credi ad effectum magis abominandi peccata mortifera, vti horrenda monstra, eo quod secundum illam, non solum auferunt gratiam, sed etiam facultatē satisfaciendi pro pœna temporaria peccatis iam condonatis, & venialibus debita. quod etiam insinuamus sub finem præcitati §. sacerdos.

Sexto dicimus, quod post primam editionem huius libri Conc. Trid. sess. 14 cap. 8 & 9. & can. 12, excommunicauit eum, qui dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo: ita vt non sit opus amplius quam credere Christū dominū pro omnibus satisfeciſſe. Excommunicat item affirmatem, non satisfacere nos Deo pro peccatis per pœnam temporalem, in quam cōmutatur æterna: nec per veniam culpæ, mediantibus meritis domini nostri Iesu Christi: nec sufferendo mala pœnæ nobis à Deo inflicta, vel à confessario iuncta, vel à nobis sponte susceptа. cap. 13. Excommunicauit item asserentem, satisfactiones, quibus pœnitētes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse veros Dei cultus, sed traditiones hominum, & doctrinam humanitus adinuentam gratisque conficta. can. 14. Est tamen notandum, quod vt dictum Conc. in prædicto cap. 8. definit, nostræ satisfactiones non habēt vim, neque efficaciam, nisi nitantur meritis domini nostri Iesu Christi, qui eam eis tribuit.

9 Septimo dicimus, quod cum in exordio huius capitis dicitur, quod satisfactio hæc, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ habet duas partes, quarum vna est passio voluntaria pœnæ pro peccato, seu offensa facta: & altera abstinentia à facienda. & quod hæc secunda pars requirit, vt Beatus Augustinus ait in cap. satisfactio. de pœnitentia distinctione tertia, vt excindantur causæ peccandi, quæruntnonnulli grauissimi & peritissimi confessarij

sarij grauissimas, & quotidianas quæstiones, quarum decisio penderet ex duabus generalibus. Altera est, An ad absoluendum pœnitentem, sit necessarium, vt ille statuat, se non vsurum amplius occasione aliqua, quæ illum ad peccandum impulit: Altera, An sit opus, vt statuat, nunquam se præbiturum alteri occasionem peccandi, quam antea præbuerit.

10 Ad quarum priorem respondebimus in hac additione: ad posteriorem verò in ea, quam faciemus infra ad cap. 14 num. 30. Respondemus itaque primo, non teneri statuere nunquam se vsurum occasionibus remotis. Nam alioquin, sicut ad aliud propositum inquit Paulus 1. ad Corinth. 5 esset necesse migrare ab hoc mūdo: siquidem quidquid fere in eo est potest esse occasio peccandi, quia potest esse talis occasio bona valetudo, & morbus, diuitiæ, & paupertas: habere, & non habere vxorem, parentes, liberos, consanguineos amicos: pax item, & bellum, prospera, & aduersa: ecquid nō? iuxta capit. de occidendis, sub fin. 23. q. 5. & ea, quæ notantur à S. Thom. 2. 2. quæst. 43. articul. 1. Nec etiam tenetur statuere, se perpetuò abstenturum ab occasionibus propinquis peccati venialis, quia cum ad sui absolutionem non sit necessarium propositum nunquā venialiter peccandi: ita neque erit necessarium propositum nunquam vtendi occasionibus sic peccandi, argumento à maiori, iuxta clementi. 1. de reliqu. & vener. sanctor. & capit cum in cunctis. de elect.

Respondemus secundo, necessarium esse abstinere à propinquis, sed quales dicūtur huiusmodi? Respondeo, quod mallem audire aliū optime respondentem, quàm respondere: quia nemo, quem viderim, id pro dignitate definit, & sufficiens eius determinatio est difficilis.

11 Primo quidem, quia non videtur satisfacere illa Gregorij in capi. negotiū, de pœnit. dist. 5. licet sit omnium optima, scilicet quòd est illa, qua non possumus, aut nō sine magna difficultate vti sine peccato: quoniam S. Leo in capit. qualitas, & in cap. contrarium. de pœn. dist. 5 dicit difficile esse militi, & negotiatori abstinere se à peccato, suam artem exercendo, & certum est, quòd licet sit bonum consilium pœnitenti militi, aut negotiatori, ne ad artē suam reuertatur, capit consideret §. in his omnibus. de pœnit. dist. 5. non tamen est necesse, vt probauimus in præcitatis c. qualitas, & cap. cōtrarium, de pœn. dist. 5. quod illius dicta cōcinet.

12 Deinde, quia id, quod vni est occasio propinqua huiusmodi, non est alteri: nam adolescenti & puellæ est occasio propinqua huiusmodi degere solos in eadem domo, argu. gl. cap. absit. 11. q 3. qualis tamen non est seni, & puellæ, neque vetulæ & adolescenti. Præterea nō est, vt plurimum, talis occasio cohabitatio cū matre sua, filia, nepte aut sorore, cap. volumus, & capit. cum omnibus. 81. distinct. quandoque tamen sic, capitul. 1. de cohabitat. clericor. & mulier. Adire item conspectum tyranni principis Turcarum est occasio propinqua huiusmodi deficiendi à fide homini pusillanimo, & inconstanti: non tamen forti, & constanti, immo

immo est occasio martyrij,cap.presbyteros.50.dist. Denique nulla occasio est, quæ nos possit cogere ad peccandum:quia, vt inquit August. in 83.qq.q.1.peccatum adeo est voluntarium,vt nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium, faciunt cap.tolerabilius,& capi.ita ne.32.q.5. & tradit Aquinas 1.2.quæst.71.artic. 5.q. 73. artic. 6.& alibi sæpe,& nulla occasio est, quæ aliquando non faciat peccare aliquem: & quod peius est, nullum est officium, in quo qui in eo versantur, interdum non peccent,iuxta illud capit.de occidendis. 23.q.5. *Quid est in hominum vsu bono, ac licito, vnde non possit pernicies irrogari?*

13 Respondemus tertio, quod, vt aliqua occasio sit huiusmodi, non satis est,vt pœnitens & cõfessarius credant, quod nisi pœnitẽs se abstineat ab ea, nonnunquam ob eam peccaturus est, etiam mortifere in suis officiis:neque oportet id credere,vt pœnitens absoluatur,iuxta Innocen.receptum in capit.omnis de pœnit.& remiss.quãquam teneatur proponere nũquam se amplius ope diuina mortaliter peccaturum: & paucorum militũ & negotiatorum confessarij credunt, illos in posterum non peccaturos mortaliter in illis suæ vitæ artibus: attamen, vt dictum est, non debet eis præcipere ne ad eas redeãt,cum neque beatus Ioannes Baptista præceperit, Luc.3. militibus ab eo quærentibus, quid facto opus esset, vt salui fierent,deserere militiam,neque ecclesia præcipit militi,aut negotiatori, ne perseuerent in suis officiis: quamuis id consulat,iuxta capit.consideret.§.in iis de pœn.dist.5.immo numerat illa inter licita,tametsi periculosa,capit. noli, cap.militare.23.quæst.1.capitul. quoniam 88.dist.& tradit S.Thom. in 4.lib.sent.dist.16.q.4.art.2.q.3.

14 Quarto respõdimus,quod Occasio propinqua huiusmodi, à qua pœnitens necessariò debet abstinere, atque statuere, se nunquam ea vsurum, vt à cõfessario absolui possit,est omnis illa,& sola,quæ est peccatum mortale:aut talis occasio peculiaris,qua credit, vel debet credere confessarius,vel pœnitens, nunquam, vel raro, se vsurum ea sine peccato mortali,bene perpensis eius circunstantiis.

Dixi: Quod in se est peccatum mortale,vt includerem officium, & artem Necromantiæ,& fœnerandi, & alias artes, & officia, quæ non possunt exerceri sine peccato mortali.

Dixi:Peculiaris, ad excludendam occasionem generalem, quam præbet officium, ars, aut exercitium, quo possumus vti licitè, credimus tamen nos aliquando in eo peccaturos mortaliter, hæc etenim non est talis occasio: siquidem illum, qui dixerit, eam esse talem, oportet dicere, deserẽda esse à pœnitente omnia officia, & omnes artes, in quibus aliquando peccauit,vt possit absolui: quia omnia præbent occasionem generalem peccandi, de qua credendum est, quod nonnunquam in peccatum mortale nos inducet, per proximum superius dictum: cuius contrarium ibi probatum est.

Dixi:Confessarius,aut pœnitens: quia satis est,vt alter eorum credat, aut debeat credere.

Dixi:Nunquam, aut raro, vt excluderem eas, quibus frequẽter vtimur sine peccato mortali, & includerem eas, quibus rarissimè vtimur sine illo.

Dixi:Perpensis circunstantiis, vt significarem, quod hæ possunt esse causa, vt eadem occasio sit talis vni pœnitenti, & non alteri: quia possunt facere,vt confessarius, vel pœnitens credat, quod nunquam, aut raro per eam est peccaturus.

Huius autem definitionis probatio nititur eo,quod nemo potest absolui,nisi statuat (saltem virtualiter) nunquam se in posterum mortaliter peccaturum:& consequenter euitaturum occasionem, quæ ex se sit mortifera, aut peculiaris huiusmodi,quam probabiliter credit peccati mortalis causam sibi fore,iuxta illud Ecclesiast.3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* de quo late diximus in capitul.si quis autem,numero quarto & quinto,de pœnitent.distinctio. septima, quippe non vitare huiusmodi occasionem est peccatũ mortale:at talis est occasio,qua credit,se fere semper ad sic peccandum impulsum iri.

Ex qua definitione colligitur peculiaris responsio ad grauissimas & quotidianas quæstiones nobis propositas.Prima est,quod confessarius nõ debet regulariter absoluere pœnitentem, qui non vult relinquere occasionem, quæ fere omnes qui sunt ei similes, facit quasi semper mortaliter peccare. Quoniam confessarius & pœnitens debent credere,quòd id, quod efficit aliqua causa in vno subiecto, efficiet alia ei similis in alio subiecto simili:à pari enim causa in pari subiecto par producitur effectus, secundum doctrinam Aristotelicam libro tertio Physicorum.

15 Dixi:Regulariter,quia bene poterit, quando tales occurrunt circunstantiæ, quæ persuadent, quod nunquam, aut raro peccabit propter eam: quamuis non se abstineat ab ea,& re multum ruminata,Spiritui que sancto commendata, videtur quod tunc possint hoc credere confessarius,& pœnitens,quando quatuor concurrunt. Primum,vera pœnitudo præteritorum. Secundum, verum propositum non peccandi,cum se inuenerit in ea. Tertium credulitas,quod,Deo iuuante, non peccabit, cum in ea se inuenerit. Quartum, quod subsit aliqua rationabilis causa non se separandi ab ea.

16 Ad quod me mouet. Primo, quod occurrit mihi casus, in quo duo,quorum matrimonium ob certum occultum impedimentum erat inualidum, post susceptos liberos quatuor annis simul cohabitarunt in eadem domo expectantes dispensationem, separati tantum à toro, continentes se à venereis,non secus ac frater,& soror. Deinde quod Papa Lucius tertius in capit.consultationi.de frigid.& malef.definit,posse duos matrimonio iunctos viuere coniunctim, vt frater & soror: licet non valeat eorum matrimonium ob coeundi impotentiam. Cuius argumenti vim non tollet,qui responderit, quòd ea impotentia eos à peccato præseruabat, tum quia poterat alter esse potens, tum quod experien

experientia cõstat, multa eaque turpissima esse peccata inter multos, qui tametsi nõ sint ad copulam apti: sunt tamen ad se polluẽdum, & sordidæ & fœdæ delectationi indulgendum: & de iis quidem loquitur prædictus Papa, si satis eius verba expendantur. Tertio, quod non expedit nimis adstringere pœnitentem: quia qui nimis emungit, elicit sanguinem, Prouerb. cap. 30. & capit. denique. 4 dist. Quarto, quod multum interest inter peccatum, & occasionem peccandi, quippe nõ licet vnquam ad peccatum redire: ad occasionem autẽ licet ob multas causas, quatuor prædictis concurrentibus. Quinto, quod non est opus credere, nunquam in posterum se mortaliter peccaturos per dictum Innocent. approbatum, & superiùs adductum, in capitul. omnis, de pœnit. & remiss.

17 Secunda respõsio, quæ ex prædicta definitione colligitur, est, quod rectè faciunt confessarij, absoluendo multos adolescentes, qui versantur inter mulieres, emendo, vendendo, laborando, & conuersando absq; cohabitatione illarũ in eadem domo: licet non proponant, perpetuò abstinere ab occasione peccandi, quam id illis præbet, quamuis sæpius peccent voluntate, verbis, aut tactibus impudicis, & etiam copula. Quia occasio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, non est ex se peccatum mortiferum: neque huiusmodi, vt fere semper faciat mortaliter peccare eos, qui ea vtuntur: & consequenter proposita definitio occasionis propinquæ non conuenit illi.

18 Tertia, quod non potest absolui miles, qui vult redire ab bellum, quod credit esse iniustum: neque qui vult redire ad suam Necromatiam, vel superstitionem, aut exercitium vsurarum, aut cambiorum vsuriorum, aut contractuum iniustorum, & alia similia: quæ exerceri sine peccato mortali non possunt, iuxta mentem S. Thom 2.2.q 169 art. 2. ad 4. & 4. lib. sent. dist. 16 q. 4. arti. 2. q. 3. in corpore quæst.

19 Quarta responsio, quod non possunt absolui concubinarij publici, iuxta Angelum in verbo concubinatus, neque etiam hi, de quibus id scitur ab aliquibus, iuxta Siluestr. eo. verb. quia est occasio, quæ in se est peccatum mortale ob scãdalum, quod scientibus præbet, vnde conuenit ei prima pars propositæ definitionis.

Quinta, quod regulariter nõ possunt absolui cõcubinarij, quantumuis occulti, vt dicemus infra capi. 16. nu. 20. & sequ. quia confessarius, vel pœnitens debet credere, quod nunquam, aut raro, si simul viuãt, omittent peccare mortaliter voluntate, verbis, vel opere. Dixi: Regulariter: quia recte poterunt absolui concurrentibus quatuor prædictis, quæ sufficiunt, & sunt necessaria, vt confessarius & pœnitens credant nunquam, aut raro futurum relapsum per rationes in secunda responsione adductas.

Sexta, quod non potuit absolui quædam concubina, nolẽs omittere occasionem & voluntatem vtrandi suum concubinum ægrotantem, & tenendi, aut porrigendi ei candelam in agone mortis, si sciebatur, eius esse concubina: quia est occasio, quę in se est peccatum ob scandalum, quod datur, immo neque si nesciebatur, nisi concurrerẽt illa quatuor quæ diximus debere concurrere, supra nume. 15 quem concursum equidem non crederem interuenire: nisi illa conciperet propositum adhortandi eum, saltem generatim & sincerè ad pœnitẽtiam peccatorũ præteritorum, vt eorum memoria per præsentiam renouata sit potius theriaca, quàm aconitum. Nam tunc quia cessaret ratio prohibitionis, cessaret quoque prohibitio, capitul. cum cessante, de appel.

20 Septima, quod cõfessarius potest iustè absoluere illam hospitam, quæ hospites excipiẽs, quoties quẽdam certum excipit, habet rem occulte cum illo: modo statuat, & polliceatur nũquam in posterum se recepturam eum, etiam non data alia cautione, quia nullus est textus, neque ratio, quæ probet, aliam cautionem esse præstandam. Immo, concurrentibus prædictis quatuor, posset eam absoluere sine huiusmodi proposito, & promissione, quando absque magno detrimento, & scandalo nõ posset eum ab hospitio suo prohibere: modo proponeret, ac promitteret, nunquam se solam cum eo solo in aliquo cubiculo separato versaturam: & dicturam, se præteriti ex animo pœnitere, & iam confessam fuisse, proposuisseque, nunquam se amplius cu eo peccaturam.

21 Octaua responsio, quod possunt absolui, sine separatione, cognatæ, ancillæ, ac famulæ, quæ rem habuerunt cum suis consanguineis, dominis, vel heris, in quorum domo

degunt, cõcurrentibus quatuor prædictis: quorum quartũ, scilicet causa notabilis, est quod non possunt sine magno incommodo, & detrimento separari.

Est tamen quæstio notabilis: An possint absolui prædictæ iterũ absq; separatione, si recciderint? & videtur nobis posse, concurrentibus prædictis quatuor. Et idem dicendum arbitror de tertia, & quarta vice, quia nõ solum semel, aut bis, vel septies: sed etiam septuagies septies est parcendum. Matth. 18. & Luc. 17. & capi. septies. de pœnitẽ. dist 3. & quia quotidie absoluimus multos qui quorãnis recidunt: & quia recidere non est necessarium argumentum ad iudicandum pœnitẽtiam præsentem, vel præteritam non fuisse, aut non esse veram: quod probat Gratianus, distinct. 3. de pœniten. per totam. Veruntamen ipse, si essem confessarius, nõ absoluerem eas, si viderem, quod vicibus præteritis nulla emendatio, neque inchoatio eius exticisset: ne si circunstantiæ infirmitatis, pusillanimitatis, & magna propensio earum ad peccandum & diffidentia, quam habent illæ de pœnitudine alterius partis mihi persuaderent, quod nisi separarentur, nulla consequeretur emendatio. Et facilius negarem absolutionem famulæ, quàm cognatæ, & cognatæ, quæ non esset in primo gradu, quàm ancillæ, quia facilius possunt separari aliæ, quàm aliæ. Et ante absolutionem præciperem eis, vt forti, & Christiano animo dicerẽt personis, quibus cum degunt, & peccant, negari sibi absolutionem, nisi separentur, obsecrarequæ vehementer

menter per Deum, vt ineant rationem, qua honeste ab illis separentur, alioqui se confessario obediturã, quo pacto absoluerem eas: quia mihi viderentur satis quatuor prædicta concurrere: & postea quamuis non sequeretur separatio: si tamen consequeretur notabilis emendatio, eas iterum absoluerem spe maioris correctionis futuræ, commendata re Iesu Christo domino nostro, & vtendo prudentia, & varia circumspectione, quæ ob varietatem circumstantiarum adhiberi deberet, proposito ante oculos primũ remedio spirituali animarum: deinde etiam honoris, & bonorum temporalium, quantum fieri posset. & nonnunquam vterer erga ancillam eo remedio nouo, quod ponimus infra c.16.nu.22.

22 Nona responsio, quod idem dicendum est de illo, qui occulte rem, aut impudicos tactus habet cum aliqua consanguinea, aut alia sibi amica in alia domo degente; scilicet, eum absolui posse sine proposito numquã ingrediendi ad eam: quamuis ego adigerem eum, vt proponeret, se numquam solum cum illa sola sine maxima causa in eadẽ camera versaturum: & vt admoneret eã, se pœnitere peccati cum ea cõmissi, & confessum esse: rogareteque eam, vt idem faceret, persuasumque sibi haberet, frustra eam cogitaturam, se ampliùs rediturum ad illud peccatum, vel se solum cum ea in aliqua secretiore parte conuersaturum.

23 Decima, iuste fuisse responsum cuidam aulico, qui adsistens de more curiæ Reginæ mensæ adeo blande cum quadam nobili eidem mensæ adsistenti colloquebatur, vt non solum se oblectaret sermone, & cogitatione sordidis: sed etiam turpi se pollutione interdũ fœdaret. Fuit enim responsum, ipsum non posse absolui nisi statueret, numquam se imposterum sic conuersaturum cum ea, etiam si versaretur animo ducendi eam in vxorem, & pares ad id essent. Quoniam illa occasio est in se peccatum mortale, & consequenter propinqua, quæ necessariò euitari debet per primam definitionis partem.

24 Quinimmo addo, non satis esse, vt proponat, se cum illa in posterum nõ sic versaturum: quia necesse est, vt proponat, se non versaturum, etiam alio modo ex se licito: de quo tamen crederet, suam imbecillitatem & amorem erga illam eiusmodi esse, qui quasi semper eum induceret ad peccandum, quoties cum ea sic versaretur. Id quod etiam est dicẽdum de puellis nobilibus adstantibus Reginarum mensis: & de adolescentibus, & adolescentulis nobilium, & rusticorum, qui in aliquibus partibus conueniunt, & mutuo sese miscent, & contingunt: & dum choreæ ducuntur, & alia spectacula fiunt, illi in illarum gremiis recumbunt, fingentes id facere quò illæ capita eorum vermiculis purgent: interdum impudice se se tangentes, & amplectentes, & facientes id genus alia, dignissima, quæ à concionatoribus publice reprehendantur.

Vndecima, quod possunt absolui, concurrentibus prædictis quatuor, qui sunt in facie ecclesiæ coniugati & propter legitimum aliquod occultum impedimentum non valet eorum matrimonium; expectantque dispensationem; vt denuo contrahant; & ex separatione sequeretur notabile incommodum per supradicta nu. 16.

25 Duodecima, quod etiam absolui potest ille, qui ob esum rerum calidarum incidit in adeo graues carnis intẽperationes, vt eum aliquando impulerint ad consentiendum pollutioni, vel fornicationi, sine proposito numquam in posterum sic edendi, concurrentibus quatuor prædictis. Immo credo, quod in hoc casu sufficeret concursus trium priorum quia occasio non est propinqua: quippe quæ non est in se peccatum mortale: neque facit quasi semper mortaliter peccare illos, qui ea vtuntur. quod tamen intelligendum est de illo, qui non comedit sic in hunc malum finem: nam si comederet in eum, illud esset in se peccatum mortale: & consequenter esset necesse statuere, numquam se illa vsurum.

26 Decimatertia, quod etiam potest absolui, concurrentibus prædictis quattuor, qui ob sermonem, vel confabulationem, choream, vel amplexum alterius iuxta honestam patriæ consuetudinem, sæpe per delectationem morosam, & deprauatam voluntatem peccauit, absque proposito nunquam ea occasione vtendi: quo etiam in casu credo sufficere concursum trium priorum. Quoniam hæc occasio non est ex iis, quæ sunt in se mortiferæ: neque ex iis, quæ fere semper ad mortifere peccandum nos inducunt.

Decimaquarta, quod idem est dicendum de viro fundente clysteres mulieribus, & de femina eosdem fundente viris: & de chirurgo, & medico, qui medendis pulchris feminis in locis secretioribus sæpe peccarunt, saltem morosis delectationibus, & libidinosis ac deprauatis voluptatibus.

Decimaquinta, quod idem item est dicendum de confessario, qui, quoties audit confessionem certæ cuiusdam personæ peccat: & de pœnitente, qui idem facit, quoties confitetur certo cuidam cõfessario consueto: & non possunt commutare sine aliqua magna noxa: poterunt etenim absolui sine mutatione, concurrentibus quattuor prædictis.

27 Decimasexta, quod idem est dicendum de persona, quæ ex eo, quod ducat aliam manu, aut ducatur ab alia: vel quia videt lauantes feminas in flumine, aut viros natantes: aut ex adspectu pedum, crurium, pectorum, cinctuum, bracharum: perizomatum, aut aliorum eiusdem generis sæpe peccauit. Quamquam optimum esset cauere ab iis omnibus, quando ex eo non sequeretur notabile damnum.

De potestate, scientia, & bonitate confessarij. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius debet habere potestatem, scientiam & bonitatem.*
2 *Sacerdos non omnis potest audire confessiones.*
3 *Sacerdos non omnis habet iurisdictionem actualem.*
4 *Sacerdos in articulo mortis quos soluit absoluit:*

5 *Et quam extra illam nu. 6. & 7.*
8 *Confessarius quis perfectus, & quis sufficiens.*
9 *Confessarius audiens ex præcepto minoris scientiæ indiget, quam audiens sponte & nu. 10.*
11 *Confessarius potest esse qui idoneus vni loco & non alij*
12 *Confessarius non est sufficiens absque iusta scientia, & soluendi potestate.*
13 *Confessarius imperitus qui excusetur à culpa.*
14 *Prælato præcipienti audire cõfessiones quis subditus non paret.*
15 *Confessarius absoluens in peccato peccat; sed valet absolutio*
16 *Absolutio sacramentalis quod sit actus iudicialis est de fide.*

CIrca hoc caput de potestate, scientia, & bonitate confessarij dicimus. Primo, confessarium debere pollere potestate, c. 1. in princ. de pœnit. dist. 6. & quæ ibi diximus. Item scientia, d. c. 1. §. caueat. & quæ ibi tradidimus. Item bonitate, vt recte suo munere perfugatur, dict. c. 1. § laboret: & sacerdos. & quæ ibi scripsimus.

2 Et potestas quidem consistit in hoc, quod sit presbyter habens iurisdictionem actualẽ, ordinariam, vel delegatam, quæ ad peccata sibi confessa extendatur, cap. adiicimus. §. ecce. & cap. generaliter. §. ecce. 16. quæst. 1. & Concil. Trident. sess. 14. cap 6. & 7. & tradit sanct. Thom. in 4. lib. senten. distin. 17. quæst. 1. art. 3. quæst. 4. & Quolib. 12. & 31. Opusc. 19. cap. 4

3 Quo efficitur, vt non omnis sacerdos eo ipso, quo sacerdos est, ad id idoneus sit. Quia licet per sacerdotalem characterem accipiat potestatem, & iurisdictionem habitualem ad absolutionem (quidquid aliqui Neoterici contra prædicta iura perperam dixerint:) actualem tamen, quæ ad id necessaria est, non recipit; puta ordinariam, vel delegatam à summo Pontifice, seu Vicario, vel à Parocho: vel saltem vt ratione bullarum, vel propter alias concessiones possit à pœnitente eligi tamquã proprius sacerdos. Nam aliter neque in Quadragesima, neque alio tempore potest valide, & efficaciter absoluere, iuxta Panor. communiter receptum in c. omnis de pœnit. & remiss. nu. 7. & Adrian. de confess. dub. 8. & nos latius in cap. placuit. nu 8. de pœnit. distin. 6. tradidimus (circa quod aliqui, etiam docti, decipiuntur:) præterquam in 4 mortis articulo, in quo quilibet simplex sacerdos potest audire confessiones, & à quacunque censura, & quibuscunque casibus absoluere, arg. cap. quod de iis. de sent. excom. cap pastoralis. §. præterea. de offic. ordin. & cap. si quis suadente. 17. q. 4. & ea, quæ latius scripsimus in c. 1. nu. 73. de pœnit. distinct. 6. & tradit S. Thom. vbi supra, & nuper declaratum est, & optime à Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. adiecta tamen modificatione infernus apposita in princ. cap. 26. nu. 4.

5 Ab hac etiam regula excipiuntur illi, qui non habent, nisi venialia, aut mortalia alias rite ac legitime confessa: quos quilibet sacerdos audire potest, secundum Caiet. in summa, verb. absolutio. quod quidem non ea de causa licet, quod ad id non opus sit iurisdictione ordinaria,

ria, vel delegata, vt illẽ ait: sed propter aliam rationem, quam nos, illius confutata, dedimus in cap. placuit. nu. 22. de pœnit. dist. 5.

6 Porro in primo horum duorum casuum, quos excipimus; puta in articulo mortis poterit etiam religiosus sine licentia sui superioris valide, & licite absoluere: quoniam tunc ab ipso Papa habet eam, saltem tacitam. At in secundo casu; nempe quando non sunt, nisi venialia, aut mortalia iam rite & legitime confessa non potest licite absoluere: quamuis valeat absolutio, secundum doctrinam Palud. in 4. lib. sentent. dist 17. quæst. 3. à S. Antonino, 3 part. tit. 17. c. 1. Angelo, in verbo confessio. §. 4. & aliis receptam; nempe religiosum non posse audire confessionem aliquam, nisi ad hoc à prælato suo fuerit tamquam idoneus expositus: etiamsi pœnitens alias ex priuilegio summi Pontificis possit quemcumq; sacerdotẽ, siue sæcularem, siue regularem eligere: eo quod religiosus non habet velle, neq; nolle, cap nullus. c. quorũdam. de elect. lib. 6. Quod sane, iudicio meo, debet intelligi de illo religioso, cui aliquo statuto suæ religionis, vel mandato sui superioris est negata facultas audiendi confessiones: non autẽ de aliis. Tum quia nullus textus, neque ratio efficax reperitur, quæ opinionem Paludani contra illos fundare valeat. Tum quia religiosus in multis habet velle, & nolle, iuxta S. Thom. communiter receptum 2 2. quæst. 104. articul 5. & Dominic. in prædicto cap. quorundam Tum etiam, quia audire confessiones est opus charitatis: & quemadmodum religiosus absque alia superioris sui licentia, dummodo sibi præceptis non desit, neque prohibita transgreditur, potest pacem componere inter duos inimicos, & bonum consilium dare consulenti ipsum: ita etiam poterit, & fortiori ratione, componere pacem inter Deum, & proximum; vt saluetur. Tum denique quia hoc obseruant communiter regulares, aliique plurimi religiosi, quibus nullum est statutum, aut præceptum contrarium.

7 Secundo dicimus, quod quamuis clerici sæculares non possunt alij aliorum audire confessiones post Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. sicut poterant antea: possunt tamen alij religiosi, qui ante illud poterant virtute suarum bullarum confiteri clericis sæcularibus idoneis. De quo tamen dubitat quidam vir doctissimus. Cuius dubium auferri potest ea consideratione, quod per dictum Concilium, vt ex eius contextu facile apparet, nihil mutatur quo ad illos. Sic enim habet: *Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopo per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliqua idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Per quæ verba non prohibentur regulares audire

confessiones: & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus innenitur expressum l. præcipimus. C. de appellat. & c. 2. de transl. prælat. Illa item consideratione, quod ratio, quæ mouit mutare illud in sæcularibus, qui regulariter sunt in hoc distractiores, & negligentiores, non habet locum in religiosis, qui regulariter sunt in eo circumspectiores, & diligentiores. & ita cessant verba, & ratio, qua sola cessante, lex quoq; cessat, l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronat. & c. cum cessante. de appellat. etiam si verba non cessarent: quæ tamen in hoc casu cessant.

8 Tertio dicimus, quod confessarius, vt sit perfectus, & vt solus possit de omnibus discernere, debet probe tenere atq; callere sacramentalem & moralem Theologiam, vtriusque iuris peritiã, & cõstitutiones Synodales illius religionis, in qua audit confessiones: vti nos probauimus in d. §. caueat. nu. 9. veruntamen, vt sit sufficiens muneri suo obeundo, satis, & necessarium est, vt libros, siue Græcos, siue Latinos, siue vulgares relegens, diligenterq; secum considerans intelligat, quæ peccata ex iis, quæ illi, quos audit, communiter perpetrant, sint mortalia, quæue venialia; & quæ circumstantiæ sint necessario confitendæ; quibusq; criminibus annexa sit excommunicatio; quæ sint peccata reseruata; quæque restitutionem expostulant: vel saltem sciat dubitare in iis, quæ alij mediocriter eruditi intelligunt; vt nouerit consulere peritiores quo modo, & quando agendum sit id, de quo dubitat. Quod si auditurus sit clericos debet etiam scire illos casus, in quibus irregularitas incurritur: aut saltem nosse dubitare circa illos, vt nos probauimus in dict. §. caueat. nu. 17. Quæ quidem resolutio fundatur, partim in dictis S. Tho. lib. 4. senten. distin. 17. in expositione textus, siue literæ, & in cap. omnis. verbicul. sacerdos de pœnit. & remiss. & Caieta. in summa. verb. confessori necessaria, & aliorum doctorum. Partim in eo, quod vnusquisque nosse debet id, quod illi necessarium est ad suum munus & officium rectè exercendum, cap. non est sine culpa. de regulis iur. lib. 6. & l. illicitas. §. penult. ff. de offic. præsid. cum eis adnotatis. etiam lege naturali, iuxta illud Persij:

Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.

Partim, eo quod scientia eminens non est necessaria: quoniam satis est illa, quæ dicitur sufficiens, iuxta Innoc. receptum in c. cum in cunctis. de elect. Partim quod ecclesiæ primitiuæ presbyteri nihil amplius, quam quod dictum est, sciebant. Partim, quod satis est in iudicio exteriori mediocrem quandam causarum peritiam habere, vel saltem aliquem adsessorem, vt sit iudex, l. certi. C. de iudic. & c. statutum. §. adsessorem. de rescript. lib. 6. Partim, quod mille ab hinc annis in tota ecclesia Christiana ita communiter obseruatum esse videtur.

9 Ex qua resolutione sequitur primum, non esse valde iuri consonam illam differentiã Durandi receptam à S. Antonin in 3. par. tit. 17. c. 16. aliisque doctoribus, & à nobis etiam in præcit

præcitato §. caueat. quam constituit inter confessarios, qui ex obedientia, & charitate onus confitendi assumunt, & inter eos, qui sua sponte ad id faciendum sese offerunt. Videlicet, quod ij, iuxta illos, tenentur de omnibus sibi à pœnitente propositis iudicare, An illud sit mortale, nec ne? An habeat restitutionem, aut excommunicationem annexam? An contractus sit licitus, vel illicitus? An impediat cõmunionem nec ne? Ille autem, qui ex obedientia, & charitate id oneris suis humeris imponit, non obligatur ad amplius, quam ad id, quod dictum est. Quoniam hæc differentia nullo canone comprobatur: & quoniam si vera esset, pauci, aut nulli ex confessariis sæcularibus salui fierent: & quia obedientia non liberat à peccato illum confessarium, qui cognoscens se non intelligere, quod opus est ad audiendum confessiones, eas audit, sicut asserit idem diuus Anton. vbi supra. Solum enim excusat illum, qui dubitat, an ipse sciat, quod sufficit, an non? argu. cap. quid culpatur. 23 q. 1. Tum quia §. sæpe. l. 1. ff. deposit. ad hanc sententiam allegatus à remotis agit, & nihil concludit. Primum quia agit de illo, qui se gratis offert ad depositum custodiendum.

10 Deinde quia quamuis dicat, huiusmodi depositarium teneri ad resarciendum damnum, quod sua culpa contigit, ad quod alias nullatenus teneretur, cap. 1. de depos. non tamen dicit (vt quidam illi falso imponunt) teneri ad illud damnum, quod culpa sua leuissima acciderit: & consequenter debet intelligi de leui culpa, vt recte annotauit Dec. in l. contractus. col. 1. ff. de regul. iur. Quibus accidit, quod qui gratis se offert ad custodiam depositi, non debet ad amplius obligari, quam ille, qui propter stipendium idem facit, vt sentit Gregorius nonus in præcitato cap. 1. de depos. Eum autem, qui ratione stipendij aliquid custodiendum recipit, non obligat culpa leuissima, licet obliget legis, dict. cap. 1. & qui tunc huic oneri sponte sua se offert (vt plurimum) propter aliquod stipendium, quo vitam suam sustentare valeat, facit. Denique quod Panor. & Imol. qui tenent cum communi sententia, depositarium sponte se offerentem obligari ad culpam leuissimam, fundantur in eo, quod huiusmodi depositarius præsumitur accipere depositum propriæ tantum vtilitatis intuitu: & consequenter videntur sentire, quod si constaret, illum se se huic labori obtulisse intuitu illius, qui deponit, non esset tunc obligatus, nisi ex dolo, vel lata culpa, quod si intuitu vtriusque id fecerit, tunc teneretur ex lata culpa, & leui. Manifestum est autem, confessarium onus audiendæ confessionis assumere principalius, aut æque principaliter propter pœnitentem, & in eius gratiam, quam propter se: & consequenter non tenetur, eo quod se obtulit, ad amplius, quam ad vitandum culpam latam, aut leuem: & id, quod cõmuniter eidem officio operam nauantes cuitare solent, & sibi cauere ab eo, quod iuxta talis muneris naturam videntur obligari. Et hoc in toto orbe videmus communiter obseruari.

Secundo sequitur, quod non qui-

cunque est idoneus ad audiendam confessionē alicuius certæ personæ, vel in aliquo certo loco est idoneus ad audiendam confessionem quorumuis aliorum, & in quocūque loco. Pro quo facit illud Pragmaticæ sanctionis Gallicanæ, tit. de collat. §. in ecclesijs. adiuncta glo. in verbo muratis. quatenus sentit, in oppidis muro cinctis habiliores rectores, seu parochos poni debere. id, quod multis errandi occasionem tollit.

11 Tertio sequitur, quod qui audit confessionem in aliquo vico, aut pago rusticorum & simplicium hominum non tanta eget scientia quanta ille, qui audit in ciuitate: neque qui audit in ciuitate mediterranea tanta, quanta qui in ciuitate maritima: nec qui in maritima tanta, quanta qui in vniuerso quodam Regno, vel India: nec qui audit vbi sunt multi viri litterati, quos possit consulere, vt vbi nullus est talis.

12 Quarto sequitur, quod confessarius, qui nescit discernere, in quibus casibus possit, aut non possit absoluere: neque differentiā inter maiorem & minorem excōmunicationem: vel ignorat peccata mortalia communia, aut simplicem fornicationem, aut voluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter esse peccatum mortale: vel quameumque superbiam, iram, inuidiam, aut guiam existimat esse mortalem: vel circa dubios contractus, saltem dubitare, minime nouit, non excusatur à culpa, quantalibet bona vita, conscientia subtilitate, & ingenio naturali præfulgeat ad alia munera obeunda. arg. cap non est putanda. 1. q. 1. Et quod ille, qui eiusmodi confessarios ad audiendum cōfessiones præfecit, vel præfectos tolerat, multo grauius peccat. arg. notatorum in glo. cap. 1. de offic. delegat. & affirmāt Albertus Magister sancti Thomæ, Bonauen. & alij in 4. lib. sent. distin 17 & distinctius B. Antonin. 3. par. tit 17. cap. 6. §. 1.

13 Quinto dicimus, veram esse illam sententiam S. Anton. vbi supra, videlicet, huiusmodi confessarium imperitum in tribus casibus excusari posse. Primus est, quando is, qui confitetur, est valde sibi ipsi sufficiens ad suorum peccatorum grauitatem confessario exponendam, & reputatur habere rectā conscientiam. Secundus casus est, quando confitentes sunt personę spirituales solitæ sæpe confiteri: & perinde cōmuniter nō aliis, quam peccatis venialibus tenentur. Tertius est quando pœnitens est in articulo mortis, & non adest alius, qui possit eum audire præter illum. Qua eadem ratione idem videtur dicendum de confessario, qui est apud infideles, Sarracenos, vel Gentiles, penes quos sunt Christiani liberi, vel serui catenis vincti, vel soluti, quibus non est copia confessarij peritioris. arg. c. 1. § fi. ne sed vacan. lib 6 & l. generaliter. §. spurios ff. de Decur.

14 Sexto dicimus, quod etiam qui obedientiæ præcepto confessiones audit, iudicando se ad id non esse idoneum, peccat. Nam neque prælatus id ei debet præcipere, arg. 1. ad Timoth cap. 1. & cap. nihil. de elect. & cap fi. eo. tit. lib. 6 neque subditus, si non est idoneus, debet id acceptare. cap. non est putanda. 1 q. 1. At si dubitat de sua sufficientia, poterit prælati

prælati sese præcepto conformare, arg. cap. quid culpatur. 23. q. 1. & eorum, quæ tradit diuinus Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. & lib. senten. distin. 19. art. vlt. ad 3 saltem si nouerit, prælatum id muneris ei non iniunxisse ira odio, amore, vel cupiditate permotum. Superior autem cum secura conscientia poterit hoc illi præcipere, si iudicat, illum idoneum audiendis confessionibus, quibus eum præficit, iuxta id, quod dictum est, arg. c. apostolicæ. de cler. excom. minist. & c. innotuit de elect.

15 Septimo dicimus, quod bonitas confessarii ad minus debet esse tanta, vt sit, vel probabiliter credat, se esse extra statum letiferæ culpæ, c. 1. §. caueat. & §. laboret. de pœnit. dist. 6. Nam si in eo statu audiret confessiones, & absolueret, mortalis culpæ reatum incurreret, quia omnis, qui recipit, vel administrat sacramentum in peccato mortali, mortaliter peccat, cap. illud. 95 distin. & cap. per Isaiam. 1. q. 1. & tradidimus nos post sanctum Tho. in 3. par. q. 64. art. 6. & 4. lib. senten. dist 5. q. 2. art. 1. quæst. 1. in cap. quando. de consecrat. distin. 1. cap. 6. nume. 43. & seqq. licet eius absolutio communiter valeat, arg. c. maledicam. & dicti c. per Isaiam 1. quæst. 1.

16 Octauo dicimus, quod postquā hæc fuerunt typis excusa, declarauit sanctum Conc. Trid. sess. 14. can. 9. & 10. hæreticum eum, qui dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, etiam si sacerdos non serio, sed ioco absoluat: Eum item, qui dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, vt sacerdos eum absoluere possit. Eum item, qui dixerit, sacerdotem, qui in peccato mortali est, potestatem ligandi, & soluendi non habere, & ita absolutionem ab eo impertitam nō esse validam, vel eum, qui non est presbyter, posse sacramentum absolutionis conferre.

De his, quæ confessarius debet pœnitentem interrogare, & qua prudentia id facere debet.

Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius quis debet interrogare sub pœna culpæ mortalis. nu. 2.*
3 *Confessarius interrogando seruet hec tria.*
4 *Et circa peccata carnis hoc.*

1 Dicturi de iis, quæ confessarius tenetur pœnitentem interrogare, & qua prudentia id agere debet, præiupponimus. Primo, quòd is, cui iniunctum est aliquod onus, debet illud rectè subire, c. non est putanda. 1. q. 1. & c. iudicantem. 30. q. 5

Secundo præsupponimus, hoc esse præcipuum confessarij munus, ideoque prudenter exercendum, ac subinde interrogandum pœnitentem id, quod expedit, & non amplius, iuxta illud Augustini relatum à Gratiano in cap. 1. de pœnit. distin. 6. §. Diligens, & à Magistro in 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dict. 19. *Diligens confessarius sapienter interrogat peccatorem, quod forsitan ignorat, vel verecundia vult occultare.* quibus verbis addit Beatus Tho. in 4. dist. 19. in expositione litteræ, confessarium teneri se utari conscientiam peccatoris, sicut solet medicus ægritudinem ægroti, & iudex causam litigantis.

2 Ex quibus infertur. Primò, verũ esse illud Angeli in Summa verb. interrogationes. in principio, quod nos latius tractauimus in dicto §. diligens. nempe confessarium teneri sub pœna peccati mortiferi ad interrogandum omnia, quæ ipse videt, animaduertit, & credit esse necessaria ad hoc, vt confessio sit integra & fructuosa, cuiusmodi est quod ipse existimat, pœnitentem velle silere ob ignorantiam, inconsiderationem, aut obliuionem, arg. cap. sit rector. 41. distin. Nam hoc ad suũ munus pertinet, c. omnis. de pœn. & remiss. sed nõ est eiusmodi, quod (suo iudicio) pœnitens, aut intelligit, aut aduertit, neque præ obliuione verecundiane prætermittit. tunc enim potest sibi persuadere, pœnitentem id non perpetrasse, vel iam aliàs fuisse confessum. quamuis omittere aliquam interrogationem per inaduertentiam, aut obliuionem non videatur esse mortiferum, arg dicti cap. sit rector. & eorum, quæ in prælud. 7. & in repet. c Inter verba. 11. q. 3. diximus. Equidem ex confessionibus, quas audiui, intelligo, duas interrogationes esse maximè necessarias. Alteram de numero peccatorum, cuius expressio est necessaria, vt dicetur infra in cap. 6. quia video paucos exprimere: Toties peccaui in hoc, & toties in illo: immo sibi satisfecisse videntur, dicendo: Sæpe, sæpius, aut: Infinitis vicibus: quod non sufficit. Alteram de specie particulari eius, quod generaliter confitentur. quoniam adeo generaliter confitentur nonnulli, vt nequeat satis intelligere confessarius, an sit peccatum veniale, an mortale, vt declaratur supra cap. 2. nu. 6.

3 Infertur secundo quòd confessarius debet obseruare illa tria, quæ nos in d. §. diligens. nu. 2. & sequen. comprobauimus. Primum est, vt nõ interroget omnia, quæ pœnitens poterat commisisse: sed tantum illa, quæ homines eiusdem qualitatis efficere solent, arg. cap. de testibus. cum his, quæ in dicto §. diligens. citauimus. Vnde nec nobilem laicum debet interrogare illa, quæ communiter soli ecclesiastici solent facere. Secundum est, vt solum interroget consueta peccata, quæ ferè omnes nouerunt: qualia sunt transgressiones vitatiores præceptorum Decalogi, & septem crimina capitalia, & omissiones circa quattuordecim articulos fidei, & circa septem Ecclesiæ sacramenta, & opera misericordiæ, & circa custodiam quinque sensuũ, & alia huiusmodi. Non autem interroget peccata occultiora, quæ perditissimi homines inuenerunt: vel si forsan de his verbum fecerit, ita caute & dissimulanter faciat, talibusque circumloquiis vtatur, vt si pœnitens illa commiserit, proferat: sin minus ea non ediscat.

4 Tertium, vt in peccatis carnalibus non descendat nimiùm ad peculiares circumstantias, singulas quasque

quasque minutatim interrogando, ne seipsum, aut pœnitentem ad aliquam delectationem alliciat. etenim quemadmodum docet Philosoph 3. Ethic. & Thom. quolib. 1. q. 5. art. 9. delectabilia tanto magis mouent, quanto particularius considerantur. Quocirca cum de pollutione voluntaria, & extraordinaria, vel de fornicatione interrogat, nihil de modo perpetrandi disquirat: satis est enim dicere, quoties id cõmiserit: modò id explicet, quod necessarium est ad ipsius peccati naturam & speciem dignoscendam, citra descensum ad aliquas turpes circumstantias peccati. Quod adeo verum est, vt nullatenus pœnitenti permittere debeat, nimis distinctè illas exprimere, vti post alios in dicto §. diligens diximus. & consequenter summatim tantum debet interrogare de osculis, amplexibus, aliisque tactibus impudicis eos, qui non sunt obstricti matrimonio: illos autem, qui obstricti sunt, magis perfunctorie, vel nihil prorsus, vel solùm ad intelligendum, an aliqua extraordinaria pollutio fuerit subsequuta: vel an illi tactus fuerint cum probabilis pollutionis periculo. Quoniam alia, aut non sunt peccata, aut non sunt nisi venialia, vti rectè Caietanus secunda secundæ quæstione 154. articulo primo explicuit, & inferiùs dicetur. Immo & cum circa hoc aliquid confessarius interrogauerit, honestis vocabulis vti debet, neque turpiter nominet, quod est turpe auditu, arg. principij procœmij Decretalium.

De circunstantiis peccati.

Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Circunstantia quid: & quæ sint eius species. nu.* 2.
3 *Circunstantia mutans speciem necessariò confitenda.*
4 *Circunst tia prohibita alicui lege, quàm ipsum peccatum vi confitenda.*
5 *Circunstantia extenuans peccatum quando confitenda.*
6 *Circunstantiæ quæ necessariò confitendæ. nu.* 7. *&* 5 *seqq.*
13 *Circunstantiæ personæ, & religionis quæ do confitendæ.*
14 *Circumstantia conscientiæ contrariæ quando confitenda.*
15 *Circunstantia numeri non est propriè circunstantia.*
16 *Peccati numerus vt augeatur iterando, continuando, & interrumpendo. nu.* 17. *&* 18.
19 *Pœnitens potest vno verbo mille peccata confiteri.*
20 *Circunstantia oblita potest confiteri, peccato non confesso.*

1 DE peccati circumstantiis dicimus. Primo, quod peccati circunstantia iuxta mentem iuris, cap. confideret. de pœnit. dist. 5. l. aut facta. ff. de pœnit. c. sicut dignum. de homicid. Pan. & aliorum interpretum ibidem, S. Thomæ 1. 2. q. 7. & in 4. lib. senten. distinct. 16 & omnium aliorum ibidem, & Anton. 3. par. tit. 17 cap. 17. §. 4. Gerson. 1. par. fol. 170. quos retulimus in principio dicti c. consideret. & alibi, est quoddam accidens actus humani, qui peccatum est. Dixi: Accidens: quoniam nulla circunstãtia actus est eiusdem sub-

Universidad de Deusto

stantia. Dixi: Actus humani, qui peccatum est: quoniam raro fit, vt actus, qui secundum se non est peccatum, fit tale ob adiunctam circumstantiam. Cum enim tunc ipsamet circumstantia sit illud, in quo peccatum consistit, non est accidens peccati: sed illius rei, quę peccatum est: sicut nos in d.c.conhderet.nu.3. elucidauimus, sequentes Alex. Halensem, in 4.par.q.77.art.2.col.2.

2 Secundo dicimus, quòd circumstantiæ actus moralis sunt septem, quæ continentur in illo versiculo: *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, relato à S.Tho. in d.q.7.art.3. in corpore quæst. qui magis nobis placet, quàm illud Palud.in 4.dist.16.q.3.art.1. vti nos diximus in princ.dicti c.conhderet.nu.4. Quoniam in illo Palud.ponitur verbum, Quoties, quod numerum denotat, loco, Quibus auxilijs: & numerus non est circunstantia: sed potius peccati multiplicatio, vt ibidem tradidimus.

3 Tertio dicimus, quod harum circumstantiarum omnes illæ, & solæ in sacramentali confessione necessariò exponi debent, quæ efficiunt opera, quorum sunt circunstantiæ, peccata mortalia: vel quòd illa: quæ sunt mortalia vnius speciei, fiant etiam, vt sint alterius: vel quod est mortale ob vnã causam, fit etiam propter aliam: siue mutent opera ipsa ex vna in alteram speciem, siue secus: iuxta cõmunem opinionem, quam copiosè ibidem, nu.5 pertractauimus. & solæ illæ, & omnes sunt huius generis, quæ secundum sanctum Tho.in dicta dist.16.q.6.art.2. q.3. vltra, malitiam eiusdem operis habent specialem repugnantiã cum ratione. Secundum Scotum verò illæ sunt in confessione aperiendæ, quæ diuersis, specialibusque præceptis prohibentur.

Diximus: Specialibus: quoniam non sufficit esse talia quòd vnum in altero includatur: qualia sunt lex prohibens omne malum, & prohibens homicidium, quod etiam in dicto principio, nume.74 probauimus & in corollarijs sequentibus speciatim explicabimus. Ante quorum explicationem admonemus, quòd postquam hæc fuerunt Hispanè excusa, Conc.Trid.sess.14. cap.5. & can.7.definiit, hæreticum esse, qui dixerit, nos non teneri ad confitendum circumstantias, quæ peccati speciem mutant. quod quidem est intelligendum de circumstantia, quæ speciem peccati venialis mutat in mortale: vel speciem vnius mortalis in aliud mortale: non autem de illa, quæ mutat speciem vnius venialis in aliud veniale, quod non est necessariò confitendum iuxta glo. cap.omnis.de pœnit.& remiss. receptam ibi, & in 4.lib.senten.distin.17. Et quamuis prædictum Conc non loquatur expresè, nisi de illa circumstantia, quę mutat speciem peccati, intelligendum tamen est etiã de illa, quæ opus alioquin ex se bonum, vel saltem non malum, facit mortiferum: immo etiam de illa, quæ facit, vt opus, quod ob vnum respectum est mortiferum, fit tale ob alterum: quamuis species operis quantum ad suam essentiam minimè mutetur. quoniam, circumstantia, quæ facit de bono malum, vel de veniali mortale, vel de mortali vno

vno respectu, vt sit tale altero, dici potest mutare speciem vt non ita multo post dicetur infra in illat.q. nume.5. & sequen. Ratio enim, quæ ad hoc definiendum Cõcilium mouit, est, quod confessarius est iudex, qui in causa pœnitentis non posset æquam ferre sententiam absque manifestatione circunstãtiæ, quæ mutat speciem peccati: quæ quidem ratio militat etiam in tribus prædictis circunstantijs: quare idem iuris debet esse de omnibus, Lillud.ff.ad legem Aquil.

Ex prædictis infertur. Primo, non esse confitendas illas circunstantias, scilicet esse peccatum commissum in secunda. vel tertia feria, aut in prato, vel vinea, manu dextra, vel sinistra: quoniam per has nullum prædictorum trium fit, siquidem non fit mortale, quod sine illis non esset tale, neque etiam fit lethale alterius speciei, neque alio respectu.

Infertur secundo, quòd peccans ob fiduciam, quod postea per confessionem veniam obtinebit, non tenetur de necessitate id confiteri: quia non est circunstãtia adeo peccatum aggrauans: immo potius minuit vt inquit Caietan.2.2.q.121.art.2.quidquid Bonauent.in Apolog.insinuauerit.

4 Infertur tertio, quòd is qui furatus est aliquid sacrum, vel ex loco sacro, non satisfacit dicendo, se id furtum fecisse: sed oportet exprimere, esse rem sacram, vel de loco sacro surreptam. Nam hæc circunstantia efficit, vt quod est mortale vnius speciei, aut vno respectu, fiat etiam alterius, vel altero respectu: eo quòd specialiter prohibetur lege particulari alia distincta ab illa, quæ furtum prohibet, quæ quidem præcipit, ne quid sacrum, aut de loco sacro surripiatur, capi quisquis 17.q.4. Id quod etiam est dicendum de homicidio & fornicatione in loco sacro perpetratis: per hanc enim circunstantiam fiunt mortalia alterius speciei, eoquod ob alium respectum, quàm legis diuinæ lege scilicet humana speciali prohibentur capi. proposuisti, de consecra.eccles. vel altar. & cap.eccleſiis, de consecr.dist.1.

Infertur quarto, eũ, qui cum coniugata, vel religiosa, vel cognata rẽ habuit, non satisfacere confitendo, se cum femina cõcubuisse: quoniam debet exprimere, fuisse cõiugatam, religiosam, vel cõsanguineam. Nam in primo casu est proprie adulteriũ: in secundo vero sacrilegium: in tertio autem incestus, & cõsequenter, quod erat mortale vnius generis, efficitur alterius. Is item, qui deliberauit furari, vt posset rem habere cum religiosa, & coniugata, tenebitur confiteri furtum, sacrilegium, & adulterium. Nam & si tria hæc sint vnus interior actus voluntatis: ille tamẽ ex triplici causa, eaque diuersa est crimen mortale. Siquidem trifariam rationi repugnat, & tribus etiam distinctis, & specialibus legibus prohibetur.

Ex quibus facile colligas responsum ad quæstionem, nuper nobis propositam, An scilicet, coniugatus, qui rem habuit cum vxore aliena, teneatur declarare non solùm se esse coniugatum: sed etiam illam, cum qua rem habuit? Resoluẽda est enim affirmatiue: quia est circunstantia, quæ per se sola mutat speciem

ciem peccati, & ita est confitenda per prædicta.

Infertur quinto, quòd omnis circunstantia finis prohibita per aliam legem specialem, & diuersam ab illa qua principalis actus prohibetur, debet in cõfessione explicari: cuiusmodi est circunstantia furantis ad fornicandum, occidendum, vel percutiendum alterum.

Infertur sexto, eum, qui mẽtitur, vt alios delectet sine alterius detrimento (quod est mendacium iocosum, & veniale tantum) hac intentione, vt etiam si intelligeret esse mortale, nihilominus mentiretur, teneri illam circunstantiam confiteri: quoniam per illã efficitur mortale, quod sine illa non esset tale.

3 Septimo, quòd non tenetur illas circunstantias confiteri, quæ peccatum extenuant. Vnde qui peccauit cum muliere quadam ab ea prouocatus, non tenetur confiteri se esse prouocatum ab illa. Siquidem id peccatum extenuat, per cap significauit. de pœn. & remiss. quod in hoc dixit singulare Felyn. in capi. dilecti. de except. & per l. si adulterium cum incestu §. Imperatores. ff ad l. Iul. de adulter. quem ad hoc aiebat singularem Iaso in l. vt vim. ff. de iustit. & iure aptissimus tamen ad hoc propositum textus in dicto capit. consideret, verb. tentatione. de pœn. dist. 1. Immo opinio communis, quam sequebamur in dicto capit. consideret. num. 5. videlicet, quòd pœnitens illam circunstantiam subticere debet: quia in confessione se ipsum excusare non debet, nũc displicet. tum quia nulla lege, aut ratione fulcitur, qua id possit efficaciter comprobari: tum quia, quocunque modo illam exprimat, se ipsum sufficienter accusat, imputando sibi culpam, quam habet nihil illi detrahens, neque adiiciens. Tum quia secundum Bonaventuram, in 4. lib. senten. dist. 16. & communem quam vbi supra sequuti fuimus, tenetur manifestare illas circunstantias extenuantes, quæ ita extenuant, vt efficiant non esse peccatum, vel ad summum veniale tantùm, quod aliàs fuerat mortale: qualis est circunstantia grauis morbi, quæ nullum, vel veniale tãtum peccatum facit esum carnium in Quadragesima, & etiam quãdo eas confessarius pœnitẽtem interrogat: vel quando ex earum occultatione occasionem alicuius mali idem cõfessarius apprehenderet, arg. capi. nihil de præscript.

6 Infertur octauo, quòd quamuis sit laudabile confiteri circunstãtias, quæ ita peccatum adaugent, vt illud ex paruo magnum, vel ex magno maius efficiant: opinio tamen communior & probabilior habet, hoc non esse necessariũ, quando augmẽtum illud non est in causa, vt veniale mortale fiat: vel alterius speciei mortalis, vel alio respectu, quod nos vbi supra copiosè confirmauimus, & satis declaratum est nunc per cõcil. Trident. sess. 14. capit. 4. & 5. & canon. 7. à contrario sensu, licet Marsilius in lib. 4. sentent. quæst. 12. artic. 1. communem istam sententiam restringat, ne sit ei locus in circũstantia, quæ clare & manifeste peccatum adauget: à quo ibi discessimus ob multas variasque considerationes. Et quamuis post hæc Dominicus Sotus asseruerit idẽ, quod Marsilius

silius contra communem: nõ tamen debemus ab ea discedere. Tum quia confessarij tam magnam inueniunt difficultatem in perquirendis omnibus circunstantiis mutãtibus speciem, etiam sine perquisitione non mutantium, sed notabiliter aggrauantium, vt putent quasi impossibile perquirere has, & illas, & Deus nõ obligat ad impossibile, neque ad nimis difficile, iuxta mẽtem S. Thom. in 4. libr. sentent. distinct. 17. quæst. 1. arti. 2. Tum quia multi pœnitentes remanent cum magnis scrupulis, an confessi fuerint bene, aut male, videntes pauca peccata esse vnius speciei, quæ non sint maiora, vel minora notabiliter, quàm alia eiusdem, ratione personæ, loci, moræ, modi, præludiorum, aut consequentium, & ita fiunt importunissimi confessariis, redeuntes ad se reconciliandum, & dicentes, confessi fuimus: Peierauimus, Percussimus, Fornicati fuimus: sed non diximus tempus, quod in eo consumpsimus: neque quod paulo ante, aut post dicimus, aut fecimus hoc, vel illud, quod augebat peccatum. Et vix est vlla via alia sedandi & tranquillandi eos, quàm docendo, illas circunstantias non esse necessariò cõfitendas: quia non mutant speciem saltem in genere moris. Item quia peccator non tenetur, vt asserit cõmunis, & idem Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. confiteri mala verba, signa & gestus, quæ antecedunt homicidium, aut percussionem: sufficit enim dicere: Interfeci: Percussi: neq; oscula, & alia multa turpia, quæ præcedunt fornicationem: sufficit enim dicere: fornicatus sum. Neque cogitationes & voluntates apparatuum ad furandum, vel committendum alia delicta: immo satisfacit vitimum actum confitendo, vt dixit Sotus post alios in dicto arti. 2. dicẽdo: Percussi, Interfeci, Decies fornicatus, Furatus fui toties, &c. Tum quia sanctum conc. Tridẽ. præcitata sess. 14. c. 5. & can. 7. cui interfuerunt viri doctissimi, & sanctissimi, qui de his opinionibus in scholis disseruerint, declarauit circunstantias, quæ mutant speciem, esse confitendas, arg. l. 1. ff. de offic. eius cui. & cap. cũ apostolica de his, quæ fiunt à præl. Tum denique, quod interest plurimum ad salutem animarum, vt amemus & non horreamus confessionem, in quod iuuabit alleuiatio eius ab omnibus illis oneribus & difficultatibus, à quibus potest leuari, iuxta eius institutionem diuinam, & declarationem sanctæ matris ecclesiæ: Iugum enim Domini suaue est, & onus eius leue, Matth. 11. Neque obstat, quod quidam dicitur dubitare de hac nostra sentẽtia, quam nobiscum fertur esse cõmunem, allegans pro ea multos, quos nos non citamus, eoquod legit aliquos graues auctores contrarium tenere, quos nos etiam legimus: sed intrepide hanc partẽ elegimus. Tum per fundamenta, quæ hic, & in aliis locis à nobis citatis traduntur. Tum quia puto eos, qui dubitant cauere sibi debere, ne fere semper eos post auditas, vel factas confessiones conscientia mordeat, dictans, se non satis inquisiisse, vel expressisse grauitatem peccatorum, quam circunstantia intensionis, & extensionis actus, aut irreuerentiæ, contemptus, temporis, loci, personæ, & aliç inducunt.

8 Qui

Universidad de Deusto

8 Quibus addo, quod quãuis hæc nostra, quæ, vt diximus, communis est opinio, videatur facere pro alia conclusione prædicti Soti in dicta dist. q. 1. arti. 4. de qua nuper interrogati fuimus: non tamen videtur nobis vera. Illa enim conclusio habet, non esse necesse confiteri virginitatis circunstãtiam, id est, quod is qui confitetur, est virgo, si voluntas fornicandi nõ peruenit ad actũ, quamuis secus sit, quando peruenit. Non inquam, videtur vera. Tum quia peccata voluntatis oris, & operis sunt eiusdem speciei, & nõ differunt, nisi quòd alia sunt magis perfecta quã alia, vt dicemus infra in c 16 num. 9. post S. Thom. 1 sec. q 52. art. 7. & consequenter stuprum mentale, quod est voluntas habendi copulam cum virgine, aut cum sit virgo, erit eiusdem speciei, cuius stuprum reale, quod est ipsa copula: & si quis eam habuit, debet confiteri illam circunstantiam, vt ipsemet ait, etiam debet confiteri. qui eam voluit habere, licet non habuerit. Cum alia species luxuriæ sit velle fornicari cũ virgine, vel cũ sit virgo, & alia velle fornicari cũ corrupto vel corrupta, vel cũ sit corruptus, vel corrupta. Tum quia conci. Trid. sess. 14 c. 5 can. 7. declarauit circunstantiam, quæ mutat peccati speciem ex vna in aliam, necessario esse confitendam, qualis est hæc, de qua loquimur, vt prædictũ est. Tum denique quia non facit pro eo prædicta opinio communis: quia loquitur de circunstantia non mutante speciem peccati: conclusio vero eius, de circunstãtia illam mutante. Videtur tamen nobis hæc communis opinio restringenda.

9 Primo, ne procedat in circunstantia, quæ sic auget peccatum, vt ratione ipsius fiat reseruatum, saltem ex vi constitutionum synodalium, quæ solent aliquando furta aliqua, & damna certæ cuiusdam quantitatis Episcopo reseruare, vel addere quòd absolutio, siue restitutio fiat certo quodam modo.

Secundo posset etiam restringi, ne procedat in ea circunstantia, quæ habet annexam excommunicationem, vel efficit, vt ea sit Papalis: quémadmodum leuis percussio clerici est episcopalis, capi. peruenit. de sent. excom vbi text. singulatis: grauis vero est Papalis, c. si quis iuadente 17. q. 4.

Tertio limitatur in ea circũstantia, quam confessarius interrogat, & non potest fieri absque periculo alicuius spiritualis incõmodi, vt rectè asseruit Silu. in summa. verb. confess. 1. q. 9. Quamuis Ioãnes de Friburgo, qui fuit auctor summæ confessorũ, id non dicat in loco citato ab ea, lib. 3. tit. 33. q. 11. neque etiam vbi de hac materia tractat. lib. 3. tit 34. q. 81.

10 Quarto dicimus, quòd circunstantia diei festi non est necessariò confitenda: quoniam non facit esse lethale, quod sine illa non esset tale, neque alterius speciei talis, neq; alio respectu: nisi esset opus seruile in festis prohibitum, quale nõ est peccatum iuxta S. Thom in 3. lib. sent. dist. 37. art. 5 q. 2. Quam assertionem confirmauimus in d c. consideret. nu. 17. & sequ. multis fundamentis, respondẽdo totidem aliis oppositis, sequuti in eo Cardinalem Caieta. 1. 2. q 7. & 2. 2 q. 122. artic. 4. & in quol. 10. & in sum. verb. dies festus. resolutum que Siluestrum, verb. circunstantia. q. 3. & verb.

& verb. dies dominica, q. fi. & in Aurea rosa casu. 63. vbi testatur, doctissimos quosque ordinis Dominicani conuenisse, & hanc opinionem suscepisse: & Iacobum Almaynum in 4. lib. sent. dist. 17 col. 24. Quamuis communis opinio posset in duobus casibus obseruari, sicut diximus ibidem, nu. 40 nempe quando eo fine peccatum committitur, vt in eo fiat aliquod opus manuale prohibitum in illo die, & quando intentione & proposito violãdi festum lethale crimen admittitur.

11 Quinto dicimus, quòd circunstantia diei ieiunio vel orationi cõsecrati, licèt videatur aliquantulum augere peccatum: non est de necessitate confitenda, nisi peccatum perpetretur cum proposito violandi per illud huiusmodi diem. Quoniam nõ efficit mortale, quod aliàs non esset tale, nec mutat in speciem mortalis, nec facit, vt nouo respectu sit tale: quorũ aliquod requiritur ad hoc, vt circunstantiæ confessio sit necessaria, vt supra dictũ est, & probauimus in princip. dict. capi. consideret. nu. 32. versic. ad primum.

Sexto dicimus, quòd quamuis circunstãtia loci sacri omne peccatum grauius reddat secundum accidens: tamen non est necessariò confitenda, nisi quando ipsum opus peccati sanctitati, vel immunitati eiusdem loci directè contrarietur: qualis est humani sanguinis, vel seminis effusio, vel violenta abstractio eorum, qui ad loca sacra confugiunt. Quoniam in his, quod erat mortale propter vnam causam, fit etiam mortale propter alteram, argumento capi. ecclesiis. de consecrat. distinctio. 1. & cap. proposuisti. de consecr. eccles. & c. 1. eod. tit. lib 6. vel quod peccatũ non erat, aut solùm veniale ex genere suo ratione talis circunstantiæ fit mortale, vt est actus coniugalis inter virum & vxorem ibidem sine causa iusta exercitus, qui quidem in aliis locis peccatum non esset.

12 Septimo, quòd qui in ecclesia committit peccatum aliquod superbiæ, periurij, aut gulæ, &c. non tenetur necessa iò confiteri circunstantiam loci: neque qui existens in eodem loco desiderat occidere, ferire, vel fornicari extra illum, dummodo nõ cupiat id committere in eodem. Nam qui tale desiderium conciperet, etiam si extra locum sacrum existeret, circunstãtiam sacrilegij, quod in eo admittit confiteri teneretur, vt in princip. dict. cap. consideret. num. 22. diximus.

13 Octauo dicimus, quod quamuis circunstantia propriæ personæ aliquando peccatum augeat, quia ceteris paribus, plus peccat dignitate aliqua præditus, quàm priuatus, cap. homo. 40. distinct. & prælatus plus, quam subditus. capitul. præcipue. 11. quæst. 3. & sapiens plus, quam ignorans, capi. sicut dignum. de homicid. & multo plus ille, qui affectat ignorantiã, vt liberius peccet, quàm peccaret sciẽs, capi. pen. 37 dist. & bonus plus quam malus: & melior, quàm minus bonus: & licèt propterea vtile sit huiusmodi circunstãtiam confiteri: non tamen communiter necessarium est. Quoniam illa, vt plurimum, neque ex veniali facit mortale: neque ex mortali vnius speciei mortale alterius: neque ex mortali vno respectu, mortale alio propter

alium

Universidad de Deusto
Biblioteca

alium finem. At vero quando hoc fieret, pura cum agitur contra votum, vel contra statum voto firmatum, vt cu religiosus fornicatur, circumstantia personæ confitenda est: quoniam tunc aliquod ex illis tribus prædictis efficitur. Quod quidē non ita sit, quando religiosus blasphemat, vel quoduis aliud crimen, quod non est contra sua vota, vel regulam, quam est professus, admittit, vt post Caietanum 1 2.q.7. art.1. diximus in dicto princip. c. consideret nu. 50. Circumstantia enim religionis communiter non facit esse mortale, quod suapte natura non erat tale: neq; etiā facit esse alterius speciei, quod ex se erat alterius. Et ita patet responsio ad id, quod nuper quæsitū fuit, An scilicet religiosus, qui fornicatus est, teneatur confiteri, se esse religiosum: nam per prædicta est palam, eum ad id teneri.

14 Nono dicimus, quod tunc demum, & non alias, est necessarium confiteri circumstantiam, quod peccauerit contra conscientiam, quando opus effectum ob nullam aliam legem: sed solùm propter conscientiam erroneam tantū fit peccatum: tunc enim solummodo vnum ex tribus illis prædictis & non alia efficere manifestum est, sicut nos vbi supra, nume. 58. & 65. noue declarauimus.

Decimo, quòd numerus peccatorum non est circumstātia: sed additio peccati ad peccatum. Quoniam frequentatio peccati non circumstat prius peccatum: sed constituit nouum & separatum à priori. Circa quod quattuor diximus in dicto cap. consideret. nu. 41. Quorum primum est, non esse satis dicere: Peccaui sæpe in hoc genere peccati: quoniam verbum illud, Sæpe, ita verificatur in numero denario, immo & in binario, sicut in centenario, iuxta glo. 1. cap. monasteria. de vita, & honest. cleri. late Georg. in prin. Cle. sæpe de verbo. signifi. quamuis Archidiaco in cap. imitare. 6 q. 1. & in princ. d. cap. consideret. parrem affirmatiuam defendat, quem licèt Angelus verb cōfessio. 1. §. 25. noluerit reprobare: meritò tamē eum reprobauit Cardinalis Alexandrinus in d. cap. imitare.

15 Secundum, peccatorem teneri ad dicēdum certum numerum peccatorum, si eum nouerit exprimere, dicendo: Hoc peccatum commisi toties, quòd si certum numerum minimè nouit, debet secum rationem ponere, quoties in die, vel hebdomada, aut mense, plus minusue illud peccatum admiserit, & exponere numerum verisimiliorem. Peccaret enim mortaliter, qui præ pudore vel hypocrisi aliquid ex numero, cuius meminit, subticeret; immò etiam si per culpam suam latam fiat, quo minus recordetur, eoquòd ea de re nihil antea secum præcogitarat, cum tamen id facere potuisset, & proinde confessio nihil valet.

Tertium, satis esse absque aliquo numero suum statum sufficienter manifestare: veluti siqua publica meretrix per decennium parata & exposita ad fornicandum, tam cum clericis, religiosis, quàm laicis & coniugatis, aut solutis: & post conuersionem confiteretur exprimeretque se toto illo temporis spatio in eo

eo statu fuisse: hoc, inquā, satis esset, vt post Cardinalem Caiet. Tomo 1. Opusculorum, Opus. 18. q. 3. concluſimus in dict. c. consideret. ponderantes illa verba. *Quantum perseuerauerit, & desleat quod perseueranter peccauit.* Per quæ prædictam sententiam singulariter probauimus, vt ibi diximus: & addidimus, eum, qui annū integrum omisit dicere horas canonicas, satisfacere, dicendo: Anno integro omisi diuinum officium.

16 Quartum, quod toties numerus peccatorum augetur, quoties peccatum ipsum, vel voluntas peccandi, quæ fuerat intercisa, renouatur, secundum Io. And. in reg. delictum, col. pen. de reg. iur. lib. 6. in Mercurial. quod plane verum est in peccatis internis, quæ solo animo consummantur, vt odium, & hæresis: nō autem idem est in illis, quæ opere exteriori consummantur. Nam illa voluntas non dicitur iterari, donec opere exteriori perficiatur, vel interrumpatur: vt euenire solet, quando quis vadit in longinquum ad homicidium perpetrandum, & in ipso itinere, quod vno die conficit, nunc de illo, nunc de aliis meditatur. hic enim non peccat in hoc amplius, quam vnum peccatum, licet multo grauius, iuxta Caiet. in dicto 1. Tomo Opusculor. Opusculo 17. quæst. 3. quem in dicto principio. num. 48. sequimur, ponderantes textum ad hoc singularem in c. cum pro causa. de sentent. excommu.

Ex quo inferimus primo, peccatum non iterari, aut multiplicari etiam si durāte opere exteriori multoties voluntas interior interrumpatur & renouetur: neq; etiam contrario, si manente eadem voluntate opus multiplicetur exterius, anteaquam delictum finiatur, vti copiosius in docto principio, nu. 48. comprobauimus.

Infertur secundo, quod omnes actus interiores & exteriores, qui tantummodo sunt veluti quædam via ad vnicum peccatum perpetrandum, vnicum tantum efficiunt peccatum, etiam si illi actus fuerint interrupti: quales sunt passus itineris, præparatio æqui, lanceæ, aliorumq; armorum vna cum desideriis, variis vicibus interruptis, verbo, esu, & somno renouatis, eius, qui vadit ad occidendum alium triginta, vel quadraginta miliaribus distantem. Nam licet illi actus in genere entis considerati, singulatim sint multæ & variæ res: tamen considerati tanquam via & partes ipsius peccati, quibus totum peccatum est consummandum, non amplius, quam vnum peccatum efficiunt: sicut lapides, columnæ, ligna, reliquaque materia vnius domus multa sunt secundum se sumpta: ceterum omnia simul considerata tamquam partes vnius domus, non amplius, quam vnicam domum conficiunt, l. eum qui. ff. de vsucapion. & l. qui vniuersa. ff. de adquir. possess.

17 Nunc autem ad soluendas sex quæstiones ab hinc aliquibus mensibus nobis propositas addimus primo, quod non solum plures actus exteriores, tendentes in vnum peccatum principale, qui diuersi sunt in genere entis censentur constituere vnum peccatum in genere moris, saltem quoad effectum confitendi numerum peccatorum, quando

vnus est in alium via : sed etiam quando quis vno impetu fertur in illos omnes. Tum argu. præfati cap. cum pro causa. de sent. excom. quatenus probat, eum, qui vno impetu plures percutit clericum, semel tantum excommunicari. Tum argumento aliorum iurium, per quæ Ioan. Andr. in dicto Mercur. c. delictum. de reg.iur.lib 6 concludit, quendam Anglicum, qui tres ictus vno impetu intulit clerico, semel tantum excommunicatum fuisse. Tum quod ille vnicus impetus videtur includere quamdam vnitatem in genere moris,& efficere, vt quadamtenus vnus eorũ sit ad alium via, vel consequens : licet suapte natura in genere entis per se subsistat. Tũ, quod qui vnico impetu bis, vel ter appellat, semel tantum appellasse dicitur,c. Lotharius. adiuncta gl. verb. appellauit.31 q. 2. & qui bis, vel ter eandem rem in testamento, vel codicillis legauit, videtur semel legasse l.cum quæstio C.de legat.

Addimus secundo, quod sicut actus præambuli ad actum principalem peccati non augent numerum peccatorum, necessario confitendum : ita eadem ratione nec consequentes, nec subsequentes actum principalem peccati : quales videntur esse actus, quibus quis fecit aliquod peccatum principale: & postea inordinate gaudet, lætatur, tristatur, dolet, vel loquitur de illo, vel accessoriis eius. Tum quod eadem ratio videtur,& sic idem est de vtrisque iudicandum. l. illud. ff. ad leg. Aquil.c dudũ. 2. de elect. Tum quod qui furatus est infantem, qui apud eum adoleuit, vnum furtum fecisse dicitur, l. inficiando §. infans. ff. de furtis. Tum quod pauci, collatione aliorum, inueniuntur, qui post vindicatam iniuriam; post fornicationem in domo sua secure habitam; post furtum & dolũ admissum, non velint, dicant, vel faciãt aliqua inordinata, gaudendo, comedendo, bibendo, & ridendo, iuxta illud. Prouerb. 2. *Lætantur cum male fecerint*: attamen nemo dicet, eorum omnium numerũ nominatim esse confitendum. Tum quia totus ecclesiæ Christianæ vsus videtur habere, quod sicut sufficit homicidæ confiteri, se occidisse talem hominem, non confitendo numerum voluntatum,& aliorum actuum inordinatorum præambulorum illius homicidij, ita sufficit confiteri illud, non confitendo numerum actuum consequentium, quibus id ei placuit, & monstrauit aliis, verbis, vel factis placuisse sibi. Et quod sicut fornicanti sufficit confiteri principalem actum, non confitendo numerum voluntatum, dictorum, & factorum præambulorum inordinatorum : ita sufficit confiteri principalem actum, non confitendo numerum voluntatum, dictorum, & factorum inordinatorum consequentium. Tum quia licet singuli præfatorum actuum sint per se ipsos peccata mortifera quoad iudicium Dei exactum : & licet oporteat vt contritio, per quam sunt remittenda, formaliter, vel virtualiter perueniat ad omnia illa: quoad tamen iudicium salutare pœnitentiæ, & huius vitæ, quod facere debet confessarius, satis est, vt numerus eorum sic pateſiat ei, vt status pœnitentis satis pateat confessario ad

ad iudicandum qualem ei debeat exhibere medicinam, vt pulchre declarauit Caieta. Tomo 1. Opusc. Opusculo 5. q. 3. Cum ergo communiter post, & ante actum principalem multa cogitata, dicta, & facta inordinata soleant haberi, satis constat confessario quoad iudicium suum salutare ferendũ status pœnitentis quoad illam speciem peccati. Arbitramur autem, quod licet, qui rem habuit cum aliqua, non teneatur confiteri colloquia, oscula, & alios huiusmodi actus antecedentes, & consequentes propinquos ad coitum : tenetur tamen qui bis coiuit, etiamsi vnus actus sit propinquus alteri, dicere se bis coiuisse, illa ratione diuersitatis, quod vnus coitus istorum non est communiter via, neque præambulum ordinatum ad alterum, neq; consequens illum, neque quis vno impetu fertur in vtrumque: colloquia vero, oscula,& amplexus sunt communiter præambula,& consequentia coitum, quem præcedunt, vel consequuntur. Non autem sine causa adiecimus supra: Tendentes ad vnum peccatum principale : quoniam si actus illi sunt peccata separata secundum se, vel ordinantur ad alia peccata, tot peccata committuntur, quot sunt illi ex natura sua, vel quot sunt fines deprauati, ad quos diriguntur. Nam qui pergit ad homicidiũ perpetrandum, & in via furatur, rapit, peierat, blasphemat, vel suum esum, potum, iter, & colloquia non solum dirigit in homicidium conceptum: verum etiam in adulterium, infamiam,& sacrilegia perpetranda, tot peccata diuersa cõmittit, quot sunt ibi actus in se mali, & quot fines diuersi mali, in quos diriguntur. quod ipsum est dicendum de actibus consequentibus, & de illis, in quos vno impetu fertur.

Ex quibus infertur primo, quod licet quando inter præambula, & consequentia, & actum principalem fit aliqua notabilis interruptio, illa sint peccata diuersa, etiam in genere moris, etiam ad effectum, vt contritio formaliter, vel virtualiter debeat peruenire ad illa : non tamen videntur diuersa quoad effectũ necessario confitendi numerũ eorum: eo quod sine illa specificatione satis videtur constare status confitentis quoad iudicium salutare sacerdotis.

18 Infertur secundo decisio primæ prædictarum sex quæstionum : scilicet quod qui eodem impetu dicit alteri quattuor, vel quinque iniuriosa verba significantia diuersas iniurias; puta quod sit fur, falsarius, hæreticus, censendus est peccare diuersa peccata. Tum quia non sunt antecedentia, neque cõsequentia ad vnum principale peccatum : neque sunt vnum; neq; vnius speciei. Tum quia licet qui vno impetu infert clerico tres ictus, non sit nisi semel excommunicatus : si autem vno impetu, etiam vnico ictu tres ferit clericos, ter est excõmunicatus, secundum Ioan. Andr. in dicto Mercur. c. delictum. de regu. iur. lib. 6. Tum quia eadẽ ratione qui ferit, & blasphemat, & hæresim asserit, tria peccata committit cum numero necessario confitenda, arg. l. prætor. §. fin. ff. de iniur. qui vero dicit totidem verba iniuriosa, significantia tantum vnam iniuriam; vt quia appel-

lat aliquem quater, vel quinquies furem hæreticum, vel latronẽ, vnum tantum peccatum admittit quoad necessitatem cõfitendi numerum instar bis, vel tres vnico cõtextu appellatis, dicto c. Lotharius. adiuncta glo. verb. appellauit. 31. q. 2.

Infertur tertio decisio secundæ quæstionis: scilicet, quod qui dicit alicui vnum verbum iniuriosum: & ille respondet, vnde prouocator replicat, eidem dicens tria verba iniuriosa, peccat tria peccata, si tres diuersas iniurias significant: vnum autem solum, si tantum vnam.

Infertur quarto decisio tertiæ quæstionis: scilicet, quod qui imprecatur mortem alicui, & toti familiæ eius, duo tãrum peccata committit: non tot, quot sunt personæ familiæ. Tum, quod tota familia pro vna persona ficta accipitur. l. 1. ff. si fam. furt. feciss. dicatur. Tum, quod familia, licet significet multos: eos tamen collectiue tamquam vnum corpus fictum significat. Tum quod qui vnã domum vult inflammare, vel exurere, non videtur peccare tot peccata, quod partes habet, sed vnum: quia vnum corpus compositum ex multis vult inflammare, vel exurere, argu. l. eum qui. ff. de vsucap. Et qui vult furari vnã mylliadem ducatorum, vel vnum aceruum tritici, vnum solum peccatum videtur peccare, arg. l. vulgaris ff. de furtis & c. vulgaris. de pœnit. dist. 1.

Infertur quinto decisio quartæ quæstionis: scilicet quod qui blasphemando maledicit D. Petro, & vndecim Apostolis, duo tantum peccata videtur admittere, eisdẽ rationibus.

Infertur sexto decisio quintæ quæstionis: scilicet quod sex peccata peccat, qui peccans mollitiei peccatum inducit sibi successiue in memoriam, vt magis delectetur, virginem, viduam, nupcam, cognatam, & monialem: quia sunt quinque peccata diuersarum specierum: cum virtualiter prædictis quinque commisceatur, vel eis mortifere delectetur: & nulla illorum sint antecedentia, vel consequentia alterius.

Infertur septimo decisio sextæ quæstionis: scilicet, quod semel tantum videtur peccare quoad necessitatem confitendi numerum, qui post vnam fornicationẽ cum amica habitam, eam vigesies osculatur non ad iterandum fornicationem, sed ad maiorem delectationem: quia illa omnia oscula videntur consequentia fornicationis, & rei iam habitæ.

Infertur octauo solutio illius quæstionis, quot nempe peccata cõmitteret ille, qui longo tempore illicitis amoribus irretitus, mulierẽ persequitur, sed non potitur ea? dicimus enim, vt minimum toties illum peccare, quoties interrumpit malam illam voluntatẽ peccandi conceptam cessando ab impendenda opera exteriore pro illo tempore, & iterum postea illam continuat. Ita quod si diem integrum, vel noctem, aut partem eorum insumpsit musicis cantilenis, quo mulierem alliceret, vel opportunitati captandæ, qua ipsam alloqueretur, vel aliis officiis, quibus in illum finem pessimũ eam flecteret, quãdiu talis voluntas & opera exterior non interrũpitur, vnum tantum peccatum erit, licet tanto grauius, quanto diuturnius. At vero si opera illa exteriore, quam tunc adhibet, finita, vacat aliis negotiis, quæ non sunt via, neque præludia ad prædictum opus, & iterum redit ad eandem illam malã voluntatem solam, vel ad aliam faciendi aliud opus exterius simile, vel dissimile præcedentibus, ad prauum illum finem cõsequendum, peccatum aliud committet, & tot subinde peccata tenebitur cõfiteri, quot interruptiones, aut renouationes huiusmodi intercenerint, præter multas alias volũtates, seu vũlitiones absolutas, quas habuit absque operis consummatione: & confitendo numerum verisimilem eorum satisfaciet.

19 Decimo dicimus, quod pœnitens potest vnico verbo mille peccata mortalia confiteri: veluti dicendo: Millies blasphemaui: Millies peieraui: Millies fornicatus sum: Millies occidere statui: Millies feci contra meum votum, vel iuramentum: Decies consului alicui, vt in peccato mortali perseueraret: Illud, aut illud toties feci ad finem fornicandi. Quoniam huiusmodi confessioni nihil deest ad ipsius integritatem, etiã si tot peccata paucis, sed claris verbis expresserit, vt nos in principio dicti cap. consideret. nu. 110. post Caiet. diximus.

Vndecimo, quod circunstantia scandali in duobus casibus est necessario confitenda, secundum omnes, vti nos in c. 1. §. animaduertere. nu. 5. de pœnit. dist. 5. diximus. Quoniam in his vnum ex tribus illis supradictis efficitur. Prior casus est, quando scandalum est formale, hoc est, quando aliquid dictum, aut factum fuit, animo prouocandi alium ad peccatum mortale, & non solum tenetur confiteri, id quod prædicto animo dixit, aut fecit: sed etiam tenetur explicare illam peccati speciem, ad quam prouocare intendebat, per dicta supra in c. præcedenti, num. 2. Posterior casus est, cum per opus suo genere bonum aut indifferens, secundum speciem tamen & apparentiam malam præbetur occasio peccandi mortifere. Super alio vero tertio casu diuersa est auctorum sententia: videlicet cum quis mortifere coram aliis peccat absque proposito prouocandi eos ad mortifere peccandum. Nam Adrian. in 4. de sacram. confes. q. 4 Ioan. Maior. in 4. dist. 38. q. 3. & Siluest. in summa verb. scandalum. q. 3. sentiunt partem affirmatiuam: beatus autem Tho. 2. 2. q. 43. art. 3. negatiuam, quatenus ait, quod licet grauius peccet, qui peccat publice, quam qui peccat occulte: non tamen ob hoc dicitur communiter peccatum scandali speciale. quod ipsum affirmat Caiet. in summa; verb. scandalum. Nobis idem nunc videtur, quod vbi supra, §. animaduertere. visum fuit: nempe quod priori opinioni sit locus quando eiusmodi peccatum per eiusmodi personam vel in conspectu eiusmodi hominũ admittitur, quod verisimiliter id videntes peccati occasionem accipient: opinioni vero posteriori sancti Thomæ sit locus, quando non fit per talem personam, nec coram talibus, vt ibidem latius extendimus.

10 Duodecimo dicimus, notandũ esse, eum, qui obliuiscitur, confiteri circunstantiam necessario confitendam, non obligari ad iterum confitendum peccatũ, quod iam est con-

Universidad de Deusto Biblioteca

sessus: sed satis est ei, vt solam circumstantiam cõfiteatur, verbi gratia, iurauit quis se non iniecturum manus violentas in clericum, non furaturum, nõ blasphematurum: deinde peccauit clericum, furatus est, blasphemauit: post quod confessus est, se illa fecisse, oblitus dicere, quòd antea iurauerat, se illa non commissurum, non tenetur ad iterum confitendum illa: sed satis est confiteri, quòd semel, bis, ter, vel toties, licita iuramenta fuit transgressus: vel confiteri se fecisse aliqua opera in se mala, quæ se non facturum antea iurauerat: quod in dicto cap. consideret. nu. 204. latius tradidimus.

Neque obstat, quòd, vt quidam opponit, si vt nos approbamus, non est necesse confiteri illas circunstãtias, quæ notabiliter aggrauant non mutando speciem, sequeretur, quòd sufficeret fornicanti corde & opere confiteri peccasse corde, non exprimendo quòd opere compleuerit. Et quòd qui ter sola mente peccauit, & bis mẽte & opere, satisfaceret confitendo se quinquies decreuisse fornicari. Sequeretur item posse confitentem respondere confessario interroganti, an opere peccauerit, quòd non: quia potest negare illa, quæ non tenetur necessariò confiteri, qualia sunt venialia, & etiam mortalia iam legitime confessa. Ad quę respondetur negando eiusmodi consequentias: quia conclusio nostra, quã ipse quoque probat, loquitur de circumstantia peccati: & non de peccato, neque de ipsius perfectione, ad quæ fiunt consequentię. Nam peccatum operis non est circunstantia peccati mentis, sed peccatum & perfectio peccati cordis: & à diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. & cap. ad audiẽtia. de decim. & peccata operis oportet confiteri: quia tenemur confiteri omnia peccata, c. omnis de pœnit. & remiss. vt supra in prǽludio 7. nu. 19. & 20. post S. Tho. ibi citatum declarauimus, addentes rationẽ, quare sufficiat confiteri peccatum operis sine confessione peccati cordis, & non econtrario, peccatum cordis sine peccato operis.

Quod pœnitens debeat famam proximi conseruare, non manifestando coplices delicti.

Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Manifestare aliena peccata qua lege prohibitum.*
1 *Confessio sacramentalis qua lege debet esse integra.*
1 *Legum duarum contrariarum vtra potior.*
2 *Pœnitens non debet nominare personã, cum qua peccauit.*
3 *Circunstantia aliequi necessariò cõfitenda quo casu tacenda.*
4 *Confessor vt scandalizari potest ratione circumstantiæ.*
5 *Pœnitens quando debet petere facultatem confitendi alteri.*
5 *Pœnitens quando mutato habitu cõfitebitur.*
6 *Communicari potest alijsque confessione inopia confessarij.*
7 *Confessarius quis prodesse possit, & non obesse.*
8 *Verecundia non est iusta causa adeundi extraneum confessarium.*

1 PRo fundamento dicendorum in hoc cap. præsupponimus primo infamare alterum iniustè, & reuelare aliena peccata ea ignoranti esse peccarum, lege diuina naturali prohibitum, vt diximus in capit. inter verba. 11. quæstione tertia. in cuius repetitione id pro sexta conclusione collegimus, eamque 71 corollariis ornauimus, & infra cap. 18. in breue compendium cõtraximus.

Secundò præsupponimus, quòd lex præcipiens, vt confessio sacramentalis sit integra, est lex diuina positiua à Christo domino nostro instituta, vt in gl. summæ. de pœnit. dist. 5. & supra, cap. 2. docuimus.

Tertiò præsupponimus, quòd quando duæ leges contrariæ in aliquo casu concurrunt, in quo alterius obseruatio est omittenda, tunc temporis illa, quæ maior est, minori debet anteferri. & hęc illi cedere, arg. cap. Iulianus & cap. si dominus. 11. q. 3. & cap. sicut. adiuncta glo. verb. necessitate. de consecr. distin. 1. vbi late diximus, & aliquid in cap. sacerdos. nu. 25. de pœnit. dist. 6.

2 Ex quibus infertur primò, pœnitentem non debere nominare personam cum qua peccauit: quoniam supradicta lex naturalis diuina hoc prohibet.

Secundò infertur, quòd confessarius præuidens pœnitentẽ velle nominare personas delicti consortes, vel per quas ipse induxit, vel à quibus fuit ad peccandum inductus, debet statim ei occurrere, ipsumque admonere, ne illas nominet, ne ipse confessarius pariter peccet infamiæ peccato consentiendo, vt ait S. Bonauent. in 4. lib. senten. dist. 21. art. 1. q. 3. & facit cap. notum. 2. q. 1. & cap. 1. de offi. deleg.

3 Tertio infertur quòd quamuis opinio communior, in 4. lib. senten. dist. 16. affirmet, quòd quando circũstantia necessariò confitenda non potest manifestari absque reuelatione tertiæ personæ, nunc potest licitè illa reuelari, opposita nihilominus est verior, quam tenet Innoc. in cap. omnis. de pœniten. & remiss. & Ostien ibid. & nos latius asseruimus in dicto c. sacerdos. nu. 95. & 96. nempe quòd potius debet circunstantiã tacere, quàm proximum diffamare, quãdo alterum de duobus necessariò fieri oportet. Exemplum de pœnitente, qui commisit incestum cum propria matre, vel filia, vel extitit mediator, vt ab alio cõmitteretur sed quia pœnitens, vel mater, vel filia confessario sunt noti, non potest cognationis gradũ exprimere absque mulieris infamia: in hoc enim casu tenetur circunstantiam tacere, & eam non infamare. Primum quia lex de non infamando proximo, diuina naturalis est: Lex autem, quæ iubet confessionis integritatem, est diuina positiua, & ita hæc debet illi cedere per dicta in §. fi. 6. distin. cum non sit locus vtrique. Deinde quia secundum opinionem communem, pœnitens debet tacere peccatum, quod in confessione detectum, sibi, vel confessario probabile damnum animæ, vel corporis, vel famę adferret. Veluti si pœnitens confessarij fratrem occidisset, & si confiteretur se aliquem occidisse, statim sacerdos putaret suum fratrem ab illo occisum: aut si cognatam suam, quæ

filia eſſet confeſſarij, carnaliter cognouiſſet, & circumſtãciam cognationis exprimeret, cõfeſſarius ſuam eſſe filiam ſuſpicaretur. quibus caſibus pœnitens debet curare concedi ſibi facultatem confitendi alteri: quam ſi impetrare non poteſt, tunc omnia alia peccata debet exponere, & vnum illud tacere, cum propoſito illud eidem confitendi, quando prædictum ceſſauerit impedimentum, ſecundum S. Tho in 4. diſtin. 17. q. 3. art. 4. & Altiſid. probatum à Io. Maiore in 4. lib. ſenten. diſt. 17. quæſt. 5.

4 Denique quia communis habet opinio, quòd ſi pœnitens ob id quod femina eſt, vel ob peccati enormitatem, vel propter alias cauſas probabiliter credit, ſi ſuum peccatum vel eius circumſtantiam proderet in confeſſione, ſcandalum magnum vel grandem occaſionem peccandi mortaliter confeſſario præberet, tũc nullo modo debet illam cõfeſſario detegere, ſecundum Adrian. in 4. de confeſſ. q. 4. ver. ad argumenta quæ contra hoc: eo quòd lex quæ ſcandalum prohibet, eſt diuina & naturalis Matthæ. 18. & Marc. 9. & cap. 2. de oper. noui nuntia. Quæ autem obligat ad confitendum omnia peccata, & omnes eorum circunſtantias eſt quidem diuina, ſed poſitiua, vt ſupra diximus: & conſequenter patet, illam eſſe fortiorem iſta: & quando concurrunt ſimul, hæc illi cedere debet, per prædicta. nume. 1. Quod quidẽ eſt verum, ſaltẽ quando ſcandalum illud paſsiuum, quod ex tali confeſſione inferretur, ex ignorantia vel infirmitate, non autem ex malitia proueniret, vt ſentit Io. Maior, in 4. lib. ſent. diſt. 18. q. 5.

Neque obſtat, quod quidam contrariam teneant ſententiam. Tum quia fundamenta noſtra longe fortiora ſunt, quàm fundamenta contrariæ. Tum quia fundamentũ principale cõtrariæ eſt, quòd communis tenet oppoſitum, quod ipſum etiam nos aſſerimus. Sed non obſtat, quia à communi recedendum eſt, quãdo pro cõtraria eſt textus, vel ratio, cui non poteſt ſatis bene reſponderi, vt diximus infra cap. 27. nume. 286. per textum, cum gl & communi in c. p. capellanus. de feriis. & l. 1. §. ſed neque. C. de vet. iur. enucl. & rationibus prædictis non poteſt bene reſponderi à communi, neque ille ibi eis reſpondet. Tum quia præſupponunt, me eſſe auctorem huius opinionis, quod demiratus ſum, cum citauerim duos grauiſſimos auctores illius, ſcilicet Inno. & Oſtien. Tum quia prædictum dictum S. Thom. quod in hoc allegauit, eſt communiter receptum, nec illi illud negabit, cum ſit eiuſdem ordinis, & ex eo efficaciter infertur opinio noſtra, à qua non eſt diſcedendum: quamuis etiam Sotus immemor noſtrarum rationum, ſequatur communem in 4. lib. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 5. Tum denique quia omnium fere ſententia, vt in cap. ſeq. nu 6. dicemus, habet, quòd confeſſarius, qui non poteſt confiteri peccatum aliquod ſine reuelatione confeſſionis, debet tacere illud, & reliqua confiteri. Quæſitum eſt autem nuper à nobis, An qui cõmiſit inceſtum, teneatur confiteri circumſtantiã graduum cognationis & affinitatis. Cui reſpondimus teneri: quoniam aggrauat peccatũ, mutãdo ſpeciem. Alia enim ſpecies

inceſtus eſt copula cum cognata in primo gradu, & alia cum cognata in ſecundo, & alia cum cognata in tertio, & alia cum cognata in quarto, & circumſtantia, quæ mutat ſpeciem, confitenda eſt per Con. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7.

5 Quarto infertur, quòd pœnitens in caſibus, in quibus non poteſt confiteri circumſtantiã neceſſariò confitendam ſine alterius infamia, debet ſecundum omnes doctores in 4. lib. ſenten. diſtin. 17. q. 3. procurare facultatem confitendi alteri, qui eũ minime noſcat: & ſi talem non inueniat, debet mutato habitu confiteri illi, qui aliàs ipſum agnoſceret, ita, vt neque ex voce, aut alio ſigno deprehendatur, & nomẽ proprium, patriam, & profeſſionẽ tacear. quod licitè facere poteſt: quia hæc non tenetur manifeſtare, niſi quando ex illis oritur aliqua circumſtantia neceſſariò confitenda: qualis eſt eſſe coniungatum, quoad illam culpam, qua matrimonium læditur; vel eſſe religioſum, quoad culpam, qua votum religionis infringitur. Confeſſario autem ſatis eſt, vt pœnitens eũ certiorem faciat, ſe poſſe ab illo audiri, & abſolui. Nolumus tamen dicere, hanc ſolam cauſam ſufficere, vt pœnitens poſſit extraneo confeſſario, non habenti in hoc priuilegium confiteri, abſque ſui parochi, vel alterius ſuperioris licentia: hoc enim non eſt verum, ſecundum Palud. receptum in 4. lib. ſent. diſt. 16. quæſt. 3. quod & nos, in cap. ſacerdos & in cap. fin. de pœnit. diſtin. 6. tradidimus.

6 Quinto infertur, quòd quamuis aliqui ſentire videãtur, quòd quando nullum ex prædictis remedium inuenitur, huiuſmodi pœnitentem videri non habere copiam confeſſarij, & ſubinde poſſe ſine præuia cõfeſſione communicare, arg. gl. ſi. receptæ. c. de homine. de celeb. miſſ. nihilominus tamen verius arbitramur in tali caſu debere reliqua omnia peccata cõfiteri, omiſſo illo, aut eius circumſtantia, quæ non poteſt abſque dicto periculo exprimi, cum propoſito tamen id confitendi, cum primum occurrerit confeſſarius, cui abſque tali periculo poſſit illud manifeſtare per prædicta ſupra, eo. nu. 3. vt Maior ſentit in 4. diſt. 17. q. 5.

7 Sexto infertur, quòd quãdo proprius confeſſarius huiuſmodi eſt, vt probabile ſit, confeſſionẽ talis peccati, & circumſtantiæ illi factam, profuturã & nullatenus obfuturam, poteſt & debet pœnitens illam ei confiteri arg. cap. hoc videtur, 22. q. 5. hoc enim non eſt infamare, quia nihil contra ius reuelatur. Nam inre fieri poteſt reuelatio criminis alterius ei, quẽ ſcit profuturum & nõ obfuturum, ſecundum ſanctum Auguſt. in d. cap. hoc videtur. dummodo prius eum per ſe corripiat, vel nulla ſit ei ſpes correctionis, per ſuam correptionem, per ea, quæ in repet. cap. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. dicebamus.

8 Septimo infertur, non eſſe iuſtã cauſam adeundi extraneum confeſſarium, nõ habita facultate proprij: timerem quòd poſt confeſſionem parochus magis ſollicite & accurate illius curã ſit habiturus, nec adeo bene vt primum de ipſo opinaturus, ſecundum Silueſt. verb. confeſſio. 1. q. 6. tũ quia nulla eſt lex, neque

ratio, quæ id conuincat: tum quia pudor solus ad hoc non est legitima causa, nisi quando adeo magnus foret, vt pœnitentem constitueret in periculo tacēdi aliquod peccatum, vel circumstantiam necessario confitendam, vt in cap. placuit. nu. 150. de pœnit. distin. 6. diximus.

De sigillo confessionis.

Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Sigillum confessionis quid, & quare sic vocetur.*
2 *Sigillum secreti duobus modis sumitur, & quid sit.*
3 *Sigillum confessionis quæ includat:*
4 *& quos obliget. & 7.*
5 *Sigillum omne confessionis est sigillum secreti, non econtrario.*
6 *Confessor non potens confiteri suum peccatum, nisi reuelando confessum, taceat illud.*
7 *Sigillum confessionis etiam post mortem durat.*
8 *Confessarius vt sæpe confessionē detegit. nu. 9 & 10.*
11 *Sigillū confessionis quando non violatur. nu. 12. & 14.*
13 *Confessor audiens multos pueros vt peccat.*
15 *Confessor deponens de sigillo confessis quis frangit sigillum.*
16 *Confessor dicens in tali loco admittuntur grauia peccata, male facit.*
17 *Confessor quas pœnitentias imponit prudenter.*
18 *Confessio similitudinaria non inducit sigillum.*
19 *Confessor vt iuste negat adulteram non esse sibi confessam adulterium.*

1 PRo fundamento dicendorum decurrantes ea, quę tradidimus in cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. nu. 35. post S. Tho. in 4 lib. sent. distin. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 3 ad 3. & commu nem opin. dicimus primo, sigillum nihil aliud esse, quàm obligationē, vel debitum occultandi aliquid: dicique sigillum per metaphorā: nam sicut sigillum continet occultam rem obsignatam in charta, vel tabula, l. fi. §. 1. & l cum ab initio. & l. si quis signatoribus. ff. quemad. testa. aper. ita obligatio seruandi aliquod secretum efficit, ne illud fiat manifestum.

2 Secundo dicimus, quod sigillum secreti diuiditur id sigillum legis diuinæ naturalis, quod est obligatio à iure ipso naturali inducta ad occultandum aliquid, & in sigillū confessionis, quod nihil aliud est, quàm obligatio à lege diuina positiua per redemptorem nostrum inducta, ad occultandum, quod in sacramentali confessione reuelatur. qui quidem propter multas causas, quas in dicto cap. sacerdos. nu. 33. adduximus, voluit, vt quamuis alia secreta regulariter obseruanda, c. qui ambulat. 5. q. 5. quod cum aliis citauimus in dicto cap. sacerdos. in prine nu. 3. cum seqq sæpe possint, & debeant reuelari, videlicet quando iubet superior, cap. intimauit. de testib. cum ei annotatis per Panor. & Felin. & per Innoc. & Panormi. in cap. omnis. de pœnit. & remiss. & Panormi. in cap. qualiter. 1. §. si vero. sub finem. de accusat. vel quando occultatio talis secreti nocet animæ, corpori, honori, aut rei familiari alterius, vti diximus in repet. c. inter verba. 11. q. 3. con-

concl. 6. tamen confessionis sigillum nunquam est reserandum, præterquam in vno casu, nempe quando qui confessus est, ad id facultatem dederit quibusdam conditionibus affectam, vt infra nu. 10. & seq. dicetur: quinimmo confessarius, qui directe, vel indirecte cōfessionem detegit, siue absoluat pœnitentem, siue non, semper peccat mortaliter, siue id faciat præ timore, etiam ipsius mortis, siue gratia vitandi scandalum, aut cōmodum aliquod reportandi, vel propter quemcunq; alium finem rectum, aut prauum. capit. sacerdos. de pœnit. dist. 6.

3 Tertio dicimus, quòd idem redemptor noster Iesus Christus voluit vt sub ista obligatione non solum includerentur peccata mortalia & venialia: verum etiam eorum circunstantiæ necessario, vel voluntarie confessæ, & quæcunque alia, quæ licet peccata non sint: sunt tamen talia, per quæ detecta, detegi potest, directe vel indirecte, in genere vel in specie, cum qui cōfessus est, confessum fuisse, se admisisse aliquod mortale, vel aliquod particulare veniale, etiam si leuissimum foret, vt diximus in cap. sacerdos. num. 68. per dictum cap. omnis. de pœnit. & remiss. in illis verbis: *caueat sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

4 Quarto dicimus, quòd hoc sigillo & obligatione secreti confessionis non solum ipse confessarius remanet obligatus: verum etiam, vt diximus in capit. 1. in princip. nu. 77. de pœnit. dist. 6. omnes illi, qui confessionem sacramētalem audierunt vel intellexerunt licite, vel illicite, mediate, vel immediate, siue sint clerici siue laici, siue viri, siue fœminæ, iuxta S. Thom. Palud. & omnes alios in 4. dist. 21.

5 Ex quibus infertur. Primo, quòd omne sigillum cōfessionis est etiam secreti naturalis: non autem econtrario omne sigillum secreti naturalis est sigillum confessionis.

Secundo infertur, quòd sigillum confessionis est fortius altero, quoniam alterum solum introductum est à lege diuina naturali: hoc autē, de quo in præsenti agimus à lege diuina naturali & positiua.

Tertio infertur, quòd quamuis qui aliquod horum sigillorū infregerit, peccet mortaliter: grauius tamen peccat, qui frangit confessionis sigillum quàm qui alterius secreti naturalis: quoniam ille peccat contra duas diuinas leges: hic autem contra legem naturæ tantum. Sicuti etiam grauius offendit, qui refert secretū, quod iurauit seruare, quàm ille qui solum idem promisit. c. 1. 22. q. 1. & gl. in cap iuramenti. ea caus. q. 5. vti copiosius in d. c. sacerdos. nu. 36. & seq. diximus.

6 Quarto infertur, quòd confessarius, qui cōmisit aliquod mortale, quod nō potest confiteri absq; confessionis sibi factæ reuelatione, tenetur illud tacere, & reliqua cōfiteri cum proposito illud etiam confitendi quando absque prædicti sigilli præiudicio facere poterit, secundum omnes in 4. sent. dist. 21. quatenus tenent, quod, vt dictum est, non est nisi vnus casus, in quo illud liceat reuelare, qui quidē non est hic.

7 Quinto infertur, quòd sicut in dicto cap. sacerdos. diximus, non solum

solum sacerdos, & laicus cui propter aliquam necessitatem fit confessio, iuxta, c.1. in princip. de pœn. dist. 6. & etiam interpres, qui partes pœnitentis, qui linguam ignorat, agit, hoc secretum obseruare tenētur: verum etiam qui casu vel dolo licite vel illicite alicuius confessionem audit: immo & is, cui causa consilij petendi ab eo, vel detrahendi reuelatur. Quoniam res cū onere suo trāseunt. cap. ex literis. de pign. cap. pastoralis. de decim. l. 2. & 3. C. quib. caus. pign. tacit. cōtrah. & trad. S. Tho. receptus à Palud. & aliis in 4. lib. sent. distinct. 21. quæst. 3. articul. 1. & 2. & confessio simul ac fit in forma sacramentali, annexam habet obligationē secreti: adeo quidem, quòd iudex nihil deberet agere, aut aggredi ob famam, vel indicium, quod inde oriretur.

Sexto infertur, quòd hoc sigillum & obligatio durat etiam post mortem, quoniam nascitur ex præcepto negatiuo, cuius vis quoad semper, & pro semper obligat, vt ait S Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 2. in corpore quæst. Panorm. & alij in capi. nouit. de iudi. Archid. in princip. de pœn. dist. 5. & in cap. si peccauerit. 2. q. 1. & capit. præcepta. de consecr. dist. 1.

8 Septimo infertur, quòd hoc sigillum violauit, veluti in dicto capi. sacerdos. nu. 53. diximus, quidam parochus, qui suo parochiano publicè conquerenti, quod sibi Eucharistiæ sacramentum denegabat, publicè etiam in hunc modum respondit: Ne queraris, amice, quod tibi denegem sacramentum, quia habes casum reseruatum, à quo ego non possum te absoluere. Nam perinde est ac si diceret, ille confessus est mihi aliquod mortale: siquidem venialia reseruari non solent. arg. gl. cap. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6.

9 Octauo infertur, quòd confessarius in hunc modum loquens: Ille mihi confessus est multa & valde grauia peccata, confessionem detegit, vt nos post Palud in 4. lib. sentēt. dist. 21. q. 3. in dicto capi. sacerdos. nu. 54. diximus: & etiā ille, qui duarum aut trium personarum confessionibus auditis, de vna illarum sic loquitur: Hic nullum peccatum mortale habuit: quoniam indirecte videtur significare, alios duos mortalia fuisse confessos, sicut in dict. cap. sacerdos. num. 57. & 59. diximus, adiicientes idem facere illum, qui confessione pœnitentis audita, statim consulit virum doctum præsentem, à quo quid agendum sit in aliquo casu confessionis quærit, & accepto consilio illico redit, vt eum absoluat.

Nono infertur, quòd hoc etiam sigillum infringit sacerdos, qui cum ipse alteri confiteatur, accusat se absoluisse aliquem à peccato simoniæ, eo modo vt alter sciens à quo fuisset in confessarium electus, facile poterat coniicere, quisnam fuisset absolutus, vt in dicto cap. sacerdos, nu. 58. diximus.

10 Decimo infertur, quòd graviter errabant quidā confessarij, quos Ostiēsis in summa de pœn. & remiss. §. in quo tenetur. narrat, se vidisse ridentes & iocantes, qui sibi inuicem confessiones auditas referebant, dicentes in hunc modum: Quidam miles, vel quædam mulier venit ad me hodie, & illud, aut illud mihi confessi

confessi sunt, qui quidem quamuis illorum nomina non exprimerent: per coniecturas tamen facile fuerat deprehendere, quo in loco etiam reprehendit eos, qui dicunt: Ille confessus est admodum bene: Cōfessio illius non mihi satisfecit, vt in c. sacerdos. de pœn. dist. 6. nu. 59. diximus.

Neque obstat, quòd Conc. Tridē. sess. 24 c. 8. de reform. iussit, vt confessarij imponant pœnitentias publicas iis, qui publicè peccarūt cum scādalo aliorum manifesto, vt quos ad malum inuitarūt, eosdem ad bonum incitent: tum quia noluit statuere, vt confessarij hoc facerent eo modo, quo sciatur eas ab illis fuisse impositas: tum quia non loquitur de cōfessariis: tum quia illud esset rumpere indirecte sigillum illud: tum quia etiam erat sancitum antea in cap. 1. de pœnit. & remiss. vt peccatis publicis imponatur publica pœnitentia: sed illud, vt in capit. sacerdos de pœnit. dist. 6. num. 87. & sequ. probauimus intelligitur in foro mixto exteriori, in quo posset intelligi hoc dictum Concilij: & non in mero interiori, quod significat dictum Concilium in tribuēdo potestatē episcopis mutandi pœnitētiam publicam, de qua loquitur: tum quia non est recedendum ab antiquo iure, quando nouum ad id nos non compellit. Itaque credo, confessarium non debere palā facere indirecte, quòd pœnitens sibi cōfessus fuit aliquod peccatum publicum scandalosum, imponendo ei pœnitentiam publicam sic vt credatur ab illo fuisse data: quanquam bene potest imponere ita, vt crederetur, pœnitentem à se illud facere ad ædificationem eorum, quos scandalizauit, & etiam posset ei suadere, vt hoc significaret illis, quos scandalizauit, dicendo se id facere, quo sciant se ex animo pœnitere, percupereque, ne quis eius exemplo peccet.

Vndecimo infertur, quòd contra hoc sigillum etiam facit, qui de concubinariis, vel aliis publicis peccatoribus asseuerat, illos peccata illa publica fuisse sibi confessos. Quisquis enim non reuelet peccata, siquidem publica erant: tea tamen ratione vitius est reuelare, quia dicit illos talia peccata in confessione explicuisse, vt in dicto cap. sacerdos. nu. 62. comprobauimus. Ille item reuelat confessionem, qui dicit: Ille confessus est mihi: sed ego eum non absolui, constat enim eum, qui huiusmodi verba audierit coniecturum, pœnitentem confessum esse aliquod peccatum mortale: quamuis Caietanus cuius argumentis ibidem num. 64. respōdimus, oppositum teneat. Præterea secūdum omnes ille etiam infringit sigillum, qui dicit: Ego illum non absolui, quia non vult restituere, vel relinquere concubinam, aut alia peccata.

11 Duodecimo infertur, quòd non frangit hoc sigillum parochus ille, qui accersitus ad sacram Eucharistiam ministrandam publicis vsurariis, vel aliis similibus peccatoribus, quorum confessionem vel ipse, vel alius audierat, cum illis ita se gerit, ac si nihil per cōfessionem accepisset, & in hunc modum loquitur: Hi homines quantum apparet hucusque in peccato publico permanserunt & permanent: & publico peccatori, quousque etiam publice cōfiteā,

fiet, quòd desijs esse talis, non debet Eucharistiæ sacramentum publice ministrari. Nam istiusmodi verbis non reuelatur cõfessio, neque quidquam falsè dicitur, sicuti post Palud. in 4. dist. 9. quæst. 4. col. 2. diximus in princ. cap. 1. num. 91. & 92. & in capit. sacerdos. num. 65. de pœnit. dist. 6. At vero si diceret: Ego non possum, vel nõ potui illos absoluere, quia publicam illorum pœnitentiam non video, iam tunc violat sigillum: quod nos multis rationibus contra Caiet. in princ. dict. capi. sacerdos. num. 65. confirmauimus. Ille autem qui dicit: Ego audiui confessionem Petri, vel: Audiui peccata Petri, vel: Petrũ à suis peccatis absolui, non est sigilli violator: tam quia per hoc non asserit aliqua mortalia peccata generatim vel speciatim sibi fuisse confessa, nec aliqua venialia in specie, tũ quia in summa nihil amplius dicit, quàm si dixisset: Confessus est mihi, & ego ipsum absolui, quibus verbis nullus confessionem reuelare videtur, vt in dicto capi. sacerdos, nu. 68. diximus: nisi quando aliquis adeo clam est confessus, vt nolit alium scire se tali sacerdoti fuisse confessum, quod quidem contingit quando vxor fratris ipsius cõfessarij contra maritum peccauit, confiteturque alteri omnia sua peccata, vt postea reliqua præter illud vnum, mariti fratri vel consanguinei confiteatur, qui quidem si nosset, illam alteri fuisse confessam, aliquid mali suspicaretur.

12 Decimotertio infertur, quòd nõ rumpit sigillum, qui dicit: Eo ad audiendam reconciliationem Petri, qui suis minutissimis peccatis, vt solet, caput mihi obtundet: nam hic solum in genere peccata venialia alterius manifestat. Non est item violator sigilli, qui sine expressione causæ denegat alicui suffragium in electione prælati, eo quod eius peccata per confessionem cognouerat. Neque ille qui dicit: Tale peccatum mortale in cõfessione audiui, dummodo adeo circumspecte & caute hoc dixerit: vt nullo modo possit cognosci persona, quæ tale peccatum fuerat confessa, secundum Palud. & communem opinionem in 4. libro sentent. distin. 21. & Adrian. in dicto dub. 10. quamuis Panor. in capit. omnis. nu. 8. de pœnit. & remiss. oppositum sentiat, cuius argumenta satis aperte & sufficienter in dict. capi. sacerdos. nume. 78. dissoluimus, ibi tamen nu. 81. diximus, satius esse talia verba nunquam proferre, nisi propter magnã proximi vtilitatem, & quòd viri grauissimi raro ita loqui deberent, & rarius minus graues, & ratissime leues, quoniam hi facilius, quàm illi incidunt in suspicionem criminis de violato sigillo confessionis.

13 Decimoquarto infertur, quòd sacrilega est illa parochorum quorundam consuetudo audiendi simul multos pueros in vnum congregatos, iam rationis vsum habentes sine vlla necessitate, tum quia pœnitentiæ sacramento iniuriam faciũt, ipso ad risum & iocum abutentes, arg. l. Mimæ C. de episc. audiẽ. & §. fin. auth. de sanct. episc. & gl. c. cum decorẽ. de vita & honest. cleri. Tum etiam quia ipsi pueri postea suorum sodalium confessiones aliis pueris manifestant, in quo contra multa præcep

præcepta delinquitur, quæ in capit. omnis. de pœn. & remiss. & in 4. dist. 21. habentur, vt in dicto capit. sacerdos nu. 119. diximus.

14 Decimoquinto infertur, quòd cõfessarius interrogatus, quid egerit circa pœnitentem, quem non absoluit, respondere debet se suo munere fuisse perfunctũ: at vero si diceret, se non absoluisse, iam sigillum perfringeret nam tunc probabilem ingerit suspicionem, aliquod peccatum graue cõfessum esse pœnitentem, vel aliquam excommunicationem incurrisse, vel nolle emendari: quantumuis Caietanus hoc defendere contendat, vt in præallegato cap. sacerdos nu. 93. diximus.

Decimosexto infertur, quòd non rumpit sigillum istud confessarius, qui circa peccatum, quod audiuit in confessione, consilio alterius indigens, eo modo postulat illud sibi dari, vt ex eius verbis nullo modo possit intelligi quis fuerit auctor sceleris, capi. officij de pœnit. & remiss. & diximus supra eod. cap illat. 11.

15 Decimoseptimo infertur, quòd confessarius, qui vocatus in testem ante iudicem exponit, quod in confessione acceperat, quia alio modo idipsum intellexerat, non dicitur sigillum cõfessionis dissoluere: dummodo ita prudenter deponat, ac si nunquam quidpiam tale in confessione percepisset, secundum S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 21. q. 3. art 2. ab omnibus receptum, vt nos id etiam in dicto cap. sacerdos. num. 61. diximus. Nam si aliquid aliud adderet ex his, quæ nouit in confessione supra id, quod ante cognouerat, siue rem ipsam, siue rei certitudinem augendo, iam fit sigilli violator, secundum mentem omnium doctorum, quam Syluestr. verb. confess 3. q. 5. expressit.

Decimooctauo infertur, quòd nec ille infringit hoc sigillum, qui ex licentia pœnitẽtis libere & sponte & ex iusta causa sibi cõcessa confessionem detegit secundum S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 21. q. 3. art. 2. & multos alios quorum opinionem multis rextribus, & rationibus comprobauimus in dicto capi. sacerdos. nu. 151. & sequ. nouam aliam rationem antiquæ definitioni reddentes.

16 Decimonono infertur, quòd male fecit confessarius, licet non dicatur confessionis reuelator, ita loquendo: in tali loco (expresso nomine loci, in quo audit cõfessiones) grauia crimina perpetrantur. Nam simplices scandalizantur, existimantes his, & aliis similibus verbis confessiones reuelari, atq; subinde speciem mali præseferunt: & ideireo ab illis abstinere debemus, sicut diximus in capi. sacerdos nu. 54. iuxta illud Apostol. 1. ad Thess. 5. relatum in capit. cum ob omni. de v. t. & honest. cler. *Ab omni specie mali abstinete vos.*

17 Vigesimo infertur, quòd non est prudentis confessarij iniungere pœnitenti multa ieiunia, & graues alias pœnitentias, quas ille teneatur statim à cõfessione vel pauco post eã perficere. quãdo pœnitentiæ fuerint huiusmodi, vt commodè & secreto fieri non possint, absque eo q; ab aliquibus videãtur, qui subinde suspicentur propter grauia aliqua crimina illas fuisse iniunctas à confessario, sicut in præcitato capi. sacerdos. nu. 103. diximus quãuis aliqui affirment, propter grauia peccata gra-

us

ues quoque imponi posse pœnitentias, dummodo ex eo nulla specialis suspicio exoriri possit propter ista, vel alia crimina confessa fuisse impositas: ceterum quia confessarius nullo modo, nec in genere, nec in specie potest reuelare aliqua peccata mortalia sibi esse confessa, hoc non esse securum arbitramur, nisi consensus pœnitentis iusta de causa datus id iustificet.

Vigesimoprimo infertur, quod non facit contra sigillum confessarius, qui ex Petri confessione intelligens, Ioannem fuisse illius complicem in delicto, postea Ioannem de illo crimine interrogat: dummodo non exprimat, quod rem à Petro acceperit, secũdum Angelum, verb. confessio. 3 q. 16. immo nec in particulari interrogando sigillum aperit, quando Ioannes verisimiliter suspicari non potest illud expressisse Petrum in sua confessione: quia nimirum peccatum eiusmodi erat, vt circa illud confessarij soleant interrogare. Caueat tamen, ne tunc quidquam de Petro scisciterur, iuxta Siluest. dicta q. 16.

18 Vigesimosecũdo infertur, quòd qui reuelat secretum reuelatum sibi sub sigillo confessionis, vt vulgo fit, sine sacramentali peccatorum suorũ confessione, non fraugit sigillum confessionis, secundum Innoc. Pan. & communem in cap. omnis. de pœnit. & remiss. quos retulimus in cap. sacerdos. nu. 39. de pœnit. dist. 6. etiam si genu flexo, & prœuio signo crucis in fronte reuelauit, vt diximus in repe. cap. inter verba. 11. q. 3. citantes in hoc Sotum, & Caietanum, quem ille non citat.

19 Ad illud vero dubium, quid faciet confessarius alicuius mulieris ductus in aliquod desertum à marito eius nobilis, vel à tyranno, & interrogante, an sua vxor cõfessa fuerit ei, se adulteratam esse, intentando ei mortem, si veritatem non dixerit: respondeo, quòd potest absolute dicere, & si opus est, iurare, eam sibi non esse confessam vllum adulterium, adiicendo mente, eo modo quo dicere obligetur.

In quibus casibus confessio debeat iterari.

Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum recte confessum semel non est necesse iterum confiteri.*

2 *Absolutio etiam iniusta valet, nisi adsit defectus substantialis*

3 *Sacramenta collata excommunicato regulariter valent.*

4 *Absolutio à peccatis etiam iniusta excommunicati communiter valet. num. 5.*

6 *Absolutio carentis iurisdictione non valet. & 7.*

8 *Confessio facta excommunicato. suspenso, vel interdicto, quæ valet. num. 9. & 10.*

11 *Confessio facta curato carenti omni titulo inualida.*

12 *Confessio facta nescienti, aut nolenti absoluere, vt conuenit, nulla.*

13 *Confessio sine proposito vitandi futura, vel non integra nulla.*

15 *Confessio omittentis aliquid confiteri iusta de causa valet nu. 15.*

16 *Confessio sine delita cura reminiscendi quæ non valet.*

17 *Confessio nõ iteranda ob pœnitentiam non impletam, neque, &c. nu. 18.*

19 *Conpetens ei, qui male confessus est, non tenetur confessa reconfiteri.*

1 CIrca hoc dicimus primo, conclusionem esse ab omnibus Catholicis receptam in 4. distin. 17. peccatum semel rite ac legitime confessum non esse necessario iterum confitendum, attenta sola lege diuina & canonica. Immo neque lex vlla humana sanciri potest, quæ ad id faciendum obliget absque pœnitentis consensu, iuxta veriorem sententiam S. Thom. quodlib. 1. art. 12. & aliorum complurium, scilicet Gersonis, in lectio. 2. super Marc. Palud. in 4. lib. sent. distin. 17. q. 5. & Iacob. Almaini ibi & Dionys. quem Ioan. Maior & Iacob. sequuntur, & Adria. in 4. de sacramen. confess. q. 5. quos in cap. fratres. nu. 30. de pœnit. dist. 5. & in c. fi. num. 112. & seqq. de pœnit. dist. 6. sequuti fuimus.

2 Secundo dicimus, quod sicut aliæ iudicum sententiæ communiter valent, etiam si sint iniustæ. c. 1. 11. quæst. 3. c. cum inter. de re iudic. nisi quando defectus est substantialis. c. 1. cod. & l. 1. & tot. tit. C. quando prouoc. non est necess. ita eadem omnino ratione absolutio sacerdotis regulariter valet, etiam si fuerit iniusta, quando nihil ex substantialibus deest, secundum mentem omnium in dicto 4. lib. sent. distinct. 17. argu. l. illud. ff. ad leg. Aquil. & c. 2. de translat prælator.

3 Tertio dicimus, quod quamuis peccatum sit excommunicato ministrare sacramenta, si tamen illi conferatur, vera sunt & valida, vt in c. 1. §. cautus. num. 25. & seqq. de pœnit. dist. 5. affirmauimus. siquidem professio facta ab excommunicato valet, c. cum illorum. de sent. excom. Matrimonium item ab illo contractum. c. significasti. de eo, qui dux. in matri. Sacramenta item Eucharistiæ, Confirmationis, & Ordinis ab eo administrata, vel suscepta valet propter rationes vbi supra adductas.

4 Quarto dicimus, quod ex præmissis deducitur, primo absolutionẽ à peccatis, quæ cõfertur maiore, aut minore excommunicatione legato communiter valere: quia excommunicatio non inducit defectum substantialem absolutionis à peccatis, quamuis excommunicatus, qui dat & accipit eam scienter, sacrilegium committat. argu. cap. si celebrat. de cler. excom. minist. & cap. sacris. de his quæ vi met. causa fi. vt in ca. fratres. nu. 40. de pœnit. distin. 5. contra Angelum in verb. confessio. 1. §. 4. & verb. confessio. 5. §. 10. probauimus. qui quidem incaute pro se adduxit Richard. in 4. lib. sent. dist. 18. art. 9. quæst. 4. quem cõstat nobiscum sentire, & consequenter illum ad iterandam confessionem non teneri, vt in præcitato cap. fratres num. 45. probauimus, post Caiet. verb. absolutionis impedimenta & verb. confessionis iteratio & Caiet. Thom. 1. Opusculor. Opusc. 5. q. 2. & facit cap. Apostolicæ de excomm. ministr. & ea, quæ ait Card. consil. 40. & Felin. in cap. sicut tuis. col. 1. de fim. & maxime prædicta absolutio valet quãdo excommunicatus nesciebat, vel non aduertebat, se esse excommunicatum, siue ignorãtia, aut inconsideratio fuerit iusta, siue secus: dummodo quando absoluebatur, neque crederet, neq; aduerteret, se peccare

recipiendo absolutionem: vt eum aliquis est excommunicatus, & nesciens id, vel non aduertens, se excommunicatum esse, bona fide peccata sua confitetur, & petit absolutionem. Quæ solent multi facere, qui ignorant se propter percussionem clerici in minoribus constituti, vel prima tonsura initiati excommunicationem incurrere: aut etiam ignorant, vel non aduertunt sententiam excommunicationis generalem esse promulgatã contra eos, qui fructus arborũ, vel quid aliud surripuerint: hi etenim quamuis remaneant obligati ad impetrandam absolutionem ab excommunicatione, non tamen tenentur iterare confessionem.

Et si excommunicatio esset iniusta, multo potiori iure valeret absolutio. Quemadmodum enim qui excommunicatur excommunicatione inualida, siue nulla potest iuste absolui, secundum omnes, arg. cap. solet. de sent. excom lib. 6 & per multa à nobis citata, in prælect. c. cum contingat. de rescript. sic etiam excommunicatus per excommunicationem validam, sed iniustam in foro conscientiæ, & coram Deo potest à suis peccatis absolui. Quoniam in illo foro non est excommunicatus, vt sentit Richar. in 4. dist. 18. art. 3. q. 4. & Adrian. in 4 de confess. q. 4. col. 10. expressit, & ex Felino, & aliis ab eod. in c. fi. de testib. cog. colligitur. Non obstat, quod Siluest. in verb. confessio. 1. q. 5. sequutus Palud. tenuit contra prædicta, scilicet absolutionem impensam excommunicato non valere, quia in c. fratres. de pœnit. dist. 5. nu. 50 admonui tenendum esse circa hoc in multis contra Palud. ibi relatum per multas rationes efficaces Caietani quẽ in c fratres. de pœnit. dist. 5. num. 50. contra Palud. cito, & sequor. Et si quod Manuale alicuius episcopatus generaliter habet, confessionem excommunicati maiori excommunicatione reiterandam esse, limitandum est ad casus ibi expressos & infra intimatos. Neque etiam obstat, collationem beneficij excommunicato factam nihil valere, c postulastis. de cler. excom. minist. quia ius humanum circa ea, quæ sunt iuris humani sancire potuit: quod non fecit, nec potuit facere circa substantialia sacramentorum, quæ sunt iuris diuini ab ipso Iesu Christo domino nostro instituta, vt apertius quàm vmquam Concil. Trid. sess. 7. can. 1. dixit.

5 Secundo, deducitur, inanem esse absolutionem concessam illi excommunicato, qui non solum intelligit se esse excommunicatum: sed etiam nouit esse letalem culpam vel recipere, vel procurare sibi dari absolutionẽ à peccatis antequam ab excommunicatione absoluatur. Quoniam huiusmodi defectus est substantialis, non quia absolutio excommunicato impenditur scienti se talem esse: sed potius quia integram confessionem non facit: siquidem non confiteretur peccatum illud, quod perpetrat petendo sibi absolutionem conferri, sciens se peccare petendo & accipiendo eam, & sacerdotem impendendo. Et quamuis integra fuisset confessio; puta si ipse confiteretur illud peccatum, quod in expetenda absolutione committit: tamen adhuc nihil valeret, quia deficit

deficit contritio vel attritio debita, quæ confessionem comitari debuisset, vt constat ex supradictis, in c. 1. nu. 37. & seq.

6 Tertio deducitur, quod absolutio confessarij non habentis iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, nulla est, & debet iterari. Quoniam defectus potestatis est essentialis non solum quoad hoc, sed etiam quoad alia omnia, secundum omnes in 4. lib. senten. dist. 17. & tactum fuit supra, in c. 4 facit l. fi. ff. de iurisd. omn. iud. & cap. 1. de constit. lib 6. & est expressum in Conci. Trid. sess. 14. c. 6. & 7. Nec sufficit ratificatio, facta à proprio ordinario confessario, quamuis pœnitens hac fiducia fretus confiteretur, quod id gratum & ratum ille habiturus esset. Quoniam nulla ratificatio efficere potest, vt sit sacramẽtum quod ab initio non fuit tale, secundum Palud. in 4 lib. senten. dist. 17. q. 3.

Nec hoc est contrarium sententiæ Ostiens. in summa de pœnit. & remiss. § cui confitendum. num. 14. versi. octauo dicentis sufficere ratificationem: non enim dicere voluit, confessionem extraneo confessario factam cum spe futuræ ratificationis à proprio faciendæ per eam fieri validam: sed quod confessio facta extraneo credenti probabiliter, quod id est gratum de præsenti proprio, valet, vt recte docuit Siluest. in verb confessor. 1. § 6. versic. octauo si sacerdos. Cuius rei exemplum vt in c placuit. de pœnit. dist. 6. nu. 105. diximus, inuenitur in parochianis duorum parochorum, seu curatorum, qui adeo sunt familiares, & amici, quod vterque illorum tam vult, vt alteri confiteantur ac sibi. Nam eo casu confessio & absolutio impensæ parochianis vnius, qui alteri parocho confitentur, absque alia licentia validæ reputantur, non quidem vi ratificationis futuræ: sed cuiusdam præsentis ratificationis, & licentiæ tacitæ.

7 Quarto deducitur, quod sicut absolutio confessarij potestate carentis ad absoluendum pœnitentem nihil valet, ita absolutio illius, qui eam habet ad absoluendũ de aliquibus peccatis, & non de aliis, eo quod alia sunt reseruata, alia vero non, vel ob aliam rationem, valet quo ad illa, quo ad quæ non est defectus potestatis, qui est substantialis, quo ad alia vero, quoad quæ est talis defectus, minime. Quamobrem pœnitens, cum id ei constiterit, non tenebitur omnia peccata iterum confiteri: sed solum illa, à quibus eũ confessarius non valuit absoluere, secundum omnes in 4. lib. sent. dist. 17.

8 Quinto deducitur, quod confessio eius, qui confitetur excommunicato, suspenso, vel interdicto, publicecq; denunciato, & declarato nihil valet: & est iteranda. Quoniam eiusmodi excommunicatus non habet potestatem sufficientem ad sententiam validam proferendam. c. ad probandum. de re iudic. & cap. veritatis. de dolo & contu. id quod itẽ est asserendum de illo, qui ita publicè manus violentas in clericum iniecit, vt nulla possit tergiuersatione celari, etiam si denunciatus nõ fuerit, vt patet ex fine extrauagant. ad euitanda scandala, Martini quinti cuius verum tenorem transcribimus infra c. 17. nu. 31. & prius in c. 1.

§. laboret. n. 10. de pœni. dist. 6. decernum est ex statutis ecclesiæ Gallicanæ, quem S. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 10. §. 1. versi. textum. & Felin. in cap. Rodulphus. de rescript. & aliquot alij non fuerunt assequuti: quæque innouata fuit per Conc. Lateranen. sub Leone decimo, vt infra dicetur. Quamuis maius dubium sit de illo, qui est notorie suspensus, vel interdictus, vel excõmunicatus propter aliam causam, quam propter notoriam clerici percussionem: sed idem omnino iudicandum esse de illo, sicut de notorie excommunicato propter clerici percussionem, iam in dict. § laboret. à nu. 14. multis fundamentis, & contrariorum argumentorum aptis solutionibus asseruimus: quamuis contrarium passim seruari audiamus in Germania, Gallia, & aliquot aliis Regnis, vbi catholici non vitant eos, qui notorie sunt hæretici: ac consequenter excommunicati c. excommunicamus. de hæret. & per bullam Cenæ domini, quæ quotannis in vrbe fertur: & consuetudo dicitur optima legum interpres. c. cum dilectus. de consuet. & l. minime ff. de leg. quæ consuetudo quoniam scitur, & toleratur à summis Pontificibus, qui eam nequeunt de facto extirpare, satis potest dici excusare catholicos ea vtentes. quod etiam tangitur infra cap. 17. num. 35. & post illa latius resoluimus in Enchirid. de orat. cap. 22. Miscel. 2. nu. 5. hæretico notorio, si non est denunciatus excommunicatus, licite communicatur. & ita recedimus à parificatione denuntiati & notorie excommunicati suspensi vel interdicti, quã hic antea fecimus per illa multa, quibus idem fecimus in præcitato §. laboret.

9 Sexto deducitur, quod valida est confessio, & absolutio illi pœnitenti concessa, qui præ ignorantia confessus est sacerdoti, vinculo excommunicationis, vel interdicti, vel suspensionis irretito: qui quidem non est publice denunciatus: sed solum est excommunicatus, vel suspensus per sententiam à iure, vel ab homine, vel statuto latam: vt patet ex dicta extrauagant. Martini Quinti. Quoniam censuræ occultæ in præterito tempore, & etiam aliæ in præsenti nisi fuerint in publico denunciatæ, non impediũt valorem actus, qui ratione publici officij exercetur, cap. ad probandum. de re iudic. vbi Panor. & Felin. cum communi sic resoluunt. Facit l. Barbarius. ff. de offic. præt. & c. 1. 3. q. 7. §. verum.

10 Est tamen dubium, an idem sit dicendum de confessione facta alicui excommunicato, qui quamuis non sit notorie talis, neque denunciatus vt talis, tamen hoc ipse pœnitens non ignorat. Et quamuis aliqui partem negatiuam amplecterentur, quia Calderin. affirmat in dict. c. ad probandum de re iudic. receptus per Panormi. & communem ibidem, & alios, quos ibi col. pen. Felin. refert, omnes actus ab excõmunicato, etiã occulto, ratione publici officij exercitos in fauorem illius, qui eiusdem excommunicati operam exposcit, esse inanes, & nullius effectus: verũtamen opposita est tenenda sententia. Quoniam licet opinio Calderini eius ætate ante dictam extrauag. Martini quinti tamquam vera defenderetur, erat enim talis: post tamen

men amplius non est tenenda, vt in c. dilectus. 2. de præb. diximus, ante quam legeremus Feli. in dicto cap. ad probandum. qui & si subdubitans tenet illam definitionem non habere locum post illius extrauagantis editionem: quoniam fundabatur in eo, quod qui nouit aliquem ministrum publicum esse excommunicatum, peccat participando cum eo: & post illam extrauagãtem non peccat, nisi denuntiatus, vel sit notorie excommunicatus, quamuis excommunicatio sit specialis, sicut nos post Cosmam in glos. statutorum ecclesiæ Gallicanæ. tit. de excommunic. non vitand. verb. generaliter. defendimus in §. laboret. nu. 25. de pœnit. dist. 6. Verum tamen est, quod si confitens peccaret mortaliter inducendo hunc cõfessarium excommunicatum ad audiendam suam confessionem, sciens, illum tali vinculo detineri, & se non posse illi confiteri absque reatu letalis culpæ; idque aduertens tale peccatum non confiteretur, huiusmodi confessio & absolutio nullius essent momenti, non eo quod confessio fieret excommunicato, vel quia absolutio impenderetur à tali: sed quia confessio non esset integra; quippe quod in ea non exprimeretur peccatum in confitendo ei, & ab eo sacramentalem absolutionem accipiendo admissum. Vnde infertur idem omnino dicendum esse de illo, qui confitetur sacerdoti mortali peccato irretito etiam non excommunicato, quando ob id quod illum ad se audiendum & absoluendum inducit, peccat mortaliter, & aduertens se in hoc peccare, illud tamen peccatum non confitetur. Huiusmodi autem inductio siue persuasio tunc est peccatum mortale, quando absque vlla necessitate, vel debito quo alius teneretur, illum induxit ad faciendum sacrum, vel ministrandum aliquod sacramentum, quem scit mortali crimine infectum. Quia non solum qui faciũt, sed etiam qui consentiunt facientibus, & cet. ad Ro. 1. & c. notum. 2. quæst. 1.

11 Septimo diducitur, quòd confessio facta parocho, qui nullum titulum bonum, aut malum habuit à superiori, & absolutio ab eodem impensa nil valent: & ideo sunt reiterandæ, secundum Panor. in c. nihil. de elect. col. 6. & in c. dudum. 2. eod. tit. & summa Rosella, verb. confessor. 1. §. 41. & Siluest. eodem, quæst. 19. versi. ex his concluditur, & Caiet. verb. absolutionis impedimenta, ver. & propterea. & verbo, confessionis iteratio. versi. memento tamen, propter potestatis defectũ, qui est essentialis. Non diximus frustra: Titulum bonũ, aut malum: quoniã absolutio data ab eo, qui titulum habet licet malum, à superiori, & virtute eius possessionem accepit, non est irrita secundum Inno. in d. c. dudum. 2. arg. cap. nonne. 8. quæst. 4. quam Panor. & communis ibi sequuntur, & idem dico de absolutione data ab eo, qui aliqua de causa bonum titulum, quo fruebatur, amisit: dummodo amissio illa non esset notoria. Cui quidem quadrare potest quoddam dictum Gregorij noni. cum sua gl. in dicto capit. dudum. adiuncta glossa, verbo, deceptæ. secundum Panormit. ibidem colum. 7. Immo & ille, qui bona fide confitetur ei,

qui nullam titulum, neque bonum, neque malum habuit: vel illi, qui notorie amisit eum, quamdiu in ijs bona fide perseuerat, saluabitur. Si tamen postea eam amiserit, confessio iteranda erit, secundum Panor. in dicto cap. nihil & d. cap. dudum 2. & supradictos.

12 Octauo deducitur, quod confessio facta sacerdoti, qui vel nesciuit, vel noluit vti circa absolutionem forma eius substantiali ad id necessaria, nihil prorsus valet: quoniam habet defectum essentialem, arg. c. de homine. de celebr. miss. quamuis crediderim, raro aut numquam hac sola de causa confessionem inanem fieri. Quoniam fere omnes nouerunt formam substantialem absoluendi, de qua cum suis antecedentibus & consequentibus postea summatim infra cap. 26. agemus. & expressimus copiosius in princ. cap. 1. de pœnit. dist. 6 à nu. 7. & seqq. & cõmuniter loquendo nemini deest intentio & animus absoluendi. Illud etiã addiderim, duobus modis posse prudentem confessarium dignoscere, quando pœnitentis confessio, ob id quòd imperito confessario facta fuerit, debeat iterari: videlicet, quãdo ipsum, ipsiusque omnimodam ignorantiam nouit. & quando ex discursu confessionis sibi factæ, id colligit, eo quòd in rebus grauibus, quas minime ignorare debuisset, nullum remorsum conscientiæ, aut scrupulum iniecit ipsi pœnitenti. Veluti si simpliceem fornicationem, vel omissionem sacræ communionis in paschate, vel semel in anno, esse peccata mortalia diiudicare non nouit, ex supradictis in c. 5. nu. 2.

13 Nono, vt attingamus defectus, qui ex parte contritionis contingũt, diducitur, quòd confessio siue proposito vitandi peccata mortalia in posterum, quamuis secum gerat quale quale desiderium vitandi, nihil valet, & iteranda est: qualis est confessio illius, quem pœniteat alienum vsurpasse, & non habet restituendi animum: qualis itẽ est confessio eius, qui dolet se fornicatum fuisse, sed non statuit relinquere cõcubinam. Nã pœnitens qui non cõfitetur propositum non vitãdi illud, quo mortaliter offendit, nõ integre confitetur, & si illud simul cum alijs peccatis confiteatur, se ipsum inhabilem & incapacem absolutionis efficit, arg. cap. peccati venia. de reg. iur. lib. 6. cap. legatur. 24. q. 2. & cap. illud. 95. dist. & cap. per Esaiam. 1. q. 1. At vero si de peccatis præteritis dolet, proponitque futura vitare, quamuis nõ adeo doleat, neque ita perfecte illa virare proponat, vt perueniat ad sufficientem contritionẽ, neque ad eam attritionem, quæ adiuncta sacramento in contritionem transeat, nõ tamen tenebitur iterare confessionem, vt in c. fratres. nu. 33. de pœnit. dist. 5. probauimus. Nam alioqui nemo sciret se recte fuisse confessum, siquidem nulli constare potest, an sit in statu gratiæ, iuxta illud Eccl. 9. *Nemo scit, an sit odio vel amore dignus*, cap. fi. de purg. cano. & ex consequenti, nemo scit, an fuerit contritus: nam si hoc scire posset, posset etiam illud, arg. cap. dixi. cap. magna, de pœnit. dist. 1. & quia confessio iterari nõ debet eo solo, quod sit informis, qualis est illa per quam gratia & charitas non obtinentur, secun

secundum S. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. & latè tradit alter Tho. q. 5. in materia confessionis. quamuis Gratianus in c. fi. de pœniten. dist. 3. cum suo magno interprete in gl. fi. eiusdem c. fi. & alijs auctoribus oppositã sententiam tueatur. Sed quod prediximus, haud dubie tenendũ est vt in d. c. fratres. nu. 30. tradidimus.

14 Decimo deducitur, quòd quoad effectum ex parte confessionis nihil valet confessio, quæ nõ est integra, eo quod pœnitens prudens & sciens præ pudore, aut hypocrisi, vel alia iniusta causa omiserit confiteri aliquod peccatũ mortale: vel quod probabiliter ipse dubitabat, an esset tale: vel aliquam circumstantiam necessario confitendam: vel etiam eo quod data opera & studiose confessus est lethalem culpam alicui sacerdoti, à quo nõ bene intelligebatur, vel confessio non fuit aperta & clara ob verba obscura: vel quia cõfessarius dormitabat, vel quia confessionem diuisit, dum vni sacerdoti partem vnam peccatorum suorũ, alteri verò partem alteram confitetur. cum omnia peccata siue cordis, siue linguæ, siue operis, siue occulta, siue manifesta, vni eidemque sacerdoti dicenda & confitenda sint quãuis ille nõ possit ab omnibus absoluere: & propterea necessarium sit ad superiorem recurrere, secundum S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 17. q. 3. art. 4. quem Scotus & communis sequitur, & est textus in c. omnis. de pœnit. & remiss. & in cap. 1. §. cautus. de pœnit. dist. 5. in Concil. Floren in decret. Eugen. § quartum.

15 Vndecimo, quòd non tenetur pœnitens iterare confessionem, in qua aliquid ex his omiserit confiteri propter aliquam causam, quæ iusta sit, qualis est verisimiliter credere, quod confessio peccati ipsum confessarium ad peccandum alliceret, vel induceret in notitiam alicuius peccati & peccantis, quorum notitiam ipse habuit per confessionem propter illa, quæ supra in c. 8. nu. 6. diximus. Neque etiam tenebitur confessionem iterare, si omittit aliquid confiteri, nesciens illud esse letale. Nam quamuis ignorantia legis diuinæ aliquando non excuset à peccato, excusat tamen, ne peccet id non confitendo, sicut post Ioan. Gersonum, Adrianum, & Siluest. definimus in cap. fratres. de pœnit. dist. 5. nu 81. nouam huius rei rationem afferentes. Et cõsequẽter pueri vel puellæ, qui grandiores facti noue agnoscũt esse peccatum mortale quod aliàs omiserunt confiteri, ignorantes illud esse tale, non tenentur iterare confessionem eorũ, quæ confessi fuerunt, vt etiam tenet Siluest. verb. confessio. 1. q 3. vers. qui ex nescientia.

16 Duodecimo deducitur, quod qui confessus est non adhibita debita diligentia, qua peccata commissa in memoriam reuocaret, & ob id aliquod peccatum omisit debet cõfessionem repetere: quoniam patitur defectum essentialem ex parte confessionis, si quidem culpa sua nõ extirit integra. Quanta vero debeat esse huiusmodi diligentia nos in dicto cap. fratres. nu. 66. & seqq. radicitus pertractauimus, vbi in summa diximus, tantam debere esse ac sufficere, quanta viro prudenti & æstimatori humano videbitur neces-

Universidad de Deusto Biblioteca

faria hominibus eiusdem qualitatis & conditionis, cuius est pœnitens ille, attenta saltem ipsius voluntate, qua cupit interrogari à confessario, & de interrogatis respondere, quæ ficuerit, de, nu. 80. diximus, magnam partem diligentiæ requisitæ supplet. Confessarius autem, qui defectum notabilem circa hanc debitam diligentiam agnoscit in pœnitẽte, debet illi imperare, vt eam adhibeat, & postea redeat: nisi articulus mortis, vel belli, vel scandali, vel alia similis causa persuaserit cõtrarium, vt etiam ait Adrian. in 4. de sacram. confessionis.

17 Decimotertio deducitur confessionem quoad defectum ex parte satisfactionis nõ esse necessario iterandam, ob id quòd pœnitens pœnitentiam sibi iniunctam adimpleuerit extra statũ gratiæ: immo neque ob id, quòd eam nullatenus impleuerit, neque in bono, neque in malo statu: siue id per obliuionem, siue per negligentiam, vel contemptum contigerit, vt in cap. contrarium. nu. 20. & seqq. de pœnit. dist. 5. absque scrupulo affeuerauimus post S. Tho. qui hoc sentit quolib. 1. ar. 12. de quo nihil dubitat Caiet. in summa verb. confessionis iteratio. vers. ex satisfactionis autem. neque Ioannes Maior in 4. lib. sent. dist. 17. q. 6. neque etiam Palud. in eodem 4. dist. 17. q. 5. oppositum dicit, si satis eius verba expendantur: quamuis aliquam errãdi ansam bearo Antonino præbuerit, qui Angelum & Siluest. labi fecit. Cumque id sæpe consuluissemus, & affirmaremus numquam Paludanum id tenuisse, valde gratũ fuit postea vidisse Adrianum in 4. de confess. col. pe. in fin. de conclusione nostra, & de mente Paludani idẽ quod nos sensisse. quæ quidem sententia proculdubio tenẽda est, quidquid aliquot Confessionalia contineant, nisi quando pœnitenti ante absolutionem iniungitur pœnitentia: & ille cum imponitur ipsi contemnit, aut iustam curam non adhibet, quo postea iniunctæ pœnitentiæ recordetur, vt eã possit adimplere. quod optime tetigit Caieta. vbi supra. Tunc enim nihil valeret, etiam si postea eam iniunctam exequeretur, non quia quando illa iniungebatur, peccauit, & de illo peccato nõ se accusauit: atque ideo non fuit integra confessio.

19 Decimoquartò deducitur, quòd confessio illius, qui credit, se nõ habere tantam virtutem, qua de cetero à peccatis abstineat, valida est, immo etiam si credat se ante mortem peccaturum mortaliter: quoniã hic defectus non est essentialis, neque accidentarius, vt supra in cap. 1. nu. 9. post Innoc. in c. omnis. de pœnit. & remiss. communiter receptum affirmamus. Non valeret tamẽ confessio illius, qui crederet se non posse à Deo sufficiens auxilium ad non peccandum mortaliter impetrare. Siquidem hic non solum non doleret de omnibus peccatis præteritis: verum etiam peccatum infidelitatis committeret, non credẽs, Deum cuicunque facienti quod in se est, gratiam concedere, vt recte dixit Adrian. in 4. de sacramen. confess. q. 4. col. pen.

19 Decimoquinto deducitur, quòd quando pœnitens propter iterandam confessionem adit eundem sacerdo

cerdotem, qui meminit peccatorũ, vel saltem pœnitentiæ, quam iniunxerat, non tenetur iterum confiteri in particulari peccata iã semel confessa: sed satis erit illi dicere in genere in hunc modum: De omnibus peccatis, quę tibi pater aliàs fui cõfessus, dico Deo meam culpam, & tibi, &c. & deinde declarare peccatum, quod scienter omisit, cum simulatione, fictione, & mala intentione, qua id fecit. Si vero eidem sacerdoti non confitetur, vel confessarius neque peccatorum neque pœnitentiæ, quam ratione eorum iniunxerat, recordatur, debet tunc pœnitens repetere confessionem, perinde ac si antea non fuisset confessus, iuxta opinionem communem sancti Antonini 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4. & Siluest. verb. confessio. 1. q. 3. vers. si tamen cõfiteretur. qui alios citant.

Diximus: Neque recordatur pœnitentiæ, nam si memoriam illius haberet, satis esset, immo etiã meo iudicio, si recordaretur status, quem habebat pœnitens, saltem in confuso, quo casu opinio Medinæ in Codice de confessione. fol. 75. obseruari posset, qui quidem aliorum vestigijs adhærens absolute tenet, prædictam memoriam necessariam nõ esse. At vero quando nihil ex hisce tribus concurreret, esset confessio noua, & subinde oporteret eam esse integram.

De modo, quo confessarius erga pœnitentem se gerere debet.

Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius sic recipiat pœnitentem:*
2 *Et hæc interroget.*
3 *Confessor quæ dicet in principio, medio, & fine.*
4 *Confessor quid admonebit confessum nõ satis contritum.*
5 *Pœnitens quomodo confessionem inchoabit.*
6 *Confessor non ostendat pauorem:*
6 *Nec sinat nominare complices.*
7 *Confessor pœnitentem volentem palliare peccata quid monebit.*
8 *Confessor interrogando pœnitentem vnde incipiet.*

1 CIrca hoc dicimus primo, quòd confessarius rogatus audire confessionem, primum (saltem de consilio) quatenus vacauerit, debet mentem suam ad Deum eleuare, & formaliter vel virtualiter, saltem corde, dicere illud psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* id est, infunde mihi mentem puram, & intentionem rectam, vt ad hoc tam sanctum negotium nõ me moueat, saltem principaliter, cupiditas gloriæ, vel lucri, aut voluptatis, vel studium placendi hominibus, aut res nouas discendi, & pro tua infinita bonitate fac, vt vterque nostrũ, ego quidem audiendo, hic vero dicendo, tuæ maiestati placeamus. Amen.

Secundo debet pœnitentem susci piendo exhibere, se talem qualem eum esse debere significant illi versus, quos retulimus in c. 1. §. quibus cognitis. nu. 1. de pœni. dist. 6. relati à S. Tho. in 4. lib. senten. distin. 17. in expositione tex. in fine.

Confessor dulcit, affabilis, atque suauis,

Prudens, discretus mitis, pius, atque benignus.

Ipsumque animare ad sua vulnera detegenda, & ad spem de ipsorũ vulnerum sanitate concipiendam.

Tertio debet inducere pœnitentem, si nouit, ad faciẽdum actus exteriores confessioni conuenientes, qui sunt genua fl. ctere, signo crucis se præmunire, &c. & si ignorat, cum eos doceat, admonendo ipsum vt intelligat se potius Deo, quàm homini confiteri: ideoque cum maxima reuerentia id facere debere: iubeatque ei vtrumque genu in terrã deflectere, & faciem ad vnum latus inclinare. Quod si cum non satis agnouit, de eius statu & conditione interroget, vt quod expedit possit illum rectius interrogare. Si autem ipsum satis nouit, ab his supersedeat, vt diximus in cap. consideret. in prin. nu. 60. de pœnit. dist. 5. arg. l. 1. ff. de actio. empt. cap. eum qui. de reg. iur. lib. 6.

2 Quarto interroget eum, an aliquo detineatur impedimento, ob quod non debeat eũ absoluere: quale est habere concubinam, quã nolit domo eiicere: quale est esse vsurarium, & nolit desistere: quale odium capitale contra aliquem conceptũ, quod nolit ab animo expellere: ne postea de illo queratur dicendo: Voluisti primum mea audire peccata, & postea mihi absolutionem denegas? Eodem item modo se gerat erga ecclesiasticum multis incompatibilibus beneficiis sine iusta dispẽsatione oneratum, ipsumque admoneat, vt ante omnia sibi consulat, quo pacto habeat securam conscientiam, & deinde eius audiet confessionem. Caiet. in summa verb. interrogationes confessionis §. scito secundo. ver. secunda si est impeditus. arg. cap. nihil, de præscrip. & cap. 2. de oper. noui nũciat. Quod quidem consilium licet hucusque nobis placuerit, nunc tamen valde damnosum videtur. Tum quia hoc est pertrahere pœnitentem ad suos defectus manifestandos extra confessionem. tum quia fieri potest, vt postquam fuerit confessus, pariterque admonitus à confessario nouum animum induat exeundi à peccato, in quo prius residere destinabat. Nõ est etiam necessarium interrogare, an sit excommunicatus in hunc finem, vt confessarius vitet excommunicationem minorem, quam incurrunt qui excommunicato communicant, quia non incurrunt illam communicando in his, quæ ad eius animæ salutem conducunt. c. cum voluntate. de sent. excom. talis autẽ est confessarij cum pœnitente colloquutio, & cõmunicatio circa peccatorum confessionem. Neque ele. 1. de priuil. neque Innoc. post quem facta fuit illa, citatus male à summa Rosella. verb. confessus. 1. §. 10. aliud sensit. Quoniam satis est, vt absoluta iam confessione prius pœnitens ab excommunicatione, quàm à peccatis absoluatur, vt in c. præcedenti nu. 4. dictum est.

3 Quinto, consideret attẽte à principio vsque ad medium, & à medio vsque ad finem cõfessionis, an propter aliquam causam ex supradictis in cap. præcedenti. nume. 4. teneatur pœnitens iterare confessionem, vel confessiones alias præcedentes: & si inuenerit ipsum teneri ad eas repetendas, & quòd id pœnitens non aduerterat, debet ipsum admonere, vt iterum conscientiam examinet, si per tempus licuerit, maxime si multorum retro annorum confessiones repetere debeat. Si autem nulla adsit causa iterandi confessionem, roget, an debitam adhibuerit diligentiam ad recolenda sua peccata, per quam excusatur à confessione oblitorum, quo casu satisfacit cõfitendo ea, quæ occurrerint cum proposito confitendi alia, cum ea in memoriam venerint. Vtileque fuerit accusare se ad cautelam de negligentia, Si, & quatenus eam admiserit.

4 Sexto prudenter etiam consideret, an pœnitens debitam contritionẽ gerat: caueat tamen ne ipsum in tentationes damnosas, & superuacaneas coniiciat, vt in cap. 1. num. 17. dictum est, & si videtur ei nõ habere sufficientem contritionem, cohortetur eum ad maiorem concipiendam illis considerationibus in eod. c. 1. nu. 39. tactis, quæ sunt priuatio gratiæ, mors animæ, amissio felicitatis æternæ, recessus à patrocinio diuino, & accessus ad subiectionem diaboli. Deinde inducat illum ad Dei amorem propter quem, dolorem & detestationem de peccatis præteritis, & propositum firmum cauendi sibi in futurum concipere debet. Quod si adhuc his omnibus ad dolorem non sufficienter eum moueri consideret, interroget, an doleat, quòd non doleat tantum, quantum deberet, & an vellet huiusmodi dolorem sufficientem concipere. Quòd si annuat, satis erit per supradicta in d. c. 1. nume. 18. At vero si eius dolor non eo vsque perueniat, vel quia non proponit in posterum se à peccatis abstinere, licet id quadamtenus desiderat, vel nolit restituere, vel cõcubinam relinquere, vel odium à se repellere, vel dicit, se non posse, vel nolle caste viuere, vel officio, quod sine peccato mortali exercere non potest, renunciare, vel alia huiusmodi, nullo modo eum debet absoluere per capitul. quod quidam de pœnitent. & remiss. Poterit tamen sacerdos aliquam iniungere pœnitentiam, iuxta idem capitul. cum tamen admonẽdo non remanere absolutum, neque satisfecisse ecclesiæ præcepto de confessione semel in anno ad minus peragenda, quidquid dicat Syluestr. verb. confessor. 4 quæst. 2. vers. 1. & hoc quidem, vt sensit Adrian. in 4. de confes. quæst. 4. §. sed quid si crassa ignorantia, & late probat Medina in Codice de confessis. de confessi. sine pœnitentia. Nihil enim valet talis confessio. tum propter essentialem defectum ex parte contritionis, vt supra in cap præcedenti, num. 13. dictum est, tum quia concilium generale Romanum in capi. omnis vtriusque. de pœnitent. & remiss. & Florentinum in decreto Eugenij 4. aperte oppositam sententiam expressserunt. Præterea debet illum admonere, vt quotcunque bona opera possit facere, nõ omittat, quo Deus cor eius illuminare & emollire ad agendam pœnitentiam dignetur, iuxta dictum capitul. quod quidam. & cap. falsas. de pœnit. dist. 1. sed non debet illi absolutionem impendere, etiam si eam importune fatagat extorquere, aliquod scandalum aut despera

desperationem præseferens. Quoniam absque dubio sacrilegij peccatum committeret absoluendo, neque talis scãdali aliquam rationem habere debet, quoniam ipse sibi illud accepit, nemine ei dante, ideoq; scãdalum pharisaicum est, & subinde negligẽdum, arg. Matth. 15. iuxta S. Thom. 2. 2. q. 43. arti. 7. ad 2. & in 3. par. q. 42. artic. 2. in cor. q. & eundem in 4. lib. sent. dist. 38. q. 2. arti. 3. q. 2. ad 1. & omnes alios dicta dist. 38. An vero qui tacet aliquod peccatum in confessione, incurrat excommunicationem synodalium constitutionũ, inferius in c. 27. nu. 269. dicetur.

7 Septimo, vtile est, quamuis non necessarium, vt pœnitens iubeatur à confessario hoc modo suam confessionem exordiri: Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini & sanctis Apostolis Petro & Paulo, & omnibus sanctis cœlestis curiæ, & tibi pater, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, opere, &c. Deinde vero si pœnitens non statim id facere incœperit, ipsum admoneat, vt omnia peccata, quorum memoriam habet, & de quibus conscientia magis stimulatur statim exponat, imputando culpam sibi soli, vel potius principalius, quam cœlo, dæmoni, mundo, carni, sodalibus, vel corporis constitutioni, siue complexioni, & circunstantias necessarias declarando.

6 Cum vero aliquod graue vel turpe peccatũ ab ipso audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat, veluti spuendo, vel se cruce signãdo, vel seipsum commouendo: quin potius ac si nihil audiret, vsque ad finem confessionis dissimulet, & tunc cum iam velit pœnitentiam imponere, peccatorum grauitatem & deformitatem exponat, secundum omnes, arg. capul. 1. §. cautus. §. diligens. & §. quibus. de pœnit. dist. 6. Porro si viderit pœnitentem velle aliquam personam nominare, etiam propter aliquam circunstantiam necessario explicandam, nullatenus id patiatur, iuxta supradicta in c. 7. numer. 2. Et si viderit se ipsum excusantem in hunc modum: Ego non occido. Alienum non rapio: Nulli male volo, mansuete & benigne reprehendat, insinuans locum illum non esse excusationis, sed accusationis potius: subindeque verbis suauibus eum animet ad accusandum se, timore prorsus relegato. Et si pœnitens per se ipsum peccata recenseat, patiatur pro libito suo ipsum dicere quantumcũque rudi & crassa, vt dicunt, Minerua, & sine ordine rem exponat: sic enim agnoscet quibus peccatis magis implicatus exiterit, & de quibus debeat eum amplius interrogare, vt diximus in dicto §. diligens. nu. 6. Atqui si maluerit de illis interrogari, quam solus eadem referre, dummodo propositum habeat ad omnia mortalia crimina referandum (etiam si de illis non interrogaretur) non esset ea de causa condemnãdus, sed potius adiuuandus. Si tamen deliberaret aliquod mortale non confiteri, nisi de illo confessarius interrogaret, peccaret mortaliter & tunc confessarius, si forsan hoc intelligeret, ad detestandum hoc peccatum ipsum instigare deberet.

7 Octauo, si confessarius viderit pœniten

pœnitentem peccata sua occultare velle, vel probabiliter credit ea obliuisci, vel putare non esse peccata mortalia, debet caute & prudenter illum pertrahere ad dicendum ea, ipsumque docere illa esse letifera, persuadendo vt ea de quibus dubitat, an commiserit nec ne, confiteatur tanquam dubia, & nõ tanquam certa, & indubitanter commissa referantur, neque etiam tãquam non admissa relinquãtur: & denique talem se ore & lingua manifestet exterius, qualem se in corde agnoscit interius, in hunc modum seipsum incusans: Videor mihi in hoc, vel illud peccatum consensisse, atqui non sum omnino certus. Id quod etiam facere debet, si dubitat circa aliquod peccatum, an sit mortale vel veniale. Ceterum si ambo dubitauerint, tunc pœnitens sub conditione, peccatum in hunc modum detestetur: Si hoc est mortale, me pœnitet de illo tanquam de mortali. Similiter si de aliquo actu dubitaret, an bonus esset aut malus, sub eadem cõditione ipsum detesterur, scilicet: Si & quatenus est malus: quoniam si bonus est, nullo pacto eum detestari debet, Ioan. Maior in 4. libr. sent. dist. 17. q. 3. Si vero recordatur se lethale crimen admisisse, non tamen occurrit in specie, quod fuerit, tunc fateatur se deliquisse mortaliter, etiam si de eo in specie memoriam non habet. Idem Maior vbi supra.

8 Nono, postquam pœnitens explicauit quidquid circa sua peccata dicendum recordatur, si sacerdoti visum fuerit, illum non absolute & perfecte illa manifestasse, vt non raro contingit, debet tunc sacerdos ipsum interrogare circa id, quod sibi necessarium videbitur à decem præceptis Decalogi initiũ faciendo.

Circa quod raro, vt puto, mortaliter peccat confessarius, nisi cum principaliter acceptat officium audiendi confessiones ob lucrum, fauorem, curiositatem, vel carnalem voluptatem. Dixi, principaliter, quia qui minus principaliter tria prædicta horum quæreret, non peccaret etiam si non acceptaret illud officiũ, nisi aliquod eorum respiceret tanquam causam, sine qua id non faceret, per ea quæ latius tradidimus in Comment. capi. cum minister. 23. q 5.

De primo præcepto Decalogi, nempe de colendo Deo & aliis duobus præceptis, scilicet de diligendo Deum, & credendo in eum.

Cap. XI.

1 *Symbolum Apostolorum est summa Christianis credendorum.*
1 *Oratio Dominica continet summam à Deo petendorum.*
2 *Decalogus etiam nunc durat, & est speculum baptizatis.*
3 *Decalogus continet summam eorum, quæ agere & vitare tenemur.*
4 *Præcepti transgressio omnis mortalis, nisi, &c.*
4 *Præceptorum multorum transgressio quæ vnicum peccatum.*
5 *Præceptum de diligendo Deum super omnia, & proximum sicut seipsum, cur non sit de decem decalogi.*

CIrca hoc dicimus primo cum S. Thom. in primo Opusc. 4. & 2. 2. q.

Universidad de Deusto Biblioteca

2.2.q.83.art.9.& conci. Colonienſin Enchiri. Chriſtianæ inſtitutionis in princip.quòd quemadmodum ſumma omnium,quæ quilibet Chriſtianus tenetur credere in Symbolo Apoſtolorum comprehenditur,& in oratione Dominica omnium,quæ à Deo petenda ſunt:ita in Decalogo, quem Deus per manus magni illius ſerui ſui Moſis electæ plebi ſuæ,tradidit Exod.20.ſumma omniũ, quæ faciẽda ſunt,exprimitur. Noluerunt tamen hi patres innuere,nihil quod non contineatur in Symbolo, eſſe neceſſario credendum:neque quidquam, quod non comprehendatur in Decalogo, eſſe faciendum,ſiquidem omnes tenemur credere myſteriũ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ c.1.§. fin.de ſum.Trinit.& fide catholic.& clem.ſi dominum.de reliq.& vener. ſanct.quod tamen non continetur in Symbolo. Omnes item obligamur Deũ diligere ſuper omne aliud, quod tamen in Decalogo non habetur,vt dicitur infra eod.c.nu.6.

2 Secundo dicimus,quòd Decalogus,ſiue decem præcepta legis antiquæ adhuc in noua & Euangelica perſeuerant. Quoniam licet vetus illa lex quantum ad cærimonialia & iudicialia,expirauerit,§.fi.6.diſtinct. & c.1.de purific.poſt part.non tamen quoad moralia,quæ pertinent ad legem naturæ,cuiuſmodi ſunt decem præcepta, excepto tertio,quantum ad Sabbathi obſeruationem, ſecundum Gratian.in dicto §.fin.& ſanct. Thom.1.2.quæſt.100.articu.quarto, & alios in tertio libro ſenten.diſtinctio.17.

3 Tertio dicimus, quòd hæc decem præcepta,vt recte dicitur in dicto Colonienſi Concilio,ſunt veluti quoddam ſpeculum, quod traditur baptizato, vt intueatur, quantum per fidem acceptam vitam ſuam renouauerit,& ordinauerit:vel quantũ à via illa declinauerit, per quam Spiritus ſanctus in baptiſmo acceptus ipſum deducebat: & qua in re, vel quantum candidã illam veſtem, quam ibi induerat, tranſgrediendo quod ibi promiſerat,maculauerit:& vt poſtquã maculas & vulnera probe conſpexerit, de illis doleat, & cum integra fiducia redeat ad medicum,qui nullum ægrotum (etiam in eundem morbum ſæpiſſime relapſum) à ſe repellit,& reiicit, Matthæ.9.& 11.

4 Quarto dicimus,quòd quidquid eſt contra aliquod ex decem præceptis, regulariter eſt mortale, niſi vna ex tribus cauſis ipſum excuſauerit. Prima eſt defectus deliberationis, vt contingit in accidia ſiue tædio circa ſpiritualia ſubito nos ſurripiente. Secunda eſt paruitas,ſiue exiguitas rei in his, quæ ſunt cõtra ipſa præcepta,cuiuſmodi eſt paruum & exiguũ furtũ, iuxta S. Tho. 1.2.q.88.arti 5.& 6.& 2.2.q.3.arti.5.& q.59.arti.4.& nos latius tradidimus in repet.capit.inter verba.11.quæſt.3. poſt S.Antonin.2 par.titul.4.capit.5. §.7.& 8.& Adrian.quolib.8 communiter receptos, & vt colligitur ex quadam Auguſtini ſententia à Gratiano relata in §.fin.capit vnum.25. diſt.ibi: *Ebrietas ſi aſſidua ſit*. & ibi: *Si plus proximum exaſperauerit*. Tertia eſt defectus iudicij ſufficientis, qui contingit in ſemidormientibus, aut ſemiebriis, vel adeo perturbatis, quòd quamuis tale iudicium ad peccatum

peccatum veniale ſufficiat, tamen ad completam rationem mortalis non ſufficit,iuxta Ioan. Maiorem in 3.lib.ſent.diſt 37.q.14.

Quinto dicimus,quòd peccatum commiſſum contra plura præcepta, quorum vnum eſt generale alterum ſpeciale in generali comprehẽſum, non eſt niſi vnum, exempli cauſa: Homicidium eſt contra præceptum ſpeciale de non occidendo,& contra generale de obſequẽdo & obediẽdo Deo in omnibus, quæ præcipit, & cõtra præceptum de gratia & amore diuino conſeruandis: non eſt tamen niſi vnicum peccatum, ſicut dictum eſt in capit.6 num.3.cum de circunſtantiis neceſſariis confitendis ageremus.

1 Ex quo colligitur reſponſio illius quæſtionis, nuper nobis propoſitæ: An qui non ieiunat vigiliam ſancti Matthæi, quando in quatuor tempora incidit, aut miſſam in die Dominico, cum quo concurrit aliud feſtum obſeruandum, nõ audit,aut monachus Franciſcanus, qui non ieiunat die Veneris, in quo aliqua vigilia incidit, ſatisfaciat confitendo,ſe non ieiunaſſe, aut non audiſſe miſſam in vno die,in quo ad id præcepto tenebatur? Reſpondendum enim eſt,quòd non, quia dicere debet ſe eo die ad id duobus diuerſis præceptis ſpecialibus obligatũ fuiſſe per dicta ſupra:in prælud.9.num. 20. Quamquam qui vnũ peccatum ex quo alia ſequuntur committit:vt qui aliquem indignum eligit, ex quo malæ gubernationes oriuntur, non niſi vnum peccat ſecundum Alexand.Halenſem, 2.par.de accep. perſon.& ſentit S.Bonauent.in 4.lib. ſentent.diſt.38.ſuper litera Magiſtri, q.2. Quòd autem non ſolum peccet mortaliter qui facit opus: ſed etiam qui vult deliberate id facere,aut delectatur in eo, & qui conſentit aliquo nouem modorum, qui explicantur infra nu.11.traditur infra nu. 12.& 15.

5 Sexto dicimus, quòd præcepta de diligendo Deum ſuper omnia:& proximum ſicut ſeipſum non numerantur inter iſta decem: quod docuit S.Thom.1.2.quæſt.100. quoniã in Decalogo non fuerunt hominibus tradita prima principia, quæ vnuſquiſq; per ſeipſum, natura magiſtra,vel per fidem intelligit, qualia ſunt hæc quæ fons & origo Decalogi,& decem præceptorum in eo contentorum exiſtunt,neque etiam in eodem Decalogo traduntur ea præcepta,quæ difficile, vel per maximam induſtriã ingenij ex his decerpuntur: ſed tantum illa, quæ ab omnibus poſſunt facile deduci. Vnde infertur,præcepta de fide & [illegible] ritate non contineri in Decalogo: ſed præſupponi ad illud,quod multi graues doctores adnotarunt: & præſertim S.Thom.1.2.quæſt.100.art.4. & 2.2.quæſt.44.artic.4.& quæſt.79. art.2. Caiet.2.2.q.64.art.8 & Anton. 4.par.titu.4.cap.1 §.1. Et conſequenter errant qui dicunt primum Decalogi præceptum eſſe de diligendo Deo. Eſt enim contra prædicta, & contra textum ipſius Decalogi, Exod.20. Cuius primum præceptum eſt illud: *Non habebis Deos alienos coram me.* Quibus verbis ſolum peccatum Superſtitionis & idololatriæ quæ ſunt contraria virtuti Religionis & Latriæ, prohibentur. Quæ quidem

quidem virtus non est theologica, sed moralis secundum sanct. Tho. receptum 2. 2.quæst.81.art.5. & nulla ibi fit mentio de dilectione Dei & proximi, quæ pertinet ad virtutem charitatis. 2.2.q.27.art.1. quæ theologica est, 1. 2. quæst.62. & 2.quæst. 25. artic. 6. Errant etiam qui putant præceptum de credendo in Deum esse primum Decalogi eadem ratione;cum fides sit virtus theologa, & non moralis.

De præcepto de diligendo Deum, quod non est Decalogi.

SVMMARIVM.

6 *Præcepta de diligendo Deum & proximum maiora omnibus præceptis Decalogi,& quando adimplenda, num.7.8.9. & 10.*

11 *Præcepti transgressio, etiam mentalis tantum, quæ mortalis & nu.12.*

13 *Delectatio quæ morosa, & concurrentibus quattuor mortalis.*

14 *Delectationi malæ resistere, virtus, consentire peccatum.nu 13.& 14.*

15 *Censuræ non incurruntur per solum consensum.*

16 *Restituendi obligatio non contrahitur solo consensu.*

17 *Præcepta Dei non impleri posse in statu malo in quo sensu est de fide.*

6 SEptimo, quòd necessarium videtur hic tractare de præcepto amandi Deum,& credendi in eum, quæ duo, hoc præceptum primum, & omnia alia Decalogi præsupponũt,vt satisfiat his,qui peccata, quæ fiunt contra hæc duo præcepta, reducunt ad primum Decalogi. Et ita primo ponemus ea qua pertinent ad præceptum de amando Deum. Secundo,ea quæ pertinent ad præceptum de credendo in eum. Tertio,ea quæ pertinent ad præceptum de colendo illum,quod vere & proprie est primum præceptum Decalogi.

Circa quod dicimus primò, quod hoc præceptum de amãdo Deum non est quidem primum Decalogi: sed maximum omnium præceptorum tam Decalogi, quàm aliorum, iuxta domini nostri Iesu Christi doctrinam Matthæ. 22. quæ diuersis verbis habetur in scriptura. Nam in Deuterono cap. 6. sic habetur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua*:Et in Euangelio Matthæ.cap.22. sic. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex tota mente tua* & apud Marc.ca. 12.sic:*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua* Apud Lucam vero cap.10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Omnes tamen in sensu conueniunt, & in summa hoc sibi volunt, Deum præcipere, vt eum plene & integre diligamus, nõ quidem quo ad hanc vitam, eo modo, vt omnibus horis & momentis id actum faciamus,hoc enim fieri non potest in ea,in qua cibo,somno,labore,& negotiis necessariis id interrumpitur: sed vt explicat S.Tho.2.2.q.44.art.3. vt scilicet in omnibus totam intentionem nostram, quæ per cor exprimitur,in eius amorẽ & obsequium dirigamus, totumque nostrum intellectum (qui per mentem significatur) illi subiiciamus: omnesque appetitus (qui per animam notantur) ad normam suæ sanctissimæ legis componamus: & denique omnia nostra opera exteriora, quæ nomine fortitudinis, virtutis, & vitium significantur, eidem conformemus. In summa vero hoc totum nihil aliud significat, quam Deum nobis præcipere, vt se propter se ipsum, & magis quam cetera omnia diligamus, eidemque inseruiamus tam interiori quam exteriori obsequio. magis, inquam, non quoad intensionem & fauorem: sed quoad æstimationem & appretiationem: vt explicuimus in additione c.quando.de consec.dist.1.& & supra cap.1. num 2, post S.Thom.1.2.q. 109. art.3. & 2.2.quæst.184.artic.3. & alios Neotericos, inter quos est Ioan. Maior.in 1.distinct.1.q.2. & in 4.dist.14.q.1. Caieta.2. 2.q.49.arti.4. Hoc est, vt eum, eiusque amorem pluris, quam aliquam creaturam, immo & quam vniuersas æstimemus & faciamus: & propter amorem eius potius eligamus mortem oppetere, quam ipsum vel corde, vel verbo, vel opere mortaliter peccando negare.

7 Secundo dicimus,quod hoc magnum præceptum de diligendo Deo super alia omnia post peccatum Adæ non potest, nisi in statu gratiæ adimpleri secundum aliquos, inter quos videtur esse S. Tho. 2. q. 100. art.10. & 2.2. q.40. art.1. & 6. & melius q.109. art.3. Contra quod tamen facit, quod homo sola virtute naturali, etiam existens in peccato mortali potest cõcipere, immo concipit partim Deum esse super omnia diligibilem, & finem omnium vltimum,& consequenter eum vt talem diligere potest. Deinde quod datur dilectio Dei super omnia sine gratia, vt probat Caiet. 1. Tomo Opusculor. Opusc.4. q.1. Præterea, quod ipsemet Thom.in 2.lib. sent. dist. 28. q.1.artic.3. affirmat, posse quem sine gratia implere præceptum diligendi Deum, quoad substantiam actus, licet non quoad meritũ beatitudinis, quoad quod potest intelligi prædicta prior eius opinio, quod satis sentit concordia sancti Thom 1548 quæ distinctio fit etiam in aliis præceptis infra hoc eod.cap.

Tertio dicimus, quod est quæstio difficilis, non tam bene tractata, quam necessaria & quottidie occurrens,videlicet, quando teneamur ad hoc præceptum actu adimplendum sub pœna noui peccati mortalis, eo modo, quo in hac misera vita expleri potest: nam perfecte non nisi in alia adimpletur, secundum Aug. in lib. de perfecta iustit. in responsione ratiocinat. 16.& Thom. 2. 2.q. 44 art.6.& in 3.lib.sentent.distin.27. q. 3. art. 4. Difficultatem enim ingerit, primum quod sit affirmatiuum præceptum, & consequenter non obligat pro quocunque tempore. sanctus Tho. 2. 2.q.33. art.2. & Arch. in cap. si peccauerit 2 q. 1. & in summa de pœnit. distinct.5. ab omnibus recepti: & non videtur præfinitum tempus, quo id fieri debeat. Deinde quod dura videtur Scoti sententia dicto lib 3. sentent. dist.27.q.3. à quo recedit Adrian. q.4. de confes. nempe, nos omnibus festiuis diebus teneri ad illud: quia nullus est textus, nec vlla ratio, quæ id necessariò

concludat, & ita non videtur asserendum, c. consuluisti. 2. q. 5 §. consideremus, Auth. de trien. & semiss. collat. 3. Nam missa, quam illis diebus præcipimus audire, per c. missas. de consecr. dist. 1. recte audiri potest sine tali amore actu concepto. vnde rari vel nulli se huius omissionis accusant. Præterea, quòd nimis laxa videtur opinio dicentium, non obligari nos ad implendum illud præceptum amplius, quàm semel in vita. quod meo iudicio Sotus lib. 2. de iust. & iure q. 3. art. 10. & lib. de natu. & grat. c. 19. recte confutat. Denique quòd dicta Soti non videntur satisfacere. tum quia dicit aliquando non obligari nos amplius, quàm ad opus exterius in quocunque statu exhibitum; puta ad increpandum blasphemum, & sanctus Thom. vbi supra dicit hoc præceptum non impleri nisi in statu gratiæ. tum quòd idem Sotus vbi supra tenet obligare pro tempore baptismi, & idem lib. 2. de natu. & grat. cap. 15. docuit, ad recipiendum baptismum non esse necessarium tantum efficere, quantum requiritur ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum, quoniam ad hoc non sufficit attritio, quæ nosci tur non esse contritio: ad baptismum autem sic, secundum ipsum tum: etiam, quia idem affirmat, vnumquemque quoties insigne aliquod beneficium à Deo consequitur, teneri ad illud explendum; quod tamen nulla lege neque ratione efficaci euinci posse videtur: & ita non est asserendum, iuxta dictum c. consuluisti.

8 Quarto dicimus (saluo tamen meliori iudicio) sanctissimum quidem consilium esse, vt non solùm diebus festiuis: verumetiam quotiescunque commodè poterimus, nitamur implere prædictum mandatum, præmissa (si opus fuerit) debita nostrorum criminum detestatione: sed non præceptum, quod nos sub reatu nouæ culpæ mortalis obliget, nisi. Primo cum ad vsum rationis peruenimus, & tam habemus vel habere debemus cognitionem referendi & dirigendi nos ipsos, nostraque omnia opera in Deũ ipsum tanquam in nostrum vltimum finem, saltem in confuso, & eo modo, quo id pueri præstare possunt, vt sensit subtiliter S. Tho. 1. 2. quæst. 89. art. 6. quem (licet in alium finem) retulimus in Enchiridio de Oratione c. 2. nu. 15.

Secundò, cum tenemur ad habendam contritionem de peccatis mortalibus, iuxta dicta in c. 1. nu. 31. vt explicuit Caietan. in dicto artic. 6. quoniam contritio sine hoc amore haberi non potest, vt ibi dictum est. Non tamen ad id tenemur, quoties ministramus, vel accipimus sacramenta; quoniam sufficit nobis habere tunc gratiam, vel charitatem habitualem, quamuis non habeamus amorem præfatum actualem, quia non tenemur tunc habere contritionem, quia sufficit habuisse antea, & non perdidisse gratiam habitualem. Ex quo sequitur, non esse necessarium hunc amorem actualem quando baptismus est ab adulto recipiendus, licet illud dicat Sotus præcitato lib. 1. de natu. & grat. cap 32.

9 Contra quem facit, quod ipsemet d. lib. 2. de natu. & grat. cap. 15. asser

asseruit ad baptismum non esse necessariam contritionem: sed satis esse attritionem, etiam illam, quæ scitur non esse contritio, licet id nobis non videatur verum, per ea quæ in d. c. 1. num. 17. diximus. Facit etiam contra eumdem, quòd eadem ratione teneremur implere hoc mandatum, quotiescumq; aliquod sacramentum recipimus, & consequenter cum cõtrahimus matrimonium, quod falsum est. Satis enim est, vt non simus in peccato mortali, aut probabiliter id credamus: quamuis huiusmodi adeo excellum amorem actualem animo non concipiamus. Facit item, quòd nullus peccati mortalis reum diceret esse illum, qui octo dies ante baptismum rectam contritionem de peccatis concipiens, & seipsum probabiliter constituens in statu gratiæ: postea ante nouum peccati mortalis admissionem sine hoc amore actuali baptismum susciperet. Quare hic tertius casus est restringendus ad eos, qui ante baptismum non habuerunt contritionem.

Tertio quotiescunque tenemur proximum ex charitate diligere, nam tunc pariter eodem amore Deum diligere tenemur, siquidem hi duo amores sunt eiusdem generis & naturæ: & in amore proximi amor Dei tamquam finis includitur, vt colligitur ex vtroque Thom. 2. 2. q. 44. ar. 2. & 1. 2. q. 25. ar. 1. vt infra cap. 14. nu. 4. dicemus.

10 Quibus addo primo, eum, qui diligit Deum, probabiliter credens se esse in statu gratiæ, subindeque suum amorem esse amorem Dei super omne illud, quamuis in rei veritate non sit huiusmodi, neque sit in eodem statu, nihilominus tamen adimplere hoc præceptum, quoad effectum euitandi nouum peccatum quod admitteretur ob omissionem implementi eius: quoniam sine speciali reuelatione scire non potest quis, quando est in statu gratiæ, Ecc. 9. & Iob. 9. relati in c. fi. de purg. cano. & tradit sanctus Thom. 1. 2. q. 112. art. 5. & definit Con. Trid. sess. 6. c. 9. & can. 12. & 13. & 14. Et ita nisi hoc teneamus, nequiremus scire, quando hoc præceptũ impleremus.

Addo secundo, quod posset (nostro iudicio) affirmari, quod hoc supremum mandatum licet præcipue & principaliter excellum illum amorem à charitate profectũ nobis præcipiat, minus principaliter tamen etiam obligat aliquando ad diligendum Deum hoc eodẽ amore, vel alio bono & naturali, non obligando ad præfatũ sublimẽ charitatis, vel saltem quamuis hoc præceptum ad id non obliget: obligat tamen nos naturæ, quæ habetur in l. veluti, ibi: *Vt patriæ parentibusque pareamus.* ff. de iust. & iur. quæ satis iubet amare patriam, reges, parentes, & dominos, quin etiam omnes proximos, in quibusdam casibus & etiam deum ipsum, tanquã Regem, parentem, dominũ, gubernatorem, & protectorem, saltem aliquo bono amore naturali. & propterea, vt docuit bene prædictus Sotus vbi supra, quando Deum audimus blasphemari, aut inhonorari, tunc tenemur ad actum diuinum amoris, saltem naturalis boni, quo impulsi, eũ, qui in Deum blasphemus, vel contumeliosus exiterit, increpemus

Quod quidem ita faciendum esse Conc. Lateranen. sess. 9. §. ad abolendam, in specie præcepit. Nec obstat his dicere, quòd amor Dei debet esse talis, quo ille super omnia diligatur: & quòd nisi talis sit, non est bonus, vt videtur sentire sanctus Tho. 1. 2. q. 109. art. 3. respondetur etenim, quòd licet diligere Deum comparatiue minus quàm illum, vel æque ac illum sit malum: diligere tamen eum absolute æque, vel minus absque vlla comparatione, non est malum, vt alij dicunt. quæ quidem omnia tamquam quottidiana & parum specificata debitæ correctioni subiicimus.

11 Quinto dicimus, quòd non solum est peccatum mortale transgressio præcepti sub eius pœna obligantis: sed etiam propositum transgrediendi, immo & desiderium deliberatũ id faciendi, immo & (quod maius est) ipse consensus, ipsa volitio, seu voluntas vera, & expressa delectandi se illa transgressione, cogitata licet nec faciat, nec proponat, nec desideret facere, Qualis est consensus illius, qui de antiquo peccato mortali cogitat absque proposito & desiderio id faciendi: eo tamen animo, vt ex eo nascatur & crescat ei aliqua delectatio, qua fruatur. Quinimmo (quod maius est) consensus, & volũtas interpretatiua vel tacita illius est culpa letalis. Quæ plane omnia consonant communi opinioni, quæ colligitur ex beato Augustino lib. 10. de Trinit. & Magist. sent. in 2. dist. 24. cum suis commentatoribus, & ex S. Thom. 1. 2. q. 74. & beato Anton. 3. par. tit. 1. c. 1. §. 5. & Io. Maiore in 2. dist. 24. q. 18. & Caiet. in summa verb. delectatio morosa, in princip. & Tomo 1. Opusculor. Opusc. 14. q. 1. & ex eis, quæ nos clarius & copiosius, quam alij resoluimus in cap. cogitationis. de pœnit. dist. 1. & in c. sed pensandum. dist. 6.

12 vbi in summa diximus consensum verum & expressum, quem Caietanus positiuum vocat, ipsius delectationis esse illum, quem supra docuimus. At vero tacitus consensus, quem alij interpretatiuum, alij morosam delectationem dixere: Caietanus autem negatiuum non positiuum appellauit, tunc demum est peccatum mortale, quando quattuor concurrunt. Primum vt id, de quo sumitur delectatio sit letalis culpa. vt ait S. Tho. 2. 2. q. 74. art. 8.

Secundum vt qui delectatur aduertat se delectari; nam si circa id non aduerteret, quamuis diem integrum delectatio perduraret, non peccaret mortaliter, iuxta textum mihi singularem, in c. sed pensandum. distin. 6. ibi: Ex deliberatione consentit. Neque satis est aduertere: nisi integre aduertat secundum Caietanum vbi supra.

Tertiũ, vt non obsistat delectationi, eam à se depellere contendendo: quoniam si id conaretur, iam potius virtuti, quàm vitio esset tribuendum quamuis eam à se non omnino repelleret, dicto c. sed pensandum.

Quartum, vt absque rationabili causa omitteret eam à se reiicere: etenim si omitteret eam depellere, quia nouit se ea vi & virtute animi pollere, vt certus sit, se non ita victum, vel flexum iri ab ea, vt actum, de quo est, velit: neq; ita vt voluntas eius superius, seu rationalis, velit ea

ea sensuali delectatione frui, non esset culpa, saltem letalis, dummodo expresse non cõsentiret in illam. Id quod item dicendum est, si ideo delectationi non resisteret, eamque à se non repelleret, eo quòd crederet quo magis vellit tentationi obsistere, & contra ipsam pugnaret eo illa magis augeretur, quam minueretur: sicut erga carnis illecebras contingere solet, quæ quidẽ fugiendo potius, quam resistendo superantur, secundum sanctum Thom. 2. 2. q. 35. art. 1. Io. Gersonum de pollutione not. 7. & alios alibi. Idem esse, si delectationem illam omisisset expellere, ne suam occupationem honestam, & necessariam, aut vtilem, derelinqueret: quale est studium & lectio rerum impudicarum, ad huiusmodi delectationes prouocantium, necessaria ad prælegendum scholasticis vel concionandum populo. Quale item audire confessiones de rebus impudicis, & alia huiusmodi: argumento eorum, quæ singulariter scripsit Caiet. in d. Opusc. 14. q. 1. 2. & 3. & consequenter, & hoc sit mortale, oportet illum, cui eiusmodi delectatio oritur, esse talem, vt suæ imbecillitatis & consuetudinis præteritæ ratione habita merito credere teneatur, se nisi illam reprimeret, in ipsum opus malum, vnde nascitur delectatio, vel saltem in delectationem eiusdem operis vere & realiter consensurum.

Ex qua quidem resolutione intulimus in c. cogitationis. de pœnit. dist. 1. decisionem multorũ casuum, qui quottidie contingunt, quos hic breuitatis gratia tacemus.

Infertur item ex eadem resolutione delectationem, quæ morosa nuncupatur (à mora videlicet deducto vocabulo) non esse ita nominatam ratione temporaneæ durationis, sed propter moram, quam facit ipsa ratio in ea non expellenda. Quia nimirum ea non repellit quam citissime potest, & debet: vel (quod deterius est) quia eam deliberate acceptat. quod quidem vel in instanti fieri potest, secundum omnes. In his autem duobus casibus peccatum mortale committitur licet opus exterius nunquam fiat, neque adsit propositum faciendi. Quod quidem verissimum est, non solum in peccatis carnalibus, verum etiam in reliquis, iuxta mentem omnium, quod expresse S. Bonauent. in 2. lib. sentent. dist. 24. in expositione litteræ adnotauit.

14 Itaque resistere delectationi, quæ nascitur ex cogitatione alicuius peccati mortalis virtus est: adsistere autem, & assentiri expresse letalis est culpa: non resistere vero neque adsistere aliquando est peccatum veniale, & aliquando mortale, scilicet quando quattuor illa supradicta concurrunt. Quoniam omnis voluntas deliberata de peccato mortali, vel (proprius loquendo) omnis voluntas deliberata se delectandi de actu, qui est peccatũ mortale, est mortifera, c. 1. §. ponderosus. 49. dist. & S. Tho. 1. 2. q. 74. art. 8.

At quoniam in huiusmodi delectationibus, maxime si carnales sunt, semper inest aliquid periculi ratione naturæ humanæ corruptæ, expedit vt qui huiusmodi delectationes habuit, & non est certus, an ipsis consenserit, neque an sufficien-

ter restiterit, & illis in confessione se ipsum incuset, dicens se dubitare, an quantum debuit illis resistere contenderit. Nam si credit se consensisse, vel non restitisse, vt eis fruereretur, vel admodum negligenter se gessit in eis depellendis, cum probabili consentiendi periculo in easdem delectationes, vel in opera, ex quorum cogitatione illæ nascuntur: tunc necessarium esset confiteri, quod circa hoc credit & sentit.

15 Sexto dicimus, quòd non solum peccat, qui aliquod peccatum committit, & in eo perpetrando est præcipuus exequutor: verumetiam omnes alij, qui eidem culpæ consentiunt, iuxta illud ad Roma. 1. Non solum qui faciunt sed & qui consentiunt facientibus cap.1. de offic.deleg.vbi gl. & omnes c. notum. 2.q.1.c.licut dignum, per totum de homic.consentiunt,inquam, aliquo nouem modorum contentorum in duobus senariis,quos posuit S. Tho. 2.2.q.62.artic.7.in corp.q.& in 4.lib. sent.dist.15.q.1.art.q.3.scilicet,

Iussio,consilium,consensus,palpo, recursus.

Participans,mutus non obstans, non manifestans.

16 Quibus significatur illum consentire delicto, qui iubet, consulit, cõsentit,laudat,recipit principalem delinquentem,vel adiuuat, vel non impedit verbo,aut opere, vel non manifestat: cum teneatur & possit. quorum modorum interpretatio & dilatatio,inferius c.17.nu. 17. & nu. 130.& seqq.fiet.Interim autem dicimus,peccare mortaliter eũ, qui aliquo istorum nouẽ modorum, principali auctori delicti consentit, quãuis non semper incurrat eadẽ censuras & irregularitatem,neque eandem restituendi obligationem, quas ille,c. cum quis. de sent. excommuni.lib.6.& c.felicis.§.illud, de pœn. eo.lib.Ostien.in summa de pœn. §. quibus,& Caiet.in summa verbo.restitutio.§.consensus.& Fel.in tracta. Quando conatus,& alij alibi.

Diximus autem in tribus vltimis modis:Cum teneretur & posset: non enim potestas sine obligatione satis est,secundum S.Tho.22.q.44. art. 4. & q.72.art.6.& melius 1.2.q.6. art.3. & vtrobique Caieta. & melius in 2. 2.q 64.art.7. & diximus supra prælud.6.nu.3.

Vnde infertur,quòd cuilibet modorum peccandi,faciendo vel volẽdo facere aliquod peccatum possint adiungi alij nouem, iuxta nouem modos illi consentiendi, quos & si nõ semper infra expressimus, aliquando tamen insinuabimus. Illud tamen nunc admonentes, tunc aliquem consilio suo,verbis, aut operibus teneri impedire, quãdo ex officio,quod habet,vel alio titulo ad id faciendum obligatur.Tunc etiã, quando proximus circa id extremã patitur indigentiam, & ipse potest id ipsum præstare, non se in consimilem necessitatem coniiciendo, etiam si ob id rei familiaris, aut honoris iacturam aliquã faciat: immo etiam cũ proximus re illa maxime indiget,& ipse sine vitæ suæ,salutis, honoris & rei familiaris detrimento potest commode id facere: per id,quod in c.1.de restitu.spol.& cap. 24.&.25.infra, & cap.inter verba.11. quæst.3.& profundius in Commen. cap.

cap.non in inferenda.14.quæstio. 3. diximus.

17 Septimo dicimus,quòd vniuersa ista decem præcepta,& alia omnia possunt impleri ab illo, qui est in peccato mortali, quoad substantiam actus & præcepti, & effectum euitandi nouum peccatum,quod incurreret,si nõ adimpleret illud iuxta definitionem Aquinatis in 1. 2. q. 100.art.10.& 2.2.q.44.art.1. fi. communiter recepti. quod Conc. Trid. sess.6.cap.6.sensit, declarans hæreticum esse illũ,qui dixerit, opera nostra ob id solũ,quod fiant extra statum gratiæ, esse peccata, quidquid dixerit Dion.Carthusianus lib.2.sententdist.17.quem aliquot alij sequuti fuerunt. Est enim hoc vnum inter alia commoda, quæ opera facta etiam in peccato mortali secum afferunt (de quibus gloss.in cap.quod quidam de pœnit.& remiss licet ad promerendam gratiam in hac vita, & gloriam in futura nihil valeant) implementum præcepti in illo statu.cap.nihil.de consecra. distinct. 5. vbi latius diximus,& in §. fi.de pœnit.dist.4.sub qua regula includitur etiam præceptum de diligendo Deo iuxta declarationem nunc additam supra,nu.6.Per quod tollitur ratio, qua insanus Lutherus insane docuit, Deum dedisse nobis duo præcepta, quæ in hac vita non possumus implere: nempe præceptum de diligendo Deo, & de non concupiscendo.quod efficacissime post alios confutat Castrensis in lib. aduersus omnes hæreses verb. præcepum. in principio & damnauit Concilium Triden. sess. 6. cap. 11. & can.18.

Contra præceptum maximum de diligendo Deum,quod non est Decalogi vt peccatur.

SVMMARIVM.

17 *Odium Dei vt genere suo maximum peccatorum.*

18 *Præceptum diligendi Deum quis frangit.*

19 *Amat qui firmiter aliquid quã Deũ peccat:non qui fervent ius.*

20 *Amat quisnam Deum ob alia quã ob ipsum,& quando amandus.*

20 *Viuere qui vult semper hanc vitam peccat.*

18 COntra hoc præceptum de bene diligendo Deo peccat mortaliter primo, qui deliberate odit Deum, quod quidem ex genere suo est maximum omnium peccatorum, vt probat S.Tho.2.2.q.34. art.2.& q.39.art.2.& 1.2.q. 73.artic.4. Tũ quia actus,qui opponitur actui summe bono,summe malus est, secundum Arist Ethic.9.Actus autem maxime bonus est Dei amor, cap. charitas.2.de pœni.dist.2. cui odium Dei est contrarium. Tum quia maximo præcepto omniũ contrarium est,Matth.22. Tum quia directe separat à Deo,quod alia peccata communiter non faciunt, sicut explicuit sanctus Thom.2.2. quæstio.34. art. 2: Dixi:Deliberate, quoniam subreptio iudicium præueniens in quacunque materia excusat à mortali, vt diximus supra prælud.9. nu. 11.& eo.cap.nu.4.

Secũdo peccat mortaliter q omittit amare Deũ super omne aliud amabile quo tempore id tenetur facere,

de quo supra nu.6.& seqq.

Tertio peccat mortaliter, qui omittit referre ac dirigere se,suaque omnia in Deũ tanquam in primum principium & vltimum finem suum, quo ad id tenetur. Quando autem ad id teneatur, etiam ibidem dictum est.

Quarto peccat mortaliter qui amat Deum,sed minus, vel nó plus quàm alia cõparatiue, hoc est actu, vel virtute, expresse aut tacite gerens in animo, quòd tantum vel æque æstimat vel amat alium ac ipsum Deum: secus autem si absolute sine comparatione id faceret, iuxta declarationem superius positam.

19 Quinto peccat qui se ipsum, vel suam vxorem, filium, aut Regem suum,& dominũ, vel quamcumque aliam creaturam firmius diligit, quàm ipsum Deum. Dixi, Firmius, quia non debet peccato imputari diligere seipsum, vel alium intensius, aut feruentius, quàm Deum: dummodo Deus firmius & fortius diligatur,vt in additione c. quando. de consecrat.dist.1.enucleauimus,& supra eo. cap. nume.6. & seq. etiam tetigimus.

Admonemus item indirecte diligere creaturam amplius quàm Deũ, non esse contra hoc præceptũ. Quoniam quicunque peccat mortaliter, indirecte plus diligit aliud, quàm Deum,in quantum aliquid vult cõtra eius præcepta: attamẽ huiusmodi delinquens non ideo peccat contra istud præceptum,quoniam directe non facit contra ipsum, neque aliquid operatur,quod secundum se & suam naturam separet à Deo, sed secundum accidens iuxta S. Tho. 2. 2.q.34. art.1.& Scotum in 1. lib. sent. dist.1.q.5.sub.fi.

20 Sexto peccat mortaliter qui diligit Deum eo solo,vel præcipue & principaliter,quòd ab eo accipit,aut sperat accipere spiritualia, vel temporalia bona iuxta Franciscũ Mayronem in 1.lib.sent.dist.1. & Siluest. verb.charitas.q.7.vti in dicta additione post Thom.1 2.q.199.art 3. sub finem diximus. Vnde infertur,Cõc. Trid.sess.6.can.26.& 31.quatenus declarat esse hæreticum asserentem, esse peccatum operari bene ob remunerationem obtinẽdam, esse intelligendum de eo, qui tacite vel expresse minoris æstimat præmium, quod sperat, quam ipsum largitorẽ, vel saltem absque consideratione aliqua vnius,vel alterius, & absque eo quod finem vltimum & principalem constituat,recte operatur.

Septimo peccat mortaliter, qui eo tempore Deum amare negligit, quo sub peccati mortalis reatu tenetur,veluti quando mortis periculũ, vel necessitas recipiendi, vel administrandi aliquod sacramentum sese obtulit.Ioan.Tabien.verb. charitas, §.30.& senserat antea Maior. in 3. lib.sent. dist.37. q.13.nisi probabiliter crederet se gratiam, vel charitatem habere.

Octauo peccat mortaliter qui deliberare vult in hoc misero sæculo per petuo viuere,quia bonis eiusdẽ, nẽpe diuitijs,gaudijs eriã licitis scientia,& alijs huiusmodi delectatur,vel propter alias causas,secundũ Adria. in 3.de confess.q.4.sub fi.quãtis peccatũ non sit longam vitã exoptare, etiã aduertendo,quòd ob id æterna gaudia differuntur secundũ eundẽ.

Nono

Nono peccat qui festiuis diebus omisit producere actum de diligendo Deo super omnia alia,secundum Ioan.Tab. verb. charitas.§. 20. sed oppositum cũ Adriano,in 4.de confess.q.3.col.2.sub fi.verius supra nu. 7.existimauimus.

De præcepto de credendo in Deum,quod non est Decalogi.

SVMMARIVM.

21 *Præceptum credendi, & præceptum diligendi differunt vt fides,& charitas.*

21 *Infidelis duplex, positiue & negatiue: hic non peccat,ille vero sic.*

21 Circa hoc præsupponimus primo,quòd præceptum de recte credendo in Deum, quod pertinet ad virtutem fidei, tam differt à præcepto de diligendo, quod pertinet ad virtutẽ charitatis, quàm virtus fidei quæ inclinat ad credẽdum à virtute charitatis,quæ inclinat ad diligendum,quæ lõge alia & maior est,quàm illa,1.Corin. 13. & c.charitas.in 2.de pœnit.dist.2. & monstrat S.Tho.1.2.q.23.art.6.

Secundo præsupponimus, quòd licet S.Tho.2.2.q.16.art. 1. à Caietano declaratus dicat, quòd licet in multis locis veteris & noui testamenti,supra nu.6.citatis fuerint data præcepta de diligendo Deo: in veteri tamen non fuerunt data de fide:quamquam certũ est,neminem vmquam saluum factum esse,neque placuisse Deo sine fide. Heb.11. cui cõsonat principium symboli Athanasij: *Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem: quam nisi quisque integram inviolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit*, & cap. firmiter.de sum. Trinit. & fide catho. Nam infidelis positiue, qui est omnis,qui non vult credere post fidem sibi satis notificatam, peccat peccatum infidelitatis, per quod damnatur: & infidelis negatiue,qualis est omnis, qui non credit,eo quòd non est sibi satis notificata fides,licet nõ peccet non credendo, nec ob hoc damnetur,dãnabitur tamen propter alia peccata, vt eleganter declarat vterque S. Tho.2.2.q.10.art.1.

Contra præceptum de recte credendo in Deum,quod non est Decalogi vt peccatur.

SVMMARIVM.

22 † *Præceptum credendi frangit,qui credit non esse catholicam quod tenetur credere esse tale.*

22 † *Excommunicatus quis dicto, vel scripto affirmat contrarium fidei.*

22 † *Hæresis & hæreticus quid,& vt excommunicatus.*

22 † *Pertinax quisnam sit.*

22 † *Dubium de fide non facit scrupulus neque subreptitium.*

22 * *Credens quemlibet saluari in sua lege peccat.*

22 * *Fides articulos expresse,& in particulari non credens quando peccat*

22 * *Articuli fidei qui sint explicite credendi.*

22 * *Credens patrem in diuinis maiorem esse filio vt peccat.*

22 † Contra hoc præceptum peccant mortaliter. Primo om-

nes infideles, quibus satis notificatum est Christi Euangelium, & non credunt ei: & omnes fideles, qui credunt quidem ei, sed peruerse intelligunt illud, vel alia loca sacræ scripturæ contra sensum ab Ecclesia catholica definitum, vel ignorant aliquod tale, quod explicite scire tenentur.

Secundo, qui pertinaciter credit aliquam hæresim, qualis est, quidquid sanctæ fidei catholicæ contrarium est, cap. à recta. & cap. hæc est fides 24.q.1. & est hæreticus secundum communem, in rub. de hæret. & trad. Alfonsus Castrensis lib.1. aduersus omnes hæreses, cap. 9. & nos in cap. nouit. de iudic. notab. nu. 4. & subinde sunt excommunicati cap. excommunicamus. de hæret. & cap. audiuimus. 24.q.1. per bullam Cenæ domini, vt in ea videre est Anton. 3. par. tit. 23. cap. 7. & latius infra cap. 27. nu. 56. dummodo errorem illum, verbo, vel scripto, vel opere (etiam sibi soli) expresserit: alioquin vere nō est excommunicatus. Quoniam ob solum actum interiorem non incurritur excommunicatio, vt post Caiet. in summa verb. hæresis. diximus in cap. inter verba. 11.q.3. & nuper latius in c. cogitationis. de pœni. dist. 1. Addimus autem, Pertinaciter, quoniā si præ simplicitate vel ignorantia id credit, quia sibi videtur ecclesia ita tenere, & est paratus errorem deponere, quandocunque veritatem fuerit edoctus, ille nō est hæreticus, neque excommunicatus, vt etiam post Innoc. in cap. firmiter. de summa Trinit. & fid. catho. communiter receptum nos in addit. c. quando de consecrat. distin. 1. nume. 71. & supra prælud. 1. nume. 13. & seqq. diximus, addendo, quòd nec peccat mortaliter quidem regulariter. Ille autem dicitur pertinax, qui credit animo non discedēdi à sua persuasione, etiam monitus, contrarium ab ecclesia teneri. arg. glo. sing. Clc. 1. §. porro. de summa Trinit. & fid. catho. Immo & qui credit aliquid, quod scit esse contra fidem, vel contra catholicæ ecclesiæ definitionē: licet affirmet, se esse paratum ad corrigēdum seipsum, vti post Caiet. 2.2.q.11. art. 4. diximus in repet. cap. nouit. de iudic. not. 3 nu. 41. & in dicto prælud. 1. nu. 16. repetimus. Porro verum est, quòd quamuis Ecclesia iudicaret esse hæreticum illum, qui aliquid credit, quod manifeste fidei catholicæ, & articulis eiusdem est contrarium (esto quod assereret se esse paratum ad correctionem suscipiendam) coram Deo tamen, neque hæreticus, neque excommunicatus est, si vere ignoranter id facit: & quidquid sancta mater ecclesia docet, vere & implicite credit, iuxta tradita in prædicto prælud. 1. dicto nu. 15 & seqq.

Tertio peccat mortaliter, qui de rebus fidei pertinaciter dubitat, cap. dubius. de hæret. At vero subreptitia dubietas, & non deliberata, maxime illa, quæ renitente voluntate euenire solet, & contra voluntatem habentis illam perdurat, vel non est peccatum, aut solum veniale. Ioan. And. receptus in dicto. cap. dubius. & multo minus scrupuli, qui contra fidem exoriri solent, & contra voluntatem habiti molestè perdurant, vt post Ioannem Maiorem in 3. lib. sententia. distin. 25. q. 4. nos in repe. cap.

ca. inter verba. 11. q. 3. cōcl. 6. diximus.

* Quarto peccat mortaliter, qui deliberate credit, quemcunque infidelem, si bene moraliter vixerit, posse in sua secta saluari, c. 1. §. fi. de summa Trinit. & fide cathol. & princi. & fin. Symboli Athanasij.

Quinto peccat mortaliter, qui iam discretione pollens negligit scire explicite, & in particulari esse vnum Deum solum, qui mundum vniuersum creauit, & iustissime regit, ipsumque esse vnicum solum in essentia, & trinum in personis, scilicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in quo ineffabile sanctissimæ Trinitatis mysterium continetur, iuxta mentem S. Thom. 2.2.q.2. arti. 8. communiter recepti. Nam licet ante aduentum Christi redemptoris nostri satis esset credere vnū Deum, qui remunerat bonos, & malos punit, iuxta Apost Hebr. 11. post sancti tamen sui euangelij promulgationē, non satis est illud credere: quamuis in genere, vel implicite credat quidquid sancta mater ecclesia tenet, & credit secundum eundem & communem.

Sexto peccat mortaliter qui prædictam discretionem habens, negligit scire explicite, & in particulari secundam personam Trinit. scilicet filium Dei patris, qui est idē Deus, qui pater, propter nostram salutem factum esse hominem, natū & mortuum, iuxta mentem eiusdē, ibidem arti. 7. quidquid Rosella dicat, quem iuste Sylues. confutat. Immo & qui ignorat illos alios articulos prędicti Symboli, saltem quos ecclesia solemnizat, vt prædictos, secundum eundem S. Thom. ibidem, & diximus & supra prælud. 4. nu. 25. Quocirca omnes parochos, patrinos parentes, & confessarios (præsertim plebeiorum) & etiam concionatores obsecramus, vt fidem istam articulorum explicitam, & in particulari, ceterorumq;, qui in Symbolo Apostolorum, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, continentur, sæpissime commendare & inculcare non desinant. Quoniam in vniuersa Christiana republica circa hæc tanta est socordia, vt multos passim inuenias nihil magis in particulari & explicite de hisce rebus credere, quàm ethnicum quendam philosophum, sola vnius veri Dei naturali cognitione præditum: quamuis modo nō auderem ceterorum articulorum, quos, non adeo solemnizat ecclesia, ignorantiam, tanquam lethalem & mortiferam condemnare: dummodo saltem implicite & in genere credatur, quidquid sancta mater ecclesia Romana credendum præcipit.

Septimo peccat qui non ediscit, & memoriæ mandat Symbolum Apostolicum, & Orationem dominicam, latina vel alia lingua, quod saltem est veniale graue, per ca. vos. de consecr. dist. 4. & diximus in repe. cap. quando. de consecr. distin. 1. post Palud. in 4. lib. sentē. dist. 15. q. 5. col. 2. vt etiam inferius in cap. 13. num. 137. dicemus.

* Octauo peccat, qui circa Trinitatis mysterium credit, Patrē Filio, aut Filium Spiritu sancto antiquiorem, vel Patrem aut Spiritum sanctum humanam vel aliam corpoream formam habere, vt Filius in quantum est homo habet: vel diuinam

nam generationem aut processionem Spiritus sancti esse instar generationis humanę, vel alterius corporeæ, vt diximus supra prælud. 3. nu. 16. & seq. nisi ignorantia, aut rudis simplicitas ipsum excusent: quæ quidem ipsum excusare possunt: immo & quasi semper excusant ad hoc vt non sit hæreticus, nec excommunicatus, licet non semper excusent à peccato, vt supra prælud. nume. 17. post Innoc. & alios ibi citatos, tradimus. Et in dicto prælud. 3 nu. 18. explicauimus, generationem filij in diuinis esse instar productionis notitiæ ab intellectu: emanationem autem Spiritus sancti esse similem processioni amoris ab intellectu & voluntate: nullo autem modo per modum corporeæ generationis, id quod aliqui temere ac stulte comminiscuntur, vt ibi admonuimus.

Nono peccat mortaliter, qui cõtra sacrum concil. Trid. sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum asserit veterem, & vulgatam editionem sacræ scripturæ non esse pro authentica habendam: vel qui eam contra vniuersalis Ecclesiæ Dei declarationem, & contra concordem sanctorum patrum sensum interpretatur: quamuis eius interpretatio nunquam sit edenda.

De præcepto de colendo, siue honorando Deum, quod est primum Decalogi.

SVMMARIVM.

22 *Præceptum colendi Deum, vt differt à præcepto diligendi, & credendi.*

23 *Superstitio est maximum vitiorum mortalium.*

24 *Superstitio quadruplex, & quælibet præter primam lethalis.*

25 *Dæmones bifariam inuocantur, expresse & tacite.*

25 *Inuocatio Dæmonum tacita sit quinque modis.*

22 DE præcepto de colendo, siue honorando Deum, quod est primum Decalogi dicimus primo, quod hoc præceptum tam differt à prædictis duobus præceptis de diligendo Deum & credendo in eum, quam differt virtus religionis, quæ est moralis, licet omnium suprema, secundum S. Tho. receptum, 2.2.q.81. arti.2. & 6. à virtutibus fidei & charitatis, quæ sunt theologicæ, & longe omnibus moralibus maiores, secundum eundem receptum 1. 2. quæst. 62.

Secundo dicimus, quòd nemini debet videri præceptum hoc non fuisse conuenienter datum. Exod. 20. eo quòd datum fuit negatiue, & non affirmatiue, sicut præceptum quartum de honorando parentes. Tum quia id factum fuit ea ratione quam alte declarat S. Thom. 2.2.q. 122. artic. 2. Tum quia, dum ibi vetatur cultus falsorum deorum, præcipitur cultus veri Dei, argumento à contrario sensu, quod est fortissimũ l. 1. ff de offic. eius, cui mand. est iur. & capi. cum Apostolica de his, quæ fiunt à præla. sine cõsen. cap. præterquam quòd in secundo præcepto directe iubetur sabbatha sanctificari.

Tertio dicimus, quòd sicut virtus latriæ, seu veræ religionis, ad quam pertinet hoc præceptum, est maxima inter omnes morales virtutes, vt probat S. Thom. 2.2.q.81. art. 2. receptus, ceptus, ita vitium superstitionis, & falsæ religionis, quod quidem hoc primo mandato prohibetur, ex genere suo est maximũ omnium peccatorum, quæ actibus virtutũ moralium opponuntur. Quod S. Thom. 2.2 q. 92. articul. 1. adiunctis quæ ait quæst 94. articu. 3. sensit, & nititur ea ratione quod contraria de contrariis dicuntur, cap. sciendum. 8. q. 1. & l. & si contra tabulas. ff. de vulgar. & pupill. Vnde quemadmodum virtus religionis & latriæ inclinat & ordinat nos ad Deum ipsum debito modo colendum & honorandum, tanquam primum principium, supremumque gubernatorem nostrum, qui nos creauit, & regit. 2 2. q. 81. art. 2. & 3. Sic etiam è contrario vitium hoc superstitionis & falsæ religionis inclinat ad reddendum Deo cultum pernicioſe aut superflue, vel etiam ipsi creaturæ tacite, vel expresse. 2.2.q.92. art. 1. & 2.

23 Quarto dicimus, quòd quatuor sunt falsæ religionis, vel superstitionis species, vt ex beato Augustino, in lib. 2. de doctri. Christiana relato in capitul. illud 26. q. 2. & ab vtroque Thoma 2.2.q.92. articu. 2. colligitur. Prima est, qua pernicioſus vel superfluus cultus exhibetur Deo. Est autẽ pernicioſus cultus, qui cæremoniis mẽdacibus, falsitatem aliquam præseferẽtibus, redditur: quales sunt Iudaicæ cæremoniæ: significãt enim Messiam esse venturum, secundum S. Thom. 2.2. quæst. 93. artic. 1. Superfluus vero cultus est, qui illis cæremoniis exhibetur, quæ neq; ad Dei gloriam, neque ad subiiciẽdam carnem spiritui, & spiritum Deo ipsi, quidquam conferunt, iuxta S. Tho. dicta q. 92. articu. 2. & facit cap. quisquis 41. distin. qualis est cæremonia quædam orandi ante solis ortum, vel audiendi sacrum à sacerdote, qui vocetur Ioannes, vel dicendi bis halleluia, vel Pater noster &c. quando semel tantum est dicendum. Secunda species est, qua cultus diuinus alicui creaturæ redditur, gratia ipsam honorãdi: & hæc dicitur Idolatria. Tertia species est, qua cultus diuinus redditur creaturæ ad assequendam aliquam scientiam vel instructionem: & hæc dicitur Diuinatio. Quarta species est, qua idem cultus tribuitur creaturæ, vt ab ipsa opera nostra dirigantur.

24 Quinto dicimus, omnes istas superstitiones ex genere suo esse lethalia crimina valde grauia, excepta prima specie, qua parte cõtinet cultum superfluum: sed nõ contrarium diuinæ, aut humanæ legi: sicut ieiunare in die Dominica, vel dicere Pater noster adeo priuate, & sibi soli, ac si non esset pars siue membrũ ecclesiæ, secundum Caietan. 2.2.q 92. arti. 1. Quarta etiam species non est peccatum mortale, quando bona fide, vel præ ignorantia ea aliquis vtitur anteaquam veritatem edoceatur, vt ex mente S. Thom. vbi supra, & S. Anton. 2 part. titul. 12 c. 1. § 12. & Caietan. 2 quæst. 95. arti. 2. colligitur, secundum quos in istis duobus casibus non est communiter amplius, quàm veniale peccatum, vt inferius explicabimus.

25 Sexto dicimus, quòd duplex modus inuocandi dæmonem. Vnus est expressus: alter vero tacitus. Expressus est, quo aperte vocatur, vel inuocatur dæmon, vel fit aliquid, quod

quod creditur opera ipsius dæmonis fore perficiendum, secundum mentem S.Tho. quam Caieta 2.2.q. 95.artic.3.expressit. Nam priore modo, verbo: posteriore autem opere, auxilium dæmonis imploratur. Tacita autem inuocatio dæmonis toties fit, quoties aliquis enititur efficere aliquid per causas, quę nec virtute sua naturali, neque ex diuina, aut ecclesiastica dispositione possunt illud efficere, vel quãdo huiusmodi causæ tãquam necessariæ adiunguntur aliis, quæ possunt talem effectum producere, iuxta mentem S.Thom.2.2.q.96.arti.1.& in multis art.q.95.eiusdem 2.2.cuius definitionis exempla possunt esse quidã rami ab ista radice procedentes, quos posuit Caieta, in summa verb.incantatio. Quorum primus est vti verbis sacris hac conditione vt sint scripta in illa, vel illa materia: vel tali tempore, aut hora: & aliis huiusmodi, quæ neque ad diuinum cultum, neque eius honorem, neque ad rectam rationem pertinent. Secundus est, adiũgere causis naturalibus aliquos characteres, vim significãdi habentes, qui quidem ad dæmones illos probe intelligentes referuntur, vel sunt nomina ignora, quæ ipso quòd sunt talia tacite ad eos referuntur. Tertius est, vti causis naturalibus ad effectum supernaturalem, veluti ad agnoscendas hominum arcanas cogitationes, vel ad subito medẽdum. Quartus est vti verbis sacris ad inanem effectum, sicut ad mouendum anulum supra filum, vel ad voluendum cribrum, quæ quidem non verba sacra, sed ipse diabolus mouet, vt illis verbis honorem sibi faciat exhiberi. Quintus est miscere falsa, veluti dicendo Christum habuisse febres. Qua quidem in re iure quis miretur illorum hominum imprudentiam, qui his & aliis similibus superstitionibus credũt, quod Deus tam frequenter impartitus fuerit vetulis quibusdam deliris, & hominibus ignorãtibus, & (vt plurimum) corruptis moribus, vitaque reprehẽsibili, ea, quæ non est elargitus sanctis, quibus in gradu adeo alto profunda suæ diuinæ sapientiæ arcana, virtutemque suæ infinitæ potentiæ qua tot miracula fecerunt, communicauit: quamuis malis interdum concedat, quod aliquot bonis non concedit, vt infra nu.36.tangitur.

Septimo dicimus, q; Conc. Tridẽ. sessio.25.in decreto de inuocatione sanctorum declarat hæreticũ eum, qui dixerit à nobis sanctos inuocãdos non esse, aut eorum preces nobis apud Deum nõ prodesse: aut eorum reliquias & imagines non esse nobis venerandas, simul declarando, quòd vt sanctissimum est imagines honestas sanctorum, maxime Domini nostri Iesu Christi, & eius matris habere & colere, sic peccatum est imagines ornare & habere, quæ sua venustate, nuditate, forma, aut habitu, ad libidinem & alia vitia alliciant. In quo multos (etiam religiosos) errare video, vestientes dominam nostram, & beatã Mariam Magdelenam & alias sanctas ornamentis profanis, & vanis quibus etiam honestæ feminæ sese vestire vererentur. Item declarauit vbi supra, esse Idololatriam credere illis aliquam diuinitatem, aut virtutem ineisse, præterquam ad ea, quorum sunt

sunt imagines repræsentanda. Item declarauit ibidem, neminem debere in ecclesia collocare, nec domi habere imagines insolitas, & inusitatas sine approbatione episcopi.

Circa præceptum maximum de colendo Deum, quod est Decalogi, vt peccatur.

SVMMARIVM.

26 *Præceptum de colendo Deum frangitur trigintaduobus modis præter participantes, à nu.26.vsque in finem capit.*

26 *Excommunicatus, an sit exterius faciens opus infidelitatis.*

27 *Disputare de fide laico illicitum.*

28 *Ars Magica vetita.*

29 *Maleficium an maleficio tolli possit.*

30 *Sortes quæ prohibitæ, & quæ licitæ.*

31 *Incantatio prohibita, & fide indigna.*

32 *Philtra quæ illicita.*

32 *Adoratio imaginum quæ illicita.*

33 *Somnia quibus non credendum.*

34 *Reliquiæ, nomina, & breuia vt gestanda, & nu.35.& 36.*

37 *Auguriis non credendum.*

38 *Dæmoni herbam & musicam nihil resistere.*

38 *Ars notoria illicita, & quæ sit illa.*

38 *Striges & Sagas reprobatas.*

39 *Duella illicita, exceptis duobus, & quæ prohibita per Conc.Trid.*

40 *Tentare Deum illicitum, etiam per martyrium, & 41.*

40 *Martyrium pati quando crimen mortale.*

40 *Dii, Deabusue gentilium, aut planetis aliquid diuinitatis tribuere impium.*

40 *Magister Poëtæ gentiles prælegens vt peccat.*

COntra hoc præceptum de colendo Deum peccat mortaliter primo qui seipsum, vel alium circumcidit, vel vtitur aliqua cæremonia Iudaica, vel Mahometica, quæ aliquam falsitatem nostræ sanctæ Catholicæque fidei contrariam significat, etiam si minime veram esse credit, per supradicta, numero 22. & sequent.

26 Secũdo peccat mortaliter, qui expresse dæmonem, Solem Lunam, Idolum, vel creaturam aliquam, tãquam Deum adorat, etiam solo cultu exteriori, supra numer.19. Vel habuit dæmonem, seu spiritum, quem vocant familiarem vt ipsum admoneret, vel ei ostenderet, renuntiaretve, quæ in locis remotis, aut secretis geruntur, sicuti copiose probauimus in capitul.nouit.de iudic.not.1. Circa quod nullatenus excusamus Reges, qui non puniunt eos, qui huiusmodi dæmonibus familiaribus vtuntur, sed potius expetunt ab eis certiores fieri, de his, quæ in hostiũ castris geruntur, aut quæ aduersarij moliuntur.

27 Tertio peccat mortaliter qui ex metu, vel aliam ob causam dicit ex animo aliquid contra fidem, vel consensit in aliquod opus infidelitatis exterius, etiam si intra se, & in corde suo oppositum crederet: sicut Marcellino Papæ legimus contigisse cap.nunc autem.21.distin. qui non solum est excommunicatus in foro exteriori, sed etiam in foro cõscientiæ, secundum Caieta.2.2.quæst.94. artic.1. Sed huius oppositam sententiam olim pro responso dedimus interrogati de certis casibus, qui cuidam religioso Societatis Iesu apud

Sarrace

Sarracenos agentes occurrerunt erga Christianos quosdam, qui timore perculsi, & propter alias causas, se esse Sarracenos finxerunt, & sequuti sumus eum, qui Repertorium Inquisitorum composuit, in verb. hæreticus. quod nũc quoque verius arbitramur, quã quod Caieta. asseruit, sic enim Silue. verb. hæresis. q. 9 & Io. Tabiensis. verb. hæreticus. nu.2. & verb. Apostasia. nu. 3. visum est. & profectò etiamsi hoc nullus asseruisset, nos eandem sententiam teneremus: quoniã huiusmodi homo non est vere hæreticus: quamuis grauissime peccet, secundum Alex. Halensem. 2. part. tit. 53. memb. 2. id quod ex hæretici hæresisque definitione, quam in repet. cap. nouit de iudic. notab. 3. nu. 41. adduximus, comprobatur. Et excommunicatio illa iuris, quæ continetur in bulla Cœnæ domini solum fertur contra hæreticos credentes, vel contra fautores, atque receptatores hæreticorum, quorum de numero non est censendus is, de quo modo loquimur: nisi quando aliquod opus exterius hæreticum cõmisisset, alicui hæresi vel hæretico auxilium præstando: in quo casu, excommunicatus remaneret, non quia hæreticus, sed quia fautor hæreticorum est.

Quarto peccat mortaliter, qui aliquem habitum, vel signum Iudæi, vel Sarraceni defert in loco vbi in veste, vel quouis alio charactere vnusquisque suæ legis professionem indicat, ita Ange. verb. infidelitas. §. 9. Siluester eod. verbo. & Caieta. in summa verbo. habitus omissio. Id enim facere perinde est, ac præ timore se Iudæum esse, aut Sarracenũ confiteri. Non autem peccaret propter solam omissione signi vel habitus Christianismi: dũmodo signa Iudæorum aut Sarracenorum non acciperet, sicut recte docuit idem Caiet. 2. 2. q. 3. art. 2.

Quinto peccat mortaliter, qui disputat de fide, cum sit laicus, sciẽs laicis esse prohibitum sub excommunicationis pœna de illa disputare, cap. quicunque de hæret. lib 6. & l. pen. C. de summa Trinit. & Caietanus in summa verb. disputatio. qui in 2. 2. quæst. 10. art. 7. limitat hoc in disputante gratia exercitij, licet dici possit talem non includi hic: quia nescit, neque debet scire id esse sibi tali pœna prohibitum.

Sexto peccat mortaliter, qui aliquas reliquias falsas, tanquam si vere sanctorum essent, adorandas proponit, vel votiuas imagines pro miraculis falsis obtulit imagini crucifixi vel beatissimę Virginis, aut aliorum sanctorum: vt alij simili exemplo prouocati aliquid templo offerant vel alia similia ad offerendum comparent, vt inde aliquid accedat lucri. quoniam magna diuino cultui infertur irreuerentia, mendacia circa res sacras persuadendo, Caiet. vbi supra in verb. superstitio. & quia est primæ speciei superstitionis per dicta supra nu. 23.

28 Septimo peccat mortaliter, qui dæmonem expresse, corde, vel verbo inuocat, quo sibi sit auxilio, consilio, vel fauori. Quia est tertia species superstitionis, de qua supra, dicto nu. 23.

Octauo peccat mortaliter, qui dæmonem per modũ obsecrationis adiurat, adiurat, vt ab eo aliquid discat, vel vt auxiliũ ab eo accipiat, c. illud, 26. q. 2. & supra eod. d. nu. 23. Quanquam licitum sit dæmones adiurare per modum coactionis, obstringendo eos ecclesiasticis exorcismis, vel quando sine inuocatione ipsi adsunt, vt solent in arreptitiis adesse. Nam licet tunc eos interrogare, sine prece tamen, & sine aliquo societatis pacto ad aliquorum vtilitatem, secundum B. Anto. 2. par. tit. 12 c. 1. §. 5. Quia etiam colloqui cum ipsis dæmonibus corpora hominũ obsidentibus, ob curiositatem, vel vanitatem tantũ, non est plusquã veniale: quoniam nullo pacto illis couti licet, nisi tanquam inimicis, Caiet. verb. interrogatio primi præcepti.

Nono peccat mortaliter, qui Necromantiã, vel aliquam aliam magicam artẽ discit, vel ea vtitur, vel deliberato animo eam vult edisscere, vel ea vti. Quoniam iuxta Rich. in 2. lib. sent. dist. 17. non est scientia: sed potius superstitio. l. culpa. C. de malef. & mat. Quod si libros huiusce facultatis habet, & nolit eos comburere, non est absoluendus, secundum Ang. verb. curiositas. §. 10. Nam tertia species est superstitionis, de qua supra eod. nu. 23 & 24.

Decimo peccat mortaliter, qui vult dæmonis opera, vel aliis illicitis modis thesaurum inuestigare, arg. c. illud. 26. q. 2. vel si consulit, aut consuli suadet maleficos, aut eos in domum suam accersit causa percontandi aliquid, Leuit. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos. &c.* & l. nemo. C. de malef. & mat. Vel veneficia aliqua composuit, vt incantationibus, aut inuocationibus dæmonum tacitis vel expressis noceret alicui, Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere.* l. multi. C. de malef. & mat.

29 Vndecimo peccat mortaliter, qui aliquod maleficium, aut incantationem alio maleficio, aut incantatione dissoluit, aut precatur alium, vt dissoluat: quamuis ille esset ad id agendũ paratus, secundũ S. Tho. in 4. dist. 34. q. 1. art. 3. & Io. Maiorem, ibidem, q. 2 communiter receptos. Id quod etiam Siluest. verb. maleficium. q. 8. arg. l. nullus. & l. nemo C. de malef. & mat. & c. non observetis 26. q. 7. cõprobat: quidquid dicat Angelus verb. superstitio. §. 13. nunquam enim est licitũ alium ad peccandum inducere, quãuis ille sit ad id paratus. Quia non licet consentire peccanti, arg. cap. 1. ad Rom. & c. notum. 2. q. 1. quamuis liceat alieno peccato vti, dummodo res ipsa, quæ petitur, non sit peccatum c. mouet. 22. q. 1. Quod latius tradidimus in Repet. c. inter verba 11. q. 3. Atqui fas est maleficium licitis modis dissoluere: puta exorcismis approbatis, aqua benedicta, sanctorum precibus, vera pœnitentia, deuota Eucharistiæ perceptione, secundum omnium doctorũ sententiam, præcipue Ioan. Maioris. in 4. lib. sent. dist. 35. q. 2. & etiam sine vllã inuocatione soluendo vinculum capillorum, vel aliarum rerum, quibus incantatio continetur.

30 Duodecimo peccat mortaliter, qui interrogat, vel vult interrogare diuinos siue diuinatores circa aliquod furtum, vel quidpiam aliud secretum: vel idipsum sortibus, aleis, chartis, libris, cribro, astrolobio ten-

rat aliquid cognoscere Deut. c. 17. *Non inuenietur in te qui Pythones ac diuinos consulat*, dicta l nemo.C. de malef.& mat.

Decimotertio peccat mortaliter, qui aliquas incantationes ad animalia seruanda, vel inuenienda,&c vtendo verbis sacris, aut profanis, vel aliqua alia vana obseruatione. sanctus Thomas.2.2.quæst.96. art.4. ad 2.

31 Decimoquarto, qui credit effectum illum, qui ex operibus magorum diuinantium & incantatorum procedit, etiam si ad sanitatem perueniatur, virtute verborum, vel rerum, quas applicant effici, cum huiusmodi res iuxta naturam suam ad similem effectum producendum tali virtute carent: quoniam talem effectum dæmon efficit per alias causas naturales, quas ad id ob pactum expresse vel tacite cum incantatore conuentum applicat, secundum S. Tho.q.96. art.2. & S.Ant. 2.par.tit.12 c 1. & reliquos omnes in 2.lib.sent.dist 7.

Decimoquinto, qui aliquem peregrinum, quem *Hispani Gittanum*, Itali vero Cingarum, & Galli Ægyptium vulgo vocant, de fortuna sua percontatur, animo credendi id quod ille responderit: quamuis si ex curiositate, vel ridendi gratia id faceret, non esset letalis culpa, nisi persona talis esset conditionis, vt ex illa interrogatione alij grauiter offenderentur: tunc enim ratione scandali grauius peccatum esset. c.2. de noui oper nunc.

32 Decimosexto peccat mortaliter, qui alicui philtrum, siue poculum amatorium propinat, vt ab ipso ametur Ang. verb. interrogatio primi præcepti.

Decimoseptimo, qui rebus sacris & ecclesiasticis aliquam incantationem, aut maleficium facit, aut fieri procurat: veluti aqua baptismali, oleo sancto, ara consecrata, verbis consecrationis, &c. vel aliquid horum secum ob malum finem gestat, Anto part.2.tit.12. cap 1.§.12. Cui casui in plurimis diœcesibus excommunicatio synodalis annexa esse solet.

Decimooctauo, qui ob sanitatem alicui restituendam aliquid applicat, quod nulla virtute pollebat ad sanandum: veluti cingulo metiri, vimen findere, aperire arborem, vrinam supra certam herbam emittere, lienis morbos secare: nisi propter ignorantiam excusetur.

Decimonono peccat mortaliter, qui sanctorum imagines solum propter ipsasmet adorat, sine vlla in ipsos sanctos tacita, vel expressa relatione, & sine respectu, quòd representent ipsos sanctos in cælo degentes, aut ipsum Deum, de consec. dist. 3.c perlatum & c venerabilis.

Item qui fingit, parat, aut habet fictas aliquas imagines sanctorum, vel alias ita nudas, lasciuas, & inhonestas, vt probabiliter credi possit, motum iri aliquos per eas ad concipiendum,& volendum turpia, vt supra.nu 23 diximus.

Item qui fingit, parat, aut habet imagines aliquas probrosas virgini matri, Sanctis, summo Pontifici, Cardinalibus Episcopis, aliisve Prælatis ecclesiasticis, aut iniurias orthodoxæ, catholicæque fidei.

33 Vigesimo peccat mortaliter, qui

qui aliquid futurum, vel arcanum credit ob id maxime, quia aliquid somniauit propter expressam, aut tacitam dæmonis inuocationem; videlicet, quia propter insomnium credidit illud, ad quod vis somnij extendi non potest: veluti se numquam fore interficiendum, vel quòd thesaurum inueniet, vel scire quam sit vxorem ducturus, secundum S. Tho.2.2.q.95. art.6. Deut.18 c. sciendum 26. q. 4. Quamuis credere aliquid quod in somniis accepit, dum existimat esse reuelationem diuinam, vel causam, aut signum naturale sufficiens ad significandum, quod portendit, non est peccatum, iuxta eundem S.Thom.in d.art.6. & Caiet. in summa verb. somniorum obseruatio.

Vigesimoprimo peccat mortaliter, qui propter ea, quæ somniauit, omittit facere aliquid ad salutem animæ necessarium, vel operatur aliquid eiusdem salutis contrarium: licet si non est tale, solum venialiter peccet. vt Caiet. ibidem tradit.

34 Vigesimosecundo peccat mortaliter, qui certam spem constituit in defectibus aliquot nominibus scriptis, firmiter credens propterea fore, vt numquam in bello vulneraretur, feriretur, vel repentina morte raperetur: aut quod neque aqua neque igne periret, vel quòd erga principes omnia sint illi prospere cessura. Quoniam huiusmodi nomina neque virtute naturali, neque ordinatione diuina, vel ecclesiastica vllam vim habent ad tales effectus producendos, & consequenter vana est eorum obseruatio, per dicta supra.num. 22. Quocirca talia breuia vel nomina sunt reprobata, & peccant mortaliter, qui ea confingunt, vel qui illis vtuntur, vel qui consulunt, vt alij eisdem vtantur iuxta beatum Ant.2. part.tit.12.c.1.§ 13. nisi adeo ignorantes & rudes fuerint, vt eos ignorantia excuset.

35 Vigesimotertio peccat, qui breuia aliqua(vt vulgo vocant) vel coniurationes, vel nomina, collo appensa gestant, nisi hæ quatuor conditiones concurrant. Prima est, quod sint nomina cognita, & intellecta & sancta: veluti ex euangelio & scriptura sacra, aut aliquo viro sancto desumpta. Secúda, quòd in eis nullus alius character aut signum præter Christi crucé aut aliud sacrum contineatur. Tertia quod in eis nihil sit falsi, aut vani, aut ad inuocationem dæmonum pertinens. Quarta, quod nullá constituat spem in modo scribendi, vel ligandi, neque in eo quòd in membrana, vt vocant virgine, aut cum sol oritur, vel quando legitur euangeliú, cõscribatur, vel quòd debeant tot sigillis ligari & à puella virgine, aut quòd à nemine videantur, & alia similia, quæ neque ad laudem Dei, neque ad alium effectum naturalem, vel institutum deseruiunt, secundum Anto.2. part.tit. 12.c.1.§.13.arg.c. non licet.26.q.6.& Martinum ab Arles, contemporaneum nostrum, de superstitionibus nu. 4. volu. decem Tractatuum, & satis colligitur ex Thoma 2.2.quæst. 96. art.4.

Vigesimoquarto, qui facit, aut defert aliquos versus scriptos in die Ascensionis credés minorẽ virtutem habituros, si ante Euangeliú decantatum, vel post sacra peracta, vel in

alio die, in quo talia verba Euangelij in ciusmodi schedulis contenta decantari non solent, fuissent descripta Rosel.verb.sortilegium.§.2.

Vigesimoquinto, qui defert aliquas reliquias superstitiosa quadam & vana obseruatione ductus: veluti si vas vbi sunt gestandæ, sit trigonum, vel rotundum, &c. quæ nimirum & alia huiusmodi ad diuinum cultum nihil attinent. Tho.2.2.q.96. art. 4. neq; ad alium effectum naturalem, vel alium institutum deseruiunt. Verumtamen religiosum est cum decenti veneratione reliquias portare, absque aliarum vanitatum interpositione iuxta eundem sanctũ Thomam vbi supra.

36 Vigesimosexto, qui in die beati Ioannis Baptistæ herbas colligit, credens in tali die collectas maiori virtute pollere, quam si in alio die, vel post ortum solis colligerentur, vel in die S. Petri, vel alterius sancti iumentis venam pertundit, id vtilius fore credens, nam id licitum est, iuxta Martinum de Arles in d. tract. de superstitionibus, nu.8. Quoniam quamuis peccatum non sit herbam medicinalem colligere simul cum oratione Dominica, vel symbolo, si ex deuotione fiat, & absque superstitione, vel etiam eadem herba vti, arg.c.non licet.26.q.5.attamen si aliqua vanitatis species inseritur, peccati rationem habet, licet aliquando propter ignorantiam aut simplicitatem, letale non sit, per dicta supra nu.22. & seqq.

Quibus addo, quòd mulieres tentes quibusdam signis & benedictionibus sine superstitione & vanitate licitis orationibus & exorcismis, obtestantes per passionem Christi & alia huiusmodi, non peccant mortaliter. Verumtamen, horum vsus debet illis merito interdici: quoniam sæpissime multa vana & superstitiosa intermiscent, nisi aliàs sint personæ honestæ, & prudentes, de quarum vita bona habeatur in populo existimatio, nisi ex hoc aliæ simplices personæ ansam arriperent ad quidpiam simile faciendum: si enim ea illis præberetur occasio, deberent huiusmodi personæ honestæ ab his protinus abstinere, iuxta verbum Apost.1.ad Thes. 5. *Ab omni specie mali* (aliàs mala) *abstinete vos.* c. cum ab omni. de vita & honest.cler.vt sensit beatus Ant.2. par.tit.12.c.1.§.11.Porro, illi, qui vulgo saluatores vocãtur (quantumcunq; aliàs sint perditissimi homines) licite possunt suo munere perfungi: quoniam gratia illa gratis data, huiusmodi hominibus à Deo solo concedirur in vtilitatem aliorum. Margarita confess.

37 Vigesimoseptimo peccat mortaliter, qui eo quod audit asses garrire, vlulare lupos, mugire boues, & rugire leones & alia animalia &c. vel quia obuiauit lepori, aut mulieri grauidæ, certò credit sibi mali quidquam imminere.c.illos. 26.q.2. & seq.

Vigesimooctauo, qui certo credit aliquem, quia sub tali sidere vel constellatione natus fuerit, vel propter complexionem, aut phisiognomiam, cogi ad bene vel male operandum, cap.illud.26.q.2.

38 Vigesimonono, qui obseruat illum diem potius quam illum ad eundum domo, vel ad iter agendum, vel quo pede statim à somno terram contingat: vel quem pedem primum calceat: vel quod domo egrediens in limine impingat: & ob id retrocedit: vel quia himulatque excitatur à somno, statim sternutauit, & ob id in lectum reuertitur. qui has & similes vanitates obseruant, vt plurimum venialiter peccãt, antequam à suis curatis, vel concionatoribus, vel confessariis admoneantur. Post admonitionem autem, secundum beatum Anto.2. par. tit. 12. & citata sup. eo. cap. nu.24. iam mortalia crimina iudicantur.

Trigesimo, qui discit vel vult discere artem, quam notoriam vocant, quæ certis ieiuniis & variis quibusdam obseruationibus, sapientiam infusam pollicetur.sanctus Thom.2. 2.q.96.art.1.

Trigesimoprimo, qui credit herbas, vel musicam contra dæmones aliquid posse, quamuis verum sit contra passiones & humores corporeos vim habere, quæ si ad quandam temperiem reducantur, non adeo potest vexare dæmon, Angel. verb.superstitio.§.6.

Trigesimosecundo, peccat mortaliter, qui credit veneficos, aut veneficas, vel striges corporaliter per aera vehi ad diuersa loca (vt illi existimant)c.episcopi 22.q.5. Quamuis credere quòd aliquando, licet raro, dæmon aliquos de loco in locum Deo permittente transportet, non est peccatum, Caiet.2.2.q.95.art. 3. & experientia iudicum compertum est in Germania, vti traditur in Malleo maleficarum, 2. par. c. 7. & probatur rationibus late deductis in 1.par.q.1.eiusdem libri.

Trigesimotertio, qui vult sortes experiri, aut expertus est, vt per eas dæmon, vel cæli constellatio ipsum admoneret, quid facto opus esset, vel aliquid arcani, aut futuri reuelaret, vel sortes iacit ad electionem ecclesiastici beneficij. nullo prius facto bonorum & idoneorum delectu. Thom.2.2.q.95.art.8.c.2.2. & 3. de sortileg. quamuis sortes mittere ad rei alicuius partitionem, vel ad capiendum consilium, ingruente necessitate, submittendo se fortunæ, quatenus diuina prouidentia est, non est illicitum.Verbi grat. tempore pestis, aut belli quoniã clerici, aut monachi etiam cum periculo vitæ remansuri sint ad ministerium ecclesiæ, & quinam discessuri, ne omnes periclitentur, neque ecclesia deserta relinquatur, secundum eundem auctorem.

39 Trigesimoquarto peccat mortaliter, qui alium prouocat ad duellum, vel prouocatus acceptat: quod inter sortium species potest numerari, secundum vtrumque Thomam, 2.2.q.95.art.8.c.2. de purg. vulg. cap. Monomachiam. 2. q.5. duobus duntaxat casibus exceptis. Primus est quando, Rex quispiam iniuste impugnatus videt se viribus inferiorem alio ad descendendum in prælium. Secundus est, quando aliquis falso accusatus, se interimendum præuidet, vel iniuste sibi membrum aliquod amputandũ, nisi duellũ acceptauerit, secundum Caiet. ibidem quamuis Lyranus 1. Reg. 17. laxius de hoc loquatur. quod idem est dicendum de eo, qui vult consulit, delectatur, copiamve ad id peragendum aliis accedit, vt in addit. cap.

quando de consecr. dist. 1. diximus. Et quamuis ex vrgente aliqua causa rex ipse tolerare possit: nullatenus tamen id concedere valet, secúdum eundem Caiet. vbi supra. Nunc autem sacrosanctum Conc. Trid. sess. 25 cap. 19. excommunicat eos, qui in terris suis permittunt duellum siue singulare certamen aliquod, quãuis sit Imperator, & priuat iurisdictione territorij, id quod permittit, si illud obtinet ab ecclesia, & etiam dominio directo, si est feudum: & facientes, & eos, quos vocãt patrinos, excõmunicat, notat infamia, bonis priuat, & reputat homicidas, & morientem in eo priuat sacra sepultura, & eum qui cõsuluerit, aut spectauerit illud, excommunicat.

Trigesimoquinto peccat mortaliter, qui sumit, vel cogit, aut vult sumere, vel cogere ad sumẽdum feruentem aquam, ferrum candens, vel prunas ignitas, vel in fornacem ardentẽ ingredi, vel quid aliud simile tẽtat, vt à suspicione criminis, quod sibi imponitur, seipsum expurget, cap. fin. de purg. vulg. & cap. consuluisti. 2. quæst. 5. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8. ad 3.

40 Trigesimosexto peccat mortaliter, qui Deum tentat, se martyrio temere offerens, ipsosque infideles irritans, & occasionem illis suggerens ad eum occidendũ sine aliqua causa, quæ vi præcepti, aut cõsilij ad id ipsum obliget, & dirigat, arg. cap. fin. de iniur. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3. Est autem martyrium in præcepto primo quantum ad animi præparationem: tenemur enim potius velle mori, quam fidem deserere, aut peccare mortaliter, secundum S. Tho. communiter receptum in quolib. 4. art. 20. Deinde quantum ad effectum, id est, ad ipsum actualiter perferendum quando subire ipsum est necessarium ad fidẽ, aut bonitatem morum conseruadam, vel ad vitandas blasfemias. Est autem solum in consilio, quando ex eo nihil amplius, quã Dei gloria, vel fidei exaltatio consequitur, secundum mentem eiusdem doctoris. 2. 2. q. 126 ar. 3. ad 1. Neque ad perferendum martyrium est necessaria perfecta charitas, quamuis huiusmodi charitas exigatur, quò cum voluptate, & gaudio toleretur secundum eundem S. Tho. in d. quolib. 4. art. 19. Quoniam etiam in statu peccati mortalis potest subiiri, iuxta Apost. 1. Corin. 13. & S. Tho. sententiam in dicto quolib. 41 Trigesimoseptimo peccat mortaliter, qui Deũ tentat, dicendo aliquid, aut faciendo intẽtione expressa experiendi diuinam potentiam, sapientiam, vel pietatem, vel tacite faciendo aliquid, quod tantum ad hanc experientiam faciendam conducit. Verbi gratia, concionari nulla præuia meditatione (cum eam posset adhibere) secum reputãs per interiorem inspirationem à Deo sibi necessaria subsidia præstitum iri, secundum Rodolphum, 1. par. vitæ Christi, cap 32.

Trigesimo octauo peccat mortaliter, qui se probabili periculo mortis aut mutilationis obiecit sine necessitate, aut vtilitate, veluti ægrotus, qui respuens humanum remedium, quod facile haberi potest, soli se diuinæ prouidentiæ committit S. Tho. 2. 2. q. 97. art. 1. Quamuis nollet vti medicina tempore martyrij, vel alio

alio propter commodum spirituale, puta propter carnem domandam, passionesque efferuescentes cõprimendas, vel vt melius Christi passionem sentiret, perferendo vulnera, vel cauteria, morbum ilyacum, aliasque huiusmodi corporũ ægritudines, quę mortis periculum secum non adferut, nullum esset peccatum: sed potuis meritum, vt recte docuit Caiet. in dicto art. 1.

42 Trigesimonono peccat mortaliter, qui credit habere aliquid diuinitatis cæli planetas, Saturnum, Iouem, Martem, Solem, Mercurium, Venerem, & Lunam. Qui item credit, cælicolas homines illos idololatras & facinorosos Herculem, Iouem, & id genus alios, vel fœminas inhonestas, vt Venerem, Iunonem, & id genus alias, quos, & quas Gentiles suis in libris celebrant, & stolidissime extollunt.

Quadragesimo peccant magistri, qui prælegentes libros & fabulas gentiliũ poetarum, & aduertentes, vel aduertere debentes, quod discipuli iuuenes credere, illos, vel illas habuisse, habereue aliquam diuinitatem, non monent eos veritatem catholicam: vt scilicet firmiter sibi persuadeant, illos fuisse homines puros, & vitijs magis, quam virtutibus deditos, cruciarique in inferno, cruciatũque iri æternum. Quia nisi hoc fecerint, videntur eorum errori consentire, & quos possunt ab eo non reuocare contra cap. 1. Pauli ad Roma. & cap. 1. de offi. deleg. & cap. notum 2. quæst. 1. & cap. qui potest, & multa alia 23. q. 3. In quo, vt scio, magistros meos olim peccasse: ita credo, plurimos nunc quoque peccare, quos à concionatoribus frequenter monẽri è re Christiana arbitror.

Quadragesimoprimo peccat mortaliter, qui consentit supradictis aliquo ex illis nouem modis, eod. cap. nu. 16 relatis.

De secundo præcepto Decalogi de non assumendo nomen Dei in vanum.

Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum secundũ Decalogi quid per nomen Dei comprehendat.*

2 *Iurare quid sit. nu. 3. Et est actus latriæ & religionis nu. 2.*

3 *Iuramentum sine tribus comitibus peccatum: & duplex.*

4 *Iurans falsa vt peccat. & 4. nu. seqq.*

4 *Iurare numquam licere dicens est hæreticus.*

4 *Iurare per creaturas quando blasfemia.*

5 *Iurare secundum suam intẽtionem, & non illius, cui iuratur vt peccatum. nu. 6. & seqq.*

10 *Iuramentum rei, parua an obliget ad mortale.*

Iuramentum conditionale quod ligat nu. 1. & 12. & quod factum sine animo adimplendi, nu. 13. & quod factum contra consilia. nu. 15. & 19. & quod dolosum, nu 13. 14. & quod factum de recuperanda nume. 17.

18 *Iuramentum de redeundo in carcerem quod ligat & quando factum secũdum intentionem remotam eius, cui iuratur. nu 19.*

22 *Iuramentum de secreto seruando, quando ligat. & nu. 23.*

1 PRo fundamento dicendorum, præsupponimus primo, nō solum illum assumere nomen Dei in vanum, qui per eum male iurat, vel bene iuratum male adimplet, iuxta glossam & opinionem communem, Exod. 20. sed etiam eum, qui male vouet vel male adimplet, quod bene vouit: vel qui effutit blasphemias, aut iniuriosa verba contra Deum & sanctos. quod recte sensit conc. Colonien. in explicatione secundi præcepti, & alij, in quibus est Angelus in verbo. interrogatio secundi præcepti. Dicemus autem primo de hoc præcepto, quatenus agit de iuramento: & mox de eodem, quatenus comprehendit votū. Demum de eodem, quatenus vetat blasphemiam.

Secundo præsupponimus, quòd iurare est affirmare, vel negare aliquid adducendo expresse vel tacite Deum in testem tamquam infallibilem veritatē, iuxta ea, quæ in rub. de iureiur. diximus sequētes sensum glo. in summa 22. q. 1. & mentem S. Tho. 2. 2. q. 79. art. 2. & in 3. dist. 39. q. 1. & aliorum ibidem, & Goff. & aliorum in rub. de iureiur. & S. Antoninum 2. par. tit. 10. cap. 3.

Dixi: Expresse, ad includendum iuramenta, quæ fiunt huiusmodi verbis: Allego, vel facio Deum testem huiusce rei: tacite autem cum dicimus: Viuit Deus, per Deum, &c. Vel nominando aliquā creaturam, in quantum in ea resplendet diuina veritas: vt quando quis iurat per euāgelia, per sanctos, per cælum, vel per salutem domini sui: quod perinde est, ac si iuraret per Deum, cui veritas est in Euangelio, vel per veritatem, quam sancti crediderunt, vel per Deum, à quo pendet salus Domini sui, arg. Iacob. cap. 5. & cap. & si Christus de iureiur. & glo. sing. c. quoties. 1. q. 7. &c. Idem facit, qui nominat creaturam aliquam à se dilectam, vt in ea diuina exerceatur iustitia, si verum non sit, quod iurat. Et qui iurat per vitam suam, aut patris, aut filiorum, vel iurat adiuncta execratione, nisi quod iurauerit verum fuerit: quod appellatur iuramētum per execrationem, vt sentit S. Tho. in dicta quæst. 89. art. 1. & Caietanus declarauit, singulariter interim adnotans, non committere duplex peccatum, nempe execrationis & periurij, qui asserens aliquid falsi, insuper adiungit: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, nisi verum sit, quod affirmo. Cum enim ea execratio prolata sit sola causa aduocandi Deum in testem, non erit amplius quam periurium: nam actus agentium non extenduntur vltra intentionem eorum, l. non omnis. ff. de reb. cred. & cap. ad audientiam. de decim.

2 Ex quibus infertur primo, iurare esse actum suapte natura bonum: quia est actus latriæ, siue religionis, quo diuinum honorē illi, per quem iuratur, exhibemus: allegatur enim tamquam infallibilis testis, & prima veritas, quæ Deus est. c. à nobis 2. de sent. excom. secundum S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 4. & probat dictum cap. & si Christus.

Infertur secūdo eum, qui aliquid affirmat, vel negat, dicendo: Per fidem meam, vel: In fide mea, vel: In veritate, nihil iurare, si nomine fidei, aut veritatis nihil amplius, quā fidem

fidem & humanam veritatem intelligat, iuxta illam loquēdi normam, qua principes & nobiles communiter vti solent dicentes: Per fidem meam regalem. vel: Per fidem gentilis, siue nobilis hominis. Neque etiam iurat, qui dicit, Deus scit, an ego verum dicam. Neque qui dicit: Hoc dixerim coram Domino, si careat intentione iurandi. non enim inuocat Deum, tamquam testem eorum quæ dicit: sed tamquam spectatorem, secundum Caietan. 2. 2. q. 89. art. 2. quem tamen non sequimur in eo quod asserit, non iurare illum, qui dixerit: Deus scit, me verum dicere. qui enim huiusmodi verbis vtitur, Deum vt testem adducit, secundum sanum & communem intellectum.

3 Infertur tertio, quòd omne iuramentum, ad hoc vt licitū sit, requirit tres comites: nempe veritatem, iudicium, & iustitiam: hoc est, quod verum sit quod iuratur: & quod sit iustum: & quòd cum reuerentia debita, Deo fiat. Et si aliquod ex his tribus ei desit, peccatū est, per illud Ierc. 4. *Et iurabunt in veritate, & in iudicio, & iustitia.* relatum in c. & iurabunt. 22. q. 1. & dicto cap. & si Christus. & S. Thom. 2. 2 q. 89. artic. 2. & 3. Peccatum, inquam, mortale regulariter, cum ei veritas deest, vel tanta iustitia, vt sit mortale, id quod iuramento confirmatur. Veniale vero, cum nō deest nisi iudicium, siue reuerentia, vel iustitia leuis: vt cum iurat quis, se facturū aliquid, quod solum est illicitum venialiter: non enim erit tunc amplius, quàm veniale, secundum communem sententiam, à Caietano ibidem optime, & à nobis in dicto cap. & si Christus, explicitam.

Infertur quarto, quòd duo sunt genera iuramenti. Alterum assertorium quo vel præterita vel præsentia asserūtur. Alterum vero promissorium quo futura promittūtur, secundum Goffred. in summa de iureiur. ab omnibus receptum. & ideo duobus etiam modis peccari potest ratione iuramenti, scilicet, aut perperam iurando, vel male adimplēdo, quod recte iuratum est.

4 Infertur quinto, quòd peccat mortaliter contra hoc præceptum, quatenus agit de iuramēto. Primo, qui credit iurare suapte natura esse malum, & numquam licitum. & nō solum mortaliter peccat, sed etiam est hęrericus, si pertinaciter id faciat quia id est contrarium contextui c. 6 Deuter. & cap. & si Christus. de iureiur. S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. & in 3. lib. senten. dist. 39. art. 2. Castren. lib. 2. contra omnes hæreses. verb. iuramentum. Est enim ex se, vt supra dictum est, num 2. actus latriæ & religionis, quæ inter virtutes morales supremum obtinet principatum, secundum eundem S. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 4. adiunctis quæ ait, q. 81. art. 2.

Secundo, qui iurat per dæmonem, vel Mahometum, vel per Idolum aliquod, aut Deum falsum, cap. mouet. 22. quæstio. 1. simulque blasphemat. Quoniam id, quod Dei proprium est, scilicet, esse infallibilem veritatem, tribuit creaturæ: quod est blasphemia iuxta notata à S. Th. 2. 2. q. 13. art. 1. & 4. lib. sent. dist. 14. in ex posl. litteræ.

Tertio, qui iurat per aliquam creaturā, nulla habita Dei ratione,

aut respectu tacito vel expresso, eã adducens tamquam testem infallibilem fuæ sententiæ, subindeque diuinum honorem, & reuerentiam ei tribuens, secundum omnium mentem, & ea quæ diximus supra eo. nu. 2 & per cap. clericũ. 22. q. 1 & S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 6. dicto 3 lib. sent. dist. 39. in expos. litter.

5 Diximus: Eam adducens veluti testem, &c. Quoniã iurare per creaturã absque respectu tacito vel expresso bonitatis diuinæ in ea resplendẽtis, & sine tacita vel expressa intentione adducendi eam in testem infallibilem: sed in talem, qualis ipsa est in se, & non designando ipsam tamquam obiectum, in quo diuina iustitia exerceatur, non esset meo quidem iudicio iuramentum: non enim tũc adducitur Deus tamquam testis: neque etiam esse peccatum existimarem: quoniam non exhibetur diuinus honor creaturę coram Deo, vt patet ex supradictis, nu. 1. & 2. & ex mente S. Thom. dicta dist. 39. q. 1. art. 1. ad 4. & ad vlt. communiter receptum. Verum est tamẽ quod Christiani quando iurant per creaturam aliquam sacram, vel in qua valde nobiliter relucet bonitas diuina, qualia sunt, Cælum, Sol, Luna, Stellæ, Lumen, & alia id genus, per Deum ipsum, qui eorum est Dominus, communiter iurare videntur. & saltem in foro exteriori excusabũtur à peccato grauissimo deferendi honorem diuinum creaturæ, sed iudicabuntur obstricti vinculo iuramenti: in foro autem interiori & coram Deo peccatum gratuitæ superstitionis admittunt, si prædictas creaturas tamquam testes infallibiles infallibilis veritatis allegarent, etiam si per Deiparam Virginem iurarent: attamen nullo iuramenti vinculo obligarentur, si neque actu, siue actualiter, neque virtute, seu virtualiter Deum in testem, sed potius ipsam creaturam, vt talis est, aduocare vellent. arg. cap. & si Christus. in princ. de iureiur. cap. consideret. cap. clericum. cap. si quis per caput. 22. q. 1. & S. Thom. vbi sup. Quod quidem facere videntur, qui iurant per suam veritatem, aut fidem: vel per fidem, quã suo generi vel dignitati debẽt. Per has barbas, per has vestes, per hos capillos, per has paleas, & per alia vilia, in quibus nihil diuinę bonitatis speciatim reluceat, quos arbitror non iurare bene, neque male, neque intentionem id faciendi habere, per supradicta.

6 Quarto peccat mortaliter, qui iurat falsum, sciens aut existimans esse falsum, & aduertens se iurare, quod quidam docti appellare solẽt, aduertere de dicto, & iuramento, c. animaduertendum. 22. q. 2. siue fuerit maior natu, siue puer: dummodo annos discretionis attigerit, c. 1. de delict. pueror. siue ob vtilitatem suam, siue alienam, siue ex leuitate, siue iocandi, ve excusandi, & se purgandi gratia, siue ob timorem mortis, siue ob alias quascunque causas iurauerit: quamuis id iræ furore pereitus faceret, iurando non solum per Deum, per sacrosancta euangelia, per beatam Virginem, per sanctos: sed etiam per vitam propriam, & per conscientiam: vel dicendo: Ita Deus me adiuuet. S. Bonauent. in 3. lib. sent. dist. 39 q. 3. & Gabri. ead. distinctio. Neque obstat

solennis gl. capit. veniens. de iureiur. quæ dixit, nõ esse amplius quàm veniale iurare falsum iocãdi gratia: nã cõmuniter & merito reprobatur, vt & nos eã prælegẽtes reprobauimus.

Quinto peccat mortaliter, qui iurat falsum, non aduertens esse tale, verumtamen ita dispositus iurat, vt etiam si aduerteret esse falsum, nihilominus iuraret propter peruersam cõsuetudinem, quia tertio quoque verbo tam falsa, quàm vera iuramento confirmat, quòd etiam tenuit Caiet. 2. 2. q. 89. artic 3 quoniam inconsiderato illa non fuit causa, sed potius comes iuramenti. Quamquam communiter iurare falsum, considerando, an illud sit falsum, vel an iuret, non est amplius quàm veniale secundum S. Tho. dicto arti. 3. & communem opinionem.

7 Sexto, qui per ignorantiã, quam crassam, vel supinam vocant, iurat falsum, credens se iurare verũ, Ioan. Andr. in cap. tua. de iureiur. Angel. & Syluestr. verb. periurium. quamuis si debitam adhibet diligentiam, nihil peccat. cap homines. 22. q. 1. si tamen aliquam adhibet, sed non quantam debet, non amplius quàm venialiter delinquit, secundum eosdem.

Septimo peccat, qui iurat veritatem, credẽs esse falsum quod iurat, & considerans id quod iuramento firmat, & aduertens se iurare, quamuis iocandi gratia id faciat, dicto ea. homines. secũdum omnes. Ceterum si quod iurat, aduertit, nõ aduertendo se iurare illud, vel contra aduertit, se iurare non aduertendo quid iurat, nõ peccat mortaliter, licet graue veniale peccet. Si autẽ neq; hoc, neque illud aduertit, immo verumque sine deliberatione & consideratione facit, peccat quidem, sed tantum veniale leue. S. Bonauent. in 3. distinct. 39 quæst 3. art. 1. nisi forsan ipsa inconsideratio ex volũtate deliberata & ex contemptu oriretur: tunc enim esset mortale ratione cõtemptus. Angel. in verb. periurium, ante §. 1.

Octauo peccat, qui iurat aliquid, affirmans illud esse verum, nesciens an ita sit, Aureol. in 3. dist. 39. Angel. verb periurium. §. 4. nisi affirmet eo solũ modo, quo illud nouit, ad normam videlicet illam, qua Archidiaconus respondet Episcopo super eo, qui sacros ordines suscipit. respondet enim, cum esse bonũ & dignum, cum tamen id non recte percalleat: quoniam id non simpliciter asseuerat, sed hoc interim adiiciẽs. Quantum humana fragilitas nosse permittit, capit. 1. de scrut. in ordi. faci. & omnes ibi &. Ange. verb. periurium, § tertio.

7 Nono, qui iurat id, quod est verũ secundũ mentem suam, non autem secundum intentionem illius, cui iurat: cum esset iussus iurare à iudice competẽte seruato ordine iuris, vel se offerendo spõte ad iurandum, cap. quacunque arti. 22. q. 5. S. Tho. 2. 2. q. 89 arti. 7. ad 4. Dixi iudice competente, &c. Quoniam si iudex iuramentum exigens talis nõ fuerit, vel esto quòd sit competens, interrogat tamen contra iuris ordinem, vel est alius homo priuatus, qui per metum aut importunitatem iuramentum extorquet, tunc iurare poterit id quod secundum suam mentem est verum. falsum autem secundũ mentem alterius, cui exhibet iuramentum.

tum.capitu.humanæ aures.22.q.5.in cuius Commēt.late de hoc disseruimus. Sicuti beatum Franciscum fecisse ferunt, qui rogatus, qua per exisset quidam homicida,qui iuxta cum transierat, manus per manicas immittens respondit, non transisse illac,intelligens non transisse per illas manicas, vt referunt Ang.de Perusio in l.idem.§.si tibi.ff.de condic. ob turp.caus.& Ioan.de Ana.in c.qui cum fure.col.fi.de fur.Quãuis idem Angel.dicat in l.quibus §.qui ex voluntate.ff.de furt.eum manu aurem tetigisse,de quo nos in capitul.inter verba 11.q.3.concl.6.mentionem fecimus, addentes illud cum Adrian. in 4.de confess. dub. 10. col.3. & in quolib.11.litera C.quod qui sic inique interrogatur, potest optime respondere,quod nescit, intelligendo, non eo modo se scire, quo illud dicere teneatur. Vnde infertur, quòd quando iudex interrogat de aliquo delicto, quod notorium non est, neque de eo haberur semiplena probatio, neque eius infamia præcessit, neq; indicia approbata intercedunt, neque ex eius occultatione alteri euenit notabile præiudicium, quamuis indirecte in damnum accusatoris redundet, non tenetur ille iudici respondere secundum eius intentionem,rei veritatẽ manifestando:satis enim est eũ,qui iurat dicere veritatem iuxta intentionem suam, vti diximus in dicto capit.inter verba.11.q.3.conclu.6.post S. Tho.2.2.q. 70.artic.1.vbi Caieta.& Maior.in 4. dist.15.q.18. Et consequenter mulier, quæ secretum habet impedimentum, ratione cuius neque velit, neque possit habitare cum viro, & propterea excommunicationis sententiam patiatur, cum postea eam in articulo mortis cõstituta oporteat iurare,se cum marito vitam facturam,vt possit absolui, tunc temporis potest & debet iurare se id facturam, concipiendo intra se conditionem illam, Si id sine peccato fieri possit: & ob hoc si postea conualuerit ex infirmitate, & ad maritum nequaquam redierit, periurij rea nullatenus erit, arg.eorum quæ not. Panormit.post Ottien.& communem in c.literas.nu.20.de restit. spol.iuncto dicto ca.humanæ aures.

10 Decimo peccat,qui iurat se aliquid licitum effecturum,quod postea non facit, secundum omnes in 3. lib.sentẽ.dist.39.& cap.si vero de iureiur.quãuis ira percitus iuret, modo non esset tanta, quæ iuranti iudicium ad mortalem culpam sufficiens adimeret, iuxta not. in simili de voto per Ioan.Andr.& communẽ in capit dudum de conuers.coniug. de quo infra eod.nu.24. An autem idem sit de illo,qui iurat rem leuem licitam,est dubium. Nam Caiet.2.2. quæst.89.artic.7.tenet quòd sic. Cuius sententia aliàs magis placuit, quàm contraria,quam tenuerunt.B. Anton.2.par.titul.10.cap.4.§.1.col.4. & Syluestr. verb. iuramentum.1. & post eos Sotus lib.7.quæst.2.art.1.& lib.8.q.1.art.7.& q.2.art.3.de iustit.& iur. Nunc autem magis placet prædicta opinio sancti Antonini. Tum quia videtur esse receptior à qua nõ soleo recedere sine textu, vel efficaci ratione ad id cogente,per capi.de quibus.20. distinctio. & doctrinam Ioan.Andr.receptam in c.1.de const. Tum quia paruitas rei in omnium præcepto

præceptorũ materia excusar à culpa mortali. per §. nunc autem sub fin. 25.dist. & alia late citata supra cap. 11. nume.4. ergo etiam in materia præcepti de implendo iuramentum paruitas & leuitas rei excusabit à culpa mortali Tum quia lex Dei de non furando, vel non iniuriando, non minus ligat,quam lex iuramenti: ac paruitas furti,& iniuriæ excusat a mortali secundum omnes, vt in dicto num 4.diximus. Tum quia, qui præcepto ecclesiæ vel iuramento tenetur recitare diuinum officiũ, & qui sine cõtemptu vnũ vel alterũ versiculum omittit,non peccat mortaliter, secundum omnes Tum quia non obstat cõsideratio illa Caietani qui me aliàs in eius opinionem flexit, videlicet, quòd versiculus vnius psalmi relatus ad totum officium, quod est quid magnum, quia est pars eius exigua & reputatur pro modico & nihil, idem tamen versiculus, per se ab aliquo omissus, non est pars alterius magni,sed est quoddam totum per se.Non,inquam,obstat illa consideratio, eo quòd non omne totum est quid magnum: immo parũm, & cuius furtum non inducit culpam mortalẽ, nec actionem de dolo, secundum eundem & alios omnes, quamuis ad actionem furti pro eo dandam de rigore iuris sufficiat iuxta gloss. receptam in §. gallinarum. iustit. de rerum diuis. verb.animo. Tum quia ipsemet fatetur iuramenta matrum de dando filiis plorantibus pomo, vel castigãdo eos non impleta non facere eas reas culpæ mortalis, secundum communem, & difficile est excusare illas alia ratione,quàm paruitatis:quãuis aliàs sæpe egimus eas fortiore ratione excusare, quàm ipse Caiet. Tũ quia iuramentum de faciendo peccato veniali non est, plusquam peccatum veniale, vt supra dictum est, & fractio iuramenti de facienda re leui & parua, non videtur esse peior fractione iuramenti de faciendo aliquid quod est peccatum veniale. Tum denique, quod par est credere Christum misericordissimum non condemnaturum morte eterna illum, qui iurauit vni, vel alteri se salutaturum salute parui momenti nomine illius vnum vel alterum, vel dicturum aliquid minimi momenti. Quare tenendum videtur cum communi, peccare quidem venialiter qui iuramẽtum de re parua & leui non implet: non autem mortaliter, quod ipsum de voto rei leuis dicemus,infra nu.40.

11 Ex quibus infertur responsio ad illam quæstionem,nuper nobis propositam, An qui dixit: Deus male mihi vertat, & me non adiuuet, si amplius lusero, ab hoc iuramento absolui possit nulla alia de causa, quàm quod ipse magnum ludendi desiderium & tentationem patiatur? Responderi enim debet, quod non: quia est verum iuramentum per id quod supra nu.1.& 4.dicitur.& de re grauí facta: & sine iusta causa à iuramento iusto de re graui absolui nemo potest, gloss. solemnis. & recepta c. quando de iureiur.quamuis in rem meliorem, aut æque bonam, aut alia iuramenta commutari posset,quod tamen interroganti, ne faceret cõsului & persuasi. Quia illud iuramentum de ludo illicito in magna quantitate intelligebatur, quod

è republica est etiam è castris militum exulare, & non de lu lo licito in parua quantitate, qui animi causa etiam togatis licet, & ita nuper sanctissimus D. N Pius V. renuit in simili casu dispensare.

Vndecimo, qui iurat aliquid facere, & postea id non facit eo quòd aliquid euenit, quod si euenisset à principio nullatenus se id facturum iurasset, aliquando peccat mortaliter: aliquando vero minime, sicut inferius c 18 nu.19.dicemus.

12 Duodecimo, qui iurat se non iturum, aut non transiturum per illum, aut illum locum, ne libidinis aut illiciti ludi occasione tentetur, & post, eadem occasione permanante, pertransit quamuis qui hoc iuraret absque alicuius finis boni & honesti aut vtilis intuitu, non peccaret mortaliter contrafaciendo quia iuramẽtum esset vanum, iuxta Caieta. in summa verb periurium, & mentem sancti Antonini vbi supra.

13 Decimotertio, qui iurat deliberate se aliquid facturum sine animo adimplẽdi, c.r.& 2.22.q 2. Quoniam qui iurat aliquid, tenetur habere animum id adimplendi sub pœna lethalis culpæ. Vnde qui iurat aliquid illicitum facere cũ animo faciendi, bis peccat, scilicet volendo illicitum admittere: deinde iurando se id facturum, quoniam cõtra iustitiam iurauit. Qui vero iurat se aliquid illicitum perpetraturum sine animo adimplendi, vno tãtum modo peccat secundum mẽtem Caiet. 2.2 q.89.art 7. iuxta quem etiam rationalis timor mortis in casu simili nullatenus excusat.

Decimoquarto peccat, qui sophistice & dolose aliquid iurat, aliter intelligens, quàm ille cui iurat intelligit, nulla intercedẽte causa, aut iusta ratione vtendi tali duplicitate, non solum peccat mortaliter (vt dictum est) verum etiam postea non adimplens illud, secũdum sanum & communem intellectum illius cui præstitit iuramẽtum. Quoniã quando iurans vtitur dolo, alter vero minime, iuramẽtum adimpleri debet secũdum sanam & communem intentionem illius, cui iuratum est, ca. quaecũque arte 22 q.1 & omnes ibidem, Innoc. & communis in cap. veniens. de iureiur. quãuis quando qui iurat est in bona fide, alter vero vtitur dolo, debet tunc promissum adimpleri secundum intentionem iurantis. cap. humanæ aures 22.q.5. Innocẽ. cum communi in d c. veniens. Thom. 2 2 q.89 artic 7 ad 4. Quare non peccat non adimplendo, quod iurauit, qui dolo aliquo circumuentus, iurauit, si dolus est eiusmodi, vt si à principio rem præuidisset, nullatenus iurasset: quoniam iuramentum non obligat extra intentionem illius, qui bona fide iurat, siue in genere, siue in particulari iurauerit se hoc vel illud facturum, quod sibi ab alio fuerat iniunctum, capit. Quinta vallis, capit. veniens. de iureiur. Neq; Deus tale iuramentum bona fide emissum alio modo acceptat, quàm illo secundum quem ex corde processit. cap. humanæ aures, 22.q.5.

14 Decimoquinto peccat, qui ob merum iurat aliquid licitum facere absque intentione obligandi se ad implendum illud, vel cum intentione adimplendi, quod tamen minime facit sanctus Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7.

arti. 7. ad 3. & Anton. 2. par. tit. 10. c. 6. §. quintus casus. Quoniam redimere propriam vel alienam vexationem virtutis opus est, l. nec timorem. §. fi. & l. isti quidem. ff. quod met. caus. & capit. dilectus. 1. de simon. Et omne opus virtutis iuramento promissum est faciẽdum, cap. si vero de iureiur. & cap. quamuis pactum de pact lib. 6 vt nos in cap. verum de iureiuran. respondẽdo cum communi illi textui, post Caietan. in dicto arti. 7 diffuse probauimus. Verum est tamen secundum prædictos, quod si quando iurauit ob metum, habuit intentionem perficiendi quod iurauit in aliquo sensu vero, licet diuerso ab illius mente, qui ipsum iurare compulit, tunc neque peccaret iurando, neque etiam non adimplendo amplius quàm ipse intellexit. Quoniam non tenetur aliquis iurare secundum intentionem illius, qui perperam ipsum ad iurandum cogit, iuxta ea, quæ dicta sunt supra nu. 13. Quapropter qui iurat latroni, se centum aureos illi daturum sub conditione intra se concepta, si forsan illi debet, non tenetur illos persoluere, si aliàs non debet, secundum Syluestr. verb. iuramentum. 4 q. 7. versicul. secundum. Et quamuis hoc exemplum non placeat Caietano in d. articul. 7. ad 3. recte tamen potest defendi: quoniam nihil falsi in eo iurari liquido constat.

15 Decimosexto, qui iurat aliquid facere cõtra diuinum aliquod præceptum, puta furari aliquid notabile, aut non deponere odium, vel alteri auxilio esse in opere peccati mortalis: veluti si cum aliis coniurauit ad defendendũ vel perpetrandum aliquod scelus, vel agendum aliquid contra obedientiam. capi. in malis. capi. qui sacramẽto & cap. necesse. 22. q. 4 diximus: in opere peccati mortalis: quoniã qui iurat aliquid facere quod non est amplius quàm veniale, solum venialiter peccat iurando & adimplendo, secundũ sanctum Anton. 2 part. tit. 5. c. 4. §. 1. col. 4. quamuis ea potissimum ratione compleret, quia videlicet iuramentum apposuit, sicut recte insinuauit Syl. verb. iuramentum. 4. q. 1. Etiam si oppositum Ang. verbo iuramẽtum. 5. §. 2. assueret. Quoniam circunstantia illa committendi veniale ob id, quod iurauerat, potius extenuat, quam exaggerat culpam quia in eo aliqua reuerentia erga Deum habetur.

16 Decimoseptimo peccat, qui iurat se nõ facturum aliquid, ad quod non tenetur, est tamen secundum se melius id facere, quàm non facere, si forsan erat aliquid ad consilia euangelica pertinens: veluti si iuraret, se non mutuo daturum, aut non creditum rem suam, vel non collaturum eleemosynã ei, qui grauem non pateretur indigentiam, vel non ingressurum religionem, vel non acceptarum sacros ordines, vel episcopatum & alia similia, secundum Angel. verb. iuramentum 5 §. tertio, & Syluestr. verb iuramentum. 2. §. 7. Sed nobis oppositum magis placet: quoniam neque S. Thom. 2. 2. quæst. 89. arti. 7. ad 1. neque S. Anton. 2. part. tit. 10. capitul. sexto §. tertius casus. dicunt hoc esse mortale, vt aliqui existimarunt. Caietanus etiam in dicto artic. 7. ad 6. & Ioann. Tabien. verb. iurare. §. 10. & gl. communiter recepta.

recepta in c.1.35.dist.sed à nemine in hoc adducta, tenent non esse letale. Et ratio est, quoniam deterius videtur iurare se aliquid facturum, vel facere omissurum, quod quidem factum vel omissum est veniale, quàm iurare se facturum aut omissurum, quod ex genere suo non est peccatum, licet contrarium eius sit melius eo. Iuramentum autem peccandi venialiter, non est amplius quàm veniale, vt supra dictum est, quod quidem intelligendum est, quando non iurauit animo non adimplendi etiam in casu in quo id non faciendo peccaret mortaliter. Quoniam hoc perinde iam esset, ac iurare se scelus letale commissurum, quod quidē semper esset mortale, vt in præcedentibus dictum est.

17 Et quāuis huiusmodi iuramenta sine peccato obseruari possint, nihilomagis tamen ad sui obseruationem obligant quoniam vt docuit S.Thom.dicto art.7. ad 3. huiusmodi iuramentis Spiritui sancto apponitur obstaculum, cuius est proprium sancta desideria animis instillare. Quocirca talia iuramenta propria etiam auctoritate iurantis possunt infringi, iuxta sanct. Anton. 2.part.tit.10.c.6.§. tertius casus. per cap.si aliquid 1.& 2. 22.q.4.quidquid Archid.in dict.cap. si aliquid. Ioan. Andr.& Panor. in cap. si vero.de iureiur.dixerint Quin etiam addimus fore melius frangere, quàm seruare iuramentū de re, quæ suapte natura sit otiosa, vel ad malum & bonū pariter indifferens: vt verbi gratia, qui iuraret se non habiturum in suum ministerium illum, aut illum: vel se non alloquuturum aliquem de hac vel illa re: vel non aditurum alterius domum: vel non missurum panes coquendos ad furnum illius: vel eius apothecam non adire, vt aliquid emat, &c. nisi huiusmodi iuramenta proximo fierent ex aliquo pacto, Angel verb.iuramentum.4.§. 5. vel soli Deo propter vitandam aliquam occasionem peccandi, quæ inde sibi subministratur, sicut supra nu.12.dictum est.

18 Decimooctauo, qui iurat se in carcerem rediturum, & non reuertitur, quamuis sciat se ob id mortem obiturum, eamque sibi inferendam iniuste secundum Caietan.2.2.q.89. art.7.ad 4.licet Ioan.Tabien.in verbo iurare.§.10.nitatur Caietano respondere: verum non satis sufficienter id facit. Hoc tamen est intelligendum, dummodo carcer non sit iniuriosus, qualis esset si foret priuatus alicuius latronis, vel tyranni, Panormit.in d.ca.si vero.gl.communiter recepta clem pastoralis de sentēt. & re iudic verb.per violentiam. & Ioan.Andr.in specie, in rubric.de iureiur.vel iudicis non competentis, siue etiam competentis, absque tamen iuris ordine procedētis: & quānis cum iurat se rediturum, non habeat animum reuertendi, secundum Angel.verb.iuramentum.1.§.37.

Decimonono peccat vxor, quæ marito iurat se adulterij crimine carere, hac ratione persuasa, quia videlicet poterat id iuramento confirmare, quonjam egerat pœnitētiam, fueratque iam adulterium sacerdoti confessa, arg.cap.fi.de purg.cano. Syluestr. verbo iuramentum. 2. §.8. quamuis si maritus eam circa hoc ad iurandum compellit, tunc quia id iniu

id iniuste agit, potest illa iurare, quod secundum suam intentionem verum est, falsum autem iuxta mariti mentem, vt constat ex supradictis nu.8.Ang.verb. iuramentum. 4. §. 1.quod nos latius & profundius confirmamus in Cōmentario prædicti cap. humanæ aures.22.q.5.

Ex quo infertur responsio ad interrogationē nuper factam; An qui iurat se non habere rem aliquam ab alio petitam, vt ab ea danda, vel commodanda se excuset, peccet? Responderi enim debet, peccare, si mens eius verbis consonat: sed non si non tenetur ad dandam vel commodandam, neque respondendum iuxta mentem petentis, & ea mente iurer, quod non habeat illam, ad eam illi dandam aut commodandam, per prædicta.

19 Vigesimo peccat, qui tempore pestis iurat verum ad portas ciuitatis, sed dolose contra intētionem interrogantium. Siluest. verb. iuramentum.3.q.2. Quoniam ad ingrediendum ciuitatem sua sponte se offert: nisi forte custodes ciuitatis crederent aliquam vrbem esse infectam à peste, quæ re vera nō erat: vel ingressurus rationabiliter credit, neque se, neque aliquid suum esse peste contaminatum, & subinde verum iurat, se non transisse per talem locum secundum præcipuam intentionem, licet remotam ipsorum custodum. Eadem est ratio de scholasticis vniuersitatum, qui cathedrarum candidatos, siue oppositores (vt vocant) extra scholis alloquuntur de illis rebus, quæ ad subornandum minime faciunt, quod tameb si postea cum suffragaturi sunt confiterentur, exinde redderentur inhabiles ad suum suffragiū conferendum, & ea de causa iurati respondent, se nulli candidatorum quidquam fuisse loquutos, intra se intelligentes nihil egisse de illis rebus, quæ cōtra statutorum mentem fuisse videbantur.

Vigesimoprimo, qui iurat se rationem habiturum boni, vel vtilitatis ad aliquam cōmunitatem pertinentis, vel ad munus, quo fungitur, quam tamen postea non habet, argu.c.si vero.c.ego.& c.veritatis.de iureiur.

20 Vigesimosecundo peccat mortaliter, qui inducit ad iurandū eum, quem falso iuraturum arbitratur, cap.ille. 22.q. 3. nisi cum inducit iuris ordinem sequutus, sicut iudex ad alterius partis instantiam, secundum Richardum.in 3. dist. 38. Quocirca rationi consonum videtur, nō esse deferendum iuramentum illi, de quo magna habetur præsumptio, quòd illud non obseruabit, quod sentit Alexander quartus in c. clericus. de cohabit. cleric. & mulier. quatenus asserit ob hoc non esse recipiendum iuramentum à clericis se non redituros ad suas concubinas, vbi Panor. inquit, recte fuisse consultum, si scholastici vniuersitatum non obstringerentur iuramento se Rectori parituros; esset enim præstantius, vt aliis pœnis ad id agendum stimularentur. Vnde infertur, perperam agere confessarios cum pertrahunt pœnitentes ad vouendum, vel ad iurandum se ab aliquo carnali peccato, vel alij quod perinde ac illud allicit, abstenturos, Ang.verb.iuramentum.31

§.11.& Silues.eod.verb.q.9. Caiet.2. 2.c.88.art.2.col.3.

Diximus,inducit, quia textus de tali loquitur. Vnde videtur inferri, quòd si aliter sponte se offert ad iurandum,adsitque rationabilis causa ad recipiendum iuramentum, non peccat ille qui recipit secundum Silues. vbi supra.

21 Vigesimotertio, qui expostulat iuramentum à famulis, vel seruis suis, vel quibuscunque aliis, vt declarent auctorem alicuius furti ei facti,ea intentione,vt furem in omnibus casibus prodant: quoniam id licite fieri nequit, nisi in illis, quibus alij exteri possent furtum reuelare: ipse autem vult obligare suos ad id faciendum in omnibus casibus: quod minime fas est, vt latius inferius in c.18.dicemus. Petere tamen ab eis iuramentum, quo adstringerentur vera dicere in illis casibus, in quibus exteri etiam veritatem detegere licite possent, non esset peccatum iuxta mentem B. Anto.2.part.tit.10.cap.5.§.6. & etiam Ang. Siluest. & Tabien. verb. familia. licet paulo aliter loquantur, & diximus in c.inter verba. 11.q.3. conclu.6. Neque etiam liceret simpliciter exposcere iuramentum, vt verum exprimant, etiam si non addatur,vt in quolibet casu id faciant,vt patet ex eis; quæ nos in d. conclu.6. diximus.

22 Vigesimoquarto, qui iurat facere,vel implere aliquid, credens se non posse illud præstare, veluti si iurat se ad certum tempus persoluturum debita, probabiliter credens non fututam ei facultatem id eo tempore faciendi, Siluest. verb. iuramentum 3.q. 25. Cæterum si iurat credens se posse persoluere. & facit quod in se est vt soluat,quamuis nō satisfaciat, non peccat.c. querelam. de iureiur. Si tamen transacto tempore ad id definito, quàm citissime poterit nō persoluerit, peccabit arg. c.cum dilecti. de dolo & contum.l. Celsus.ff.de recep.arbit.

23 Vigesimoquinto peccat, qui iurat sub sigillo secreti, se aliquid habiturum,quod in Concilio,Senatuve pertractatum est, vel suæ fidei commissum fuit,& non occultat, & manifestat casibus, in quibus non debet.arg.c.qui ambulat.5.q.5. idem est de illo, qui alterum induxit ad violandū eiusmodi secretum,secundum S.Ant.2.par.tit.10.cap.8.§.3.

De præcepto secundo, quatenus continet, non male vouendum,& bene votum bene adimplendum.

SVMMARIVM.

24 *Votum quid? De re mala non valet, sed de præcepto sic, & nu 25.*
26 *Votum obligat ad implementū sui sub reatu mortalis culpæ.*
26 *Votum non fit per propositum solum.*
26 *Votum mentale quid sit, & qualem deliberationem requirat.*
26 *Votum absque animo adimplendi quo modo obligat ad sui complementum.*
27 *Votum de re necessario futura,& de re illicita, & de indifferenti, vt in-*
28 *differens est, & de eo, quod est contra consilium Christi non valet.nu.29.*
30 *Votum in finem malum non valet,sed sic in bonum ex illo exortum. & nu.31.*

32 *Finis malus, & bonum ex malo natum differunt.*
32 *Votum proprie non est malorum renunciatio,quæ fit in baptismo.*
32 *Votum est duplex, nempe sollemne & simplex.*
32 *Votum plus obligat quàm iuramentum, eum concordia contradicentium.*
32 *Voti opus melius, quàm voluntarium. quod sic est limandum.*
33 *Confessarius sic admoneat pœnitentem, qui votum violauit,&c.*

24 DEclarato iam hoc præcepto,quatenus habet nō male iurādum, declaremus nunc idem, quatenus includit non male vouendum. Pro quo præsupponimus primo, quòd secundum mentem magistri S.Thomæ & aliorum in 4.lib. sent.dist.38. & Thom.2. 2.q.88.art.1. & 2. & aliorum alibi. Beati Anto. 2. par.tit.11.c.2. in prin. Archid. in cap. qui bona.17.q.1.& Panor.& aliorum in c. litteraturam de voto, & communem opi. Votum est promissio, deliberate Deo facta, de aliquo bono maiori,à superiori non irritata.

Dixi, promissio pro genere, & ad insinuandum,quòd non sufficit desiderium, neque propositum etiam valde deliberatum faciendi, nisi simul adsit animus se ipsum obligandi, secundum eundem communem vbi supra.

Dixi,promissio in genere, ad significandum, quod vt aliqua promissio sit votum, sufficit vt solum sit mentalis, etiam si nihil dicatur, aut scribatur, modo fiat animò, vel mente obligandi secundum communem vbi supra.

Diximus, Deliberate, quoniam promissio subita, & absque consideratione facta non sufficeret. Sufficit autem tāta deliberatio & consideratio, quanta ad peccandū mortaliter, vel merendum sufficeret secundum Palud. in 4.lib. sent.dist.38. nu.1. col. 2. communiter receptum. Nam, vt ait gl. singul. in ℞. mulier, 32.q.2.quæ habet similem 20.q.1. in summa, iudicium, quod sufficit ad obligandū diabolo, sufficit ad obligandum Deo. Vnde infertur,votum factum ex iracundia, quæ iudicium & rationem vouentis non absorbet adeo vt tunc posset mortaliter delinquere, validum esse, vt ex Io. Andr. & ex communi opinione in c. dudum de conuers. coniug. colligitur, etiam si multi graues auctores,Ludo.Roma. sing.408. & Ias.in l.si filiam.C.de inoff. testa. oppositū senserint. quod ipsum est dicendum de iuramento, vt tactum est supra eod.nu.10.

25 Dixi,Facta Deo, quoniam omne votum tacite, vel expresse, mediate, vel immediate fit Deo,secundum S. Tho. in d.q.88.art.5.ad 3. Ex quo colligitur responsio ad quæstionem nuper nobis propositam; An vouerat qui dicit alteri: Ego promitto tibi,me cum illo, aut illo amplius non lusurum; responderi enim debet, quòd non, quia non est promissio facta Deo, & ita illi definitio voti supra positi non conuenit.

Dixi,De aliquo bono, ad significandum, q; promissio de re illicita, quæ vel veniale, vel mortale peccatum est, non est votum.c. si aliquid. & c.in malis.22.q.4. Dixi,Maiori bono, non quidem vt Richar. Maior, & aliquot alij in 4. lib. sent.

dist. 38. dicunt quia votum necessario fieri debeat de his, quæ sunt de consilio, non autem de præcepto: satis enim est, vt sit maius bonum, siue sit de consilio, siue de præce. pro, secundum eundem S.Tho.in 2. 2.q.88.art.2. Quamobrem qui vouit non fornicari, neque adulterari & non furari, per huiusmodi votū ita obligatur, vt si fregerit illud, non solum censeatur transgredi præceptum de non fornicando, vel non adulterando, aut non furando: sed etiam præceptum hoc de adimplendo voto, & subinde non sufficeret tali transgressori culpam sine huiusmodi circunstantia confiteri, vt bene annotauit S. Anto.2. par. tit.11.c. 2.§.1. & melius Caieta.in d.q.88.art. 1. licet oppositum sed male teneat Io.Tabien.verb. votum.1.§.3.

Dixi etiam, de bono maiori, ad significandum,quod votum faciendi vel omittendi aliquid facere, cuius contrarium secundum se melius est, nihil valet, cuiusmodi esset votum non ingrediendi religionē, non mutuandi pecuniam, & alia huiusmodi,secundum sanctum Anto,in d.cap.2.§.1.

Dixi, A superiori non irritata, quoniam vota filiorumfamilias,religiosorum,& aliorum, qui alterius potestati subduntur, legitime à suis parentibus, prælatis, aliisque superioribus irritata non obligant, cap. puella.& cap.fi.20.q.2. secundum S. Thom. in d.q.88. art.9. & omnes alios.

16 Secundo præsupponimus,quòd ex hac definitione infertur. Primo omne votum ad sui obseruantiam obligare sub pœna peccati mortalis, Eccl.5. & c.licet.c. magnæ de voto S. Tho.2.2.q.88.art.3. & omnes in dicta dist.38.lib.4.

Secundo infertur, solum propositum faciendi aliquid boni, absque promissione & animo seipsum obligandi, non obligare communiter sub reatu moralis culpæ,neque venialis: quia non obligat secundum S. Tho. receptum 2.2.q.88.art.1. quē sequitur Archid. in c.qui bona.17.q. 1.& Panor. in c. litteraturam. de voto. quidquid videatur asserere glos. celebris.c.qui bona.17.q.1.

Tertio infertur,votum fieri posse absq; verbis expressis, arg.cap.cum apud,de sponsal.

Quarto, quòd deliberatio, quæ satis est ad obligandum nos diabolo per peccatū mortiferum, eadem sufficit ad obligandum nos Deo per votum ad vitam æternam conducens, vt supra dictum est, per gl. sing.in c.mulier.32.q.2. quæ id ante Palud.& Caietan,vbi supra, & alios dixit.

Quinto infertur, quod huiusmodi deliberatio in momento temporis fieri potest: & satis est quod actu vel virtute fiat. Quapropter illud Panor. in d. c. litterarum. de voto. col. 3. quòd deliberatio, & propositum debet promissionē præcedere, intelligendum est, de præcedentia, vt philosophi aiunt, naturæ, seu causæ,& non temporis,id est, quòd non est opus, vt per aliquod spaciū temporis deliberatio præcedat votum, sed vt ad merendum, vel peccandum mortaliter sufficit facta in eodem momento temporis, in quo bonum opus aut peccatum admittitur:sic etiam vt votum sit validum satis

satis est, vt in eodē momento temporis fiat deliberatio, quo fit votum ipsum.Nam quamuis vtrumq; simul in eodē tempore afficiatur: semper tamen deliberatio præcedit votum natura,quemadmodū substantia solis præcedit suam lucem,& ignis calorem suum.Est tamen valde magna differentia inter votū, quod magna præcedente deliberatione fit, & illud quod subitaneo & repētino motu,vel passione aliqua intercedente, cuiusmodi sunt illa quæ passim à quibusdā, & ex quacunque leui cupiditate fiunt: quoniam huiusmodi vota facile dispensantur, commutantur,vel redimuntur.c. 1. de voto. alia vero non sic.quod etiam Caiet. vbi supra art.1.probat.

Sexto infertur, quod solum propositū ingrediendi religionem sine promissione tacita vel expressa, etiam si induat quis habitum religionis, non efficit votum, quamuis Palud.in d.q.1.art.1. & Ant. in d.c.2. §. 1. & aliquot alij per c.consulti. de regul.oppositum tueantur. Quoniā in casu illius capitis fuerat promissio, saltem implicita, aut virtualis, vt declarat optime Panor.in d.c. litteraturam. & Caiet. in d. q.88. art.1. & alij etiam alibi.

17 Septimo infertur, ꝙ qui Deo aliquid promittit,quamuis sine animo adimplendi promittat, re vera vouet, & tenetur adimplere: secus autē esset, si verbotenus absque animo se obligandi promitteret, vt eleganter prædictus Cardi. in d. art. 1. confirmat, vbi subdit quod quemadmodum Ecclesia, ei qui vouit, si postea dicat non habuisse intentionem seipsum obligandi, non credit: sic etiam perperam agunt religiosorum prælati, qui sine aliis coniecturis, suis subditis iurantibus se nō habuisse intentionem profitendi, cum professi sunt, facile credunt.

18 Octauo infertur,ꝙ non est votum promissio, quæ de rebus necessario euenturis fit, quale est votum de moriendo,arg l.1.ff. de condit. & demon. neque etiam votum de re, quæ in se sit culpa letalis, aut venialis. Quoniam illud non est bonum, & multo minus erit maius bonum. Immo promissio facta de faciendo aliquid,quod est peccatum mortale, est mortalis: & promissio de faciendo veniale,est venialis, vt supra nu. 15.dictum est de iuramento.

Nono infertur, quòd promissio de re indifferenti, quatenus indifferens est,non est votū: quoniam res indifferens non est quid bonum secundum se,nisi aliqua circunstantia apponatur, quæ rem alioqui indifferentem bonam efficiat. exempli causa: Votū de non nendo, vel non filando in die sabbathi,etiam in honorem beatissimæ virginis matris, vel votum eundi in ciuitatem Genuensem, vel non adeundi talē domum, absolute & simpliciter emissum, non est dicendum votum:quoniam nihil horum secundum se est malum,aut bonum. Neque enim in die sabbathi nere vel filare ex natura sua deputari potest inter obsequia beatæ Virginis. Licet votum de non nendo die sabbathi, vt aliquoties virginis Rosarium recitetur, vel de ciuitate Genuensi adeunda ob videndam adorandamq; Christi imaginem, quam Veronicā appellant, vel non ingrediendo ta-

lem domum, ne quam personã impudicam ibi spectet, quæ se ad libidinem vel ad ludos illicitos prouocaret, sint valida. Quoniam per has circumstantias, quæ alioquin erant indifferentia, fiunt bona, argu. cap. primus 13.q.1 cap.disciplina. & cap. & qui emendat. 45. distinct. Quamobrem circumstantijs istis deficientibus, voti vinculũ cessaret, vt Caiet. in q.88.art.1. singulariter. definiuit.

29 Decimo infertur, quòd vota de non faciendo aliqua, quæ Redemptor noster consulit: vt vouere non seruare castitatem, paupertatem, & alia huiusmodi, quamuis licite valeant obseruari, minime tamẽ obligant, cap.fi.§.fi.22.quæst.4. & Palud. cum communi in 4.lib.sent. dist. 38. quæst.1.col.4.quin potius ita vouens peccat, licet vt plurimum non grauius, quàm venialiter, quod satis diffuse idem Caietanus in dicta q. 88. art.1.confirmat, præterquam si huiusmodi vota fierent gratia displiccendi talium cõsiliorum diuino auctori, vel animo non adimplendi talia consilia, quamuis occurreret casus, in quo vim præcepti obtineret.

30 Vndecimo infertur, quòd votum maioris boni ob malum finem emissum non obligat, siue finis ille malus sit finis illius boni quod vouetur, quale est votum faciendi eleemosynam ob inanem gloriam aucupandam, vel ob aliquam voluptatem illicitam. siue sit finis ipsiusmet voti, quale est votum, quo dux ad bellum iniustum proficiscens, promittit se alicui operi pio mille ducatos oblaturum, vt victoriam, licet iniquam, consequatur, ea intentione vt illud votum sit medium ad talem victoriam assequendam, vel in gratiarum actionẽ victoriæ iniquæ. Quoniam omne opus cuius finis est malus, ipsum quoque malum est. cap. cum minister. 23. quæst. 5. in cuius Commentario latius hoc diximus, & cap. non est putanda. 1. q. 1. Et cõsequenter quamuis id quod vouetur, bonum sit, votum tamen de illo propter malum finem, malum est: & ita non est conueniens materia voti.

31 Dixi, Inique, quoniam si quis voueret aliquod bonum in gratiarũ actionem euentus victoriæ absolute sine iniquitate & iniustitia consideratæ, quatenus est quoddam donum Dei, valeret votum: sicut valet votum de faciendo aliquid pium in gratiarum actionẽ pro filio, quem dederit Deus ex concubina, attenta illa datione filij absolute sine iniustitia foruicationis, tamquam quodam Dei dono, vt mox dicetur. At vero, si neque finis boni quod vouet, neque eiusdem voti esset malus, licet causa quæ impellit ad vouendum, mala esset, nõ ideo votum desineret esse bonum. Exemplum de eo, qui aliquam religionem professurus, non collimando, neque dirigendo suam professionem, & sua vota in finem luxuriandi, licet ad id impellatur spe ibi reperiendi occasionem luxuriandi. Idem est omnino dicendum de eo, qui aliquid vouet anteaquam in duellum siue singulare certamen descendat, hac intentione, vt à morte, vel vulnere liber à certamine egrediatur. Idem quoque de eo, qui vouet aliquid, si Deus illi concedat filium generare ex muliere, quæ sua non est. Etenim quamuis

quamuis velle vincere, vulnerare, occidere in duello iniusto malum sit: velle tamen sine vulnere sanum & incolumen euadere, non est tale. Et quamuis rem habere cum illa, quæ non est propria vxor, scelus sit, suscipere tamen filium ex illa dono Dei, non est tale. Idem dicendum de illo, qui huiusmodi votum fecerit, Si à Deo illa, aut illa temporalia bona per fas, aut nefas consequar, illud aut illud opus bonum faciam: quoniam huiusmodi votum non adhibetur tamquam medium ad peccatum, neque vt gratiarum actio pro peccato, sed vt gratiarum actio pro re in se bona, & dono Dei data, & à fortiori validius erit votum, quod fit in vltionem proprij peccati. verbi gratia: Aliquis vouet illam aut illam pœnitentiam vel pœnam subire, vel petere Hierosolymam, vel summam aliquam pecunię erogare pijs operibus, si tale, vel tale scelus admiserit, vt subtiliter & late post alios Card. Caiet. in dicta q. 88. art.1. confirmat.

Duodecimo infertur quòd abrenunciatio illa malorum, quæ fit in baptismo, non est proprie votum, vt dixit Palud. in 4. distin. 38. quæst. 1. & neruose probat Caiet. in dicta quæstio. 88. art. 1. quamuis Magister, & alij multi oppositũ docuerint. quorum opinio vera est intellecta de voto improprio.

Decimotertio infertur, quòd duplex est voti genus. Alterum sollemne. Alterum simplex. Totum sollemne est, quod professione tacita, vel expressa religionis approbatæ, vel ex sacrorum ordinum susceptione celebratur, cap. 1. de voto. lib. 6. Simplex autem est quodcunque aliud, siue occultum, siue publicum fuerit, Palud. communiter receptus in dicto 4. dist. 38. quæst. 1. & B. Anton. 2. par. tit. 11. c. 2. §. 1. Et quamuis mortale peccatum admittat, qui violauerit votum simplex, & nonnunquam etiam scandalum præseferat: maius tamen crimen est, grauiusque scãdalum communiter sequitur ex voti sollemnis transgressione, arg. cap. homo. 40. dist. & cap. præcipue. 11. quæst. 3.

Tertio presupponimus, votũ maiorem vim obligandi habere quàm iuramentum, secundum S. Tho. 2.2. q. 89. art. 8. quamuis Ioan. Maior in prædicto 4. distin. 38. quæst. 5. oppositum tueatur. Cuius quidem opinio vera est, quando vtrumque principaliter fit in honorẽ Dei, vel vtrumque principaliter in vtilitatem proximi. Opinio autem S. Tho. cum votum principaliter fit in honorem Dei: iuramentum autem principaliter fit in vtilitatem proximi, vt communiter fieri solet, quod nos in c. quãto. de iureiur. vtramque opinionem conciliantes, definiuimus. & postea Michael à Medina lib. 5. c. 22. & 23. de continentia. egregie probat, quod obligatio iuramenti est fortior, quã voti, licet hæc sanctior sit illa, cum per illam promittamus proximo, & per hanc Deo.

Quarto præsupponimus, bonum opus ex voto plus meriti habere, quam aliud non ex vi voti factum, secundum S. Thom. 2.2.q.88.art.6. & Opusculo 17. cap. 11. & Opuscul. 18. cap. 3. & Richard. & alios omnes in 4. dist. 38 & glo. singularem in clemen. 1. de reliq. & venerat. sanct. qui

quidem omnes sequentes beatum Anselmum in lib. de similit. asseuerant, cum qui aliquod bonum facit ex vi voti, similem esse illi, qui arborem cum fructu suo donat: eum vero qui facit opus sine voto, offerentis fructum sine arbore: quamuis opus consilij plus meriti habeat, ceteris paribus, quàm opus præcepti. cap cum in officijs. de testa. iuxta communem opinionem, quam declarat præcitatus Medina in Codice de pœnit. q. 43.

33 Quinto præsupponimus, cõfessarium teneri admonere pœnitentẽ, qui non adimpleuit votum tempore, quo debebat, nõ liberari ab obligatione postea adimplẽdi illud propter pœnitentiam, quam iniungit, eo quod votum non adimplenit tẽpore debito, nisi aliqua impossibilitas iuris, vel facti superuenerit, vel eiusmodi erat, quod debito tẽpore transeunti, eiusdem obligatio transibat, iuxta mentẽ omniũ, quã explicat Caie. in summa de materia veti.

Modi vsitatiores, quibus peccatur male vouendo, vel male votum implendo.

SVMMARIVM.

34 *Vouens rem mortalem, vel venialem vt peccat.*

34 *Vouens item id quod est præceptum, vel contra consilium & nu. 35. & 36.*

37 *Vouens stulta vota, vt non pestendi se, non laudandi.*

38 *Vouens illud quod sciebat, se non posse præstare.*

39 *Votum vel partem eius quis recte frangit ob causam. & 40.*

41 *Vouens quis tenetur statim implere, vel ad certum tempus, &c.*

42 *Vouens sub conditione, & satagens ne adimpleatur illa.*

42 *Vouens si perpetrauerit illud, aut illud crimen. & 43.*

43 *Vouens ob malum finem, vel ob bonum, qui nascitur ex malo.*

43 *Vouens virginitatem, & eam postquam violauit, non obseruat.*

43 *Vouens se vxorem ducturum, & postea non ducit.*

44 *Votum religionis impediens, vel ab illa abstrahens ad quid tenetur.*

45 *Votum religionis suadẽs, vel ingressum ordinis dissoluti &c.*

46 *Vouens religionem, & quia non recipitur vt ipse vult, &c.*

46 *Vouentem religionem an statim ligent onera eius.*

47 *Vouens ingredi & profiteri, & postea exit.*

49 *Vouens religionem strictiorem, & intrat laxiorem, &c.*

48 *Religionis de ingressu an consulendũ.*

50 *Religionem relaxatam ingrediens, vel in eam filios intrudens. nu. 51.*

52 *Vouens prætimore mortis spiritualis, aut corporalis, vel alterius mali etc.*

53 *Vouens rem dignam voto, quæ tamen maius bonum excludit.*

53 *Vouens non bibere vinum & crebro id violat, vel facere aliquid in tempore certo, quo transacto illud non adimplet. nu. 54.*

54 *Voti quem pœnitet, vel dubitando de voto an valeat, ipsum violat.*

55 *Votum qui non adimplet per alium, quod per se ipsum non potest.*

56 *Vota defuncti qui non adimplet, adiunctis exemplis, & 75.*

57 *Dispensatus super voto per falsam aut iniustam causam.*

58 *Vouere quis pertinaciter tenet esse malum.*

59 *Votum coniugum de alstinendo, & pactum an paria & 60.*

60 *Votum mariti & vxoris sine licentia quod valet. & 61.*

62 *Votum de ingressu religionis generale an tollat refutatio vnius superioris.*

34 EX præmissis infertur, multos peccare contra hoc secundũ præceptum, quatenus præcipit non male vouendũ, & bene votum rectè adimplendum. Et primo peccat, qui vouet aliquod peccatum mortale, vt occidere, & odisse, seu odio habere, &c. per supradicta, nu. 28.

Dixi mortale quoniam votum de re, quæ in se solum est peccatũ veniale, nõ erit plusquam veniale, nisi vouens ea mẽte votum emitteret, vt etiam si esset peccatum mortale, nihilominus id se facturum voueret.

Secundo, qui vouet se facturũ id, ad quod sub pœna mortalis culpæ tenetur, vt non fornicari, vel confiteri in Quadragesima, & nõ implet, & peccat nõ solum quia fornicatur, vel non confitetur, sed etiam quia trangreditur votũ, quo fit, vt huiusmodi peccatũ cum hac circũstantia confiteri teneatur, per supradicta c. 6. nu. 3. & 4. quidquid dixerit Io. Tabien. in verb. votũ. §. 2. cuius opinio non habet locum etiam in illo qui vouet in genere se nõ amplius peccaturum, quidquid Io. Maior in 4. lib. sent. dist. 30. q. 1. insinuauerit.

35 Tertio peccat, qui id, ad quod solũ de consilio tenebatur. vouet se nõ facturũ etiam si occurrerent casus: ad quos ex vi præcepti obligaretur: vt qui vouet non mutuare: aut non facere eleemosynam: etiam in casu extremæ necessitatis non solũ quia huiusmodi voluntas secundũ se talis erat verumtiã quia eã voto firmat. Idem dicendum est de illo: qui vouet se non facturũ id, quod est de consilio, eo animo, vt displiceat Deo tantũ, quãtum mortalia crimina ei displicere solent, secus tamen esset, si voueret Deo, vt displiceret ei eo gradu, quo venialia ipsi displicent, tunc enim non amplius quam venialiter delinqueret, quod ipsum leuius esset, quando quis votũ emitteret non aduertens, se in eo diuinæ bonitati rem ingratam admittere, vt Card. Caiet. egregie docet, 2.2. q. 88. art. 2. & tactum est supra, nu. 3.

36 Quarto, qui vouet aliquid quod suapte quidã natura est contra consilium euangelicum, aut malum, vel non ita bonũ sicut oppositũ, vel indifferens, sed id facit ẽũ aliqua circumstantia vel respectu, quo fit bonum & honestũ & postea nõ adimplet: vt si vouet ingredi aliquod monasterium quandiu in eo regularis obseruantia nõ viget: vel vouet non facere eleemosynam: vel non fideiuberet, aut non mutuare aliquid illi vel illi extra tẽpus cuiusdã eximiæ aut extremæ necessitatis, ne aliquã exinde occasionem peccandi caperet. nam sicut multa sunt ex genere suo mala, vel non adeo bona, sicut eorũ opposita, vel indifferentia, quæ ratione alicuius circumstantiæ reduntur bona vel meliora, quàm eorum opposita, arg. text. sing. c. venerabilibus. §. potest. de sent. excom. lib. 6. cap. ne quis. 23. q. 2. c. noli. 23. q. 1. & c. cum minister. 23. q. 1.

37 Quinto, qui emittit aliqua vota stulta, vel temeraria: qualia sunt nõ pectere capillos in die sabbathi,

non filare, non lauare caput, nõ edere animaliũ capita in honorẽ beati Io. Baptistæ. Non immittere ossa in ignẽ in honorẽ S. Laurentij, & alia huiusmodi, quę neque ad honorem Dei, aut suam proximive vtilitatem vllomodo spectare, & ea absque vlla dispensatione & licentia sui confessarij transgreditur, secundũ Siluest. verb. votum. 1. q. 3. Quod verum est intelligendo de illo vouẽte, qui credit eiusmodi vota valere, vel dubitat de eorum valore, & ante depositionẽ conscientiæ erroneę illa trãsgreditur: non autem de eo, qui scit, vel credit ea non valere, quamuis possent illicite obseruari, vt Gratianus in c. fi. 22. q. 4. docuit. quoniam propria vouẽtis auctoritate possunt dissolui: quippe quę secundũ S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. ridicula sunt, & magnam superstitionis speciem præseferunt, secundum Raymundum, in summa huius tituli, & Albertum in 4. dist. 38. quo ipsum fere dici potest de illo, qui vouet, se nudũ peregrinaturum: quoniam id inhonestũ est, & posset valetudini corporis maxime officere, præsertim in hyeme: quamuis S. Anto. 2. par. tit. 11. c. 1. §. 3. videatur huiusmodi votum in aliud fore commutandum.

38 Sexto peccat qui vouet aliquid sciens & animaduertens se nõ posse illud adimplere. Angel. verb. votum 2. §. 9. Dixi, Animaduertẽs, quia secus esset si non aduerteret illam impotentiam. *Nam ream linguam nõ facit nisi rea mens.* cap. homines. 22. quæst. 2.

Septimo, qui vouet se animo obligandi & non adimplendi, secundum Caietan. 2. 2. q. 88. art. 1. & recte quidem, quia habet animum non soluendi Deo, quod ei debet.

Dixi, Animo se obligãdi, quia qui vouet animo non se obligandi, non tenetur voto in foro conscientiæ. Nam id non est vere votum per supradicta nu. 26. ita quòd ille teneatur voto, qui vouet animo se obligandi & adimplẽdi, vel saltẽ animo obligandi: nõ autem qui vouet sine animo saltem se obligandi per prædicta ibidem & quia actus agentiũ non operãtur vltra intentiones eorum. Quare apte responsum fuit nuper, bis peccasse illum non implendo suum votum factum animo vouendi, & non implendi. primo vouendo, secundo non implendo.

39 Octauo peccat, qui vouet votum licitum, ipsumque postea violat: peccat inquã, mortaliter toties, quoties ipsum violat, cap. licet, &c. magnę. de vot. secundum omnes: nisi id fecerit per oblivionem tolerabilem, vel ægritudinem, vel ob aliã iustam impotentiam: vt qui vouet templum aliquod, siue pauperum xenodochium ædificare, vel certam eleemosynam facere, & postea fit inops, aut vouet ieiunare, & postea ægrotat. Ang. verb. votũ. 3. q. 1. Porro si postea redit ad pinguiorem fortunam, vel sanitati restituitur, totũ, vel partem, quam possit, tenebitur adimplere: sicut illa, quæ vouet castitatem, & postea nupsit, consummauitque matrimonium, non tenetur ad plene perfecteque castitatem seruandam: quoniam debitum coniugale viro suo tenetur persoluere, cum ille ab ipsa expostularit: tenetur tamen obseruare secũdum partem sibi possibilem, scilicet ad non exigendum debitum. Quinimo debet etiam voluntatem habere seruandi castitatem perfecte & integre quando sibi fuerit licitum & possibile, puta marito, vita iam defuncto, Caietan. in summa de materia voti. Vnde infertur, quòd non liberatur quis à voti obligatione propter omnia illa, quæ voto iam emisso superueniunt, quæ si à principio accederent, ille qui vouit, à vouendo desisteret, vt inferius in cap. 18. nume. 9. apertius dicemus.

40 Nono, qui vouet aliquid etiã minimum: puta dicere vnum tantum Psalterij versiculum, vel aue Maria: postea vero non dicit, vel dare poculum aquæ frigidæ amore Christi, & non dat, secundum Caiet. 2. 2. q. 89. artic. 7. Cuius opinio licet aliàs placuerit, nunc tamen contraria, quam tenet Sotus lib. 7. q. 2. art. 1. de iusti. & iure. magis placeat, per ea quæ supra, nu. 10. de iuramento rei leuis & paruæ diximus.

41 Decimo peccat, qui vouet aliquid se statim facturum, vel intra certum tempus, siue votum esset tacitum siue expressum, quod tamen non statim, vel intra tempus præfinitum implet, secundum S. Thom. communiter receptum 2. 2. q. 88 art. 9. ad 3. & in 4. lib. sent. dist. 38. q. 1. arti. 1. per textum Deuter. cap 23. Quòd si certo nouit, se non voluisse animo statim adimplendi, neque tempori terminum præfinisse tacite vel expresse, intra quod votum adimplere teneretur, nõ peccat mortaliter non adimplendo, quandiu conscientia non remordet, se esse in mora circa eius implementum. Hoc enim est signum, quod nõ est transactũ tempus, intra quod teneatur implere illud, iuxta mentem prædicti Cardinalis. 2. 2. q. 88. arti. 3. & in summa de materia voti. Et si culpa sua factum esset, vt iam non posset implere, iam peccauit, eo quòd ad voti executionem se ipsum reddidit impotentem: vt quæ vouit virginitatem, si se corrumpi pateretur, non solum teneretur obseruare, quod superat adimplendum, verumetiam dignam agere pœnitentiã: quia culpa sua effecta sit impotẽs ad integrè virginitatem obseruandã argu. l. in toto iure. ff. de reg. iur. & c. commissa. de elect. lib. 6.

42 Vndecimo, qui facit votũ adiecta tamen aliqua cõditione, cuius implementum ipse impedit, & postea non implet votum, secũdum Richard. in 4. lib. sent. dist. 38. artic. 3. q. 1. Vnde infert, non esse liberũ ab obligatione voti, eũ, qui vouit Deo aliquid cum cõditione, Si Deus ipsum ab aliquo peccato præseruaret, postea vero non facit id quod fecisset, aut deliberabat facere ad se præseruandum ab illo peccato, quãdo promisit, si non promisisset, vel se in illud peccatum præcipitem dedit, ne ad implẽdum remaneret adstrictus: quamuis Angel. verb. votum. 1. §. 10. & alij non adeo bene sententiam Richardi referre videantur.

43 Duodecimo peccat mortaliter, qui vouet ingredi religionem, si fornicationem, vel adulterium, aliudve scelus admitteret hac intentione, vt huiusmodi peccata vitaret, vel gratia imponendi sibi aliquam pœnitentiam, vel absolute se obligat, si hoc vel illud sibi accideret: quod quidem postea etiam completa conditione non implet. Quoniam huiusmodi

iusmodi vota conditionalia sunt, & ideo cõditione adimpleta obligant, arg.l. cedere diem.ff.de verb.signific. cap.si pro te.de rescrip.lib.6. Quamuis si contentum in conditione poneretur pro fine,non valerent,vt dictum est supra nu.30.nec facta sub conditione obligarent ante adimpletam conditionem, nisi vouens ipse esset in causa, quo minus adimplerentur: vt mater,quæ vouet ieiunare, si filius recuperet sanitatem, non tenebitur ad ieiunium, si filius moriatur. Angel. verbo. votum tertium §.1.

Præsuppositio igitur, quod vota huiusmodi conditionalia,etiam pœnalia, quibus quis vouet ingressum monasterij, vel peregrinationem in terram sanctam,vel Vrbem,&c. Si illud, aut illud euenerit: aut illud peccatum admiserit, quæsitum est nuper, quis in eiusmodi dispenset? Ad quod Sotus respondet lib.7.q.4. art.3.de iustit.& iure antequam peccetur,episcopum posse,& postea nõ nisi Papã. Sed nobis videtur discrimen esse inter casum, quo quis vouet ingredi religionem,vel peregrinari in terram sanctam, vel Vrbem, &c. Si tale, vel tale peccatum commiserit,& inter casum, quo quis vouet nõ admittere tale peccatum sub pœna eundi Hierosolymam,aut ingrediendi religionem, &c. quia in priori casu, solum est vnum votum conditionale religionis, in quo neque ante, neque post adimpletam conditionem episcopus dispensare potest, vt dicetur infra nu.75.in secundo vero quo vota sunt. Alterum absolutum tale peccatum non committendi: alterum conditionale & pœnale ingrediẽdi religionem, &c. Si peccauerit, &c. quorum prius est principale, & posterius accessorium, & certum est in priori voto principali episcopum dispensare posse, per notata in præfato num.75.cum non sit votum perpetuæ castitatis,neque religionis, neque aliud ex quinque Papæ reseruatis, & ita videtur antequam prius absolutum violetur, & per illius violationem posterius cõditionale purificetur, episcopum in vtroque dispensare posse: tum quia accessorium sequitur principale,ea. accessorium,de reg.iur.libr.6.l.cum principalis.ff.eod.tum quia, sublato priori principali per episcopi dispẽsationem, tollitur secundum conditionale, quum per violationem prioris,quod non est, non possit purificari.

Ex quibus infertur solutio quæstionis nuper propositæ, An valeat iuramentum,aut votum non ludendi, aut non ingrediendi talem domum,quæ illi occasionem peccandi præbet, sub pœna eundi genibus Hierosolymam ore bufonem ferẽdo? Responderi enim debet, valere quidem quoad ipsam profectionẽ: sed non quoad circunstantiam ferẽdi bufonem: quia id inhonestum est, & nullius erga Deum reuerentiæ. Neque quoad circunstantiam eundi genibus, quia est impossibile, saltem moraliter, quod sub votum non cadit,arg.l.Nepos Proculo.ff.de verbor. significat.& capit.faciet.22. quæst.5. Profectio vero ipsa est honesta & possibilis, & ita merito quoad ipsam valet, licet non quoad circunstantias, argumen.capit.vtile per inutile non vitiatur.de regu.iur. lib.6.

libro sexto quando sunt separabilia, vt hæc.

Decimotertio peccat mortaliter, qui vouet aliquid propter malum finem,veluti ieiunare, vel eleemosynam facere,vt cõsequatur iniustam vindictam, vel voluptatẽ illicitam. Richard.in 4.dist.38.quæst.1. & late Caieta.2.2.q.88.artic.2.& dictum est supra eod.nu.30.& seq. Vbi tamen diximus,quod qui concubinam habens,promittit Deo aliqua pia si dederit ipsi filium ex ea, non vouere propter malum finem,& ideo teneri ad implendum illud,adimpleta conditione, per rationem ibidem allatam.

Decimoquarto peccat mortaliter, qui vouet virginitatem animo perpetuo eam seruandi, & post votum semel vel pluries violatum proponit non continere, secundum sanctum Thom.2.2.quæst.88.art.3.ad 2.communiter receptum in 4.lib.sent.dist. 38. Secus autem esset, si eo animo eam vouerer,vt ad eam semel amissam seruandam non teneretur: quia actus agentium non operantur vltra fines eorum l. non omnis.ff. si cert.petat.capitul.ad audientiam.de decim.Porro, qui vouet non ducere vxorem,non censetur vouere continentiam, & ideo fornicando non peccaret plus, quàm si illud non vouisset,Rosell.verb.impedimẽtum, 4.capit.12.licet qui vouet continentiam, ducendo postea vxorem peccet mortaliter secũdum omnes. Verum est item, quod votum absolute ducendi vxorem non valet, siquidem vxorem ducere est à statu perfectiori ad minus perfectum descẽdere, scilicet à statu continentium, ad statum coniugatorum argu.capi. nuptiæ.32.q.1.

Dixi: Absolute, quoniam si vouerer ea de causa,quòd se imbecillem, & vix sufficientem ad resistendum peccato fornicationis agnoscerer,& quod nisi voxrẽ duceret carni succumberet, obligaretur, vt recte adnotauit Caieta.2.2.quæst.88.artic.1. Quoniam illa circunstantia de adhibẽdo remedio propriæ carnis imbecillitati facit, vt quod alioquin erat minus bonum,efficiatur maius bonum. Per quod ante tres annos respõdimus teneri ad ducendã vxorem quẽdam,qui vouit vxorem ducere, dum periculum mortis nauigando incurrisset, vt vitio carnis, quo maxime laborabat, commodius resisteret.

44 Decimoquinto peccat mortaliter qui aliquem retrahit à proposito religionis, quod volebat exequi oblata iam opportunitate, & aliis circunstantiis ad id necessariis, secundum Palud.in 4.dist.15.q.2.arti. 2.& S.Anton.1.part titul.2.cap.2.§.1. Angel.Syluestr. Tabiensˊ & communem,verb.restitutio. Grauius tamen peccaret, si post ingressum religionis,in qua animo stabili,perseuerabat,egressum ei persuasit: grauissime vero, si post professionem, sine iusta dispẽsatione fecit eum apostatare, iuxta mentem prædictorum. Quinimo in tertio casu tenetur oẽdem ipsum restituere religioni, si potest, vel si non potest alium similem vel se ipsum religioni tradere, secundum Scotum in 4.distinct.15. q.3.in respon.ad 2.quæst.quod etiam in præcedentibus duobus casibus esse faciendum tradunt B. Anton.

vbi

vbi supra, & Adrian. in 4. de restitut. q. 3. nobis tamen post Caietan. videtur sufficere in illis casibus suadere alteri æque bono, vt ingrediatur religionem; etiam si hoc illi omnino non persuadeat, quod etiam idem Scotus vbi supra videtur sentire, & ex vtroque Thom. 2.2.q.62.artic.2. potest 45. facile deduci. Quinimmo credimus in nullo casu teneri se ipsum religioni tradere, quod Ioan. Maior in 4.dist.15.q.17.non exiguis argumẽtis persuasus, & horum contraria dissoluens tenet. & Sotus libr. 4.q.6.art.3.de iusti.& iure. Illud vero cum opinione communi persuasum habemus, illum qui retrahit alium ab ingrediendi, vel profitendi religionem proposito, aliqua bona intẽtione iustisque de causis non peccare, neque incidere in canonem cap. 18. de regul. sess. 25. concil. Trid. cuius tenor refertur infra, cap. 14. nu. 17. in quibus iustis causis sunt, quòd volens ingredi est coniugatus, & sine consensu coniugis vult id facere: vel quia credit ipsum nullatenus religioni conuenire, ipsique fore vtilem, vel propter suum spiritualem commodum, quod ex ipsius ingressuri consiliis percipit, sibi ad honeste viuendum conducens, præsertim ea de causa, quod in monasterio, in quod ingredi destinat, male contra disciplinam regularẽ viuitur. Nam inducere ad talem religionem & eandem ingredi, & in ea recipi peccatum est: sine sit virorum, siue feminarum, non obstante, quòd ab ecclesia toleretur, secundum opinionem communem, quam recte explicat Caietan. 2.2. quæst. 189. articul. 9.

46. Præterea in ea sumus sententia, quòd etiam si laude dignum sit aliquem ad religionem inducere, secundum S. Thom. præcitata 2.2.q. 189. arti. 9 non esse tamen valde laudandum illum, qui persuadet alteri vouere religionis ingressum, quoniam, vt recte tetigit Caieta vbi supra artic. 2. & idem experientia ipsa nos docet, minus alacri animo perferunt onera religionis, minusque perseuerant, qui votis ipsi quasi coacti ingrediuntur, quàm qui libera spontaneaque voluntate id faciunt, etiam si vtrumque ex genere suo rectum & licitum sit, secundum sanctum Thom. 2.2.q.189 art.2. Præterea hoc etiam addimus, quòd sicut qui inducit alitũ ad religionem, vbi perfecte regula obseruatur, laudabiliter facit, iuxta eundem sanctum Thom. vbi supra arti. 9. sic ecõtrario qui alteri suadet ingredi religionem adeo laxatam, qualem modo dicemus, & vbi regula perperam obseruatur, peccat. Adiicimus etiam, eum qui vouet ingredi religinem, non satisfacere ingrediendo, vbi regula non seruatur, & vbi eum dissolutione viuitur: & si quando vouet, non intendit ingredi aliam religionem præter illam, & nulla sit spes breui postmodum tempore, illam suæ pristinæ sinceritati restituturum iri, non tenebitur ingredi illam, neq; aliam: quoniam eius votum quodammodo ratione euentus iam factum est illicitũ, vt subtiliter adnotauit Ioan. Maior in 4 libro sentent. distinct. 38. quæst. 20. Quod idem dicimus de illo, qui monasterium reformatum vbi recipiatur, non inuenit: quamuis inueniat aliquod quod vocatur reformatum: sed re vera constat non esse

esse tale: quoniam ibi vnusquisque pro sua voluntate vitam agit, & fere omnes putantur esse malæ cõscientiæ: ar vero contrarium esset dicendum de illo qui inueniret monasterium, quod non diceretur reformatum, nihilominus tamen re vera in rimore domini, & votorum essentialium obseruatia, & sub regimine obedientiaque sui prælati ibi communitet viuitur, etiam si non adeo stricte sicut regularis disciplina exigit quoad ea, quæ accidentaria sunt ibidem viueretur. Caieta 2.2. quæst. 189. art. 5.

Decimosexto peccat, qui vouet religionem in genere & absolute, neque saltem animo suo votum restringit ad hanc, vel illam religionem: hoc vel illud monasterium: & quia eum nolunt recipere, vbi ipse vellet, non vult intrare aliam, quæ ipsum reciperet, argu. capi. non est. & cap. magnæ. de vot.

Dixi: Non restringit, quia si restringeret, saltem animo, ad certam aliquam religionem, vel certũ monasterium, & ibi nolunt ipsum recipere non tenetur aliã ingredi, etiam si eum ibi libenter reciperent, quia limitata causa limitatum producit effectum, l. non omnis. ff. si cert. pet. cap. super literis. de rescript. quamuis præfatus Sotus libr. 8. de iustit. & iur. quæst. 2. articul. 1. absque sufficienti fundamẽto dicat, debere eum prius curare ingressum in illam, & si eum illa non receperit, teneri intrare aliam, quod tamen nullo iure nullaque efficaci ratione probatur, & ita non est tenendum, capit. consuluisti. 2. quæstio. §. consideremus. auth. de trient. & semiss. collat. 3. sicut statim infra nu. 48. dicemus.

47 Decimoseptimo peccat, qui vouet ingredi certum aliquod monasterium, vel certam religionem intentione se ipsum obligandi ad obseruandam continentiam, etiam si non admittatur neque ad habitũ, neque ad professionem, & non vult eam, dum vixerit, seruare, eo quòd non fuit admissus.

Dixi: Vouet intentione se ipsum obligandi, &c. quoniam si ea caruit intentione, sed absolute vouet tale monasterium, vel religionem intrare, quin etiam (quod amplius est) perseuerare, vel professionem emittere, ad nihil eorum erit obligatus, & poterit vxorem ducere, si non admittatur. Imino etiam si fuerit admissus ad habitum, si postea contraxerit matrimonium, licet peccet cõtrahendo, non tamen obligatur ad continentiam obseruandã, & quandiu matrimonij vinculum durat, poterit coniugale debitum postulare. Nam quemadmodum, qui promisit Deo intra annum sacros ordines suscipere, si eo tempore non suscipiat, peccati quidem reus erit, sed nõ erit adstrictus ad diuinum officium recitandum, ad quod ordo sacer, si ipsum suscepisset obligabat, iuxta late tradita per nos in capitu. quando. de consecrat. distinct. 1. ca. 7. nu. 2. neque si in peccatũ fornicationis prolabatur faciet cõtra votum vel continentiam, quam ordo sacer sibi habet annexam: sic etiam qui vouet ingredi religionem, & in ea permanere, si postea duxit vxorem, tenebitur quidem ratione peccati non exiguam agere pœnitẽtiam, & etiã retinere voluntatẽ adimplẽdi votum, si aliquan

si aliquando potuerit: ac quandiu matrimonij vinculum durat, nõ tenebitur ad continentiam obseruandam; vt copiosè & subtiliter Card. Caiet.2.2.q.189. art. 4. comprobat. Cæterum ei Sotus lib.8.q.2.art 1 de iustit. & iur. contradicit circa differentiam, quam assignat inter illum qui voto simplici se obligauit ad religionem: & inter eum, qui vouet ingredi,& profiteri. Sed nobis opinio prædicti Card. magis adridet. Primo quia sicut longe distant inter se votum de ingrediendo religionem ad eam probandam, & de ingrediendo eam ad eam profitendam, eamque perpetuo retinendam. c. ad apostolicam. de regul.c. 1. & c. non solum. eod. tit. lib. 6. sic etiam votum obligandi se ad vnum ex his duobus erit valde diuersum à voto, quo se quis obstringit ad alterum.

Secundo, quia nullus iurisperitus (meo quidem iudicio) inuenietur, qui non iudicaret, dispensationem illam esse subreptitiam, quam qui vouit ingredi simul & profiteri impetraret, exprimendo tantum, quod vouit ingredi,& tacendo, quod vouit etiam profiteri. arg.cap. postulasti. de rescript.

Tertio, quòd qui vouet tantum ingredi religionem, eamque ingreditur,& post ingressum vouet profiteri, multo amplius obligabitur ad professionem faciendam, quàm alter, qui postquam ingreditur, non emisit votum de profitendo in ea, arg.c.1.de rreug.& pac. & auth. itaque C.commu.de succes.

Quarto, quòd ius commune non adeo obligat ad perseuerandum eũ, qui vouet ingredi ad probãdum, sicut obligat votum, quod quis facit perseuerãdi & profitẽdi, siue id ante ingressum, siue post faciat. quoniam iuri cõmuni satisfacit ingrediendo bona fide & sine dolo, vt probet viresque suas experiatur: quibus si talis vitæ ratio displiceat, poterit, si libeat, exire, dicto cap. ad Apostolicam. & dicto cap.non solũ, ibi *Pro voluntate*,& cap.1.ibi, *Libere*. At vero si emisit votum profitendi, nihil tale efficere licebit, nisi iusta causa in id eum inuet, arg. cap. non est,& cap.magnæ de voto. Quocirca mihi persuasum habeo, eum qui prius horum votorum emiserit, posse intra annum probationis religionem, quam eligit relinquere eo solo, quòd modus ille viuendi displiceat: non autem ille, qui posterius emisit, nisi post dispensationem impetratam ex causa, quæ viro prudenti videatur iusta, arg.dict.cap.nõ est, iuncta gl.qui autem vouit fieri religiosus nihilo alio expresso solum ingressum videtur vouere, secundum vtrumque Thom. 2.2. quæst. 189.art.4.

48 Decimooctauo peccat, qui vouet strictiorem ingredi religionem, & postea ingreditur laxiorem secũdum S.Thom.2.2.q.5.art.penult. sed iam nõ tenebitur illam strictiorem intrare, si professionem emisit in ea, vbi laxius viuitur, cap.qui post votũ. de reg.libr.6. aliàs verò sic, secũdum Archid. communiter ibi receptum. Adiicimus etiam eum, qui vouet religionem, si nulla eum velit admittere, posse in seculo remanere & vxorem ducere, secundum Angel. verb.votum.3.§.11.& Card.Caieta.2.2.q.189.art.3. quamuis Innoc. iiij. in cap.porrectum.de regul. oppositum sentire videatur. At vero qui vouet aliquam intrare religionem, sine expressa tamen vel tacita limitatione huius aut illius monasterij, si in finitimis & propinquis cœnobiis non admittatur, tenebitur ad remotiora externaque proficisci, vbi sit aliqua spes, quòd eum recipient. at vero si saltem tacite secum intellexit de monasteriis tantum suæ regionis, aut regni, vel linguæ, si in his non inueniat receptores, non tenebitur ad alia monasteria tenenda. quod etiam placuit prædicto Cardinali in dicta q.88. art.3.

49 Dicimus tamen, quòd quamuis S.Tho.2.2.q.189.ar.10. affirmet, non esse opus nimio consilio, longaque deliberatione ad statuendum propositum ingrediendi religionẽ propter rationes & auctoritates, quas ibidem adducit, & propter alias, quas nos etiam in additione cap. quando de consecr.dist.1.scripsimus: nihilominus tamen hoc esset intelligendum de illo, cui specialia non obstant impedimenta; puta morbus, debita, ceteraque huiusmodi: sicut in eodem loco exprimit, & de illo, qui adeo bene sit ad ingressum religionis dispositus, ita vt in Deo totam suam collocarit fiduciam, quòd eius auxilio quodcunq; onus religionis valebit sustinere secundum prædictum Cardinalem, qui ait hoc adeo esse necessarium, quòd qui huiusmodi fiduciam non habet, eam debet procurare multa oratione, sacra confessione, sacræ Eucharistiæ assidua perceptione, & sacræ scripturæ lectione. neque prius ingrediatur, quàm saltem speret huiusmodi voluntatem fiduciamque post ingressum sibi à Deo præstitum iri. quæ quidem conclusio singularis & quottidiana est. Gerson vero in regul. moral. & Ioan. Maior in 4. dist. 38. q.16. sub finem aliquid amplius videntur exigere. quibus omnibus adde quæ hac de re diximus in Commen. cap. non dicatis, 12.quæst.1.num 2. & quod S.Thom. in dicta q.art.4 concludit, quod vouens ingredi religionem non tenetur ad perpetuo perseuerandum in ea, nisi specialiter id intenderit. cui addit singulariter Caietan. quod vouens ingredi, & fieri religiosus sunt paria, si expressè non intendatur fieri religiosus irreuocabiliter,& in esse perfecto.

50 Decimonono, qui ingreditur & profitetur religionem aliquam, & quia ibi regularis obseruantia nequaquam viget, non obseruat illa regionis præcepta, quæ sub reatu culpæ mortalis obligant: neque excusabitur, eo quòd non intendat obligare se ad viuendum arctius, quàm in tali monasterio viuitur eadem ratione, qua non excusatur à continentia obseruanda, qui sacros ordines susceptit absque intentione obligandi se ad eam seruandam. Quocirca qui huiusmodi religionem, vel monasterium ingreditur, & profitetur, si tunc nõ omnia, quæ ibi sub reatu mortalis delicti obligant, præmeditatur, vel si ea præmeditatus non intendit se ad illa obligare, tenetur huiusmodi intentionem mutare in illam, quæ intendat talia religionis præcepta in posterũ obseruare, vel eam nouę profiteri, vt

Universidad de Deusto Biblioteca

recte adnotauit prædictus Maior in 4. dist. 38. quæst. 2. 0. Quod quidem verum est quoad essentialia vota non autem quoad alias accidentarias obseruationes, quæ sunt iam sublatæ, vel mitigatæ apostolicis priuilegiis veris, vel tempore immemoriali præscriptis: vel ex licentia tacita vel expressa proprij prælati ad hoc facultatem habentis: vel ex consuetudine, quæ licet non sit immemorialis, est tamen adeo rationabilis, & tot annorum, adeoque vetus & antiqua, quæ ad ita emolliendas prædictas obseruationes sufficeret. Quoad quas obseruationes recte poterit defendi opinio Panor. in c. super eo. de regular. & c. Deus qui. de vit. & honest. cler. quem prædictus Ioan. Maior. licentiosius, liberiusque quàm par erat, carpsit: cum constet etiam Cardi. Florent. in c. cum ad monasterium. de stat. monach. & post eum multos alios (in quibus sunt Feli. in c. nam concupiscentiam. de constit. & Aufrerius decis. Tholos. 448.) immo & S. Ant. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11. & 12. idem tenuisse. Cumque constet totius orbis Christiani maximam partem idem obseruare ipso summo Pontifice sciente & tolerante: & cõsequenter ipsum aliquatenus dispensatione, iuxta glo. singul. c. qui cita. de consang. quamuis capitulũ illud, cuius est illa glossa, non probat id quod illa dicit, sed aliud singularius vt in c. si quis autem. nu. 67. de pœnit. dist. 7. diximus.

51 Vigesimo peccat, qui filios, vel filias offert monasteriis religiosis, vbi nimia cum libertate & licentia viuitur, & promissa secundum regulam suam & religionem non obseruantur, iuxta mentem Card. Caieta. 2. 2. q. 189. art 5. Quod tamen limitandum est procedere, quando filiæ, vel filij traduntur monasteriis in eisdem educandi instituendique, quo in eis fiant monachi, vel monachæ, & ibi tam licentiosè viuitur, ac supra eodem c. nu. 46. dictum est: aliàs non esset peccatum, saltẽ mortale, vt patet ex his, quæ ibi, & in præcedenti casu diximus.

52 Vigesimoprimo, qui vouet præ timore mortis animæ, vel corporalis naturalis, vel casualis concepto in periculo infirmitatis, maris, partus, naufragij, belli, hostium, aliisve similibus, & non implet, etiã conditione, sub qua forte vouit, completa. Quoniam timor, quo mors animæ timetur, qui à Deo proficiscitur, neque ille, quo timetur mors corporis naturalis, casualis, vel accidentaria, immo neque timor mortis violentæ, qui non infertur ad extorquendum votum, infirmat illud. c. Gonsaldus. 17. q. 2. c. sicut nobis de regul. nisi tantus sit, vt hominem ab vsu rationis alienet. c. sicut tenor. eod. tit. Impediret autem timor mortis violentæ, qui dicitur iustus, vel alterius mali ad id sufficientis ordinati ad extorquendum votum. c. 1. de his, quæ vi. per quod id tradunt Panor. & alij ibi, & in d. c. sicut nobis. adiunctis quæ aiunt glo. idem Panor. & communis in c. abbas. de his, quæ vi. & Fortun. de vltimo fine, illat. 21. num. 342. & nos etiam in c. verum. de iureiur. diximus quidquid dixerit Siluest. verb. metus. quæst. 8. post Card. in dicto cap. abbas. dum loco eius vitio

vitio librarij, vel impressoris Panormitanum allegat.

53 Vigesimosecundo peccat, qui vouet aliquid dignum, quod voueatur, sed est huiusmodi naturæ, quod de se aliud maius bonum excludit: vt qui vouet perseuerare in religione aliqua de laxioribus, quod de se excludit aliam arctiorem, & neque hoc neque illud adimplet: quoniam illud votum ad alterum ex duobus supradictis obligat: non autem ad perseuerandum in minus bono, si ad alterum perfectius transire voluerit, iuxta sententiam omnium, quam Io. Tabien. in verb. votum 1. §. si explicuit.

Vigesimotertio peccat, qui vouet se numquam, dum viuet, vinum, vel quid aliud simile bibiturum: postea tamen bibit, quotiescunque id facit: etiamsi in eadem die multoties biberet. quin etiam quamuis nõ promittat, se non bibiturum, nisi quodam die certo, puta die Veneris, aut Sabbathi. nam licet Palud. in 4. dist. 15. q. 4 innuere videatur, quòd tunc tantum prima vice est peccatũ mortale, non autem secunda, vel vlteriori, nisi id ex contemptu faceret: oppositum tamẽ, scilicet quòd qualibet vice mortale peccatum admittatur, verius apparet. in quod etiam tandem ipse Palud ibi, & in alio loco magis propondet, & Io. Maior in eadem dist. q. 6. id asseuerat.

54 Vigesimoquarto, qui vouet aliquid facere aliquo certo tempore, veluti orare, ieiunare aliquo certo die, & non facit illud præscripto tempore, immo & si post illud non fecerit, quantocius commode poterit. Quoniam qui tenetur debitum aliquod persoluere suo creditori ad præstitutum diem, si eo non soluerit, tenetur postea soluere l. Celsus. ff. de recept. arbit. cap. cum dilecti. de dolo & contu. Quod tamen limitandum est procedere, quando qui vouet non respexit principaliter diem vel tempus, quo promisit explere votum, vt communiter non respiciunt confessarij in diebus, quos imponunt ieiunandos pœnitentibus, iubentes, vt diebus Veneris & Sabbathi vnius mensis, vel anni ieiunent: pœnitens enim, qui aliquo illorum dierum non ieiunaret, teneretur alio postea ieiunare. Quo quidem casu, sententia Siluestri in verb. votum. 2. q. 4. poterit defendi: secus esset tamen, quando principaliter respexit tempus, rem autem quam vouit, veluti onus, aut quid adiacens ipsius temporis sibi præfixit. qualis est mens & intentio sanctæ matris ecclesiæ circa ieiunia, quæ in honorem huius vel illius sancti, vel aliis statutis diebus anni fidelibus proponit obseruanda: ex quibus, si aliqua omittimus, quamuis in eo peccemus, & ob id pœnitentiam agere teneamur, nihilominus tamen nulla deinde remanet obligatio ad totidem aliis diebus, quot omisimus, ieiunandum, vt luculenter Card. q. 88. art. 12. sub finem explicuit: sicut neque qui diuinum officium vno die dicere omittit, illud idem alio die tenetur persoluere, sed solum ad pœnitentiam agendam pro delicto tenetur, sicut diffusius in reper. c. quando. de consecr. dist. 1. c. 10. nu. 53. diximus.

Vigesimoquinto, qui vouet, & pœnitudine ductus, non vult illud

adimplere,arg.c.vouentibus.17.q.2. Non tamen peccaret,saltem mortaliter, ob hoc tantum, quòd pœnituerit vouisse, modo postea adimpleat,& propositum non adimplendi non concipiat,Ang.verb. votum. 3.§.13.Siluest. verb. votum.2.q.20.licet additio ad prædictum Ang. oppositum teneat,præsupponens,paria esse, quē pœnitere se vouisse.& nolle adimplere votū, quod falsum est.

Vigesimosexto, qui vouet aliquā abstinentiam, aut quid aliud simile, & dubitans postea an debeat implere,nec ne absque superioris dispensatione, quē facile poterat adire,votum violat. Rosel.verb.votum.5.§.7.

55 Vigesimoseptimo , qui vouet aliquid, quod per se ipsum adimplere non valet, nec per alium curat adimpleri,illis casibus, in quibus id agere tenetur, secundum mentem Innoc. in cap. scripturæ de voto & Panor. in c. licet.eo.tit. S.Ant.2. par. tit.11.c.2.§.5. Ang.verb. votum 3.§.7. & Siluest.verb. votum.2 q.12. Casus autem , in quibus aliquis tenetur alium sibi substituere ad complendum votum, quando per se ipsum id minime valet, sunt qui sequuntur. Primus ,quando votum ipsum, saltem tacite, ad id videtur extendi, vt votum opitulandi his , qui in terra sancta pugnāt, extenditur ad opē per alium ferendā. Secundus,quando aliquis vouet id , quod nullatenus per se ipsum poterit exequutioni mandare, secundum eosdem auctores,vbi supra. Tertio, quando sua culpa effectus est impotens ad votum implendum , secundum maiorem prædictorum doctorum partem,id quod sine solido fundamēto dicitur, quocirca oppositū cum Siluestro vbi supra verius arbitramur.

56 Vigesimooctauo peccat hæres, qui vota realia defuncti non adimplet, sunt autem illa, quæ ad rem familiarem illius pertinere videntur; vtpote si nouisset templū struere, vel pro amore Dei eleemosynā aliquam elargiri. Quoniam ita tenetur eiusmodi votis satisfacere, ac alia debita persoluere,l. 2. ff. de pol. licit. notant Panor. & alij in c. licet. de voto. secus tamen est de personalibus, cuiusmodi sunt vota ieiunandi,macerandi corpus,continendi , & alia similia, & gl.in d.l.2. ff.de pollicit. Quæ procedunt siue heres sit filius , siue extraneus quispiam alius , nisi ipse sponte sua se ad id voluit obligare , secundum Palud. cōmuniter receptum in 4. lib. sent. dist.38.q.3.ar.3.qui addit , quòd quādo ille , qui defunctus est , emiserat votum , partim reale , partim vero personale , & expressit vtrumque; puta vouit pergere ad Diuum Iacobum, ibique calicem aureum offerre , vel monasterium ædificare , & ipsum ingredi, heres non tenebitur ad id quatenus est persona: sed sic quatenus est reale. & ita in duobus exēplis modo positis non tenebitur adire Diuum Iacobum , neque monasterium intrare : tenebitur tamen ipsum ædificare , & calicem offerre. At vero,quando expressit solum votum personale , non autem reale, quod erat accessorium , ad nihil tebitur:verbi gratia. Heres illius , qui vouit adire Diuum Iacobum , non tenebitur ipse illuc pergere, neque tenebitur illa persoluere , quæ defunctus eò accedens expendisset.

Item

Item hæres illius , qui vouit religionem,non tenetur in demortui locū, se ipsum religioni dicare,neque monasterio conferre illa bona , quæ mortuus secum adsportasset , si eam ingressus fuisset , arg. l. cum principalis ff. de reg.iur. & c. accessorium. de reg.iur. lib.6.

57 Vigesimonono peccat , qui ob falsam, vel iniustam causam voti dispensationē impetrat , vel dispensat in ipso,gl.sing.in c.non est. communiter recepta , de vot. & S.Tho.2. 2. q.89.ar.13.quoniam dispensatio,quæ falsæ causæ innititur , subreptitia est,& inanis.c.super litteris , & c. ad audientiam.de rescript.& l.& si legibus.C.si contra ius vel vtilit.quæ autem sine causa iusta fit , non tollit diuinæ legis obligationem , iuxta glossas communiter receptas , in c. non est de voto. & c. quando. de iureiur. arg. c. sunt quidam.15.q.1. Et quamuis Adrianus in 4. de restit.teneat,quòd ille cui cōceditur dispensatio sine causa, & contra legem penitus humanam , nihil peccet , licet dispensator sit : oppositum tamen, quod tenuit Caiet.2.2.q.96.art.5.nobis verius esse videtur , videlicet vtrumque peccare , propter rationes, quas ille ibi adfert , & quas nos in c. quæ contra mores. 8. dist. adiecimus. Occurrit tamen nunc concordia prædictorum auctorum, videlicet ponendo differentiā inter actum dispensandi , & inter actum vtendi dispensatione iam impetrata sine subreptione , & dicendo , quòd opinio Caietani procedat in priori: & opinio Adriani in posteriori. quo multa dubia quottidiana solui possunt. Addo tamen, illum qui dispensat grauius peccare,quàm cum , qui petit & impetrat : nihilominus tamen neutrum eorum mortaliter:nisi quando ex tali dispensatione notabile aliquod scandalum exoritur. Addo item, quòd multo minor causa sufficit ad dispensandum sine peccato circa legē omnino humanam, quàm circa legem naturalem & diuinam.

58 Trigesimo peccat , qui credit pertinaciter esse malū vouere,etiam cum debitis circunstantiis, sicut aliqui hæretici tenent,secundum mentem sancti Thom.2. 2. quæst.88.art. 4. & lib. 2. contra Gent.c.238. quod esse hæreticum late probat Castr. lib. aduersus omnes hæreses. verbo, votum.

59 Trigesimoprimo peccat , qui, vel quæ ex consensu coniugis emittit votum continentiæ : postea vero debitum cōiugale poscit, secundum omnes.Id etiam est dicendum si debitum soluit ei,qui de ipsius consensu votum emisit , secundum S. Tho. in 4.dist.38. quoniam consentit peccato mortali , quod alter admittit coniugale debitū exigendo , & subinde peccat. Ad Rom. 1. & cap. 1. de offic. deleg. Attamen non peccaret, si peteret , secundum Inno. à Panor. & aliis in c. 1. de conuers.coniu. & Siluest.verb.votum 5.q.2. receptum.

Trigesimosecundo peccat , qui, vel quæ coniux , postquam ambo votum simplex continentiæ fecerunt , alter illorum debitum ab altero petit.c.quod Deo.33.q.1. quamuis alter illorum votum suum violauerit fornicando , secundum omnes , quoniam non debet frangere suum votum ob id quòd alter suum

violauerit. Verum est tamen, quod si timeant sibi incontinentiam, debent a summo Pontifice dispensationem obtinere: quoniam episcopus id facere nequit, nisi forsan quando illud ex aliquo magno tumore originem duceret, qui tamen non erat satis ad voti obligationem impediendam, secundum communem opinionem in cap. veniens qui cleric. vel vouent. vbi rex. singularis, quidquid dixerit Ioan. Maior in 4. dist. 32. quæst. 2. Cuius opinio posset habere locum, quando ad sedē Apostolicam non pateret recursus, vti Silvest. verb. matrimonium. 7. §. 5. & verb. dispensatio. § 9. insinuauit. Cuius rei radicem nos in cap. at si clerici. § de adulteriis vero. de iudi. expressimus, vt inferius, nume. 76. dicemus.

Dixi: Postquam votum fecerunt, quoniam si tantummodo pepigerunt inter se ad certum vsque tempus abstinere, veluti vsque ad Pascha, bene possunt ambo postea mutare sententiam, arg. cap. præterea. de sponsal. Immo etiam si alterum illorum solum pœnituit pacti, & alter intelligit, eum quē pœnitet pepigisse propensum esse ad incontinentiam, & facile in eam lapsurum, tunc deberet ei debitum coniugale persoluere, secundum Hugonem Card. 1. ad Cor. 6. Nam quamuis pactum præcesserit inter eos, non tamen vouerunt, & ita sibi inuicem possunt remittere pactum.

60 Est tamen notandum, quòd votum alterius coniugum sine alterius consensu de non soluendo debitum: immo etiam de non petendo est illicitum, secundum S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 32. quæst. 2. & Palud. ibidem, quæst. 2. quoniam est graue onus alteri, eo quòd in eam necessitatem adigitur, vt pudorem petendi debitum semper subire cogatur. Quocirca non solum episcopus huiusmodi votum potest dissoluere, immo & alter cōiugum potest omnino illud irritare, quippe quòd in suum præiudicium vergat. Neque duo capita videlicet. cap. quidam. & c. placet. de conuer. coniug. quæ contrarium significare videtur, aliquid obstant: nō enim innuunt, cum, qui professus est religionē absque coniugis consensu, non posse petere debitum, sed potius non posse exigere, hoc est, ad ipsum persoluendum compellere l. exigere. ff. de iudic. & l. si constante. ff. solu. matri. cum eis adnot. At vero votum non habendi copulam, nisi quando mos gerendus sit alteri coniugum, licitum est, vimque habet obligandi. Quoniam qui tale vouet, sibi soli & non alteri præiudicium facit. Silvest. verb. votum. c. §. 2. & quia qui profitetur religionem, vouet non habere copulam carnalem. alter coniugum, qui sine alterius cōsensu profitetur, non solum vouet non exigere debitum, sed etiam neque petere, neque soluere, ideo eius votum, quamuis nihil valeat quoad non soluendum & non petendum debitum coniugale, quatenus alteri coniugi præiudicat, valet tamen quoad non exigendum & non petendum, quatenus sibi tantum præiudicat. Quo fit vt altero mortuo, huiusmodi coniux ad castitatem seruandam teneatur: quamuis si postea vxorem duxerit matrimonium sit validum, vt probe

probe docuit Silvest. verbo, votum. 4. quæst. 2.

61 Trigesimotertio peccat, qui, vel quæ coniux vouet rem, quæ nō tendit in præiudicium alterius, veluti ieiunare, vel facere aliquid, ad quod ex vi legis diuinæ, aut humanæ tenebatur: vel dare eleemosynam ex his, quæ vltra dotem possidet: postea autem illud non adimplet secundum mentem omnium doctorum, quam Angel. verb. votum. 2. §. 8. & Silvest. verbo. votum. 3 §. 1. expressit.

Dixi: Quod non vergit in præiudicium alterius, quoniam si aliquo modo præiudicat, nullam vim habet obligādi. Vnde mulier, quæ vouet abstinentiam, vel peregrinationem sine mariti licentia, non tenetur eas adimplere, cap. manifestum. & cap noluit. 33. q. 5. si maritus repugnauerit. Immo etiam si, ipso consentiēte, talia emiserit vota, & postea ille contradixerit, vxor nō adimplens votum non peccabit: maritus vero peccat, quādo sine causa, quod primum concesserat, postea reuocat, Richar. in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 2. quamuis consensum, quem adhibuit in votum continentiæ, reuocare non valeat, Silvest. vbi supra. Neque maritus in iniuriam præiudicium ve vxoris, quantum attinet ad coniugale debitum, quidquam vouere potest. Nam quoad hoc æqualis conditionis esse iudicantur. cap. gaudemus de diuor. & c. si quis vxorē. 32. q. 1. Mulier vero, quæ antequā nuberet, aliqua vota vouit, & postquam nupsit non potest absque mariti præiudicio ea implere, excusabitur ab eorum executione, si maritus numquā præbeat assensum: quo tamē mortuo tenebitur eadem implere. c. manifestum. 33. q. 5. Ros. verb. votum. 2. §. 8.

62 Trigesimoquarto, qui vouet terræ sanctæ succurrere ex licentia vxoris suæ, vel etiam absque licentia, & postea non implet. c. ex multa de voto. quamuis consultius esset nihil tale vouere, si vxor non potest virum comitari, neque etiam absque periculo incontinentiæ remanere, secundum sanctum Thom. in 4. lib. senten. dist. 32. q. 2. art. 4. Vxor etiam, secundum Ostien. Pan. & cōmunem in dicto c. ex multa. potest huiusmodi votum sine licentia mariti facere, & tenebitur illud adimplere, quando sine periculo incontinentiæ id posset effiecere, & haberet talem facultatē, quę posset milites secum ducere, qui auxilio esse possent: quamuis S. Tho. in dicto art. 4. & Silvest. verb. votum. 5. q. 1. oppositum tueantur. Sed primum verius apparet, etiam si nullus ipsorum absque alterius licentia possit habitū suum in habitum religiosorum, quos tertij ordinis vocant, vel cuiuscumque alterius religionis mutare, quoniam id præiudicium nōnihil horroris ac fastidij affert. Adde hic dictis supra num. 48 quod vouens generaliter ingredi religionem, vel specialiter aliquam religionem non restringens se, saltem tacite, ad certum monasterium non censetur satisfacere voto, eo quòd refutetur ab vno vel altero Prælato illius religionis. licet sit Prouincialis vel Generalis, nisi causa cognita iudicaret, illum esse ineptū religioni, vt nuper latius probauimus.

De irritatione, commutatione, & dispensatione votorum.

SVMMARIVM.

63 *Dispensare, commutare, & irritare votum differunt.*

64 *Dispensant & commutant soli prælati: sed quidam irritant, sed non æque.*

65 *Votum de numquam peccando veniale liter non valet.*

65 *Votum de non peccando mortaliter valet, sed facile solvitur.*

65 *Votum de non peccando hoc, vel illud venniale, vt valet.*

65 *Votum religiosi de non peccando irritat superior.*

65 *Vota nouitij non irritat superior.*

65 *Vota sæcularia per professionem tolluntur.*

66 *Votum irritatum non resurgit per mortem irritantis.*

67 *Vota religiosorum, quæ valida, & quæ à nutu pendent superioris.*

68 *Vouere potest qui potest peccare, vel mereri.*

69 *Vota religiosorum, & minorũ quomodo differant, & conueniant.*

70 *Vota puerorum ad matrimoniũ quæ irritari possunt.*

71 *Vota inualida ratificantur, nisi &c.*

72 *Dispensatus super v.to, vel commutans illud qui peccat.*

72 *Religiosus dispensatus per hanc subreptionem.*

73 *Votum qui superior post approbatũ irritat*

73 *Votum ab alio factum & à se ratum non implet, &c.*

63 PRo luce dicendorum præsupponimus primo, dispensationem, commutationem, & irritationem, inter se differre. Nam irritatio non aliam causam expostulat, quàm voluntatem illius, qui ad irritãdum habet facultatem, cap. puella. 20. q. 2. cap. manifestum. 33. quæstio. 5. tradit Palud. in 4. dist. 38 quæst. 4. & S. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 6. Dispensatio vero causam iustam & rationabilem requirit, quia qui habet auctoritatem dispensandi, poterit omnino votũ relaxare absque eo, quòd loco voti aliquid iniungat vouenti, & tunc tam vouens, quàm qui dispensat manent in conscientia securi. Commutatio autem, vel redemptio voti exigit, vt id in quod votum est commutãdum redimendumve æque bonum sit aut melius, quàm id quod vouit. tunc autẽ æque bonum exigitur, quando ex aliqua causa rationabili commutatur. tunc vero melius requiritur, quando sine aliqua causa sed solum ex mera voluntate est facienda commutatio, iuxta mentem omnium, quam optime Card. Caiet. 2. 2. q. 88. artic. 12. explicuit. Vnde infertur id, quod nos eundem Card. vbi supra sequuti in glo. 2. cap. quanto. de iureiur. diximus, nempe, eum qui habet potestatem ad dispensandum & commutandum, posse partim dispensando: partim vero commutando relaxare votum sine causa omnino iusta ad votũ ipsum omnino relaxandum, imponendo aliquid loco eiusdẽ vouenti, licet minus sit eo, quod vouit.

64 Secundo præsupponimus, prælatos ecclesiasticos habere potestatem dispensandi, vel commutandi vota, secundum S. Th. 22. quæst. 88. art. 12. & alios in 4. lib. sent. dist. 38. & omnium

omnium sententiam. Multi autem alij habent postestatem irritãdi vota, pura pater, & eo deficiente, mater quæ turelam filiorum susceptit, & ipsi tutores, vel curatores pupillorum, vel minorum. Maritus etiam potest vxoris vota, & dominus vota seruorum, & Abbas vel alius prælatus vota religiosorum irrita facere, cap. illud. 20. q. 1. cap. mulier. 32. q. 2. & cap. puella 20. q. 2. & cap. manifesta, & cap. nolunt. 33. q. 5 cum suis gl. Nam, vt recte definit S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. Nullus, qui alterius subditur potestati, potest emittere votum, quod validum sit in eis, in quibus ille subiicitur, absque eius consensu.

Tertio præsupponimus, non omnes præfatos æqualem irritandi potestatem sortiri. Quoniam pater, & mater, quæ deficiente patre illi succedit, vel tutor possunt omnia vota irritare, tam realia, quæ ad rem familiarem pertinent, quàm personalia, quæ fiunt ab illis, qui pro ætatis defectu non possunt matrimonium contrahere. adeo vt qui vouerunt, numquam amplius illa vota implere teneantur, etiam si ipsimet, qui ea irritarunt, in ea denuo consentirent: nisi vouens eadem vota iterum ratificaret. Idem omnino dicendum est de prælatis, quoad vota religiosorum. at vero neque pater, neque mater, neque curator vllo modo possunt irritare vota illius, qui ad iustam peruenit ætatem, in qua matrimonium posset contrahere, si vota sint personalia, & iuri illorum non præiudicant, qualia sunt votum religionis, & votum castitatis. arg. cap. si annum. de iud. lib. 6. Possent tamen irritare vota realia ad rem familiarem pertinentia, & etiam personalia, quæ illis præiudicant. Neque quidquam ad rem facit, vt vota illa sint pure personalia, vel principaliter personalia, & accessoriè realia: quale est votum ingrediendi religionem, cap. in præsentia. de probat. auth. ingressi. C. de sacrosan. eccle. cum ei adnot. Quoniam de his omnibus peinde iudicandum est, ac si pure personalia essent. arg. cap. accessorium. de reg. iur. lib. 6. cum suis concord.

Maritus autẽ nullo modo potest vxoris vota irritare & nulla facere, neque rursus vxor vota mariti, nisi inquãtum alter alteri præiudicium facit, quidquid dicat & affirmet Panor. in cap. scripturæ. de voto. secundum Angel. & Siluest. verb. votum. 5. q. 1. propter rationem S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8. quam adduxim⁹ supra, præterquam in casu quando alter coniugum notoriam fornicationem, siue carnalem siue spiritualẽ admitteret, cap. Agathosa. 27. q. 2. secundum Panor. in cap. fin. de conuers. coniugat. qua de causa alter illorum poterit nullum reddere votum alterius, quo se obstrinxerat ad numquã coniugale debitum expostulãdum, vt constat ex supradictis. Dominus item potest serui sui vota, quæ in suum præiudicium vergunt, omnino abolere, reliqua vero nequaquam, iecundum omnes.

65 Pro solutione autem quæstionum, quę mihi de hac re proponuntur, dico, quòd votum numquam venialiter peccandi, & numquam peccandi non valent. quia sunt de re homini in hac vita impossibili, iux-

ta illuc Io.1 cap.1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Item votum numquam mortaliter peccandi, videtur esse de re tam difficili, quamuis non impossibili, vt non obliget, aut certe facile per ordinarium ralaxari debeat. Item votum non committendi tale, vel tale peccatum veniale, valet. Credo tamen eius transgressionem non esse, nisi veniale communiter, sicut nec alia transgressio voti de re leui esse videtur. quia votum quod est quædam lex, quam sibi vouens tulit, non magis eum obligare videtur, quàm lex à Deo, & ecclesia ei lata, cuius leuis transgressio non est mortifera.cap.vnum §.fi.25.dist. sanctus Thom.2.2.q.88.art.5.& alijs locis citatis in cap.15. nu.4. diximus. Et votum non committendi tale, vel tale peccatum mortale, validum est, eiusque transgressio duplex peccatum est, & trangressor circumstantiã voti confiteri tenetur. Quoniam pro certa habeo opinionem, quæ asserit materiam esse satis conuenientem ad vouendum eam, quæ præcepta est, vt dictum est supra num.45.quamuis quæ solum consilij est, magis propria sit. Item, quòd verior mihi videtur Soti opinio, in lib.7.quæstio.3.artic.3. de iust.& iur. quam Caiet.2.2.q.88.scilicet, quòd superior religiosi, omnia eius vota, quamuis sint de non peccando tali vel tali veniali peccato, aut tali vel tali mortali, irritare potest: quia quamuis prælatus tollere non possit obligationem, quia subditus ad illa peccata non committenda alijs legibus tenetur.nouam tamen obligationem quam sibi sufficientem ad id libertatem non habens imposuit, tollere potest. Item quòd superior non potest irritare vota nouitiorum sicut professorum: quia illorum voluntas adhuc à superioris voluntate non pendet, arg. cap. 1. de reg.lib.6. Item quòd religiosus, cum esset sæcularis fecit, ipso facto commutantur in votum sollemne religionis, cap. scripturæ. de vot. cum ei adnotat. Interrogarus autem, An maritus vota, quæ sua vxor antequam nuberet fecit, irrita & nulla facere posset? Respondi posse, si marito præiudicant, prout est textus sing.in cap.noluit 33. q. 5 quem ad hoc à paucis citari credo, in quo S.Augustinus ait: *vt si adhuc innuptæ concesserat pater vota persoluere, si antequam persoluerit nupserit & viro eius non placuerit, non persoluat.* Interrogatus item: An maritus omnia vota, quæ vxor sub eius potestate facit, irritare possit? & qualia possit? & qualia non? Respondi non posse, nisi ea quæ sibi præiudicant, vt supra dictum est.

66 Quarto supponimus, fuisse opinionem Innoc.in cap. scripturæ. de vot. quòd vota eius, qui habet ætatem nubendi, aut ducẽdi vxorem, à maritis, vel vxoribus, dominis, parentibus, curatoribus irritata, sicut obligant quoad ea, quæ non sunt in prædicium irritantium, iuxta communem opinionem: ita quoque incipiunt obligare simulatque ipsi vouentes liberantur à subiectione irritantium. Sed profectò contrarium verius, & rationi conformius nobis apparet, per cap. quidam. & cap. placet. de conuer. coniug. vt tenent Panor. in dicto cap. scripturę. Angel. Silu.

Sylvestr. verb. votum. 4. q. 2. & Caiet. 2.2.q.88.arti.8. nisi quando expresse, se aliquid facturos vouerũt, posteaquã ab alterius subiectione se liberos inuenirent, secundum omnes.

67 Quinto, supponimus vota religiosorum, quorum materia neque in genere neq; in specie est eis prohibita, & proinde secundum se sunt valida, non ideo nullius vigoris existimari, quia sunt irritabilia, quinimmo ad sui obseruãtiam obligant, quousque ab illis, qui id possunt facere irritẽtur, etiam si prius ea nunquam approbassent, quoniam sub ea conditione semper fieri videntur si superior non contradixerit, quæ quidem cõditio semper impleta manet, donec superior cõtradixerit. At vero vota, quæ fiunt in rebus prohibitis à suo superiori, alioquin tamen licitis, non obligãt, donec prælatus ea probauerit, quoniã sub hac conditione semper fieri creduntur, si videlicet superior annuerit, vt Cardi. Caietan vbi supra recte definiuit. Et hoc modo debet limitari & interpretari quoddam dictum concilij Agathensis. capit. monacho. 20. quæst. 4. scilicet monacho non esse licitum vouere.

68 Sexto, supponimus quòd licet qui carent ætate sufficienti ad contrahendum matrimonium, si eo iudicio polleant, vt possint iam & meteri, & peccare, quæcũque vota, siue personalia, siue realia, regulariter emittere possunt, quibus obligẽtur, iuxta glossam insignem, ab omnicus receptam in capit. mulier. 32. q. 2. Panor. cum communi in ca. 2. de voto. nihilominus parẽtes illorum vel tutores omnia illa recte possunt irritare. cap. puella. 20. q. 2. & c. mulier 32. q. 2. desumptũ ex ca. 30. Numeror.

Dixi: regulariter: quoniam voto solenni religionis se nõ possunt obstringere, etiam cum consensu patris, aut tutoris, cap. 1. de Regul. lib. 6. bene tamen voto simplici, quidquid aliud insinuent Angelus, & Rosella, male percipiẽtes, quid sibi voluerit S. Thom. 2 2. q. 88 articu. 9. vt optime declarat. Sylvestr. verb. votum. 3. q. 5.

69 Septimo supponimus, illud q definitum est de pueris, qui nõdum ætatem nubendi, vel ducendi vxores attigerunt, illud statuendum esse de religiosis, quãtum attinet ad votorum irritationem, quàm ipsorum superiores facere possunt: scilicet eorum vota, quæ de rebus bonis honestisque fiũt: quæ neque suæ regulæ, neque præceptis diuinis, neque superiorum statutis repugnant, valida esse, quandiu sibi à suis superioribus non obsistitur. Veruntamen illi pro mera voluntate sua, sine alia ratione & causa possunt illa irritare, & nulla reddere, sicut sensit Innocent. communiter receptus, in ca. scripturæ. de vot. & sanctus Thom. iuxta Card. Caiet. interpretationẽ. 2. 2. q. 88. arti. 8. & Palud. in 4. dist. 38. q. 2. & S. Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. sexto, & sic venit intelligẽdum prædallegatum illud cõcilium Agathense in capitul. monacho. 20. quæst. 4. Est tamen circa hoc adnotandum, quod licet rectè possimus affirmare quoad effectum, ne monachus teneatur adimplere votum, satis esse quòd, superior iubeat ei, ne faciat id, quod vouit, vel nolit ad id agendum facultatem concedere, esto prius non sit effectus certior de voto quo

to: quoad effectum tamen, vt votum irritum, & inane fiat, non satis est hoc, sed præterea necessarium est, vt prælatus de voto ipso iam præmonitus, voluntate & auctoritate sua illud omnino irritet, & nullum faciat, quod optime docuit Caietan. in dicto art. 2.

70 Octauo dicimus, quòd illi quibus satis ætatis est, vt possint contrahere matrimoniũ, possunt etiam quæcunque vota personalia facere, eademque adimplere tenentur, etiã renitentibus patribus, aut eorum curam gerentibus, cuiusmodi sunt vota continentiæ, religionis, dicendi aliquas orationes, & alia similia: dummodo regimini & gubernationi domus paternæ, aut parentum potestati, siue rei familiari nihil nocumenti, aut iniuriæ inferant. Talia enim vota nihil valerent, nisi essent in subsidium terræ sanctæ, vel fierent ex rebus castrensibus, hoc est in bello vel quasi in bello partis, de quibus infra capit. 17. agemus, vel cũ expresso tacitove consensu parentis, vt optime collegit Sylvest. verb. votum. 3. q. 6. At vero vota realia, quæ principaliter ad rẽ familiarem pertinent, si ab illis fiãt, qui possunt nubere, vel vxorem ducere, licet valida sint, possunt tamen penitus aboleri, aut irritari à parentibus vel curatoribus, donec ad vigesimũ quintum annum peruenerint, quemadmodum tam personalia quam realia puerorum qui ad decimum quartum & puellarum quæ ad duodecimum non peruenerunt, secundum B. Antoninum. 2. par. titu. 11. c. 2. §. 10.

Dixi: Principaliter, quæ ad rem familiarem pertinent, quoniam vota, quæ accessorie illam tãgunt non possunt irritare, quando adiunguntur personalibus, quæ ab eis irritari non possunt: cuiusmodi est votum professionis, quod quidem ex consequenti bona professionis transfert in monasterium cum ipsa persona. cap. ip præsentia. de probat.

71 Nono supponimus, parrem & tutorem posse votum solenne reuocare, si factum fuerit ab eo, qui non habet ætatem, vt possit contrahere matrimonium. Irritãdum est autem antea, quàm ad prædictam ætatem peruenerit: quoniam post eam irritare non potest, capitul. puella. & ibi Card. S. Xisti. 20. quæst. 5. Cuius contrarium accidit circa votũ simplex, quod etiam postquã ad legitimam ætatem peruenerit, poterunt irritare: dum tamen filius adhuc in illa ætate ratum non fecerit votũ. quod egregie Caietanus 2. 2. q. 89. artic. 5. adnotauit.

Decimo supponimus, quòd vt aliquis votum suum inualidum ratificasse censeatur, non satis est credere votum, quod emisit validum fuisse, & ideo proponere illud adimplere, vel ratione illius in monasterio permanere, putãs professionem esse validam: sed oportet, vt sciat illius nullitatem, & velit illud noue validare, vt singulariter tradit Caiet. vbi supra, quem sequimur, tum per rationem eius, tum quia errans non consentit, lege si per errorem ff. de iurisdict. omn. iudic. tum quia etiam nouo consensu opus est ad validandum matrimonium nulliter contractum, vt dicemus infra cap. 22. num. 69. & 86. quin potius necessarium est, vt ita gratum habeat, vt velit quòd

quòd votum antea factum ab ipsa ratificatione sit validum, etiam si prius non valuisset, quod præclare etiam idem Card. ibi supra explicuit.

Vndecimo, quòd hæc consequitur peccare primo, qui carens potestate ad dispensandum, commutandum, redimendum, vel irritandum votum, aliquid horum fecit.

72 Secundo, qui habens tantum potestatem ad redimẽdum, vel commutandum, qualem habent multi confessarij virtute bullarum, aut Iubileorum electi, dispensat super voto, vel ipsum irritat, & nullum facit, arg. c. 2. de consti. lib. 6. & l. si. ff. de iurisdict. omn. iudic. quatenus habent, male facere eum, qui extra territorium suum, vel potestatem sibi concessam aliquid facit. Immo & actis ab eo factus non valet, vt sensit Caietan. 2. 2. q. 88. arti. 12. quod etiam in cap. quãdo. de iureiur. diximus, præsertim quòd vti iurisdictione, quam quis non habet, peccatum est lethale, secundum S. Thom. receptum, 2. 2. q. 60. art. 6.

Tertio peccat, qui ex ordine Mẽdicantium ad Canonicos regulares, vult transire ex dispensatione Papæ, & quia intellexit illam obtinere nõ posse, nisi prius habitum dimittat, ob id eum dimisit, & aliquando sæculari veste indutus incessit, & postea eam dispensationem impetrans, huiusmodi diabolicã astutiam substinet, vt in præsect. capit. si quando. de rescript. except. 6. nu. 4 comprobauimus. Quocirca huiusmodi religioso consulendum est id quod sæpe complures admonuimus, vt videlicet ad pristinam illam suam religionem reuertatur, vel iterum supplicet summo Pontifici, vt ea taturnitate non obstante, dispensationem ratam & validam esse velit.

73 Quarto, qui cum esset superior, potestatemque haberet irritãdi, vel obliterãdi aliquod votum, in ipsum consensit: postea vero sine rationabili causa, ipsum ex mera malitia, vel proprio impulsus affectu, vel fingẽs illud votum in maximum vergere præiudiciũ, irritat & annullat, cum parum, aut nihil inde emanaret nocumenti, secundum prædictũ Card. Caietan. 2. 2. q. 8. 8. arti. 8. Qui tamen adiicit, subditos non peccare, si non adimpleant votum, quod fuit ita perperam irritatum, sicut etiam superiores nihil peccant, dum legitime irritant subditorum vota solum pro libera voluntate sua, sine causa aliqua & malitia, antequam illa approbentur: quoniam in hoc suo iure vtuntur, cap. puella. capitul. illud. 20. quæst. 2. capi. noluit. & capit. manifestum 33. q. 5.

74 Quinto qui votum à parentibus suis, vel aliis ab eo factum & à se ratificatum non implet: non autem si non ratificauit, nisi animo se ipsum obligandi ad nihil aliud amplius, quàm ipse voluerit, capit. licet. cum ei adnotat. per omnes de vot.

Quis super voto dispensare, aut illud commutare valeat.

SVMMARIVM.

75 *Dispensant soli Prælati Ecclesiastici circa vota.*

75 *Papa solus dispensat super voto solemni, & alii quinque.*

Episcopa

Episcopalem iurisdictionem habens an in hoc æquetur Episcopo.

76 *Dispensans & dispensatus super voto absque iusta causa vt peccant.*

77 *Dispensandi vna causa super voto est leuitas vouendi.*

78 *Voto res oblata cui debeatur, facta dispensatione.*

78 *Votum omne tollit professio religionis.*

79 *Votum qui commutare potest an possit dispensare.*

80 *Voti commutatio vi Cruciatæ facienda est in eius vtilitatem.*

80 *Votum castitatis hic frangit qui nubit, & consummat.*

80 *Vota futura includit potestas dispensandi*

80 *Peccata futura includit potestas absoluendi.*

75 CIrca hoc dicimus primo, q̃ soli prælati ecclesiastici habent potestatem dispẽsandi & commutãdi vota propter rationẽ, quam S.Tho. cõmuniter receptus reddit, 2.2.q.88.art.12.per illud 2.ad Cor.2. *Nam & ego quod donaui.* &c.

Dixi, Et commutandi, quia non potest quis auctoritate propria cõmutare votum, etiam in melius, nisi manifestũ sit, illud esse gratius Deo, vt pulchre declarat Caieta.in præfato artic.12.neque consequenter confessarius, neque alius, cui non sit data facultas commutandi vota.

Secundo dicimus, quod solus Papa, vel qui potestatem ab ipso peculiarem habet, potest super quibuscunque votis dispensare, scilicet super voto perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis in Hierusalem, vel Romam, vel ad sanctum Iacobum Compostellæ. Etenim quãuis nullus textus reperiatur, qui omnia ista vota soli Papæ reseruet, præter votum in Hierusalem, per capi. ex multa de voto. adiuncta gl. fing. verb. incumbit. Quinimmo neque hoc quando ex deuotione, & non in subsidium terræ sanctæ fit, secundum Panor. in dicto capi. ex multa. quem ibi sequitur Rauennas: iuxta tamen Romanæ curiæ stilum, qui satis colligitur ex extrauaganti Xisti quarti, capi. & si dominici. de pœnitẽ. & remiss. omnia hæc sunt summo Pontifici reseruata. Vnde secundum aliquos, quicunque inferior ab aliquo istorum quinque tentaret absoluere, præterquã quòd peccaret mortaliter, pœnam etiam excommunicationis incurreret: per dictam extrauag. quod tamen nõ est verum nisi de illo, qui ex facultate vel cõcessione eiusdem Papæ Xisti quarti absolueret: quoniam de tali tantum ipsa loquitur, vti post Syluestr. verb. excommunicatio. 7. casu 32. & Ange. verb. excõicatio. 5. §. 31. nos super eandem extrauagantem expressimus. In ceteris autem votis alij Prælati inferiores poterunt dispensare, vt episcopi, vel qui iurisdictionem episcopalem sortiti sunt. quamuis Panormi. cap proposuit. de concess. præb. solam commutandi potestatem illis concedat, sed non est verum propter ea, quæ ipse in cap. 1. de voto docuit.

Tertio quod prælati inferiores episcopis, non habentes iurisdictionem quasi episcopalem, nihil tale possunt, secundum Innocẽt. in d. cap. 1. de voto. ab Ostiẽs. reliquisque omnibus communiter receptum, & à Panorm. in dict. capi. 1. explicatã, nisi ad hoc præscriptione, vel priuilegio peculiari muniantur. Verum est tamen,

men, prælatos regulares posse religiosorum suorum vota irritare, sicut dictum est supra, nu. 63. id quod etiam Syluest. verb. votum. 4. quæst. 3. asseruit. immo & dispensare si sunt exempti. Quoniam eorum iurisdictio quasi episcopalis reputatur, iuxta gl. fing. & receptam, Clemẽt. 1. de reb. eccles. non alienan. aliàs vero minime, quidquid aliqui sensisse videantur.

Quarto dicimus, quòd nullus præter summum Pontificem potest dispensare super voto continentiæ solenniter emisso per sacri ordinis susceptionem iuxta cõmunem omnium doctorum sententiam affirmantium, illum posse dispensare in voto solenni per professionem facto, si grauissima aliqua adsit necessitas, secundum Innoc. & gl. communiter receptam in capit. cum ad monasterium. de stat. monachor. quam nos in cap. literas. de restitut. spoliat. copiose roborauimus.

78 Quinto dicimus, quod communis doctorum consensus habet, quòd quamuis episcopi non possint dispensare in voto etiam simplici perpetuæ cõtinentiæ, nisi sit magnũ periculum incontinentiæ, & non possit adiri Papa, iuxta Syluest. verb. votum 4. q. 4. vti inferius dicemus: possent tamen dispensare in voto continentiæ non perpetuo, sed ad tempus seruãdæ, veluti per annum, secundũ Pal. in 4. dist. 38. q. 4. Immo, & secundum Anton & alios idem facere possent circa votum de nunquam contrahendo matrimonio, Angel. verb. votum. 4. §. 9. & Syluest. q. 4. In hoc vltimo tamen cõtrarium tenet Caiet. Tomo 2. Opusculorum Opusculo 11. q. 1. Cuius opinio licet aliàs mihi placuerit, nunc tamen magis placet opinio Angeli & Sylueſtri. Tum quia illa seruatur in sacro Pœnitẽtiæ prætorio. Tum quia præsupposita opinione communi, quam ipse quoque Caietanus tenet, scilicet, materiam voti sufficientem esse opus, quod non est supererogationis, sed præceptum, non potest vere dici æquiualere votum de non nubendo & votum castitatis, per quod corruit eius fundamentum, vnà cum responsionibus ad duo argumenta neruosa, quæ ipse contra se proponit: quæ nimia subtilitate potius, quàm æquitate niti videtur.

Sexto dicimus, neminem sibi persuadere debere, summum Põtificem pro mera voluntate sua sine iusta causa posse dispensare, aut commutare vota, neque omnem dispensatum sine iusta causa posse esse securum, per gl. fing. capit. non est de vot. Neque obstat c. veniens. de iureiur. quatenus habet, in quocunque iuramento esse superioris ius excepti: quod etiam in votis asserendum est, quoniam illa verba non significant excipi voluntatem Papæ, vt recte ponderauit sanctus Thom. 2. 2. quæst. 88. articu. 12. sed nullo iuramento aut voto & auctoritati summi Pontificis derogari aut detrahi posse, quominus cum rationabili causa in illis possit sancte dispensare. Quamuis in religiosorum votis & iuramentis intelligendum sit (Salua sui superioris voluntate) & ex consequenti, salua volũtate summi Pontificis, qui est supremus omnium Antistes. Non enim est quoad hoc Papæ tanta potestas super alios

omnes

omnes orbis Christianos,quanta eidem & aliis religiosorum prælatis super religiosis, vt explicuit optime doctissimus Caietanus in d. art. 12. Est autem notandum,quòd quæuis causa reddens complementum ipsius voti malum vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, est satis iusta & rationabilis ad dispensandum,secundum omnes post S. Tho. 2.2.q.88.ar.10. Immo etiam ad hoc, vt sine dispensatione implementum eius omittatur, si manifestum sit vnum ex tribus supra explicatis esficere, vt patet ex his quæ in superioribus, num.24. & seqq. post sanctum Thom.2.2. quæst 88.art.10. & 12.diximus.

77 Septimo dicimus,quod vna ex iustis causis ad dispensandum est leuitas, vel facilitas in vouendo, secundum Panor. in c. 1. de voto per illum text. & S.Anto.2. par.tit.11.c.1. in principio. Imbecillicitas itē eius, qui vouit ad exequendum,quod vouit,scilicet, ad ieiunandum, vel peregrinandum. Habere item numerosam familiam, quæ absque notabili nocumento, patroni absentiam tolerare non potest : & alia similia, de quibus certa omnino regula afferri non potest,& subinde arbitrio superioris definiri debēt, iuxta Pan. in cap.1. de vot.iuxta quem, per finē cap ex multa.de voto.sufficit necessitas,vel vtilitas publica,quæ tamen non requiritur,sicut quidam senserunt,satis est enim,vt sit vtilitas priuata,arg.cap.1.&2.de voto.

Octauo,quod superior, qui votū commutat,debet perpendere vouētis qualitatem,& expensas,quas facturus esset in explendo voto peregrinationis, vel aliorum similium vltra illas, quas domi suæ facturus esset,illasque omnes in alia pia opera conuertere, laborem autem itineris in ieiunia, & orationes mutare,secundum Angel.verb. votum. 4. §.12.iuxta quē votum ieiunandi à paupere emissum, minoris redimi potest,quàm votum diuitis. Item si impedimentum sit temporariū,tunc solum dilationem aliquam temporis concedere potest.

78 Nono quòd quamuis aliqui crediderint, munus voto promissum dandum esse illi,cui promissum est,etiam consequuta voti dispensatione, aut commutatione : oppositum tamē verius arbitramur, iuxta mentem S.Thom.in 4.lib.sentē.dist. 38.quæst.1.arti.3.& 2.2.q.vltima,art. 3.Ang.verb.votum.3.§.16.& Sylvest. verb.votum.4.q.1. Id quod Caietanus efficaciter probat Tomo secundo Opusculo 11.q.1.de voto non nubendi, & nos efficacius in Apolog. de reditib.ecclesiast. quæst.1.monit. 71.nu.1.Potest enim dispensari in tali voto sine consensu eius,cui vouetur, vt ibi efficaciter probamus. Porro quemadmodum vna ex legitimis causis ad votū castitatis commutādum est magna fragilitas,quā vouens in se ipso experitur ad obseruandum votum, & ob quam se credit nō adpleturum, quod vouit, Angelus verb. votū.4.§.6.ita etiam certissimum est, quodcunque aliud votum posse in religionis votum permutari, Caietanus in summa, verb. voti commutatio, etiam si sit Hierosolymitanum,capit.scripturæ. de voto.

79 Decimo dicimus, quod licet quilibet

quilibet simplex sacerdos possit à quocunque peccato, & quacunque excommunicatione & fractione voti in articulo mortis absoluere : non tamen potest aut in votis dispensare,aut aliquod illorum commutare. Etenim sola peccatorum absolutio, non autem votorum dispensatio vel commutatio illis conceditur,secundum mentem omnium doctorum. quod etiam explicuit Siluester verb. votum.4.§.13. Quod quidem etiam in multis Iubileis videmus accidere, nosque etiam in §. in Leuitico. not 27.num.1.& seqq. comprobauimus, eum qui nō habet ampliorem auctoritatem, quàm commutandi, non posse dispensare:& qui non habet potestatē nisi ad dispensandum, non posse commutare, cum ista inter se sint valde diuersa: & potestas & priuilegium dispensandi possit aliquid operari absque eo quod ad commutationem extendatur.

Illud autem, quod Sotus lib.7. q. 4.artic.3.de iust. & iur.asseruit,forte rem non adeo perpendens ; scilicet, eum qui habet potestatē ad dispensandum, quod amplius est, habere etiam ad commutandum,quod minus est,forsan verum est in illis, qui sunt huiusmodi auctoritatem sortiti iure communi, & tamquam ordinarij:non autem in his, qui priuilegiorum vi, & tamquam delegati eamdem adepti sunt, arg.c. priuilegia.3.dist. & c. sane. & cap. porro. de priuileg.& not. in c.1. de rescrip. vbi post alios resoluit Decius, priuilegium ita interpretandum, vt aliquid operetur contra ius: sed dato aliquo tali, in reliquis est restringendum, quia priuilegia sunt restringenda,cap.porro. de priuil.

Vndecimo dicimus, quòd Papa Innocentius septimus cōcessit confessariis rite præsentatis ex Ordine fratrum Minorū, vt possint in omnibus votis dispensare in quibus possunt Episcopi,præterquam in voto peregrinationis vltra duas dietas, in concessione 115 quod etiam commemorat Compendiū priuileg. relig. Idem etiam possunt confessarij Ordinis Dominicani, & aliorū, qui priuilegiorum Ordinis S. Francisci sunt participes.

Duodecimo dicimus, quòd aliqui simplices in eo sunt errore, vt simul atque diploma siue bullam acceperunt, in qua Papa concedit, vt confessarius possit certa illorum vota vel commutare, vel dispensare, credant se statim à suis votis liberari. Etenim aliud est committere potestatem dispensandi, vel commutandi, aliud vero dispensare & commutare,c.gratum. & c.relatum. de offic.deleg. adiuncto c. si cui nulla,de præb.lib.6. & cap. si super gratiam. de offic. deleg. eod. lib. Quocirca ab ipso confessario petere debent, vt sua debita in alia opera pietatis commutet, aut dispēset. Enimuero nisi confessarius fuerit requisitus, immo etiam si fuerit, nisi dispensauerit, aut cōmutauerit, licet aliàs ab omnibus peccatis absoluat, & plenariā indulgentiam illis concedat, vota adhuc sicut ante in suo vigore perseuerant.

Decimotertio, quòd etiam si votum neminem alium, etiam si sit hęres, quàm ipsum vouentem obliget quoad obligationem personalem, sicut dictum est, neque quoad

realem ex vi voti : obligat tamen eum ex vi pacti contractus & promissionis eo modo, quo obligaret eum iuramentum alterius, cap. ex parte. de cens. lib. 6. & notat in cap. 2. de pact. lib. 6. & in cap. cum C. laicus de foro compet. & Feli. in cap. cum sit. nu. 9. eod. tit. Quamobrem populus, qui nunc est, tenetur ad implenda vota de obseruatione festorum, aut aliarum rerum eiusdem populi, qui centũ ab hinc annis præcessit: quandoquidem est vnus idemque populus. cap. denique. 7. q. 1. vbi gloss. & l. proponebatur. ff. de iudic. aut ex vi voti, quia est idem populus, aut saltem ex vi contractus & promissionis, quæ in successorem vniuersalem pertransit, l. 1. & 2. C. de hæred. actionib.

80 Admonemus insuper confessarios, qui vota per bullas Cruciatæ cõmutant, quòd cõmutatio in vtilitatem ipsius Cruciatæ fieri debet: in quo multi errant commutantes ea in ieiunia, orationes, peregrinationes, missas, eleemosynas pauperum: quia tenor bullæ habet, vt huiusmodi commutatio fiat in vtilitatem Cruciatæ. & idem dicẽdum est de his, qui commutant virtute Iubileorum, aut aliarum gratiarum, quæ præcipiunt hoc facere in vtilitatem aliquorum locorum particularium. arg. l. illud. ad Aquil.

Decimoquarto, quod quæsitum est nuper à nobis: An qui cõtra simplex castitatis votum contraxit matrimonium, teneatur ingredi religionem antequam illud consummet? cùm illo modo suum votum persoluere possit, & non alio. Et Siluest. verb. matrimonium. 7. q. 5. visum fuit, quòd sic: & Soto quòd non in 4. lib. sent. dist. 38. q. 2. art. 1. & nobis prima fronte opinio Soti verior visa fuit; quia votũ ingrediendi religionem non fecit, & quia videtur sufficere, vt suum votum non petendo debitum implear, quamuis reddendo petitum, matrimonium consummat. Sed postea, omnibus satis perpensis, Siluestri verior visa est: tum propter eius rationem: tum quia omne votum oblata opportunitate persoluendum est, & opportunitatem in id adesse, negari non potest, antequã matrimonium consummetur. c. commissum. de sponsal. tum quia S. Tho. & Richar. in 4. dist. 18. tenent, quòd qui contra votum castitatis matrimonium contraxit, consummando illud peccat. quod verum non esset, si post contractum & non consummatũ ad seruandum votum castitatis nõ teneretur, quod seruari sine ingressu religionis nequit. Neque obstat, quòd ingressum religionis formalem nõ vouit, quia sufficit aliud illi propinquum fecisse, ex quo & eius trangressione vna virtualis ad illud obligatio nascitur. Tum quia idem Sotus fatetur, quòd votum religionis post contractum & nondum cõsummatum, ad sui ingressum obligat: & non alia ratione, quam quod adhuc persolui potest, & eadem ratio voto castitatis conuenire videtur.

Ex quo sequitur, quòd votum religionis, quoad hoc non est firmius, quàm simplex castitatis: & quoad alios effectus infirmius esth quia qui religionis ingressum vouit, fornicando nec ante, nec post matrimonium contra illud peccat, & qui castitatem vouit, sic. quia votum religionis ante professionem nõ magis ad seruandam castitatem, quàm ad ieiuniũ & alias cæremonias & statuta religionis seruanda obligat. Vnde sequitur, quòd qui contraxit matrimonium & cõsummauit contra solum simplex religionis votum, postea reddere & petere debitum sine alia dispensatione potest: quamuis quis contraxit contra votum castitatis, iusta dispensatione ad id indiget, quæ est quotidiana & singularis cõclusio. Quibus omnibus est cõsequens, quòd qui castitatem vouit, & matrimonium contraxit, & postea consummauit, duo peccata commisit. Vnum in contrahendo, alterum in consummando: quamquam Sotus tenet nõ nisi vnũ committere. & verum esset, si vera esset eius altera opinio superius refutata. Quibus omnibus adde, quod Sotus lib. 7. q. 4. ar. 3. de iustit. & iure tenet, quod per Cruciatã potest quis absolui à peccatis post eam concessam commissis, non tamen dispensari in voto post eam facto, sed non recte. Tum quia omnes rationes, quæ adducuntur ad probandum Iubilea, & alia indulta ad absoluendum à peccatis concessa, includere peccata futura, nisi excipiãtur, concludunt etiam vota futura, quorum relaxandi potestas in eis sit, vt videri potest per rationes, quas nos in tractatu de indulgentiis super §. in Leuit. de pœnit. dist. 1. not. 34. nu. 4. asseruimus contra gloss. extrauag. 1. de pœnit. & remis. quæ tenuit includere futura peccata. Tum quia facultas, quam sancta Sedes Apostolica facit suis Legatis ad dispensandum super votis, extenditur ab eis ad futura. Tum quia commissarij Cruciatarum passim relaxant, vel commutant vota facta post illas concessas.

De præcepto secundo, quoad blasphemiam.

SVMMARIVM.

81 *Blasphemia quid: & est duplex. mentalis & vocalis.*

82 *Blasphemia est contraria confessioni fidei. nu 82 & 83.*

84 *Et secundo præcepto &c.*

85 *Blasphemus qui iocando, aut turpiter nominando, vt peccat.*

86 *Maledicens creaturas qui blasphemus*

87 *Blasphemus an sit qui cantilenas prophanas diuinis admiscet.*

88 *Interrogatus quod scit, qui & vt iuste negat.*

89 *Iuramentum quod ligat post ad quod non ligat cum sit.*

81 DE blasphemia, quę etiam per hoc secundum præceptum veratur, dicimus primo, quòd secundum Ambrosium in lib. de Paradiso, Alex. Halensem par. 2. summæ. q. 148. & S. Tho. 2. 2. q. 13. communiter receptos, Blasphemare est dicere tacite, vel expresse, verbo, vel scripto contra Deum, aut eius sanctos quidpiam contumelioſum, & quod quidem fit vel tribuendo Deo quod illi non conuenit, vel auferendo quod conuenit, vel tribuendo creaturæ, quod solius Dei proprium est: quod si sola mente dicitur, est blasphemia mentalis: si verbo, vocalis: si autem scripto, scripta.

82 Secundo diximus, quòd blasphemia est confessioni fidei & charitati diuinæ cõtraria, & diuino honori videtur derogare, & propterea peccatum est mortale grauissimum, secundum S. Tho. communiter receptum, 2. 2. q.13 art.2.& 3. Quamuis neque blasphemia exterior, neque interior, secundum se tantum sit dicenda hæresis: aliud est enim credere, aliud dicere, etiam si sola mente dicatur, & blasphemia in dicendo, hæresis autem in credendo consistit secundum vtrumq; S. Tho. dicta q. 13. vbi adiecit iunior tribus modis contingere aliquid dicere; scilicet desiderando, præcipiendo, affirmando.

83 Tertio dicimus, quòd nullus blasphemus debet absolui, etiam in foro conscientiæ, absque eo, quod arbitrio seueri cuiusdam confessarij grauissima illi pœnitentia imponatur: quod statuit concilium Lateranense vltimum, sess.9.§. ad abolendam, sub Leo.X. quod nos in c. inter verb.11 q. 3. concluſ.6. transtulimus, & elucidauimus.

Quarto, quod interrogatus; An teneatur quis corrigere alterum, quem blasphemantẽ audiuit, quamuis emendatio non speretur? Respondi, quòd sic, & quòd id acriter facere tenetur, si sine suo periculo facere potest, vt sancitum est à præcitato concilio Lateranen.

84 Quinto, quod contra hoc secundum præceptum, quatenus blasphemiã vetat, peccat mortaliter, primò, qui blasphemat contra Deũ, vel Sanctos, his vtens loquendi modis: Pigeat Deũ, vel: Doleat Deus: Non credo in Deum: vel denego, aut maledico Deum, &c. vel dicens, Deum non esse misericordem, non seruare iustitiam, esse acceptatorem personarum, non videre quæ agantur in mundo, aut non curare humana, aut illum iniuste punire, vel hoc aut illud non posse efficere: vel tribuit homini, quod soli Deo conuenit; quale est, hominem beatum facere, vel posse ventura prænoscere, secundum prædicta: quamuis iocose ista diceret, si attendit quid verba significant, & cum deliberatione illa protulit, secundum Bernard. de Busto 1. par. serm. 17. Is enim, si tantum ita furore correptus, & passione exæcatus in similia verba prorupit, vt quid diceret, quidve verba significarent minime aduerteret, tantum venialiter peccat, sanctus Tho. 2.2.q.13.art.2. Si vero attendit esse verba blasphemiæ, mortaliter delinquit, etiam si repentina correptus ira, verba protulerit, ipsumque statim pœnituerit illa dixisse, secundum eundem vbi supra. Neque quidquam ad rem facit, an subitanea illa ira ex iniusta causa originẽ habeat, vel ex ludo, ebrietate, vel aliqua occupatione circa rem illicitam, secundum Ang. verb. blasphemia.§.6. etiam si contrarium teneat Panor. in c. statuimus. de maled. cuius dictum est verum, quantũ attinet ad forum exterius. Neque satis est ad peccandum mortaliter, quòd talis inconsideratio ex deprauata quadam cõsuetudine cum propriæ salutis contemptu coniuncta, vel ex culpa lata procedat, iuxta Silues. verb. blasphemia.q. 4. dummodo illa incõsideratio prolationi talis blasphemiæ causã dederit, hoc est, quod si animaduerteret id quod pronunciat, non pronunciaret illud secundum Caietan. in summa verb. blasphemia.

85 Secundo peccat mortaliter, qui Deum, vel Sanctos iniurioſe nominat, pudenda ipsorum membra propriis nominibus explicans, & aduertens quod dicit, etiam si iocandi gratia id faceret, Ang. in interrogatione 1. præcepti. quẽuis vti istis modis loquendi; puta. Per corpus Domini, per sanguinem eius, siue iurando, siue cum alio contendendo, non est blasphemia. Caiet. vbi supra. Quoniam post Christi incarnationem Deus dicitur habere corpus & sanguinem, in quantum homo, non autem in quantum Deus, de quo in additione, c. quando. de consecr. dist. 1. copiosius diximus.

86 Tertio, qui maledicit alicui creaturæ ratione carenti, in quantũ est creatura Dei: est enim blasphemia perinde ac maledicere Deum: si tamen simpliciter maledicit, nõ intendendo aliquid amplius, tunc solũ erit verbũ otiosum & vanũ, ac consequenter veniale tantùm, quod etiã placuit Caietano 2.2.q.13.art.1.

87 Quarto, qui diuino cultui cantilenas sæculares profanas & turpes admiscet, siue illa voce humana, siue alio organo proferantur: vel patitur, aut procurat, vt misceantur. quoniam in hoc cultui ecclesiastico, & Deo ipsi irrogatur iniuria, iuxta Caietan 2 2.q.91.& in summa verb. organũ visus. quem nos etiam in Enchir. de Orat. c.16.nu.42.& 48. sequuti sumus (quod ipsum decreuit nunc Conc. Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione missæ.) vbi etiam cum eodem Caietano adiecimus, quòd si aliqui præ rustica simplicitate existimarẽt ista licere recreandi animi gratia, quoniam vident communiter in his vsum & consuetudinem inualuisse, si tamen intelligerent id esse illicitum, & scelus esse mortale, nullatenus id facerent, excusarentur quidem à tanto, sed non à toto. Nunc autem dicimus nobis nõ videri letale crimen, nisi cum cantilena est turpis & lasciua, vana & profana & cantatur durante diuino officio ab his, qui iam sunt præmoniti id non licere. Idem asserimus de his qui in nocte Natalis Domini turpes rythmos, vel scommata sibi inuicẽ occinunt, vel execrationes quasdam interserunt, tempore quo dicturi lectiones petunt benedictiones, vt diximus in dicto c.16.nu.42.

88 Rogatus autem, An ille, qui furatus aliquid interrogatur à iudice incompetente, vel alio sine iuris ordine legitimo, vtrũ tale quid sit furatus, possit secura conscientia respõdere verbo absolute & simpliciter, se id non esse furatum, intelligendo intra mentem & tacite penes se, quod nõ est furatus illo die, mense, vel anno puta anno millesimo quingẽtesimo septuagesimo primo, vel secundo &c. respondi affirmatiue per fundamenta solida & irrefragabilia quæ pro Paluda. Gabriele, & Adrian. & aliis plerisq; hoc tenentibus, & affirmantibus præfato modo respondentem non mentiri adduximus infra cap.25.nu.43.

89 Rogatus item, An iuramentum de actu, qui tempore iuramenti est

illicitus, ligé iurantem pro tempore in quo fuerit licitus, puta iuraui nunquam ingredi talem domum odio matris meæ, quæ eam inhabitat, qua mortua, incipit habitari ab alia, quæ potest esse mihi occasio peccati? Respondi partem affirmantem esse veram iuramento generali & apto comprehendere eudem actum, tam tempore, quo est illicitus quàm quo est licitus: partem vero negatiuam in iuramento speciali, vel restricto ex natura verborum, vel ex causa, ob quam fit, vel alijs circumstantijs, ad actum illicitum pro tempore quo est illicitus. Exemplum primi. Iurauit quis generaliter seruare omnia statuta ecclesiæ N. inter quæ tempore iuramēti inuenitur vnum factum contra canones ab episcopo & capitulo, cuius obseruantia est illicita, ar. cap. quod super iis. & eorum, quę ibi citat Fel. de maior. & obed. postea vero confirmatur illud ex certa scientia à S. Sed. Apostolica, quo eius obseruantia sit licita, is tenebitur seruare illud statutum post confirmationem Papæ vi iuramēti, cum comprehendatur sub illo, & possit seruari sine interitu vel dispendio salutis æternæ. arg. cap. si vero. de iureiur. & c. quamuis. de pact. eo. lib. Item iurauit quis generaliter, numquam intrare talem domum nulla adiecta causa speciali. quod per prædicta supra nu. 16. & seqq. temerarium, sine vanū est. si tamen postea incipit inhabitari ab aliqua, cuius consortium teneatur ille vitare, pro tempore inhabitationis illius ligabit eum iuramentum, quia nec ex natura verborum, neque ex causa, vel alia circūstantia restringitur ad solum tēpus, quo illicitum, vel temerariū, aut vanum est. Exemplum secundi: iurat quis numquam intrare talem domum, donec mater eius eam inhabitauerit, vel ob causam finalē euitandi eius bonam conuersationem, quod illicitum est, si postea alio migrauerit mater, & eam inhabitare cœperit alia, cuius conuersatio esset magna peccandi occasio tali iurāti, poterit quidem intrare illam sine violatione iuramenti, quamquā alia de causa deberet id euitare, quia iuramentum illud fuit restrictum ex natura verborum, vel ex causa finali ad tempus, quo erat temerarium vel illicitum, & actus agentium non operantur vltra intētionem eorum. l. non omnis. ff. si certum pet. &c. fi. de preb.

De obseruatione festorum, quo pertinet ad tertium præceptum Decalogi, Sabbatha sanctifices.

Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Festi dies omnes Christianorum sunt lege humana inducti.*
2 *Festi obseruatio nunc non tam stricta ac olim.*
2 *Festis diebus præcipimur audire missā, & vetamur opus seruile facere.*
2 *Finis præcepti alius ab eo non est in præcepto.*
2 *Seruilia opera quæ sunt.*
3 *Seruilia septem opera permittuntur, quinque non seruilia prohibentur.*
4 *Festa vt potius relaxantur ob necessitatem, quàm ob pietatem.*
5 *Festis quod licet gratis, licet ob mercedem.*
5 *Festa inducunt, tollunt, & moderantur lex & consuetudo.*
5 *Festa suæ omnia regio & morantes in ea debent obseruare.*
5 *Festos dies quos viator seruare teneatur.*

1 CIrca hoc dicimus primo, omnia Christianorum festa, etiā dies dominicos, solo humano iure, nulla vero iure diuino naturali, aut supernaturali esse in ecclesiam introducta, vt in cap licet. de ferijs. & in cap. 1. de consec. dist. 3. comprobauimus. Id quòd etiam sentit Ioannes Turrecrem. in dicto c. 1 & clarius Archidiaco. in cap. iciunia. ea. dist. 3. S. Tho. 22. quæst. 122. art. 4. & 5. S. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. §. antepen. & Ioan. Maior in 3. lib. sent. dist. 27. q. 2. supra omnes tamen Thom. Vualdensis, de sacramental. cap. 14. vbi ad hoc adducit beatum Hieronymum & Remigium, quamuis Panor. cap. licet. de ferijs cum multis alijs & Angel. verbo, feriæ. §. 43. teneāt, saltem dies dominicos iure diuino festiuos esse, quam sententiā Siluest. in verb. dominica. q. 1. vers. 7. communem esse asseruit. Veruntamen quod modo diximus est tenendum quamuis ius naturale & diuinum præcipiant nobis, Deum ipsum honorare & reuereri, non tamen definunt tempus, quo in nouo testamento id facere teneamur: solum autem ius humanum decernit statuitque certos dies, in quibus ab oneribus seruilibus cessare oportet, vt id faciamus. Nec obstat cap. licet. de ferijs, quo ipsi nituntur, quatenus habet, quòd tā veteris, quàm noui testamenti pagina septimum diem humanæ quieti deputauerit. Quoniam potest noue, & singulari modo responderi, ad summum probare, quòd in vtroque tam nouo, quàm veteri testamento inuenitur, quòd vnus de septem diebus debet obseruari: non tamen quòd hoc Deus præceperit in vtroque, nam licet id præceperit in veteri testamento præcepto cæremoniali: in nouo tamen testamento, in quo illud cessauit, à principio Apostoli auctoritate sua & non lege diuina cœperunt diem Dominicum obseruare, idemque facere fidelibus præceperunt. Vnde infertur, quanta sit consuetudinis vis circa custodiam & obseruationem festorum, arg. cap. fin. de consuetu. & l. 2. quæ sit longa consuetudo.

2 Secundo dicimus, quòd ius humanum Christianorum non adeo stricte præcipit, suos dies festos obseruari, ac ius diuinum antiquum suum illud sabbatum tradidit obseruandum, secundum S. Tho. in dicta q. 122. art. 4. ad 4. communiter receptum. Quapropter multa nobis in diebus dominicis fieri permittuntur, vt præparare cibos, & alia huiusmodi, quæ nullatenus in sabbathis veteris legis fieri poterant. Vnde etiam consequitur, vt circa prohibita in nostris festis nobis sit facilior dispensatio, quàm in rebus prohibitis in sabbatho illo antiquo, secundum eundem S. Thom. in d. art. 4.

Tertio dicimus, quòd hoc præcepto de colendis festis non præcipitur cultus diuinus interior, qui in meditando & colendo Deo con-

stitr sed tantum exterior, qui cõsistit in audienda missa. cap. missas. de consecr. distin. 1. & in abstinendo ab operibus seruilibus exterioribus. c. ieiunia. cum glo. & Archid. de consecr. dist. 1. quæ ministerio corporis sunt exercenda, sicut eleganter docuit Caiet. 2. 2. q. 122. artic. 4. in princ. Quoniam quamuis finis huius præcepti sit, vt homo Deo vacet, ipsoque fruatur, & in eo quiescat, vt docuit S. Tho. ibidem: quando tamen finis præcepti est aliud à re præcepta, tunc non cadit sub præceptum, sicut idem S. Tho. communiter receptus. 1. 2. q. 100. art. 9. asseruit. Verũ est tamen, quòd sunt necessaria propositum & attentio interiora ad recte audiendum sacrum, quòd sit religionis opus.

3 Quarto dicimus, in diebus festiuis non omnia opera prohiberi, sed tantum seruilia, quæ sunt illa, quæ proprie seruientibus conueniũt, iuxta tex. Leuit. 23. c. *Omne opus seruile non facies in eo.* Non autem illa, quæ communia sunt tam iis, qui seruiunt, quàm illis, quibus seruitur, secundum eundem S. Thom. in d. q. 122. art. 4. ad 3.

Quinto dicimus, quod ex supradictis infertur septem generum opera notata à S. Tho. in dicto art. 4. in diebus festis licite exerceri. Prima illa, quibus in diuino cultu Deo seruimus. Io. c. 3. Secunda, quibus spiritualia exercemus, quale est docere verbo, vel scripto, iuxta glo. mirabilem c 28. Numerorum. Tertia, quæ sunt ad salutem propriã necessaria 1. Machab. 4. & cap. discipulo. de consecr. dist. 5. Quarta, quæ ad salutem corporalẽ proximi sunt necessaria, Prouerb. 4. *Erue illos, qui ducũtur ad mortem*, c. non in inferenda. 23. q. 3. Quinta, quæ sunt necessaria ad vitandum damnum sibi, vel proximo imminens. Deut. 22. *Non videbis bouem fratris tui, &c* Sexta, quibus parantur cibi per consuetudinem ecclesiæ. Septima, piscari quandoque per consuetudinem eiusdem ecclesiæ, cap. licet. de ferijs.

Sexto dicimus quòd quinque sunt opera non seruilia, quę prohibentur in festis iure canonico. Nam in c. 1. de ferijs: prohibentur mercatus, iudicium ciuile, vel criminale, & iuramentum: nisi pro pace, vel alia necessitate præstetur, & in cap. fi. de ferijs. omnis processus & strepitus iudicialis, nisi pietas suadeat, & necessitas vrgeat.

4 Septimo, quòd non omnia, quæ possunt fieri gratia necessitatis, possunt fieri ratione pietatis. Nã propter necessitatẽ omnia opera tã seruilia, quàm non seruilia, exerceri possunt: sed non omnia permittuntur causã pietatis, si per pietatem intelligamus virtutem illam, qua patriam & parentes veneramur, sicut accepit Marcus Tullius 3. Rhetoric. ad Heren. & August. c. 1. 22. q. 2. Neque si pietatem pro misericordia accipimus. Etenim, quamuis opera, quæ ex natura sua ad misericordiã pertinent (vt vestire nudum, alere pauperem, cap. tria. 45. dist.) in omnibus diebus festis possit licite fieri, iuxta gl. cap. fi. de ferijs. immo & opera iudicialia, dicto c. fi. alia tamẽ opera seruilia, quæ ex sola intentione operantis ad misericordiã diriguntur, fieri nequeũt. Quamobrem qui sub misericordię & pietatis prætextu,

textu, absque alia vrgente necessitate in diebus festiui ædificant, vel reficiunt pontes, sternunt vias, tota errant via, iuxta Caietan. 2. 2. q. 122. art. 4. At vero si per pietatem cultũ Dei intelligamus, tũc dicimus, omnia illa opera, quæ suapte natura & immediate tendunt in honorẽ Dei, veluti portare crucem, & reliquias sanctorum, licite fieri posse. Immo & alia, quæ sunt veluti præambula & præparatoria horum, quæ simul vel paulo ante solent fieri: veluti pulsarè cymbala ante missam, vel vesperas. Diuersa tamen ratio est de alijs operibus, quæ licet sint præparatoria insupradicta, ante tamen festum ipsum commode possunt fieri: qualia sunt formas (quas hostias vocamus) consecrandas effingere, verrere ecclesiam, tapetibus ornare: & multo minus illa opera, quæ secundum se non deseruiunt diuino cultui, neque sunt præparatoria in illũ, qualia sunt arare, serere, & metere ad aliquod subsidium ecclesiæ præstandum, quo diuinus cultus ibi fiat, nam ista non sunt licita, nisi iusta interecedat necessitas: vt si ecclesia adeo esset tenuis & pauper, quòd necessarijs ad cultum careret.

5 Octauo dicimus, quòd tam licite ac principaliter potest fieri in diebus festis ob pecuniam, quod gratis licite fieri potest in eis, quàm licite & principaliter ob eam quouis alio tempore id fieri potest. & quod propositum & intentio lucrandi, nõ facit, vt opus quod aliàs ex suo genere non est seruile, ob hoc fiat tale formaliter vel materialiter. Quod post Card. Caietan: 22. q. 122. art. 4. & in summa, verb. festos. pag. penult. validissimis rationibus in cap. ieiunia. de consec. dist. 3. cõprobauimus, quãuis Richard. lib. 3. dist. 37. & Ang. verb. feriæ. § 9. & Io. Tabien. verb. feriæ. nu. 17. & Siluest. verb. dominica. q. 4 non satis rem perpendere, contrarium teneant. Quibus addo, quòd nouissime Conc. Trid. sess. 25. c. 12. declarauit, dies festos in suo episcopatu seruari ab episcopo præceptos à religiosis quamuis exemptis seruandos esse.

Nono dicimus, quòd quãuis festa, quæ iure cõmuni sunt omnibus obseruanda, sint iam expressa & determinata in c. pronunciãdum. de consec. dist. 3. & c. conquestus. de ferijs, & alibi: multa tamen ex eis abstulit cõsuetudo, & alia induxit. Quapropter in singulis regionibus illa festa obseruanda sunt. quę lex, aut constitutio synodalis recepta, & nõ abrogata, vel consuetudo præscripta, ibi præcepit obseruari, per prædicta capitula, & cap. fin. de consuetu. quandoquidem, vt dictum est supra, eod. cap. num. 1. omnia ex lege humana inducta sunt.

Ex quo infertur primo, quòd si consuetudo præscripta præcipit id, quod passim fieri videmus, vt à media nocte vsque ad mediam noctem festa seruentur, neutiquam seruãda sunt à primis vesperis vsque ad secundas vesperas, quamuis ius ipsum commune id præcipere videatur, cap. 1. de ferijs. & quòd si vsus haberet, vt solum seruentur vsque ad meridiem, vel vsque ad sollemnia missarum peracta, postea possent opera seruilia fieri.

Infertur secundo, quòd vnaquæque prouincia, aut ciuitas obseruare

tenetur illa, eo modo, & tantũ. quæ, quomodo, & quantum consuetudo ipsius præcipit obseruari.

Infertur tertio, quòd qui degit in aliquo loco, tenetur obseruare festa illius loci vbi tunc degit: nõ autem illa festa, quæ in eius propria patria obseruantur, arg. cap. illa. adiuncta glo 12 dist. ibi: *Dum fueris Romæ, Romano viuito more, dum fueris alibi, vivitte sicut ibi.* Vt de ieiunij, & de facultate non edendi oua, lacticinia, aut animalium intestina in diebus veneris, sabbathi, & alijs diebus vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarum dicetur inferius, c. 23. nu. 128. post Card. & Pan. ibi citatos.

Infertur quarto, quòd operarij, qui ad locandas operas suas vadunt in alias regiones, non tenẽtur obseruare dies festos suorum locorũ, sed illorum, vbi ad tempus commorantur.

Infertur quinto, quòd perperam agunt parochi suis parochianis pœnitentias, aut publicas pœnas imponentes, eo quod in festis illis, quæ in propria sua parochia obseruãtur, in alijs vbi illa non seruabãtur, operas suas conducti præstiterunt.

Infertur sexto, posse rationabiliter teneri eos, qui in festi vigilia, & etiam in ipso die festo, à suo proprio loco in alium laborandi gratia cõmeant, vbi festum illud non obseruatur, iuxta rigorem iuris nullatenus peccare. Siquidem non violant festa, vbi obseruari debent, dum tamen si eodem die egrediantur, missam audiant. Quoniam dies festus vbi ipsum deprehendit, ad id ipsum obligauit, vt ego iter faciens, nõ semel putaui me ad audiendam missam, vel faciendam obligatum, eo quòd ante meridiem tranſibũ, egrediebar & ingrediebar aliquem locũ, vbi obseruabatur aliquod festum quòd alijs in locis non erat obseruãdum: quamuis crediderim solum transitum non adeo obligare.

Modi peccandi mortaliter vsitatiores contra hoc tertium præceptũ de coledis festis.

SVMMARIVM.

6 *Festum, qui violat, peccat mortaliter, nisi aliquod horum excuset.*
6 *Festum qui violat vi, metu, præcepto, vel coactione vt peccat.*
7 *Festum qui violat iter agendo, deferendo onera &c.*
8 *Festum vt violat, qui vendit, emit, permutat, &c.*
9 *Festum an violet tonsor, piscator, molitor.*
10 *Festum an violet laborans pro pauperibus, pueellus & viis &c.*
11 *Venator quis violat festum.*
12 *Festum an violet multo qui in eius vigilia mittit iumenta operatura.*
12 *Conjulere pro lucro an liceat festis.*
13 *Festum an vt let ob piscatorem vel necessitatem vel sine illa transferibẽs librum, pulsans lyram, canens &c. nu. 14.*
15 *Festum an violet laborans ob necessitatem, qui ludit, saltat, venatur, & etiose tota die vagatur.*
15 *Festis Crucis, Michaelis, Innocentiũ, & S. Syluestri licite quis laborat.*
16 *Festo de violato, quædam accusandi consuetudo mala.*
17 *Festis contritio bona: sed non necessaria.*
18 *Festum an violet, qui omittit in eo opera*

opera præcepta.
19 *Oblatio in Missa quando necessaria.*

6 CIrca hæc peccat primo, qui diebus dominicis, vel alijs festis sub præcepto obseruandis, aliquod opus seruile, vel ex aliis quinque prohibitis facit: nisi excuset exiguitas, vel licita consuetudo, vel necessitas aliqua spiritualis, vel corporalis salutis suæ, vel proximi, vel detrimentum imminens rebus suis, vel proximi, quod non potest differri, neque præueniri, vt patet ex supradictis, nu. 3. & ex Ostiens. in summa de feriis. §. 4. Ob quam necessitatem, aut consuetudinem excusantur, qui frumẽtum ex area deferunt in horrea, vel vuas & vinea, quando imbres, & pluuiæ timentur, & quicunque alij, qui similia faciunt. Sic etiam fabriferrarij, qui equos iter agentium ferrant, & macellarij, qui vendũt carnes in festis, easque præparant ad vendendum, quando antea non potuerunt parare, & tabernarij, hospitumque susceptores, qui in suis tabernis aut hospitiis propter ementium necessitatem cibos & necessaria venduntnon autem, qui vt ludant, aut inebrientur, id faciunt. Angel. vbi supra. § 12. Cuius tamen opinio duriuscula nobis videtur, nec tenenda, vbi cõsuetudo contrarium præscripsit. Excusantur etiam, qui cibos & edulia, & alia necessaria vendunt, pura panẽ, vinum, fructus, herbas, &c. quæ diei festo conducunt. Caietan. vbi supra. Excusantur etiam Agasones, qui iumentis oneratis diebus festis suum iter non intermittunt: non autem qui de domibus suis proficiscuntur diebus festis, cũ se continere potuissent, iuxta Caietanum vbi supra, aut in aliud tempus differre, nisi ante, aut post audiant missam.

Diximus, Oneratis: quia conducere deonerata non est aliud, quàm iter facere, & iter facientes excusantur: quamuis conducant mulos onustos suis lectis, vestibus, & viaticis, modo missam audiant, licet longius & toto die iter faciant. Nam aliquantulum itineris facere, non est opus seruile, neque prohibitum in festis, & sine vlla excusatione consuetudinis, aut necessitatis fas est, secundum omnes. Et idem dicendum videtur de longiori & totius diei itinere, & licet secundũ aliquos hoc sub genere operis seruilis ponatur: consuetudo tamen effecit, vt liceret modo missa audiatur.

7 Similiter excusantur, qui diebus festis excoquunt vitrum, ollas, tegulas, calcem, quorum decoctio intermitti in alium diem non potest. Angel. verb. feriæ § 19. Caietan. vbi supra. & tonsores, qui diebus festis infirmis venas aperiunt, & subditi & serui iussi & compulsi à suis heris ad opus agendum festis diebus non ob contemptum festorum: sed alterius rei gratia, qui nisi morem gererent, in magnum aliquod damnum personale, vel reale incidereut, maxime si ob id missa prætermissa non fuit. Idem dicendum est de vxoribus & liberis, qui in potestate sunt maritorum, & fratrum, & de agricolis ad id iusto metu compulsis, qui laboris sui mercedem accipere possunt. Rosell. vbi supra casu 23. & 24. Syluestr. vbi supra, quæst. 5. vbi id quod supra diximus eodem capit. nume. quinto.

Et si sunt famuli stipendiarij finito tempore in quod se astrinxerunt, discedant ab eis, nec intra tempus debent parere suis heris, nisi aliqua de causa iusta. Si quis tamen iuberetur, vt operaretur in contemptum festorum & ecclesiæ, quæ ea sanxit, non debet obedire, etiam si ob oculos certam ab eis propositam mortem videat, arti. cap. sacri. de his quæ vi. & capitul. ita nec. 32. quæst. 5. Hoc enim iam non solum esset contra ius humanum, in quo necessitatis excusatio communiter locum habet: sed etiam contra diuinum & naturale, quo superiorum obseruantia imperatur, l. veluti. ff. de iustit. & iur. & Luc. cap. 10.

8 Secundo peccat, qui vendit, aut emit die festo, multum temporis in eo consumendo capi. 1. de feriis. non tamen si parū, vt fieri solet in emendis aut vendendis candelis, & aliis similibus: in quibus de pretio non est conueniendum: quia iam æstimata sunt, aut cito fit, iuxta omniū sententiam, & præsertim Syluestr. verb. Dominica. q. 3. quod temperandum videtur iuxta sequens.

Tertio peccat, qui nundinas adit, aut in eis negotiatur, nō audita missa, cum possit: aut id facit cōtra iussum episcopi: nisi exiguitas excuset: aut in eiusmodi negotio magnum susciperet damnum, nisi eo die tractaretur, aut alia iusta causa excusaret, Syluestr. vbi supra. Nec refert, an nundinæ agātur die Dominico, aut festo maiori, aut minori: quia si consuetudine præscriptum est, & nulla est prohibitio noua eius, qui prohibere potest, licet, audita missa, negotiari eo die. Cum enim omnes dies festi lege humana constituti sint, vt dictum est supra eod. nu 1. consuetudo poterit moderari festū diei nundinarum, quia etiam omnino tollere posset, argum. cap. fi. de consuetu. Quemadmodū iam modificati sunt, quantum ad res, quæ in auctione venduntur, auctoritate iudicis, vel alia secundum Caietanum, in summa, verb. in festo licita, & etiam vigiliæ solennium festorum, quantum ad tonsuram, quam tonsores exercere possunt ad duas horas post noctis ingressum, secundum dispensationem Eugenij Papæ iiij. Quod intelligi debet in his regionibus, in quibus cultus fit à vespera in vesperam vt iure communi fieri debet, cap. 1. de feriis. Nam vbi cultus festi incipit à media nocte, & ad mediam noctem perdurat, vt apud nos vsu receptum est, hoc priuilegium non est in vsu: quandoquidem absque priuilegio tondere potest vsque ad mediam noctem. argum. l. more Romano, ff. de feriis.

9 Addimus item cum Caietan. 2. 2. quæst. 122. articul. 4. quod neque tondere barbam, neque in id consentire vno, aut alio die festo, est peccatum mortale, ob paruitatem operis: neque etiam veniale, si aliqua in id adsit causa, licet contrarium senserit Archid. in capit. peruenit. de consecrat. distinct. 3. cuius sententia locum habet in tonsore, qui multis barbam detondet, vel aliter parat. Neque peccant, qui piscantur die festo certum piscium genus, quòd tantum certis diebus aduenit, vel conspicitur & illico discedit, nisi tunc capiatur. Cuius generis sunt Thuni, Halecia, & Sardæ: aliquam

aliquam tamen eleemosynam debēt erogare in ecclesias viciniores, aut in pauperes, iuxta capit. licet. de feriis. cum ei adnotat. per Panormit. & alios, & per Ang. verb. feriæ. §. 34. & 35. Caiet. vbi supra. Quia licet capi. licet nō loquatur nisi de Halecibus, siue Aringuis: eadem tamen ratio idem suadet in reliquos nominatos pisces. Licitum etiam videtur molere molendinis fluminum, vel ventorum, quæ sine magna occupatione molunt, maxime si adsit cōsuetudo, & à prælatis non prohibeatur. Contrarium tamen dicēdum est de molitura pistrinorum, quæ magnam occupationem & laborem requirunt excepta magna necessitate, secundum Rosel. verb. feriæ. §. 9.

10 Quarto, qui laborat etiam pro pauperibus diebus festis, etiam audita missa, principalius propter aliquod commodum, vel amicitiam, aut cognationē, quàm ob eleemosynam, aut etiam principalius propter paupertatem: verum non vsque adeo magnā, aut vsque ad vltimum eius potentiam laborat, secundum mentem Monaldi in summa verb. feriæ. Neque discrimen statuendum est inter dominicos, aut alios dies festos maiores, aut minores, secundum eundēm: nisi quod maius festum maiorem causam requirit, quod ipsa vulgi consuetudo seruat.

11 Quinto, qui laborat diebus festis in extruendis, aut reficiēdis pontibus aut viis, quamquam sit pietas & misericordia erga viatores, tamē absque magna, quæ vrgeat necessitate id facit, secundum Caiet. 1. 2. q. 122. artic. 4. & in summa verb. festos dies. contra alios plerosque ob dicta supra eod. cap. nu. 4. secundum quem & omnes licet facere opus diebus festis iis, qui aliter se sustentare nequeunt, modo id occulte faciant, vt viteturscādalum, & audiatur missa.

Sexto peccat mortaliter, qui venatur festis diebus nō audita missa, secundum omnes: non tamē si eam audiret, etiam si venaretur quæstus causa per superius dicta, numer. 8. ex Caiet. in summa in verb. festos. quia non est seruile opus, neque de num. quinque nō seruilium prohibitum, neque lucrādi finis efficit, vt tale fit, quidquid dicant Rosella verb. feriæ. §. 11. & Syluestr. verb. Dominica. q. 5. 12. Septimo peccat, qui iumenta sua festo die, aut eius vespere mittit aliquo, vt alterius diei festi vtilitatem, in quo essent impedita, lucretur, secundum Rosellam vbi supra. §. 22. Nisi mittat propter res necessarias eiusdem diei, vel sequentis quæ antea deuehi non potuerunt, & nisi qui conducit, missam audiat, ac breui itinere vtatur, aut consuetudine excuserur, per superius dicta eod. ca. nu. 8. quod tamen intelligendum est de iumentis oneratis: nam vacua mittere potest, ob superius dicta eodem cap nu. 6.

Octauo peccat mortaliter doctor, aut literarus, qui dat cōsilium principaliter ob quæstum, etiam illi, qui è longinquo venit, secundum Sylu. vbi sup. quæst. 5. conclu. 3. & communem sententiam. Cuius tamen contraria est lōge verior: tum quia consilium non est opus seruile, neque aliquod ex aliis quinque prohibitis: tum quia quod licitum est facere diebus festis, peinde fieri potest ob lucrum, ac in profestis, vt supra eod. cap.

cap.numer.5.diximus. Quare non est peccatum instruere, siue informare iudicem, etiam cum procuratore & aduocato, verbo, aut scripto, etiam ob pecuniam, & minus prælegere ciuiam facultatem honestam: quia est exercitatio operis spirjtualis, vt late probatur à Caiet. in dicta quæst. 122. artic. 4. & in summa, verb. festos dies.

13 Nono peccat mortaliter iudex, qui audit litigatores diebus festis, capi. fin. de feriis. quamuis enim non sit opus seruile, est tamen vnum, de quinque non seruilibus prohibitis: nisi ob pietatem, & misericordiam id faciat. Quia quæ non sunt seruilia, licet sint prohibita, conceduntur fieri ob solam misericordiam absq; alia necessitate, & ob hãc rationem licent multo magis, quàm seruilia, vt supra eod. cap. numero 3. & 4. diximus. Satisque iusta necessitas videtur, si alio tempore, aut ad iudicem accedi non potest, aut testes haberi nequeunt. Caietanus vbi supra. Quamobrẽ excusantur iudices rusticorum, qui diebus festis, secundum consuetudinem aliquarum regionum, ius dicunt rusticis, eoquod aliis diebus neque iudices, neque testes suppetunt, aut ne pauperes amittant suos dies operarios, quibus ad vitam sustentandam maxime indigent.

14 Decimo, qui trãscribit librum, aut instrumentum ob quæstum, secundum Rosellam. verb. feriæ. §. 12. & Angel. eod. verb. §. 3. non tamen propter rationem ab eis allatam: sed quia quamuis scribere de se non sit opus seruile, etiam si ob lucrum fiat: ipsa seruile est transcribere, & transcribendo componere libros, vt lucretur, quia hoc mechanicum, & corporale est.

Ex quo sequitur, non esse peccatum scribere literas, consilia, neque instrumenta, de iis rebus, quæ licite fiunt diebus festis, eriã si ob lucrum fiant, per supradicta, eod. cap. num. 5. quod idem est iudicium de eo, qui pulsat organa, vel alia instrumenta, aut cantat die festo, siue principaliter id faciat ob diuinum cultum, siue ob honestam animi recreationem, siue ob aliquem alium finem pium & necessarium, siue ob quæstum, quidquid dicant Ang. & Sylu. quia non sunt opera seruilia, neque talia ex fine lucrandi efficiuntur, vt supra eod. cap. nu. 5. dictum est.

15 Admonemus autem hoc loco quatuor. Primum, quòd licet episcopus sub pœna excommunicationis iuberet, vt nemo diebus festis operaretur, qui tamen ex necessitate id faceret, eiusmodi pœnæ non esset reus. Quia sententia eius generalis, iuridice interpretanda est, nempe quòd nemo efficiat opus, nisi lege concessum, argument. l. si procurator. ff. de condict. indebit. cap. Quinta-vallis, de iureiur. vt in capit. inter verb. 11. quæst. 3. conclus. 6. diximus. At cuilibet cõceditur opus vitæ necessarium, capi. discipulos. de cõsecr. dist. 5. vt supra dictum est. Et si in excommunicatione iuberetur, quòd neque necessitatis causa, neque pietatis laboretur, contineret errorem intolerabilem contra c. fin. de fer. & consequenter irritum esset, arg. ca. 1. de re iud. & cap per tuas. de sentent. excom. Rosell. vbi suprà, §. 27. & Syluestr. vbi supra, quæst. 7.

Secund

Secundum, quòd Papa Eugenius quartus, vt habetur in Compendio Priuilegiorum fol. 69. constituit, vt laici qui operarẽtur in festis sanctæ Crucis, & S. Michaẽlis mẽsis Septẽbris, & in festis Innocentium, & S. Syluestri non peccẽt mortaliter, nisi huiusmodi dies dominicis incidant. Item qui audita missa, reliquũ tempus diei festi cõsumunt in venationibus, in bellorum simulachris, siue iustis & torneamentis, in lusibus, in choreis, aut otiosè vagantur, non peccant mortaliter: quia nõ faciunt opus seruile, licet sic grauiter, secundum Caieta. in summa. verb. in festo licita. quia tẽpus diuino cultui consecratum Deo non tribuunt, & quia in huiusmodi occupationibus multa occurrunt peccata mortalia, secundum S. Anton. 2. part. 9 cap 7. §. 5. vbi ait, omnium lachrymis deflendam esse Christianorum cæcitatem, qui grauius Deum offendũt diebus festis eiusdem diuino cultui dedicatis, quàm tota hebdomada ad vitam paraudam instituta.

16 Ex quibus infertur responsio ad interrogationem nuper factam, An necessitas sola sine licentia superioris excuset à peccato festo die operantem? Respondeo, quòd sic, si necessitas est indubia, adeo, vt quãuis episcopus præciperet, ne operaretur, posset operari, vt supra dicitur, cessante tamen scandalo: quoniam cũ eo nihil agi debet, capi. nihil cum scandalo. de præscript. quemadmodum etiam, qui iustam causam & claram non ieiunãdi habet, sine tali facultate excusatur, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 147.

Tertium, quod reprehensione dignissima est multorũ parochorum consuetudo, qui suos parochianos, qui festum violauerunt, aut die quo præcipitur ieiunium nõ ieiunarunt, cogunt ad petendũ publicè veniam, die sequenti inter missarum solennia cum eorum infamia, præsertim si huiusmodi transgressiones sunt occultæ, & non nisi ex confessione cognoscuntur, amentiaque maxima est credere, illum, qui sic publice confessus est, liberum esse à secreta confessione eiusdem peccati, quam confessario tenetur facere, vt probauimus in capi. sacerdos. nu. 107. de pœnit. dist. 6.

17 Quartum, quòd quamuis contritio, aut compunctio peccatorum optima sit in diebus festis, præsertim his, qui intelligunt se peccato mortali teneri, non tamen præcepta est sub pœna peccati, secundum Rosell. verb. feriæ §. 2. Caieta in summa verb. contritio. & 2. 2. q. 122. arti. 4. & Syluestr. verb. Dominica. q. 6 nu. 4. quos in hoc sequimur.

Vndecimo peccat mortaliter, qui diebus festis missam non audit, vel audit distrahendo se sponte ad cogitationem rerum, attentionis missæ debitæ impatibilium. Quia audire missam diebus festis cum mediocri attentione est præceptum, in capit. missas. de consecrat. dist. 1. secundum Angel. verb. feriæ. §. 4. & Caietan. in summa verb. violario festorum, & nos late diximus in repet. cap. quando. de consecr. dist. 1. c. 3. nu. 19. & c. 2. nume. 10.

18 Duodecimo peccat mortaliter, qui aliis tẽporibus non vacauit orationi, ad quam tenebatur ex priuata obligatione: quales sunt preces

canoni

canonicæ horariæ, & quas sacerdos imposuit pro pœnitentia, & à proprio prælato spirituali est iussa, ex communi omnium sententia. Et idem est dicendum de illo, qui preces ad Deum facere prætermisit eo tempore, in quo nullum aliud remedium suæ salutis, aut proximi esse videbatur. Tunc enim lex diuina naturalis ad id nos obligat, vt probauimus in d.c.quando.c.3.num. 13. sequuti mentem Paludan. in 4. dist.15. quæst. 1. & Sylvest. verb.oratio.§. 8. vbi posuimus exemplum de illo, qui in grauissimam tẽrationem impatientiæ, aut libidinis iniectus, iudicat nullum aliud remedium ad victoriam superesse, præterquã speciale auxilium Dei, oratione impetrandum, & de illo, qui eminus intuens duos in duello conserturos manus, existimat nullum aliud esse remedium, nisi speciale auxilium Dei oratione impetrandum, ad dirimendum illud duellum iniustum. In his enim casibus id à Deo petere tenetur, de quo in seqq.

Contra hoc opponit quidam, quod ex hoc sequeretur teneri quẽ de præcepto ad orãdum pro iis, qui auctoritate iudicum comburuntur, vel suspenduntur, quod est falsum? Cui respondemus negando illationem, quoniam ij iuste occiduntur, illi iniuste se occidere conantur: & ita in ijs non licet ponere obicem cõtra iustitiam, iuxta notata in l.vt vim.ff.de iust.& iur.& latius traditur à nobis in comment.cap.non in inferenda.23 q.3.in illis autem sic,iuxta prædictum cap.non in inferenda. cum suis concordantibus.

19 Decimotertio peccat, qui nil inter missarum solemnia offert die festo, cum haberet vnde posset, & cum eo ex antiqua cõsuetudine offerendum esset, cum notabili scãdalo, aut præbẽdo occasionẽ, ne maior pars populi offerat, arg. cap. omnis. de consecr.dist.1.quia licet communi lege nemo ad offerẽdum diebus festis obligetur, secundum S.Tho.2. 2.q.86.art.1. & Ioan. Turrecrem. in dicto cap.omnis.& S.Anto.3. par.tit. 2.& Ioan.And.Panor.& commu. in rub.de parochis.teneatur tamen cõsuetudine, vbi à decem annis recepta est, secundum Panor.in c. suam de simon. cui satisfit communiter, quando maior pars populi, capituli, aut collegij offert. Neque eam infringit, qui eo quòd tunc non habeat, non offert, satisque est offerre quod libitum cuique fuerit, secundum Sylvestr. verb.10.§.1.nisi præscriptum sit, vt offeratur certa & definita quantitas, iuxta sententiam præcitatorum, & Sylvestr.verb.Dominica.§.1.

De quarto præcepto honorandi patrem, & matrem, & amandi proximum.

Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Religio est virtus annexa iustitiæ.*
1 *Pietas, quæ est virtus annexa iustitiæ, non est misericordia.*
1 *Misericordia, quæ est virtus coniuncta charitati, non est pietas.*
2 *Obseruantia virtus coniuncta iustitiæ.*
2 *Religio aliquando vocatur pietas, immo & obseruantia.*
2 *Religionem spectant tria præcepta, quatuor*

quattuor pietatem & obseruantiã.
3 *Patres qui dicantur in hoc quarto præcepto.*
Proximi quenam pacto comprehẽdantur in quarto præcepto.
4 *Patres in tribus honorantur, sed minus quàm Deus.*
5 *Præceptum diligendi proximum non est ex decem: & vt ex eo septem nascuntur.*
6 *Amor proximi charitatiuus, & naturalis, qui etiam est duplex.*
7 *Præceptum de diligendo proximo ad quid pro semper obligat.*
8 *Animali proximi præceptum in malo statu vt impletur nu 9. & 10.*
10 *Consuetudo dicendi, Dæmon te arripiat diabolica.*
10 *Amor honestus inter virum & vxorem per quid conseruatur.*

1 PRo fundamento dicendorum præsupponimus primò, quod inter virtutes iustitiæ annexas, quẽadmodum est vna, quæ nuncupatur religio, quæ iuxta Marcũ Tullium in 3. Rhetoric. ad Herennium, & S. Thom.22.q.82.est virtus, impellens hominem ad honorandum colendumque Deum, tamquam primum principium nostrum, à quo sumus, & in quo viuimus: ita est alia quæ dicitur pietas, quæ secundum eundem Tullium vbi supra & sanctum Thom.2.2.quæst.101.est virtus, quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos, patriam, & amicos tamquam principia quædam secũdaria, quibus subsistimus, & conseruamur. Et quamuis vulgus in communi vsu loquendi pietatem & misericordiam pro eadem re accipiat: tamen re vera diuersa sunt: tum quia misericordia est virtus annexa charitati, secundum sanctum Tho. receptum 2.2 quæst.30 artic.1. pietas autem annexa iustitiæ, secundum eundem, 2.2.quæst.101. artic.1. tum quod pietas impellit ad reuerentiam præstandam personis prædictis: misericordia autem, vt aliorum necessitatibus opitulemur, vt docuit Cardin. Caietan. in dicta quæst. 101. artic.1. frequenter tamen à viris doctis altera alterius nomine nuncupatur. Quibus addimus, quòd licet prædicta virtus pietatis præcipue animum inclinet ad honorem exhibendum supradictis personis, tamquam principiis nostris secundariis, à quibus nostrum esse accipimus, & in eo conseruamur: tamen secundario & minus principaliter, etiam inuitat parentes ad honorandum proprios filios, & maritum & vxorem ad mutuo se honorandum.

2 Secundo præsupponimus, quòd est alia tertia virtus, adiuncta etiam iustitiæ, quæ dicitur obseruatia: quæ secundum Marcum Tullium 3 Rhethor. & sanctum Thom. receptum. 2.2.quæst.102.artic.1. est, qua viros in dignitate constitutos veneramur tamquam principia, non quidem existentiæ nostræ, sed gubernationis. & vt religio antecellit pietatem: ita pietas obseruantiam. & quemadmodum religio sæpissime pietatis nomine significatur, iuxta beatum August. lib.10. de ciuitate Dei, & sanctum Thom. 2.2. quæst. 101. artic.3. sic etiam obseruantia sæpissime nomine pietatis exprimitur, secundum eundem in dicta quæst. 101.art.1. Item quemadmodum tria præcepta prima primæ tabulæ, quæ supra memorauimus, pertinent ad

religionem, quæ est annexa iustitiæ sic etiam hoc, quod est quartum, secundum ordinem Decalogi, & primum inter præcepta secundæ tabulæ, datur præcipue de operibus spectantibus ad pietatem: secundario vero de operibus obseruantiæ. Immo iudicio meo, ad omnia opera charitatis, quæ proximo debentur, potest facile extendi, iuxta dictum quoddam Sanct. Bonauenturæ, in 3. distinct. 37. in expositione litteræ, quæ statim in medium proferemus.

Tertio præsupponimus, quòd pater potest præcepto suo filium obligare ad peccatum mortale: immo & re vera obligat, quoties rem alicuius magni momenti, quæ sub eius potestate posita est, ipsi præcipit, vt post Alexan. de Ales 3. part. super 4. præcepto colligunt Angel. verb. filius. §. 30. & Siluest. cod. verb. q. 22. pro quibus est text. Deut. cap. 21. & ad Ephe. cap. 6.

3 Quarto præsupponimus, quòd in hoc præcepto sub nomine parentum, iuxta concilium Colonienſe, quo loco de hoc agit, præcipue intelligimus eos, qui nos genuerunt: cognatos item, patriam, & amicos eius, quæ nos conseruat. Eccles. 3. secundario autem intelligimus gubernatores ecclesiasticos. 1. ad Cor. 4. & sæculares. 4. Regũ 5. & qui nostri curam gerunt, quales sunt tutores & curatores. ff. de auctor. tut. & curat. per totum titulum, magistri, pædagogi: immo & omnes proximi iuxta beatum Bonauenturam in 3. distin. 37. in expositione litteræ: nam quodammodo cognati nostri sunt 3. l. vi vim. ff. de iuit. & iure, quandoquidem omnes ab eodem parente Adamo originem ducimus, iuxta glossam dictæ l. vi vim. Quæ licet vera sint, quatenus hoc præceptum extenditur ad actus virtutis pietatis, & obseruantiæ, & charitatis erga proximos. Non tamen quoad effectum confitendi necessitatis circumstantiã personæ offensæ, quoad id enim non videntur intelligi omnes proximi, nec cognati, sed solum veri parentes, & superiores quoad ea, in quibus illi habent potestatem super nos.

4 Quinto præsupponimus, quòd honor, de quo præceptum hoc loquitur, in tribus consistit, videlicet in amando, obediendo, & honorando, tam corde, quàm verbo & opere. Neq; est contrarium illud Euangelij, Lucæ 14. *Qui non odit patrem suum; & matrem, & vxorem & filios, & fratres, & sorores, &c. non potest meus esse discipulus*; nihil enim aliud sibi vult, quàm quod idem dominus dixit, Matth. 10. *qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus*; id est, quòd Deus vult, vt diligamus quidem, amemus, audiamus, & honoremus parentes, non tamen plus, neque tantum, sicut eum. & quòd quando ille præceperit aliquid, quod parentum imperio repugnet, tunc ipse præferatur.

5 Sexto, quòd præceptum illud de diligendo proximo, sicut se ipsum Matth. 22. nõ numeratur inter præcepta Decalogi, sicut nec etiam præceptum de diligendo Deo super omnia inter illa numerari diximus supra eodem cap. 11. num. 5. & 6. post sanctum Tho. Quemadmodũ enim præcept

præceptum dilectionis Dei super omnia est origo, vnde immediate deriuantur tria prima præcepta Decalogi: sicut etiam hoc de diligendo proximo est principium, vnde quartum præceptum, & sex alia, quæ sequuntur originem ducunt, quæ quidem præcepta secundæ tabulæ nuncupantur, sicut tria prima præcepta dicuntur primæ tabulæ, Exod. 20. de quibus pulchre sanctus Thom. 1.2. quæst. 122. artic. 4. ad 6. & gloss. sing. cap. quid in omnibus. 32. quæst. 7. Diximus: Immediate, quoniam mediate vel immediate, omnia præcepta ab illo primo de diligendo Deo super omnia, tamquam à primo principio deducuntur; ab ipso enim statim pullulat præceptum de diligendo proximo sicut se ipsum: iuxta declarationem sancti Thom. 2.2. quæst. 44. articul. 2. ab omnibus receptam.

6 Septimo præsupponimus, quòd duæ sunt species honesti amoris proximi, quod facile colligas ex vtroque Thom. præcitata 2. 2. q. 23. art. 1. & 24. art. 1. & 1.2. q. 26. art. 1. ad 6. Alter naturalis & humanus. Alter supernaturalis & diuinus, qui charitas, vel charitatiuus appellatur. Amor naturalis, siue humanus ille est, quo proximum diligimus ea ratione, quod est homo, cognatus, vicinus, vel quocunque alio respectu; qui neque Deũ ipsum supra omnia dilectum, neque æternam felicitatem, neque capacitatẽ ad illam in se continet. Amor autem humanus in duos alios amores subdiuiditur, iuxta eundem S. Tho. 1.2. q. 26. art. 4. non obstante illa subtilitate, quam ibi Caietanus tetigit. Alterũ vocant amorem cõcupiscentiæ, quo proximum ipsum principaliter ad aliquod bonum nostrum voluptarium, commodum, vel vtile amamus. Alterum vocant amicitiæ, quo principaliter proximum ad bonum eius voluptarium, commodum, vel vtile amamus. Et vterq; eorum potest esse bonus & honestus, si fuerit bene ordinatus: & vterque malus & inhonestus, si fuerit male ordinatus. Alter autem est amor supernaturalis & diuinus, seu charitatiuus vel charitas infusa, qua proximum amamus, & est eiusdem generis & naturæ, cuius est amor Dei charitatiuus, seu charitas, secũdum S. Tho. 2.2. q. 23. art. 5. Nam licet obiectum materiale amoris charitatiui proximi sit idem proximus, obiectum tamen formale, siue ratio, vel causa amoris, est ipsa diuina & infinita bonitas, quæ nihil aliud est quàm ipse Deus super omnia benedictus. Idem S. Thom. explicatus ibi à Caietano, 2.2. q. 25. art. 1. Etenim neque amor ille concupiscentiæ, quæ proximum ad nostram voluptatem, aut vtilitatem amamus, neque etiam amor amicitiæ naturalis, quo ipsum diligimus ad bonum illius; eo quòd sit cognatus, socius, vicinus, vel amicus, vel propter quamcunque aliam communicationem temporalem est charitas, seu charitatiuus, saltem in quantum talis est, iuxta mentem eorundem, quod in dicta additione. c. quando. de consec. dist. 1. latius dicebamus, quod parum à multis aduertitur.

7 Solus enim ille amor proximi est charitas, seu charitatiuus, quo ipsum diligimus, eo

quòd est capax & aptus, sicut nos, ad participandum nobiscum illam æternam beatitudinē, quam diuina bonitas dare & communicare dignatur, gratissima sui visione & gaudio æterno & inexplicabili, & optare illam ei tamquam illius capaci. Sic etiam ad hoc, vt amor quo nosmetipsos diligimus, sit charitatiuus, seu charitas, oportet vt ea nos ratione diligamus, quod Deus propter suam infinitam bonitatem nos fecit capaces æternæ felicitatis, quæ in intuendo eo semper pariter & amando & fruendo cōsistit, vt supra in prælud. 4. late diximus. Verum est tamen, quod quemadmodum omnis actus cuiuscunque virtutis potest fieri actus charitatis imperatus, quando fit intuitu charitatis: sic etiam amor cōcupiscentiæ vel amicitiæ honestus sit actus charitatis imperatus, si ob eam habeatur. Sicut enim soluere debitum, eo solo, quod iustum est, est actus virtutis iustitiæ & actus charitatis imperatus, si fiat etiam ob finem Deo placendi: sic actus amandi patrem eo solo, quod pater est, est actus virtutis pietatis, & non charitatis: fit tamen actus charitatis imperatus, si habetur etiam ob finem Deo placēdi. Vnde facile infertur quàm rarus & parcus huius amoris charitatis vsus sit inter Christianos vulgares; cum licet omnes aliquos ament, eo quod sint cognati, vicini, conterranei, placidi, iucundi, aut vtiles: rari tamen sunt, qui (nisi raro) ament alios ea ratione, quod sunt capaces beatitudinis æternæ, & quòd nisi culpa mortalis obsistat, ea simul fruentur, videndo & diligendo cum ineffabili gaudio Deum infinite bonum, & quem misit filium suum dominum nostrum Iesum Christum, vt experientia, quæ rerum magistra est. c. quam sit. de elect. lib. 6. plusquam oportet, attestatur, cum raro hoc veniat in mentem altioris ordinis hominibus erga minoris ordinis proximos: adeo quidem quòd vix reputent infimates sordidos, & squalidos tantæ rei fore secum participes, & satis superq; putent facere, si eos aliquo amore dignentur; si eos non contemnant; vel saltem si amore aliquo naturali dignētur, parum considerantes quod de hoc supremo amore præcipit Christus in illis verbis Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*, & Paul. ad Colos. 3. in illis verbis. *Super omnia tamen mutuam charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.*

8 Octauo præsupponimus, quòd circa hanc materiam est dubium, à nemine (quod sciam) pro dignitate resolutum, quo videlicet tempore teneamur ad præceptum de diligendo proximum, sicut nos ipsos, sub pœna noui peccati mortalis nō adimplendo tunc illud? Ad quod breuiter (salua debita censura) respondeo primo, quòd nos obligat semper, & pro semper; nec vnquam ab amore & dilectione, qua Deum & proximum in genere ex charitate diligimus: vllum etiam inimicum nostrum, vel Dei excludamus, nisi iam æternis fuerit suppliciis in inferno condemnatus, iuxta mentem vtriusque S. Thom. 2.2.q.25.ar.6.8.& 9. & q.83.art.8. iuxta quam quod de damnatis dixi, intelligo.

9 Respondeo secundo, quòd nos obligat,

obligat, vt quotiescunque inimicus, qui nos offendit, veniā à nobis postulat, ipsum diligamus, & specialia amoris signa illi ostendamus iuxta mentem eorūdem in dict. quæst. 83. art. 8. Sed crediderim, satis esse ipsum diligere amore aliquo naturali, & huius amoris aliqua signa exhibere, etiam si amorē illum excellentem, & sublimem charitatis, seu charitatiuum minime corde concipiamus; ad hoc ne in nouā aliquam culpam mortalē propterea incidamus; tum quia contrarium nullo iure, nec vlla efficaci ratione cōcluditur; tum quia licet hoc primo aspectu contrarium videatur ei, quod ipsi dicunt in dicta q. 83. art. 8. introspecti tamen forte hoc sentiunt.

Respondeo tertio, quod nos obligat etiam hoc præceptum, quando proximus est constitutus in extrema necessitate nostri auxilij ad salutem animæ suæ; qualis esset infans aliquis, aut mente captus, aut etiam mordatus, qui sine baptismi sacramento iam iam esset moriturus; qualis esset etiam, qui deposceret aliquod consilium, vel solamen, vel auxilium aliquod spirituale à nobis, siue quo verisimile esset eū condemnatum iri.

Dixi; Quando ad salutem animæ nostro indiget auxilio: quoniam putamus non peccaturum eum, qui hunc amorē charitatiuum non conciperet erga eum, qui eam pateretur extremam necessitatem vitę corporeæ, si modo alio amore naturali inferiore diuino, quo cognatum, amicum, socium, vel vicinum diligere solet, ipsum prosequendo, ei opitularetur. argumen. notator. in cap. passe. 86. distinct. & in l. necare. ff. de liber. agnosc. & eorum, quæ Caiet. 2.2.q.25.art. tradidit. Nec quidquam obstat dicere, eandem esse rationem illius, qui absque amore charitatis, solo amore naturali impulsus, subuenit proximo in periculo spirituali constituto; quoniam rarissime poterit euenire, vt huiusmodi necessitati spirituali occurri possit absque desiderio spiritualis salutis, quod formaliter, aut virtualiter amorem charitatis includit.

Quarto, quòd vt supra c. 11. nu 7. diximus, videtur nobis non peccare noue illum, qui bona fide credens se esse in statu gratiæ, cum tamen non sit, adimplet præceptum, de diligendo Deum ex charitate, quando ad id est obligatus: ita à fortiori satisfacere videtur præcepto de diligendo proximo ex charitate, qui extra statum gratiæ illud implet, putans verisimiliter se in eo esse.

Quinto, quod posset etiā defendi, numquā obligari ad implendum hoc præceptū de dilectione proximi in statu gratiæ ex speciali amore charitatis; nisi cum necessitas administrandi sacramentum ei, qui extrema necessitate spirituali laborat, vel alia similis causa ad id compellit, & obligat quæ omnia tamquam quottidiana commendamus.

10 Sexto, quòd ex his infertur, quā diabolica sit illa consuetudo maledicendi proximo, dicendo: Diabolus te arripiat: Commendo te dæmoni: & econtrario, quàm angelica, quàm vtilis & consolans illa, corde ac voce dicendi: Dominus te sanctum faciat: Deus te perducat ad paradisum, &c. Vtinam illic nos ali-

quando conueniamus,& aliæ similes,præsertim viri feminis:& feminæ viris. Etenim tale desiderium vere in animo cõceptum valde refrenat cohibetque, ne amor humanus, & honestus degeneret in libidinem, quod frequens ait esse Hieronymus.

Septimo, quòd obseruanda est regula, quam in Commen. cap. non in inferẽda. 23. q. 3. nu. 25. à nemine alio traditã ex eis, quæ ibi præmissa fuerunt, intulimus: & postea transtulimus infra cap. 15. nu. 17. nempe quòd quoties quis videt proximum in periculo patiẽdi aliquod notabile dãnum, à quo non potest vel creditur non posse liberari, nisi ipse illi subueniat, toties obligatur ad eum liberandum sub pœna noui peccati, modo id præstare possit absque dãno, quod vir prudens iudicaret sufficere ad excusandum.

De peccatis filiorum contra parentes circa hoc præceptum.

SVMMARIVM.

11 *Filius vt peccat mortaliter odiendo parentes aut eis malum cupiendo, aut eis amoris signa non monstrando.*

12 *Filius qui non obedit patri quoad regimen, & bonos mores.*

12 *Filius parentes ferieni, ad iram prouocans, eos accusans, execrans, contemnens, mortem exoptans, vel non liberans è carcere.*

13 *Filius qui parentibus in magna necessitate constitutis non succurrit.*

14 *Filius, qui ob parentum subuentionem non egreditur religionem.*

15 *Filius qui non ducit vxorem, quam pater vult.*

16 *Filius, qui parẽtum male parta non restituit, neque legata implet.*

11 EX prædictis infertur, quod peccat cõtra hoc præceptum de honorando parẽtes primo filius, qui grauiter odit vel aliquod graue damnum desiderat parentibus, si enim graue & iniustum odium & desiderium deliberatum inferendi cuiquam, etiam extraneo, aliquod damnum notabile est peccatũ mortale, multo magis odium in parentes naturales grauius erit, geretque secum circumstantiam necessariò confitendam, per supradicta cap. 6. nu. 3. & seqq.

Secundo filius, qui esto, quòd non odit parentes (immo potius diligit) numquam tamẽ, vel raro signa amoris illis ostendit, quin potius semper illos toruo intuetur adspectu: & ita aspere alloquitur, ac si eos odio haberet, secundum Angel. verb. filius. § 30. & Silu verb. filius. q. 22. & Tabien. verb. filij § 16. Quoniam tenemur eos diligere reuereri, ipsisque obedire tam corde, quàm verbis, & operibus, vt expositum est nu. 4. supra eod.

12 Tertio peccat filius, qui in rebus pertinentibus ad regimen & gubernationem domus & rei familiaris nõ vult parere parentibus, Ang. Silu. & Io. Tabien. vbi supra, nisi quando ex incogitantia, siue inaduertentia, absque contemptu, & obstinatione omittit obedire, tunc enim venialiter tãtum delinquit. Si vero in alijs, quæ non pertinent ad ipsorum parentum gubernationem & curam obedire noluerit, non peccat mortaliter. Ang. & Silues. vbi supra.

Quarto, filius qui non obedit in his, quæ pertinent ad bonos mores, & ad salutem animæ, vt pote fugere noxia sodalium contubernia, ludos prohibitos, meretrices, aliaque huiusmodi vitia, quibus tempus infeliciter absumitur, secundum auctores supra allegatos.

Quinto peccat qui filius parẽtes, etiã leuiter percutit, secundum Richa. in 3. dist. 37. vel cõtumelios ver bis ipsos cũ animi deliberatione incessit, vt merito illos ad iracundiam notabilem prouocet, Alex in 3. par. de 4. præcepto, & Richar. vbi supra.

Sexto, filius qui ex animo ipsis maledicit, siue viuis, siue iam sæculo defũctis. Exod. 21. & Alex. vbi supra: si tamen ore tenus tantum maledixit non amplius, quàm venialiter offendit.

Septimo, filius qui alicuius criminis eos accusat secundũ Richar. vbi supra, nisi esset proditionis crimẽ in Regem, vel in Rempublicam. Nam in hoc casu quamuis nõ obligetur, vt Decius in c. 1. nu. 7. de offic. deleg. asseruit, nihilominus liceret, arg. l. minime. ff. de relig. & sumpt. funer. immo sæpissime obligatur, vt nos in repet. c. inter verba. 11. q. 3. conclu. 6. diximus.

Octauo filius, qui ita parentes cõtemnit, vt sibi dedecori & contumeliæ futurum esse existimaret se pro filio illorum haberi, Alex. vbi supra. Diximus: Contemni, nam si absque contemptu id facit ad vitandũ aliquod incõmodum sinistrę opinionis, vel ob aliã huiusmodi causam, non peccaret mortaliter, maxime si parentes tacite, vel expresse in eo consentirent, ad fugiendum suum incommodum, quod ex incommodo filij eis proueniret. Contra tamẽ hæc opponit quidam, quod licite quis potest se inhonoratum iudicare, eo quod patre Iudæo, vel hæretico, vel perduellione sit natus, arg. l. quisquis. C. ad leg. Iuliam maiest. & c. 2. & c. statutum. & cap. cum secundum. de hæret. lib. 6. Cui respondetur, non dicere nos hic peccare illum, qui se abiectum, vel infamem putat, eo quod sit talibus parentibus natus: sed longe aliud, scilicet peccare illũ, qui adeo despicit parentes suos, vt se puret, &c. Ita quod ratio peccati non est sita in eo, quòd se vilem putet, sed in eo quod despicit indebite parentes inquipatos, quos etiam si sint pauperes, & abiecti, & ipse diues, & sublimis tenetur honorare per hoc quartum præceptum.

Nono peccat mortaliter filius, qui parentibus mortem desiderat, quò citius ipsorũ bona ad se perueniant: vel non dat operam, quo ipsos à captiuitate liberet, vel ab insano furore, quo sunt mente capti & iudicij expertes, arg. cap. 2. de concess. præb. & l. fin C. de pact. hæc enim de causa potest exheredari. authen. vt cum de apellat. cog. §. causas. vel si forsan prohibuit, ne testarentur: vel à restituendis alienis bonis ipsorum animos auertit, argum. l. 1. C. de testamen. & l. 2. C. si quis aliq. testãt. prohib.

13 Decimo peccat filius, qui parentibus magna necessitate oppressis non subuenit, maxime circa victum & vestitum, vel grauibus morbis detentis, cum id commode facere potest, arg. cap. inter cetera. 22. quæst. 4. cap. non satis. 86. distin. & Angel.

verb. filius. §. 30. nisi sciat, patrem ex propriis bonis, vel officio, quo fungitur, sibi posse cõsulere: tunc enim nõ tenetur ex bonis suis quidquam conferre; nisi munus illud, aut ars, quam pater callebat, suo statui esset dedecori, arg. l. si quis à liberis. §. idem rescripsit. ff. de lib. agnosc. adiuncta glo.

14 Vndecimo, qui filius parentibus in extrema necessitate constitutis, eiusque auxilio & ope indigentibus, ingreditur religionem, vel ab ea nõ egreditur, etiã si sit professus, quando verisimile est egrediendo, ipsis posse subuenire, aliter vero minime. arg. cap. pasce. 86. dist. vel quãdo parẽtes ita grauis premit necessitas, quæ licet non sit extrema, est tamen talis, quæ filium obligat ex præcepto ad eorum inopiam subleuandã: aliàs vero minime, & eo nõ obstante ingreditur religionem. S. Tho. 2. 2. q. 101. art. 4. quamuis in hoc casu, si iam est professus, non teneatur exire: debet tamen pro viribus in statu suo perseuerando ei subuenire, secundum Caietanum in dicto art. 4. Per quam resolutionem duæ opiniones contrariæ sentientes, videlicet S. Tho. in dicto art. 4. Nicolai Lyrani, Matthæi 15. & Io. Maioris in 4. lib. senten. dist. 38 quæst. 16. possunt ad concordiam reduci. Illud autem addimus, quòd ille non tenetur, nempe, quòd si parentes sunt in tali necessitate constituti, quando filius ingreditur religionem, tunc tenetur egredi, quando non egrediendo tali necessitati subuenire non posset, egrediendo vero posset. quoniam huiusmodi debitum præcessit ipsum religionis ingressum, id quod optime Io. Maior vbi supra videtur intellexisse. quę quidem omnia post hæc scripsimus in tracta. de pauper. super cap. nullam. 18. q. 2. nu. 48.

15 Duodecimo peccat filius, qui ducturus vxorem, non vult ducere in vxorem, quam pater præcepit, vt illo matrimonio inimicitiæ periculosæ sopiantur, vel contra præceptũ paternum se minime dignam vxorem ducit, arg. c. aliter. 30. q. 5. & c. honorantur. 32. q. 1. & cap. 1. de desponsi. impub. secundum S. Bonauen. licet enim iuxta insignes glossas. c. de raptoribus. 36. q. 2. & authen. sed si post. C. de inoffic. testam. pater non possit filiam exhæredare, eo quòd contra ipsius voluntatem maritum eligit non indignum se, immo neque etiam, si indignum, iuxta communem opinionem, quam sequuntur Fel. & Decius in cap. ecclesia. de constit. & Ioan. Lupus in repet. cap. per vestras. de don. int. §. 9. Nihilominus tamẽ filia male facit, & patri iniuriã irrogat, & ex consequenti peccat mortaliter, quando saltem contrauenit voluntati patris sine rationabili causa, vel tali, quę coram Deo iusta ei videatur, & iuxta hunc modum limitandum est, quod in huius casus initio dicitur. Ex quo potest colligi nouus & singularis intellectus cap. 1. de desponsi. impub. circa id, quatenus habet, filium teneri ducere vxorem illam, de qua assumenda paciscitur pater, videlicet, quòd non solum debet de honestate, sed etiam de necessitate, quo ad effectum non peccandi, licet non quo ad effectum, vt ad id cogi possit.

16 Decimo tertio, quòd filius cui ex hæredi

hæreditate paterna aliqua bona obueniunt, quæ scit iniuste, vt per vsuras parta fuisse, & ea, vt par est, non restituit cap. Michael. de vsur. cum gl. & no ibi per omnes.

Decimoquarto, qui filius ex negligẽtia, vel auaritia diu differt debita patris defuncti persoluere, vel legata testamenti adimplere, maxime illa, quæ ad pia opera pertinent, iuxta beatum Antonin. 2 par. tit. 2. c. 7. §. 3. & cap. 8. Diximus: Diu differt, quoniam exigui temporis procrastinatio circa hæc non videtur crimen letale, argum. l. si debitori. ff. de iud. Immo nec veniale, si ea de causa potissimum rem produxit, vt bona defuncti melius venderentur, ad copiosiores eleemosynas erogandas, quamuis huiusmodi intentio non sufficeret ad rem diutius differendam, secundum S. Thom. quolib. 6. art. 14.

De peccatis parentum erga filios contra hoc præceptum.

SVMMARIVM.

17 *Pater & mater peccant non succurrendo filiis.*

17 *Mater quæ filios non lactat propriis vberibus, vt peccat.*

17 *Patres, qui exponunt filios ad ianuas aliorum, vel Xenodochiorum.*

17 *Patres, qui irritant vota filiorum, in quæ iam consenserant.*

17 *Patres, qui dolo, aut timore filios inducunt, aut extrahunt à religione.*

17 *Patres, qui cogunt filios ad matrimonium contra eorum vota.*

18 *Patres, qui sinunt filias suas amare, vel amari ob malum finem, vel iã desponsatas habere tactus impudicos.*

17 DEcimoquinto contra hoc præceptum peccant pater & mater, qui notabiliter negligũt exhibere illa quę ad filij necessitatem spiritualem, aut corporalem pertinent, si nulla est eis excusatio paupertatis, vel alterius rationabilis causæ. cap duo ista. & cap. non putes. 23. q. 4. 1. ad Timo. 5. tex. fing. in c. si quis reliquerit. 30. dist.

Decimosexto peccat mater, quæ filium proprio lacte non nutrit, vel negligit notabiliter deligere nutricem bonam, vel gerere curam circa bonam pueri educationem, vel vsque ad triẽnium ei non ministrauit necessaria, per ea, quæ diximus in c. ad eius. 5. dist. & arg. c. fin de conuer. infidel. & l. nec filium. C. de patr. potest. quamuis nolle filium propriis vberibus lactare sine causa iusta, nõ sit amplius, quàm veniale, & cum causa neque veniale.

Diximus: Vsque ad triennũ: quoniã deincepspater ipse tenetur omnia necessaria filio exhibere, nisi sit pauper, & filio nulla sint bona, neque ars, aut officiũ decens, quo possit se ipsum alere: neque sit aliàs adeo ingratus & criminosus, vt secundum iura exheredari mereatur, arg l. necare, & l. si quis à liberis. ff. de liber. agnos. quod recte notauit Siluest. verb. filij. §. 21.

Decimoseptimo peccat mortaliter pater qui ob auaritiã exponit filios ad hospitalia pauperũ, vel ad ianuas ciuitatis, aut ad alia loca publica, vel priuata. l. necare. ff. de liber. agnos. &

c.1.& 2.de infant.exposi.cum glo.& ibi adnotatis: vel non vult filias,etiã spurias,dotare,cum possit.c.cum haberet.de eo,qui duxit in matri.secundum Panor.ibidem,& Vualden. de succes.ab intest.& Dec.in c.clerici.de iudic.

Decimooctauo peccant parentes, qui absque causa votum aliquod, siue peregrinationis,siue abstinentiç, quod filij cum eorum bona venia fecerant,reuocant,iuxta prædicta in c.12.nu.61.& 63.

Decimonono parentes,qui filium ab aliqua religione, quam fuerat ingressus, cum iam esset in ætate ad ingrediendũ sufficiente,vi,vel dolo reuocant,c.puella.20.q.2.vel si filio, vel filiæ, qui vel quæ votum continẽtiæ,aut religionis emiserat, postquam ad ætatem deliberãdi peruenerant,consulunt,vel cogunt ad cõiugium eligendum,arg.c.1.& ei adnotatorum.de offi.deleg.

Vigesimo,qui parentes,dolis, aut minis,aliisque huiusmodi medijs filiam cogunt religionem intrare, argu.cap.1.de his quæ vi.& cap. requisiuit. de sponsal. quod est quidam magnus ætatis nostræ abusus, & causa ruinæ religionibus,& vt in illis maledicantur perpetuo, qui eas in id compulerunt. Ob quod nuper sanctum Conc.Trid sess.25.c.18. de reg.in hæc verba statuit: *Anathemati sancta Synodus subiicit omnes & singulas personas cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos, quàm laicos seculares: vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocũque coegerint aliquam virginem, vel viduã, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis,ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint,quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem velis accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.*

18 Vigesimoprimo, qui parentes patiuntur filias suas habere amatores ob malum finẽ, vel eas à suspectis sodalitijs non separant, qualia sunt aliquarum feminarum consortia,quas verisimile est ipsas ad peccandum impulsuras.

Vigesimosecundo peccant mortaliter parentes, qui nolunt filiam turpem vitam agere, vel vti fucis & irritamentis ad inducendum aliquem in peccatum mortale,& ipsam neque reprehendunt, neque corrigunt argumen. cap. duo ista nomina. 23. quæstione 4. Veruntamen illa eo solo, quod se ornet cultius, quàm statui suo conueniat absque fine malo,saltem mortali, non peccat amplius quàm venialiter, nec consequenter parentes amplius, quam venialiter peccarent non reprehendendo eam. Siquidem qui consentit in crimen alterius, non grauius peccat communiter,quàm auctor illius, c.1. de offic.deleg.

Vigesimo tertio peccat parentes qui

qui cõsentiunt,vt cum filia sua sponsa vtatur sponsus tactibus impudicis,& enormibus, vt sentit S.Thom. 2.2.q.154.art.4.id quod eiusdẽ commẽtator amplificat ibidem. Quamuis oscula & amplexus videntur licita talibus sponsis, etiam ob solam delectationem inde percipiendam, tanquam principium nuptiarũ promissarum,quæ aliis essent illicita:& multo magis quando absque fine delectationis, sed honesti amoris & beneuolentiæ, & necessitudinis intuitu id faciunt:ita & parentes licite eis possunt ea permittere:sed quia communiter sponsi cum soli absque arbitris conuersantur, huiusmodi tactibus impudicis vti solent, non deberet eis permitti, vt soli secretò conuersentur.

De peccatis coniugum contra hoc præceptum.

SVMMARIVM.

19 *Coniux vt peccet, retando coniugi missam,& ieiunium.*
19 *Coniux percutiens, vel verbis infamans coniugem.*
20 *Vxor notabiliter tollens obedientiam marito,&c.*
20 *Vxor nolens migrare cum marito.*
20 *Coniux prouocans coniugem ad magnam iram, vel ad blasphemãdum.*
20 *Coniux notabiliter contemnens coniugem.*

19 VIgesimoquarto peccat cõtra hoc quartũ præceptum coniux, qui, vel quæ absque causa prohibet coniugi, ne diebus festis audiat missam,aut cogit violare aliquod præceptum diuinum, aut ecclesiasticum, obligãs sub pœna peccati mortalis, puta ne ieiunent ieiunia præcepta, iuxta mentem Beati Antonini 2.par.tit.9.c.10.§.2.

Vigesimoquinto, peccat, qui vel quæ coniux immoderate percutit, aut verberat coniugem, siquidem neque seruum ita cædere debet, l.1. ff.de his,qui sunt sui,vel alieni iur.§. fi.Instit.eod.tit.

Vigesimosexto qui causa conuitiandi, vel infamandi notabiliter, deliberate aliquod verbum,licet ex suapte natura minime iniurium, in coniugem profert, vel è contrario sine animo diffamandi,iniuriamve irrogandi,aliquid dicit,quod suapte natura est aptum ad infamandum, & inde infamia subsequitur:vel saltem adest periculum eius infamiæ probabile, iuxta sententiam S.Tho. 2.2.q.73 arti.2. Quod nos etiam in cap.inter verba.11.quæst.3.conclus.3. comprobauimus.

Vigesimoseptimo peccat mortaliter vxor, quæ matito est notabiliter inobediens in his, quæ ad regimen domus, & familiæ bonosque mores pertinent,cap.est ordo,& cap. hæc imago.33.q.5.Richard.vbi supra, dist.37.

20 Vigesimonono peccat vxor, quæ non vult sequi maritum aliò migrantem,etenim sub reatu culpæ mortalis eum tenetur comitari,cap. vnaquæque.33.q.2 nisi pactum præcesserit inter eos, ne maritus aliò migraret,tũc enim minime teneretur, nisi viro aliqua iusta necessitas illinc discedendi superueniret, vt morbus.vel capitalis inimicitia.Neque etiã teneretur sequi maritũ vagabũdum,si eo tempore,quo matrimonium

monium contraxerunt, ille non solebat vagari, vel vxor eiusmodi mariti morem non intellexerat, glos. in dicto cap. vnaquæque. & capi. si quis necessitate, 34. q. 1. Etenim si id prænouisset à principio, tenetur cum sequi, quandiu ex honesta causa ille vagaretur: non tamen si ob turpem causam id faceret, vel circumduceret, exponendo peccati, vel mortis periculo, quia tùc nullatenus ipsum sequi teneretur. Qui enim ita vagatur, absque dubio peccat, & proinde non est illi consentiendum, argumẽ. capit. non semper. 11. q. 3. & Syluestr. verb. vxor. q. 8.

Vigesimooctauo qui, vel quæ cõiux per iram, & rixã ad blasphemiã prouocat coniugem & sciens, aut scire debens, illum, vel illam, ad blasphemiam, vel ad aliã mortalem culpam prouocatum iri, non se reprimit, arg. c. fi. de iniur.

Vigesimonono peccat mortaliter vxor, quæ contemnit marito debitam subiectionem præstare, vel illi aliquid notabile imperat, aut eius iustum præceptum non implet, quale est præceptum, vt superflua & vana moresque incompositos exuat, arg. cap. cum caput. 33. q. 5.

Dixi, Contemnit, quoniam cum præceptum mariti non sit maius, quàm ecclesiæ argumẽ. eorum, quæ supra eodem cap. nume. 12. diximus, & illud nõ obliget semper sub mortali, si desit contemptus, iuxta sanct. Thom. 2. 2. quæst. 186. articul. 9. & late per nos in rubric. de pœnitent. & communem opinionem, non etiam eius præceptum semper obligat, si contemptus adsit, licet aliquando sic.

De peccatis dominorum, & superiorum erga seruos, & famulos, & subditos: & econtrario.

SVMMARIVM.

21 *Dominus vt violat quartum præceptum erga subditos suos.*

22 *Subditus vt violat quartum præceptum erga superiorem.*

21 TRigesimo peccat dominus, vel herus, qui notabiliter negligit ea, quæ pertinent ad seruorum, famulorum ve suorũ conscientiam, non curando ne assuescãt male iurare, vel præcepta Dei, aut ecclesiæ violare: aut non monent eos cõfiteri & communicare, & missam audire diebus ad id statutis: vel négligit notabiliter procurare illi sacramenta Cõfirmationis, & Vnctionis extremæ suo tempore, & aliàs christianè viuere argu. cap. duo sunt. 23. q. 4. & 1. ad Tim. c. 5.

Trigesimoprimo dominus, vel herus, qui habet seruum neophytum, seu noue ad fidem conuersum, & non curat per se, neque per alium Christianam doctrinam ipsum docere: & quid sit esse Christianum, & subinde qualem vitam agere teneatur.

Trigesimosecundo herus, vel dominus, qui notabiliter negligit nosse peccata manifesta seruorum & famulorum suorum, vt possit eos corrigere, secundum S. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 9. §. 2. & eum, qui ex familia sua neque verbis, neque alia iusta pœna emendatur, debet ab ea eiicere, vel ei necessaria denegare, si verisimiliter credit hac ratione ad bonam

bonam mentem illum reuocatum iri, arg. reg. S. August. cap. 3. At si verisimile est, eum à domo expulsum deteriorem fore, melius erit eum domi retinere, adhibendo ei remedia, quæ commode poterit, arg. cap. quantumlibet. 47. dist.

Trigemotertio peccat dominus, vel herus qui prohibuit seruis suis, maxime quos sciebat cõcubinis alligatos, ne vxores ducerent, cap. 1. & per totum titulum, de coniug. seruo. Dixi, Prohibuit, quoniam non tenetur præbere consensum, facultatemque illis facere ad cotrahendum matrimonium: sed tantum ad non prohibendum & nõ impediendum, eo quòd valde distant præbere consensum, & nõ impedire, vt inferius, cap. 22. de matrimon. nume. 34. dicemus: quamuis neutro casu libertatem assequantur, iuxta mentem gl. Panormit. & commun. in capit. 1. de coniug. seruor.

22 Trigesimoquarto peccat subditus qui notabiliter contemnit superiores, vel illis honorem notabilem & debitum denegat, etiam si sint discoli & mali, 1. Petri capit. 2. & ad Rom. 13. cap. solitæ. de maioritat. cap. omnis de censib.

Trigesimoquinto peccat subditus, qui leges & præcepta iusta superiorum violat, eo quòd putat, in hac vita neminem in alium potestatem habere: & non solum peccat mortaliter, contra cap ad hæc. 89. dist. sed etiã est hæreticus, Extrauagãt. vnam sanctam. de maiorit. & obed. & glos. singul. recepta in capitu. generali. de elect. lib. 6. verb. inhibemus.

Trigesimosexto peccat subditus, qui iusta superiorum præcepta, aut leges omittit obseruare, eo quòd nõ vult se illis submittere: quamuis credat illos esse vere suos superiores, quòd est proprie peccatum inobedientiæ, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 105. articul. 1. Etenim si aliis de causis id omittit, aliquando peccat mortaliter, aliquando venialiter, aliquando nullo modo, iuxta causarum varietatem, qua de re latius cap. 23. nu. 36. tractabimus.

Qui peccant contra quartum præceptum, quatenus extenditur ad honorandum proximum.

SVMMARIVM.

23 *Proximum non honorans quis violat hoc quartum præceptum.*

23 *Proximus qui non diligit se, aut proximum charitate cum tenetur.*

23 *Proximus, qui alium excipit à suis orationibus generalibus.*

23 *Proximus qui non diligit proximum, cum tenetur.*

23 *Amat qui plus se, aut corpus, quàm animam suam.*

24 *Amat qui se ipsum vel proximum cum offensa mortali Dei.*

24 *Proximus, qui desiderat vt alius mortaliter peccet, vel condemnetur.*

24 *Excommunicationem qui procurat in finem, vt proximus cõdemnetur.*

25 *Accusare qui aut denuntiare recusat, quando debet, &c.*

25 *Odium, & rancor duplex.*

25 *Odium aut rancorem malum quis dicitur habere.*

25 *Inimico an quis debeat amoris signa ostendere.*

25 Inio

25 *Iniuria non omnis affectus eam remittere potest.*

25 *Iniuriæ veniam vter offensorum petere debeat.*

26 *Periculo peccandi se exponens, vel agens contra conscientiam.*

27 *Peccatum mortale alterius, qui non impedit, cum possit absque suo nocumento.*

27 *Peccati alterius qui est causa nisi, &c.*

28 *Peccat qui mortaliter, vel speciem eius vel præstat, vt alius ita peccet.*

29 *Peccat qui venialiter, vt alius sic peccare faciat, solum venialiter peccat.*

30 *Proximus, qui facit aliquid, ob quod credit alium mortaliter peccaturum.*

30 *Proximus familiaris alicuius cum scandalo alterius.*

31 *Proximus qui rancorem, aut odium non deponit, se sibi detrahatur.*

31 *Proximus, qui scandalum præbet edendo carnes vel non iejunans.*

32 *Occasio quæ necessario vitanda pœnitenti, vt absolui possit.*

33 *Finis principalis operis boni licet non possit esse bonum minus illo: potest tamen esse minus principalis, modo non sit malum culpæ seu peccatum.*

34 *Occasionem dare ad veniale, veniale tantum est.*

35 *Occasio peccandi per actus de se bonos, quæ vitanda.*

36 *Synagogæ, Mezchitæ, & Idola, qui facit, aut reficit.*

36 *Missæ præceptæ tempore canens, saltans, &c.*

36 *Membra pudenda nuda ostendens vel videns.*

37 *Ornans se ornatu ad peccandum prouocante.*

37 *Scurra, vel alius peccans causa nimis videndi, bibendi, &c.*

37 *Peccatum veniale pœnæ omni malo pœnæ, & disponit ad mortale.*

38 *Peccati causam qui dat arma, vel alia commodando.*

38 *Peccat suadens alij peccatum licet nolit, vt faciat illud, & 42.*

39 *Peccat petès, quod peccatum est, etiam ad id parato, & alioqui bonum. num. 40.*

39 *Iuret vt per falsum Deum ethnicus velle malum, sed non vt iuret, licet sciat iuraturum per falsum Deum.*

40 *Vsurario carenti pecunia commendans illam vt peccet.*

40 *Peccatum per minus arcere à maiori vt bonum.*

40 *Peccat quando petens bonum ab eo qui dando peccabit.*

41 *Sacerdotis mali ad missandum inductio quæ peccatum.*

41 *Tyrannum rogare pro iustitia, aut gratia non est peccatum.*

42 *Peccata an sint verbane dicta, in peccata mouentia.*

42 *Tactus mamillarum & quidam alij qualis occasio peccandi.*

43 *Scholarum gradus, & præmia Minerualia cur licita.*

43 *Scientiæ licet ob eas dentur gradus, & cathedræ licitæ.*

43 *Ars mechanica, licet sit occasio malorum, vt bona.*

43 *Scientiæ malus vsus non efficit eam malam.*

43 *Legem non arguit malam malus eius vsus*

44 *Publici conuentus in bonum finem iusti, & boni.*

44 *Scandalum ob quod non omittenda præcepta, vel consilia.*

44 *Bona quæ nõ omittẽda ob scandalum.*

44 *Bonum speciem mali habens omittendum, aut excusandum.*

23 Tri

23 Trigesimoseptimo peccat qui quando tenetur, non amat se, vel proximũ charitate, siue amore charitatiuo, id est, propter Deũ & quia sunt capaces æternæ beatitudinis, exoptando eam sibi ipsis, vt in addit. repet. cap. quando de consecra. dist. 1. latius diximus, & supra eod. c. 7. & 9. breuiter repetiuimus: vel amore naturali tempore quo id facere tenetur sub pœna mortalis peccati, & quod tempus sit supra eod. c. num. 8. insinuauimus.

Trigesimooctauo qui aliquos à participatione, & communione generalium orationum, in quibus pro aliis orare solet, excludit, quales sunt illæ petitiones orationis Dominicæ, *Panem nostrum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra*, &c. iuxta mentem S. Thom. 2. 2. q. 25. artic. 4. 6. 8. & 9.

Trigesimonono, qui habuit animum non diligendi, vel non subueniendi cuipiam proximo, eo quòd ille sic peccator, vel eum offenderit, vel ob aliam causam, casu quo illud esset ei ad salutem necessarium, secundum vtrumque Thom. in dicto art. 8. & 9.

Quadragesimo peccat, qui amat aliquam aliam creaturam firmius quàm animam suã, vel corpus suum firmius, quàm animam proximi vel honorem, aut fortunas suas, quàm corpus proprium, aut proximi, adeo quod omittit, vel statuit non opitulari extremæ necessitati illius, cui tunc plus deberet, vt non desit ei cui minus deberet. S. Bonauentura, & Richardus in 3. dist. 29. Etenim non satis est diligere, quod oportet, nisi etiam debitus diligendi ordo seruetur, puta primo firmius Deũ, quàm alia omnia. Secundo, nos ipsos quo ad animas nostras. Tertio, animam proximi. Quarto, proprium corpus, iuxta August. libro primo de doctr. Christiana, & S. Thom. receptum, 2. 2. quæst. 26. per totam. Dixi, Firmius, non autem intensius, aut feruentius: quoniam non tenemur ad id, vt in dicta additione & supra capit. 1. nume. 4. declarauimus, vbi probauimus, satis esse, quòd firmius diligamus, hoc est, vt pluris faciamus & æstimemus id quod magis amare debemus, & eius amorem, quàm id quod minus debemus & eius amorem.

Quadragesimoprimo, qui tantum amat seipsum, vel filium, vel amicum, vel delitias, diuitias, honores, aut dominum suum temporalem, vt sit paratus pro his animo, vel opere Deum mortaliter offendere, secundum Scotum & Franciscum Mayronem in lib. 1. sent. dist. 1.

Quadragesimosecũdo peccat qui desiderat, vt aliquis mortaliter delinquat, vel damnationem æternam incurrat, vel (quod grauius est) Deũ orauit, vt aliquid horum proximo eueniat, vel ex animo maledixit, vt ille aut ille perpetuis Inferni flammis crucietur: vel sentẽtiam excommunicationis contra proximum facit pronunciari hoc animo, vt qui rem ipsi ablatam non restituat, animæ suæ iacturam faciat, vel alia huiusmodi admittat, vt in dicta additione diximus.

Quadragesimotertio, qui non reprehendit proximũ, aut non denunciat, cum debet, vel reprehendit aut denunciat aliter quàm debet, &c.

vt infe

vt inferius cap. 24. à num. 17. & seqq. dicetur.

25 Quadragesimoquarto peccat, qui eo quòd est iniuria affectus, vel alia de causa aliquem odio & rãcore prosequitur, c. si quis cõtristatus. 90. dist. c. fi. de pœnit. dist. 5. Etenim quilibet offensus tenetur emittere ex animo odium & rancorẽ malum: immo & ad non concipiendum illum cõtra suum offensorem, quantalibet fuerit iniuria, iuxta sententiam diui Gregorij dict. c. fin.

Dixi: Odium & rãcorem malum, qui est vna ex filiabus accidiæ, non enim obligatur ad eiiciẽdum illum rancorem bonum; qui nascitur ex ira, qua quis appetit, vt per iudicem castigetur delictum: immo aliquando tenetur illum concipere, conservare, & ostendere, c. si is qui. cap. est iniusta misericordia c. displicet. 23. q. 4. Siluest. verb. charitas. quæst. 4. puta quãdo ad salutem spiritualem offensoris, vel ad Dei obsequium, aut ad Reipub. vtilitatem conducit, sicut in dicta additione diximus. Non tenetur etiam eum alloqui, neque ei signa amoris ostendere, nisi tempore necessitatis: satis est enim habere animum ad talia signa ostẽdenda in prædicto tempore, iuxta S. Tho. receptum, 2. 2. quæst. 25. art. 9. maxime quando offensor satisfacere renuit, aut non vult sufficienter id facere. immo nec tunc tenebitur sub reatu peccati illum in suam cõuersationem, & amicitiam peculiarem admittere, quamuis aliquod signum speciale amicitiæ teneatur ostendere, vt tactum est supra eo. nume. 9. Quocirca confessarij aduertere debent, quando & quomodo ob hoc offensis absolutionem negent, vel concedant, vt docuit Caiet. in dicta q. 25. art. 9. Multominus item tenetur cõdonare satisfactionem iniuriæ, quæ in iudicio peti potest, iuxta glo. fin. g in dicto c. si quis contristatus. Immo aliqui sũt, qui etiam si velint, non possũt id facere, quales sunt vxor, filius familiàs nondum emancipatus, seruus, & religiosus, iuxta glo. receptam in cap. parochianos. de sent. excom. Quoniam actio cõtra iniuriantem ad superiores pertinet, scilicet ad maritũ, patrem, dominum, & prælatum, secundum gloss. prælegatam. Addimusque, quod quãdo duo se mutuo offendunt, & amborum offensio est æque granis qui prius offendit, debet prius reconciliationem petere: at vero si posterior iniuria sit maior, posterior debet prius eam petere. Syluestr. in rosa aurea casu. 56.

26 Quadragesimoquinto, qui periculo peccandi mortaliter se exponit, vt qui dubitans de aliquo, an sit mortale nec ne, facit illud: aut omittit confiteri, argu. cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7 vt ibi nume. 57. & 81. copiosius diximus, & S. Bonauentu. in 4. distinct. 7. & Caietan in summa verb. periculo peccandi se exponere. tenent: & fortiori ratione lethale crimen incurrit, qui agit cõtra conscientiam, dum facit aliquid, aut omittit facere, quod illa in particulari & in indiuiduo dictat esse peccatum mortale. Tenetur enim eam deponere, aut quod illa dictat facere, capitul. per tuas. 2. de simon. vt in dicto capitul. si quis autem. nu. 110. copiosius diximus. Dixi, In particulari: quoniam quando conscientia

genera

generaliter dubitat, aut dictat contrarium illius, quod in particulari & in indiuiduo rectum iudicat, non est mortale, vt in præallegato cap. si quis autem. nu. 61. diximus.

27 Quadragesimosexto, peccat mortaliter, qui potens impedire, ne alius mortale crimen admittat, non impedit. cap. qui alios. de hæret. c. error. 83. distinct. cap. negligere. 2. quæst. 7. & alia in glosis eorum citata. Hanc conclusionem, quam significant multi textus, non in alia huius operis editione limitauimus, solum procedere in eo, qui sine verecundia, incommodo, & dedecore id poterat impedire, secundum Felin. in d cto cap. qui alios. vt in reper. cap. si peccauerit. 2. quæst. 1. latius diximus, & in reper. cap. inter verba & infra cap. 24. nu. 20. Neque obstat id quod numero sequenti dicitur, videlicet, quòd non peccat mortaliter is, qui ab vsurario mutuo pecunias exposcit, quem credit sine vsura & peccato non mutuo daturum. Nec etiam qui petit à curato suo, vt baptizet sibi filium, credens eum esse in peccato mortali, & quod absque contritione illius peccati baptizabit, & videtur verũque horum posse ab huiusmodi petitione abstinere absque incommodo, verecundia, & dedecore, saltem in casu, quo qui petit ad vsuram nõ graui premeretur necessitate: & inuenirentur sacerdotes, qui cum licentia proprij curati, quæ facile soler concedi, id baptisma ministrare vellent: & certum est, quòd illa peccata mortalia, quæ creduntur consequutura præfatas petitiones, illis omissis, impedirẽtur. Accedit etiam, quòd non peccat mortaliter ob hoc solum mulier, quæ gloriæ vanæ & venialis desiderio tacta, absque alio fine mortali se fucat & ornat, licet credat aliquos, qui ipsam sic fucatam, & ornatam videbunt, in eius concupiscentiam mortalem exarsuros, vt infra cap. 23. nu. 23. dicitur: attamen certum est, eam absque incommodo verecundiæ, & dedecore suo posse ab huiusmodi ornatu temperare. Addo his fundamẽtis, quòd etiam inferius, cap. 27. nu. 78. opponitur, eum qui omittit ecclesiam defendere, ne ab alio pereutiatur, cum possit sine suo detrimento auxiliari, non incurrere excommunicationem, de qua in cap. quantæ. de sent. excom. saltem in foro conscientiæ, si absque dolo malo & consensu omiserit defendere. Item, quod inferius, cap. 24. nu. 11. & seq. etiam definiuimus, neminem teneri alteri spiritualem eleemosynam elargiri sub reatu mortalis culpæ nisi ei, qui eius extremam patitur indigẽtiam, & manifestum est, eum, qui voluntarie crimen letale committit, sciens & aduertens illud esse tale, potensque per se illud excusare, non esse in extrema necessitate spirituali, vt ei ab alio ad id auxilium præsterur. Sed horum (quæ sunt egregia) dubiorum exactam solutionem ponemus infra cap. 21. num. 15. & in cap. 24. num. 16. quoniam id illi loco est aptius.

28 Quadragesimoseptimo peccat, qui consilio suo, fauore, vel ope alij est causa peccandi mortaliter, cap. noli. de pœnit. distin. 1. Nolumus autem dicere, quòd quicunque ab alio aliquid petit, credens, petitionem il-

lam futuram esse alteri occasionem peccandi mortaliter, est causa illius peccati: non enim est quum cum iusta causa id petit, est autem quum sine illa id facit. Nam qui necessitate oppressus mutuum poscit ab vsurario, sciens illum sine vsura nullatenus mutuo daturum, non peccat: quamuis peccet qui dat. Peccaret autem qui absque necessitate id peteret, vt etiam in cap. 1. §. sacerdos. nu. 6. de pœnit. dist. 6. declarauimus, iuxta Ioan. Maioris definitionem, in 4. lib. sent. dist. 15. quæst. 1. qua definit, eum, qui curatum scelere aliquo mortali irretitum obsecrat, vt filium suum baptizet, non propterea peccare, etiam si sciat illum non præuia pœnitentia peccati baptismatis sacramentum puero administraturum: & per consequens ea de causa reatum mortalis culpæ incursurum, cap. præter, adiuncta glosl. verb. agentibus. & verb. communio. 32. dist. quæ quidem doctrina tunc procedit, quando id quod petitur, ex se non est peccatum, vt in exemplo prædicto de administratione baptismatis, & in petitione mutui. Nã si tale esset, numquam liceret, vt si peteret dari sibi baptisma absque contritione, vel mutuo dari sibi sub vsura, vt optime tradit Caietan. 2. 2. q. 78. art. 4. & part. 3. q. 46. art. 7.

Quadragesimo octauo peccat, qui facit, aut dicit aliquid, quod de se non est mortale, cum intentione tamen alterum ad illud inducendi: vel absque tali intentione, facit aliquid, quod præ se fert speciem peccati mortalis, & factum in tali loco, & coram talibus est sufficiens impulsus ad peccandum mortaliter arbitrio boni viri, & prudentis, secundum sanctum Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 3. & 4. & S. Anto. 2. part. tit. 7. c. 4. ante §. quod etiam post ipsum nos in c. 6. supra eod. & in c. 1. §. animaduertere, nu. 6. de pœnit. distin. 5. tradidimus.

Dixi: Quod de se nõ est mortale: quoniam si esset tale de se, essent duo peccata effectu, vel vnum cum circũstantia scãdali necessario confitenda ob ea, quæ in duobus locis prædictis tradidimus.

29 Dixi etiam: Et quia sit in tali loco, & coram talibus: quoniã quod ex se non est peccatum mortale, licet habeat speciem eius, factum coram alio sine intentione inducendi ad peccatum non est mortale: immo etiam quod de se est mortale, commissum coram aliis absque tali intentione, & absque periculo probabili impellendi alios in peccatum non adfert secum circumstantiam necessario confitendam, vt in dicto §. animaduertere. nu. 8. & cap. consideret. in principio. nume. 115. noua quadam distinctione duas oppositas opiniones ad concordiam redegimus. Item neque veniale peccatum sit amplius quàm veniale eo quòd fiat animo alliciendi alterum ac peccandum venialiter, secundum omnes.

30 Quadragesimonono, qui tam parui æstimat salutem spiritualem proximi, vt absque necessitate, vel vtilitate, sed ex mera libertate suæ voluntatis aliquid agit, quod credit proximũ ad mortaliter peccandum illecturum: est exemplũ in femina, quæ siue causa exhibet se conspiciendam illi, quem credit simulatq; perspexerit, peruersum aliquod desiderium peccandi mortaliter concepturum, etiam si illa non intendat ad huiusmodi desiderium allicere, vt in dict. §. animaduertere. num. 6. post beatum Anto. 2. par. tit. 7. cap. 4. defendimus facit c. nihil de præscri. & c. 2. de oper. noui. nunc.

Dixi: Absq; necessitate, vel vtilitate, sed ex mera voluntate: quoniam si alioquin nõ potest congruo quodam modo talia loca non adire, aut tunc temporis illis non adesse, vbi ab alio solet videri: quia verbi gratia, eundũ est illi ad ecclesiam, vel alio, vel sedere oportet ad ianuam cum vicinis & affinibus, ne inurbanitatis possit argui, nullatenus peccat, secũdum eundem. Hic occurrit scrupulus non cõtemnendus, qui ex alio notabili postea dicendo nascitur, circa mulierem, quæ propter appetitum inanis gloriæ (in quo solũ venialiter delinquit) fuco facié depingit, an peccet in hoc mortaliter; sed inferius in cap. 16. nu. 23. ad hoc dubium respondebimus; illi enim loco melius quadrabit.

31 Quinquagesimo, qui absq; causa necessaria, vel vtili, alicuius mulieris suspectæ consuetudine familiari vtitur, & aduertens se scandalum præbere aliis, qui male illa iudicant: tamen ab ea non discedit; eo quòd nihili facit scandalum aliorum. Eodem modo peccat, qui frequenter moniales, debitam clausuram non obseruantes inuisit: & inde populus occasionem accipit detrahendi & murmurandi, etiam si alioquin caste viuat, & recta intentione loca illa frequenter. Ille itẽ, qui domi suæ habet aliquam mulierem, de qua populus sinistri aliquid suspicatur, siue sit cognata, siue extranea, quamdiu eam à se non reiicit. Ioan. Maior. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 30. Idẽ dico de eo, qui habitat cum femina, cum qua eum rem habere populus suspicatur, etiam si alioquin, neque opere, neque cogitatione cum ea peccet, vt in cap. inter verba. 11. q. 3. conclus. 5 etiam diximus.

32 Altera duarum quæstionum supra cap 3. nu. 9. propositarum, quam remisimus huc terminandam, est: An qui occasionem peccandi alteri præbet sine proposito numquã amplius eam præbendi, absolui possit? Ad quam respondi, quòd occasio faciens alterum peccare, à qua pœnitens abstinere, & numquam amplius se eam daturum statuere debet, quò absolui possit definiri potest esse omnis & sola illa, quæ est scandalum actiuũ mortiferum, hoc est, quod qui eam dat, mortaliter dando peccat. Et si roges, quæ est illa, quã qui dat, mortaliter peccat? Respondeo quod omnis & sola illa, quæ datur per peccatum mortale, aut intentione principali, vel minus principali inducendi ad illud, aut ad id iuuando, aut contemnendo salutem spiritualem proximi, aut in id, saltem interpretatiue, consentiendo.

Dixi: Per peccatum mortale, vt omnis illa occasio, quæ per opera mortaliter mala datur, includatur, in prædicta definitione. De qua occasione agit sanctus Tho. 1. 2. q. 43. ar. 4. quoniam licet omne peccatum mortale, quo scandalizamus, non habeat circumstantiam necessariò confitendam, vt supra in c. 6. nu. 19.

dictum est; cum tamen numquam liceat peccare mortaliter, clarũ est, quod non est absoluendus qui non proponit se numquã daturum occasionem peccandi per peccatũ mortale, quia qui tenetur ad aliquid, tenetur ad consequens necessarium, arg. l. illud. de acquir. hæred. & cap. præterea. de offi deleg.

33 Dixi: Aut intentione principali, vel minus principali inducendi ad peccatum mortale, ad includendum omnes occasiones, quæ cum hac intentione dantur, sine opera ex se bona sint siue mala, siue ad malum, siue ad bonum inuitent. Quia simul ac cum huiusmodi intentione dantur, tales sunt, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 2. ad 4. Nec huic obstat, quod in c. inter verba. 11. q. 3. & in c. quando. de consec. dist. 1. & in additione eius, & latius nuper in commentario cap. cum minister 23. q. 5 num. 19. dixi, scilicet, quòd opus non definit esse bonum, si principaliter propter Deum fiat, aut quia est bonũ, quamuis minus principaliter, ob aliquod bonum tẽporale fiat, propter quod si principaliter fieret, malum esset. Non, inquam, hoc obstat: quia intelligendum est, quando quod minus principaliter intenditur, non est malum culpæ, seu peccatum: sed res bene appetibilis, quamuis non possit esse finis principalis virtutis, quæ præstantior ea est. Id autem, quod in hac definitione dixi, intelligendum est de eo, quod est malum culpæ, seu peccatum, quod nullatenus desiderare, nec velle, nec nobis finem principalem, nec minus principalem proponere possumus. Cuius enim finis malus est, ipsum quoque malum est, dicto cap. cum minister. 23. q. 5. vbi nu. 36. diximus, hoc distare inter finem malum, quia est malum culpæ, & inter finem malum, quia est ineptus; eo quod sit medio minus bonus, quod hic potest esse finis minus principalis boni operis: ille vero non.

Dixi: Aut ad id inuando, ad includendum eas, quibus quis dat opem ad peccandum; opem enim ferens peccat, c. sicut dignum. §. illi autem. & §. hi quoque. de homicid. qualis est, quam præbet is, qui aliquem synagogam Iudæorum ædificat, aut reficit: quamuis sine aliqua intẽtione mouẽdi ad peccandum id faciat.

Dixi: Aut contemnendo salutem spiritualẽ proximi, ad includendum eas, quæ dantur ob proximi salutis contemptum; qualis est, quam dat is, qui ideo transit per ianuam domus alterius, quem ob illum transitum mortaliter ira, aut amore inordinato peccatorum credit, quòd nihili pendat, aut parui faciat, quòd alter ad id moueatur; contemptus enim huiusmodi efficit, vt mortale sit, quod alias non esset. S. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 9. & ante illum glo. c. quis autem 10. dist. putata singularis à nostris.

Dixi: Aut consentiendo: quia consentiens peccat, sicut principalis, ad Rom. 1. cap. notum. 2. quæst. 1. cap. 1. de offic. deleg.

Dixi: Aut saltem interpretatiue, ad includendum eas, quæ dantur per eum, qui aliquid facit, quod ex sua natura & circumstantiis, cum quibus facit, adeo ad peccatũ mortale incitat, vt maiorem partem eorum, qui sunt eiusdem qualitatis, cuius

cuius sunt hi, quibus datur illa occasio, in peccatum mortale deiicere soleat: aut facit aliquid, quod quamuis ex sua natura & circumstantiis tale nõ sit: tamen credit & aduertit, ob illud certam aliquam personam ex sua infirmitate, aut ignorantia mortaliter peccaturã, & antequam huic rei prouideat, id facit: aut credit & aduertit ex malitia peccaturam, sine tamen vlla causa, & sine vtilitate sua, nec aliena illud facit: aut prætermittit aliquid facere contra legẽ iustitiæ, aut charitatis præceptum, ob quod alius mortaliter peccat. Addidi tamen: Certam aliquam personã, quia non sufficit credere aliquam generaliter peccaturam; vt qui ad animi recreationem aliquam dudum instituit, nõ peccat, eo quòd aliquem in eo peccaturum credat: sicut nec ille, qui credit, aliquem malum esse in aliquo oppido, aut in aliquo magno conuentu peccat, vt colligitur ex textu singulari cap. Ofius. de elect. Quamuis ea de re nulla sit præsumptio particularis, licet peccaret, si crederet illum aut illum illius oppidi, vel conuentus, esse malum.

34 Dixi: Faciendi mortaliter peccare: quia non sufficit illa, quæ venialiter peccare facit; cum, vt absoluatur, non sit opus proposito numquam amplius ad veniale redeundi, quod confessus est, iuxta sanctum Thom. 3. par. quæst. 87. art. 1. & supra c. 1. dictum fuit: & occasionem venialiter peccandi per opus, quod nõ est mortale, dare ad summum est peccatum veniale, & nihil amplius, iuxta eundem sanctum Thom. 2. 2. quæst. 43. ar. 4.

Ex qua generali, & resoluta definitione, multorum dubiorum, quæ à nobis, postquam ad sexagesimum annum peruenimus, quæsita sæpius fuerunt, peculiaris responsio colligitur. Primo quidem, quod talem occasionem dat, quisquis corã alio mortaliter peccat, per primam partem dictæ definitionis: licet eam tali modo non dederit, vt circumstãtiæ necessario confitendæ causa esset. quod quando contingat in cap. 6. nu. 9. & seqq. dictum fuit.

35 Secundo, quòd talis est occasio, quã dat quælibet persona, quæ cum intentione principali inducendi ad amorem inhonestũ & mortiferum aliquam eleemosynam præbet, aut alloquitur, inuisit, docet, consulit: & à fortiori erit talis ea, quæ datur visu, nutu, blanda & amatoria loquutione, aut blandimentis, tactibus, muneribus, aut obsequiis in hunc finem directis. quia harum cuilibet secunda pars dictæ definitionis conuenit. Nec obstat dicere, quòd fortassis ex ea finis mortifer, qui prætendebatur, non sequitur; cum omnis voluntas, vt alius mortaliter peccet, mortifera sit, vt supra c. 11. nu. 11. & nu. 15. & 16. post S. Tho. 1. 2. q. 74. & S. Anto 3. par. tit. 5. cap. 1. §. & Magistrum in 2. distin. 24. & Ioan. Maiorem dicta distin. 24. q. 18. dicitur: & sic qui aliquam harum occasionum dedit, nisi statuat numquam amplius eam se taliter daturum absolui non debet.

36 Tertio, quòd est talis, quã dat qui etiam sine alia praua intentione facit aut reficit Idola apud Indos: aut Synagogas, apud Iudæos: aut Mezchitas apud Mahumetanos: aut

Pagana templa apud Paganos: aut Hæretica apud Hæreticos: aut facit aliquid aliud, cuius principalis vsus est peccatum mortale: quia occasionem ad illud dat cum auxilio, & sic in tertia parte dictæ definitionis comprehenditur.

Quarto, quòd etiam talis est, quã aliqui diebus festis, missa ab ipsis audita alijs, qui eam non audierunt, præbent, canendo, pulsando, choreas ducendo, saltando, ludendo, aut faciendo alias res, quibus præsentes tempore, quo audire missam ex præcepto tenetur, detinẽt, eo solo, quod eorum salutem spiritualem parui pendunt, respondentes dicentibus eos occasionem peccandi præbere, nihil sua referre, cum ipsi eam audierint: quia eis quarta particula dictæ definitionis conuenit. Quapropter gubernatores, qui hæc fieri publice tempore diuinorum officiorũ, saltem præceptorum, prohibẽt, laude digni sunt.

Quinto, quòd est talis illa occasio lasciua & inciuilis quã præbent, qui pudenda ostendunt, aut vident nuda, aut operta vestibus tenuissimis, sine circumstantia iustificante, quãuis id sine intentione inducendi ad culpam mortiferam faciant, per primam definitionis partem. Quia talis occasio est peccatum mortale, cum ex sua natura communiter ad culpam mortiferam, saltem voluntaris, aut delectationis mortiferæ morosæ inducat. Vnde legitur, Barnabã maledixisse nudis viris & mulieribus nudis: & sine proposito nũquam amplius se eam daturos non sunt absoluendi. Dixi: Sine circumstantia iustificante, ad excludendum ex hoc numero adspectus, & tactus, quos infirmi talium membrorum medicis, chirurgis, & clysteriferis permittunt.

37 Sexto, quòd etiã est talis, quam dat, qui credit aliam certam personam obuiam sibi factam in concupiscentiam, aut iram mortiferam ex sua infirmitate, aut ignorantia casuram, & hoc aduertens obuiam illi fit, non prouidendo eius infirmitati aut ignorantiæ, quam sis sine intentione vt illa peccet id faciat. Quia illi conuenit sexta prædictæ definitionis particula, videlicet, Consensus interpretatiui.

Septimo, quòd talem occasionem non dat, qui sine intentione & contemptu mortifero ita se ornat, vt credat quidem se ab aliqua persona totius populi, aut circi, vel ecclesiæ odio, vel concupiscentia mortifera habendum, si illo ierit: nescit tamen à quo, aut id non aduertit: nec etiam si sciat quis, si intelligat quòd ex malitia, praua consuetudine, & habitu quem habet, peccabit, quales sunt hi, qui non solum tales occasiones fugiunt: sed etiam aucupantur, immo se de eo iactant. Quia eiusmodi occasioni nec dicta sexta particula, nec alia dictæ definitionis conuenit, & per hanc & præcedentem decisionem, id quod Caietan. dicit 2.2.q.186.art.9.versic. ad 4. & id quod Siluest. verbo, ornatus. quæst. 4. & alij affirmant, conciliari possunt.

Octauo, quod nec etiam est talis occasio illa, quam dãt scurra & alij, qui præbent occasionem nimiam ridendi, comedendi, bibẽdi, vestiendi, aut loquendi, modo nimietas illa non

nõ perueniat ad culpæ mortalis excessum. Per septimam enim dictæ definitionis partem, ex numero dictarum occasionũ excluditur, quia solum venialiter peccare facit: quãquam magnopere illis est cõsulendum, vt ab eo abstineant. Tum quia ob nullam omnino rem peccatum veniale committendum est, vt sentit glo. in c. si aliquid. 22. q. 4. & probat cap. 1. cum seqq. 22. quæst. 2. quã ominus tot sunt committenda. Tũ quia etiam vnum tantum peccatum veniale disponit ad mortale, iuxta S. Thom. 1.2. q. 88. art. 3. Idem dicendum est de eo, qui dicit aliquid, aut facit, vt ad amorem vanum, aut veniale tantum malum alliciat, qualis est illa, qua quis videt, alloquitur, vel obsequio aliquã feminam prosequitur, non quidem quo moueat eam in copulam carnalem, neque in tactus inhoneſtos, neque delectationem morosam: sed quo illa delectetur eius adspectu, alloquio, pulchritudine, ac ornatu, & eũ beneuole intueatur, complacentiam de bene constituta & culta persona significãdo, sine alia delectatione, aut fine mortiferi mali, quamquã magna circumspectione opus est, ne hoc aliqua mortali culpa inficiatur.

38 Nono, quòd interdum absolui potest, qui occasionem interficiendi dedit ob cõmodatam balistam absque malo fine, licet nũquam se amplius sic commodaturũ nõ statuat, & interdum nõ. Quia commodare ex sua natura, talem occasionem nõ efficit: circumstantiæ tamen eam efficere possent. Proinde, si quis alicui, qui cum alio rixatus est, irato animo balistam petenti commodauerit eam, talem præbet occasionẽ quia interuenit auxilium, aut contemptus salutis spiritualis, aut consensus saltem interpretatiuus, quod per quintam & sextam dictæ definitionis partem sufficit ad efficiendũ, vt aliquid sit eiusmodi occasio. Idẽ dicendum de eo, qui commodat, aut vendit lanceam, sclopettum, ensem, aut alia arma, aut pigmẽta, aut chartas lusorias, talos, orbiculos, aut aliquid aliud, quod bene & male alteri tradi potest.

Decimo, quòd talis est illa occasio quottidiana, quam dat, qui imperat, consulit, aut rogat alium, vt falso iuret, iniuriam inferat, persecutiat, fornicetur, aut aliud opus manifeste malum faciat, ad tentandam virtutem eius tãtum, licet non intendat eum ad id inducere, immo introrsum desideret, ne illud faciat: quia est peccatum mortale. Nam est actus suapte natura ad culpam mortiferã inducens sine circũstantia iustificante: & sic illi primæ dictę definitionis pars conuenit.

39 Vndecimo, quod talem occasionem non præbet, qui ab eo, qui ex sua malitia est ad peccandum paratus, petit aliquam rem ex se bonam: quæ tamen est materia exercendi peccatum ab ipso cõceptum, quamuis talis sit ea quam dat ille, qui petit aliquid, quod est peccatũ ab eo, qui ad id accinctus siue paratus est. Ex quo colligitur ratio, quam quidam perdoctus quærebat. Cur qui mutuatur ab vsurario ad dandũ iub vsuris parato, ob necessitatem petit, non peccat: qui vero petit ab eodem ad vsuram peccat? Est enim ratio quod qui primum petit non ab

eo rem malam quamuis materiam peccandi offerat: qui autem petit posterius, sic vt recte declarauit & probauit Caieta. vbi supra, cui concordat Dominicus Sotus, tacito eo, de iustitia & iure lib. 6. q. 1. ar. 5. Pro quo facit decretum S. Augustini. c. mouet. 22. q. 1. quo probatur, non esse peccatum, petere ab infideli, vt se promissis statutum iuret, licet illum per suum falsum Deum iuraturum sciat, quãquam petere vt per illum suum falsum Deum iuraret, peccatũ esset. Facit etiam ratio superius facta, scilicet non esse peccatum occasionem peccandi sine mala intentione cum necessitate, aut vtilitate præbere ei, qui ex sua malitia peccat: quamquam petere vt peccet, aut vt rem, quæ peccatum est, faciat, sic. Facit etiam, quod sicut illud decretum cap. mouet. 22. q 1. probat, & S. Tho. dixit 2. 2. q. 78. ar. 4. alieno peccato sine consensu in illud vti licitum est, quemadmodum ipsemet Deus pro sua bonitate nostris peccatis in bonos fines vtitur.

40 Duodecimo, quòd non est talis occasio illa vsu frequentissima, quã aliquis dat deponendo suos nũmos apud nũmularios, vsurarios, aut contractus vsurarios exercẽtes, qui proprios habent ad illa exercẽdas, vt dixit sanctus Thom. in dicto art. 4. quia nulla particula dictæ definitionis illi conuenit. Est autem talis illa, quam dat, qui deponit apud talem nummularium, qui proprios nummos nõ habet, quibus suas vsuras exerceat, sicut idem S. Tho. sentire videtur. quod verius videtur, quàm quod Caietanus super ipsum in dicta q. 78. art. 4. insinuauit. Idemque quod nobis, visum fuit Soto lib. 6. q. 1. sub finem, de iust. & iur. Quia differentia, quam sanctus Tho. inter illos duos ponit, non satis bene verificatur, intelligendo eam, vt Caietanus quo ad peccatũ veniale, quod vnus incurrit: quia suam pecuniam non deposuit prudenter eam committendo ei, quem credebat eã impensurum, cum propriam non haberet, & alius non: quia prudenter deposuit apud eum, quem credit eam non impensurum, cum propriã habeat. Nam is intellectus à mente sancti Tho est maxime alienus: quę est conclusio notabilis pro mille, apud cambia vsuratia exercentes deponentibus.

Decimotertio, quòd talem occasionem non præbet, qui alium ad committendum aliquod peccatum minus inducit, videns eum ad maius committẽdum deliberatum, nec valens alio modo illud ei dissuadere, vt etiam infra c. 17. nu. 263. dicemus, quamuis Caietan. vbi supra oppositum tenuerit. Quia licitum & etiam sanctum est precari & persuadere ei qui proponit interficere, aut adulterari, vt satis esse ducat percutere, aut fornicari, vt clare S. August. in c. si quod verius. 33. q. 2. dixit & Adria. quolib. 1. q. 2. & etiam Sotus super c. 5. ad Rom. & Caieta. in summa verb. tyrannus.

Decimoquarto, quòd per prædicta declarari potest illa conclusio Soti lib. 6. q. 1. ar. 5. de iust & iure. scilicet, quod non peccat qui aliquid, quod in se bonum est, petit ab eo, qui dare aut facere bene potest, eo quod scit, alium dando, aut faciendo petitum peccaturum. Quoniam per prædicta

prædicta vera videtur: quando sine cõtemptu salutis spiritualis proximi, & non præbito ad illud auxilio, nec cõsensu in illud etiam interpretatiuo, petitur, & alius per malitiam, & non per solam ignorãtiam, aut infirmitatem peccat, at quando aliquid horum concurrit, non videtur vera.

41 Decimoquinto, quòd illa conclusio, quam post S. Thom. in 4. lib. senten. dist. 24. q. 1. ar. 5. ad. 3. & Siluest. verb. clericus. §. 8: q. 1. asserimus infra cap. 25. nu. 78. scilicet mortaliter peccare, qui credens, sacerdotem esse in peccato mortali, & quod eius non pœnitebit ante missam, quam faciet, inducit ipsum ad eam celebrandam, est intelligenda de sacerdote ab ecclesia per excommunicationem, aut suspensionem notoriam pulso, aut non præparato, nec ad missam obligato, aut per ignorantiam, aut infirmitatem. & non per malitiam peccãte: aut eum mala intentione, aut consensu, aut contẽptu salutis spiritualis eius inducit, & non aliàs, vt colligitur ex prædictis, & his, quæ in c. 1. §. sacerdos. nu 3. & seq. de pœnit. dist. 6. post vtrumque Tho. in 3 part. q. 64. art. 6. copiosiùs diximus. Propter quę omnia credo, homines rogantes sacerdotes, vt pro illis missas faciant, aut vt illis sacramẽta administrent, raro ob id peccare.

Decimosexto, quòd nec etiam est talis ea, quam subditus alicuius tyranni, qui dominium & iurisdictionem alicuius status vsurpauit, eidem dat, petens iustitiæ administrationem, aut beneficium, seu gratiam aliquam honestam. Quia dicta definitio illi non conuenit, cùm ipse per malitiam peccet, & subditus nõ petat opus ex se malum: quamuis materiam peccandi offerat, immo ad minùs peccãdum inducat. Siquidem dat operam, vt qui peccat alienam potestatem vsurpando, nõ peccet etiam iustitię administrationem & beneficiorum, seu gratiarum distributionem prætermittendo, vt recte Caieta. in summa verbo, tyrannus, declarauit.

42 Decimoseptimo, quòd talis fuit illa, quam quidam nobis religioso cuidam iuueni ab eodem, hospitio excepto dedit, introducens ei in cubilum noctu puellam sine intentione inducendi illum, aut illam ad peccãdum: sed tantum tentãdi eius castitatis virtutem. quia prima dictæ definitionis pars ei conuenire videtur, cum illud opus peccatum sit mortale, quippe quod sua natura est inductiuum ad culpam mortiferam: nisi illius magna religio, & puellæ magna honestas circumstantiam iustificãtem produceret. Idem item dicendum de ea, quam dedit is, qui amatorie quãdam mulierem solicitauit nolens, vt illa in id consentiret: sed vt intelligeret, quid responderet. Idem item dicendum de ea, quam aliús dedit alteri, cum soli essent, studiosè dicens sine mala intentione, vt eam experiretur. Si te multum deprecarer, dormires ne mecum?

Decimooctauo, quòd non erãt tales, quas sibi mutuo dederunt duo Hispaniæ magnates, cum alter alteram super mulam suam retro se ferret, qui cum transirent cum suo comitatu per locum quendam secre-

tunt, absque fine mortali, aulicè dixit illi, Qualis locus erat hic, dominica: ad voluptati indulgendum, si tu alia fuisses, & illa respondit: Erat quidem valde aptus, si tu alius fuisses, cum impotentiæ insimulãs. Nec etiam illa: quam grauis quidam vir dedit, dicens sine alio malo sine vrbano sermone honoratæ cuidam feminæ; Vis vt in eodem lecto nos metiamur? Quia quamuis hæc verba per se ad peccatum mortale dirigantur; ex qualitate tamen personarum, fine, & modo dicendi colligebatur circumstãtia quædam, moderans vim eorum, quam ad inducendum ad peccatum mortale habent: de quo casu & alijs similibus, qui occurrunt inter aulicos vrbanè iocantes, ego satis hucusque dubitaui.

Decimonono, quòd diu, multumque dubitaui, an esset talis illa, quam quidam facerdos ante triginta annos mihi confessus fuit, se dedisse: admouẽdo, iocoso honestoque amore absque mala intentione manus honestę cuiusdam mulieris pectori, & eiusdem mamillas tangendo. Cuius decisionem numquam hactenus affirmare sum ausus: nunc autem dico mihi videri eam non esse talem: quia nulla pars prædictæ definitionis eam comprehendit, quando tactus ille ex sua natura non tantum incitat ad peccatum mortale, vt quasi semper mortaliter peccare faciat personas, quæ sunt eiusmodi qualitatis: quando, vt dixi: iocose fit: quamuis si ferio fieret, aliud dici deberet. Idem dicendum est de eo, qui absque mortali fine & intentione, aliquam feminam per manum, aut brachium ducit: quamuis vterque sit iuuenis. Et etiam de eo, qui manum premit, Caiet. 2.2. q. 154. artic. 4. aut vellicat, aut brachium torquet, aut eius pedem suo contingit. Et etiã de eo, qui amplectitur, & osculatur, vbi talis est consuetudo, modo partium obscœnarum adspectus & tactus absit, de quibus iam dictum est, & modo non sit alius finis & intẽtio mortalis, vt solet fieri in choreis, iocis, saltationibus, & aliquibus ludis ad recreationem adhibitis, maxime inter cognatos, & familiares: in quibusdam regionibus plus quàm in alijs.

43 Vigesimo, quòd nec etiam est talis occasio illa peccandi, quã dant Vniuersitates, Studia, Collegia, gradus, magisteria, doctoratus ad docendum scientias licitas instituta: licet multi propter illa peccent, docendo, discendo, gradus conferrẽdo, suffragia ferendo, & male rem gerendo, per superbiam, ambitionem: vanam gloriam, inuidiã, auaritiam, tachnas, mendacia, subornationes: & etiam periuria. Ob quæ huius contrarium dixit ille Hæresiarcha Vuiclephus damnatus per Cõc. Constantien. sess. 8. cuius articulus damnatus ibidem est, Vniuersitates, Studia, Collegia, graduationes & magisteria. in eisdem: sunt vana gentilitate introducta: & tantum prosunt ecclesiæ, sicut diabolus. Sed longe verior est nostra hæc respõsio, quia præfatam occasionem non comprehendit prædicta resolutio. Optimum tamen esset, vt considerarent Rectores & Gubernatores scholarum & collegiorum, tanta esse peccata: quæ in illis committuntur: vt occasio

occasionem dederint illi hæretico & suis sequacibus ad illud de ipsis affirmandum. Ideoque omnibus artibus, & viribus nauarent operam diminuendis illis, etiam si omnino exinanire non possent.

Vigesimoprimo, quòd nec etiam est talis occasio, quam dant peccandi scientiæ licitæ Theologiæ, Legũ, & Medicinæ: quamuis quidam scripsit, quòd animæ peribãt ob sacram Theologiam ad earum salutem inuentam: & corpora ob Medicinam ad eorum valetudinem inuentam: & bona per leges ad eorum conseruationem latas, quia culpa non est earum, nec suorum auctorum: sed eorum qui eis abutuntur. Idem item dicendum de aliis scientiis, & artibus, quas infamia notare infamis Cornelius Agrippa, & dãnare damnatus Lutherus voluerunt, quos eorum debellator Castrensis refert in lib. 6. aduersus omnes hæreses, verb. scientia.

Vigesimosecundo, quòd nec etiã talem occationem dant, qui illas artes mechanicas exercent, quarum operũ vsus bonus & malus esse potest. quamquam plures illis male venialiter vtãtur, vt in cap. negotium. de pœniten. distinct. 5. num. 5. & 19. & 27. probauimus: quia per septimam particulam dictæ resolutionis excipiuntur. Quandoquidem peccatum veniale non admit gratiam diuinam, nec illius dimissio ad illam consequẽdam est necessaria, secundum sanctum Thom. 3. part. quæst. 87. art. 1. & dictum fuit supra, capi. 1. num. 26. Ob quod mihi videtur, absolutionem non esse denegandam personis, quæ componunt pigmenta, indusia, collaria, sudaria, mamillaria, & alia valde operosa, quibus communiter homines male venialiter vtuntur, licet cõfessarij ab hoc eas abducere deberent, præsertim moniales, quæ cum sint professæ statum perfectionis illustrem, à dãdis & accipiendis vanitatum occasionibus, multum cauere debent, licet non sint nisi veniales. Quia quãuis maculam non inspergant, tollunt tamen decoris lucem & obscurant, vt declarauit sanctus Thom. 1. 2. q. 87. articul. 1. post S. August. qui in lib. de pœnitent. dixit, *Peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant, vt à cœlesti sponsi amplexibus nos separent.*

Vigesimotertio, quòd nec etiam dat talem occasionem, qui habet artem faciendi opera, quæ ex se sunt talia, vt illis homines bene, & male vti possint: quamuis maior pars male etiam mortaliter vtatur, vt efficaciter in præcitato capitu. negotium. nu. 8. de pœnit. dist. 5. probauimus, sequuti mentem diui Thom. & Caietani, 2.2. quæst. 69. articu. 2. & præcipue per istam rationem, quod aliqua ars, aut alia res nõ est mala, eo quòd plures male etiã mortaliter ea vtantur. Bona enim est lex illa naturalis & diuina, de vno solo Deo recte colendo, quamuis maior hominum pars, immo & nouem ex decem, qui sunt Pagani, Iudæi, Mauri, Hæretici, & multi Catholici male etiam mortaliter ea vtantur. Bona etiam est lex de non iurando irreligiose: sed maxima hominum pars recensendo in ea Gentiles, Iudæos, Mauros, & Hæreticos, & Catholicos, quos omnes illæ obligant, iurãt, aut

habent

habent voluntatem iurandi per falsos Deos, aut irreligiose per verum. Sancta est itē lex sexti, & noni præcepti Decalogi, de non fornicando, nec concupiscendo: maior tamē pars in illam mortaliter peccat, opere, ore, voluntate deliberata, aut morosa delectatione carnali contra naturam, aut præter illam.

44 Vigesimoquarto, quòd nec etiā talem occasionem peccandi dat, qui ad bonum finem permittit, aut instituit cum moderatione debita supplicationes, congregationes publicas, & solennes orationes, mercatus, nuptias, primas missas, belli simulachra, publica conuiuia, & exercitationes currendi, aut choreas, & tripudia faciendi. Quia prædicta resolutio eam non comprehendit: & quia sunt opera suapte natura talia, quibus homines & bene, & male vti possunt. Et quamuis multi ex illis occasionem peccandi capiant: multi tamen illis bene vtuntur, & ex his, qui male vtuntur quamuis aliqui mortaliter peccent: maior tamen pars sine comparatione non peccat amplius, quàm venialiter.

Vigesimoquinto, an occasio peccandi, quæ ex agitatione taurorum datur sit talis, vel non, infra in capitulo sequenti numero nono dicetur.

Vigesimosexto, an sit talis occasio, quæ ex permissione lupanarium publicorum datur, infra in ca. 17. nu. 195. dicetur.

Vigesimoseptimo, quòd talis est occatio, quam dat ille, qui ne scandalizet alium, qui iniuste offenditur, omisit aliquid facere, quod sub reatu mortalis culpæ efficere tenebatur, puta rancorem in inimicum conceptum deponere, vel opitulari proximo extrema necessitate laboranti, secundum S. Thom. 2. 2. q. 43. artic. 7. Richard. in 4. lib. sentent. dist. 38. & text. in c. vtilius. de reg. S. Anto. 3. par. tit. 7. c. 4. § 5. Neque etiam opera, quæ non sunt præcepti, sed consilij, puta dare eleemosynam, ieiunare, & id genus alia omittenda sunt ob malitiam, inuidiam, vel male dispositam voluntatem illorum, qui propterea scandalizantur. Est enim scandalum Pharisæorum Matth. 15. & capi. inter verba. 11. q. 3. Immo nec quando scandalum ex ignorantia, vel infirmitate animi oritur, quod pusillorum, aut ignorantium, seu imbecillium nuncupatur, debēt bona opera in totum relinqui: sed occultari, aut differri quousque moneatur proximus, bonitate eius, quod facit. Quòd si post huiusmodi admonitionem adhuc scādalizatur, nihili est habēdum tale scandalum, tūc enim iam fit pharisaicum iuxta prælegatos doctores, & beatum Gregorium in dicto capi. inter verba. Nisi quando illi admoniti non intelligunt rationem, quæ illis redditur: aut antiqua consuetudo, vel alia ratio, qua ipsi nitūtur, persuadet eis nō esse iustam illam rationem, quæ ipsis redditur. Tunc enim, quia scandalum non ex malitia, sed ex ignorantia oritur, talia opera etiam secundum se bona, cum non sint de necessitate salutis spiritualis, dimittenda sunt, vt Cardin. Caietan. 2. 2. q. 54. artic. 7. docuit. Nemo tamen subinde cogitet, in gratiam proximi, aut propter euitandum scandalum, licere alicui nec vnicum peccatum veniale committere, secundum sanctum Thom. in 3. dist. 43. artic. 7. ad 5. Immo neque propter impediendam mortem alterius, mentiri vllo modo licet, capi. super eod. de vsur. & capit. primum. 22. q. 2. facit gl. singul. cap. si aliquid. 22. q. 4.

Vigesimooctauo, quòd talis est occasio, quam dat is, qui ex aliqua causa occultò vescitur carnibus in diebus ab ecclesia prohibitis, vel ieiuniis præceptis non ieiunat, & eos qui propter ignorantiam scandalizari videntur, certiores, non facit, vt patet ex prædictis.

Quid restituet animæ proximi bona lædens.

SVMMARIVM.

45 *Restituet quo pacto, qui proximum damnificauit in bonis animæ.*

CIrca hoc dicimus, quod, qui proximo nocuit in bonis animæ, eo quòd ad peccandum mortaliter ipsum induxit, tenetur iuxta vires eniti, vt bonum quod sua opera amisit, ipsi restituatur. Nam si rerum corporaliū restitutio est necessaria, multo certe amplius spiritualium, quæ ad animam pertinet. arg. c. cum in cunctis. de elect. & authent. multo magis. C. de sacrosanct. eccles. Siquidem hæc nobiliora bona sunt illis. cap. deteriores. 6. q. 1. Proinde modo, quo nocuit restituere debet, inducēdo eum, quem decepit ad peccandum, ad pœnitentiam, & opera meritoria consulendo, exhortando, & pro eo Deū precibus, tum propriis, tum alienis, si opus est, interpellando, eiusque cōuersionem imperrando, reuocare contendat, absque tamen peccati occulti manifestatione. Vnde constat, quantum oneris contrahat, qui alium ad peccandum inducit, quoniam vix dignam restitutionem facere potest, siquidem voluntas, quæ semel corruit in peccatum, vix multis etiam admonitionibus cōsiliisque ad virtutem resurgit, secundum Scot. in 4. libr. sentent. distin. 16. q. 3. in hoc communiter ibi receptum, & Adrian. in 4. de restit. q. 31. & alios alibi. Sed hæc omnia videntur intelligenda de illo, qui vi, dolo, aut fraude aliū ad peccandum induxit, vt si pater, dominus, aut paterfamilias auctoritate sua inducere filium suum, aut cliētem, vt eum alio inimicitias exerceret, aut literis prædituS, aut hæreticus quispiam, alteri persuaderet, illum, aut illum contractum non esse vsurarium: vel illam, aut illam doctrinam esse veram, cum contrarium esset verum: vel qui susurrando & falsa renuntiando inter duos inimicitias disseminat. Nō est autem intelligendum hoc de illo, qui ad peccādum impulit aliū qui scit illud esse peccatum, & potest liberare & absque vllo timore, aut erubescentia illius, qui induxit illum ad peccandum, abstinere ab illo peccato, & ab illo resilire. Nam hic ad nullam tenetur restitutionem à iustitia præceptam, de qua hic loquimur, siquidem nihil cōmisit contra iustitiam, quamquam debet illū ex charitate, sicut alios peccatores, & aliquādo plus corrigere, id qđ erudite insinuauit, & meo iudicio, efficaciter probauit Sotº lib. 4. q. 4. art. 3. de iust. & iur. & latiùs nos nuper tradidimº in c. noli. de pœn. dist. 1.

De

De quinto præcepto Decalogi, Non occides.

Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum quintum vetat mortem corporis, non animæ.*
2 *Occidunt iuste latrones iuste, & se vel alium defendens.*
3 *Mors aliena pro medio defensionis propriæ an sit licita.*
3 *Vita proximi quando plus æstimanda, quàm res propria.*
3 *Defensio iusta inculpatæ tutelæ.*
4 *Fugere quis an teneatur.*
4 *Honorem ob tuendum vt licet alium percutere.*

1 PRo fundamento dicendorum dicimus primo, sequentes concluſ. Colon. in declaratione huius præcepti, hoc præceptum fuisse interpretatum ab eodem, qui illud tradidit, vt patet Matth. 5. scilicet, quòd per illud non solum prohibetur homicidium, aut quæuis percussio: verum etiam voluntas id faciendi. Etenim vt docuit sanctus Thom. receptus 1.2.q.72.artic.7. quem nos sequimur in additione. capit. quando. de consecr. dist. 1. & supra in prælud. 9. nu. 2. peccata cordis, oris, & operis eiusdem sunt speciei.

Secundo dicimus, hoc præceptum tãto melius custodiri debere, quanto potiores ob fines latum fuit, quos in dicta additione congessimus, & quòd ille infringit illud, qui ob vindictam, vel aliquem aliũ respectum publicum, vel priuatum iniustum, vult, procurat, aut operatur, aut aliquod detrimentum personale, aut corporale notabile proximi, nõ autem qui vult, procurat, aut operatur detrimentum animæ, vt ipsummet Concilium sensit.

2 Tertio, quòd sæpe quis licite alterum occidit. Primo, vt iudex publica auctoritate. capitul. ille 23.q.4. Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere super terram*, secũdum sanctum Tho. 2.2.q.64 articul 2 etiam ob furtum, iuxta alterum Thom. in dicto arti. 2. quæ est communis opinio in 4. libr. sent. dist. 15. contra Scotum. Secundo in bello iusto, quod etiam auctoritate publica geritur. cap. nisi. cap. noli. cap quid culpatur, & cap. militare. 23. quæst. 1. Tertio ob vitæ propriæ defensionem, post Caieta. in dict. q. 64. arti 7. & Anton. 3. par. tit 4. c 3. sub finem, & Sylnest. verb. bellũ. quæst. 2. probauimus in capi. olim. 1. de restit. spoliat. quod opportune pro hoc facit vbi respondimus ad cap. 2. de homicid. quod secundum Panorm. ibidem contrarium probat, in illis verbis: *Te tuosque liberando*. Respondimus etiam ad rationem, quæ pro illo facit, videlicet quòd, vt supra cap. præcedenti dictum est. tenemur ad magis diligẽdum viram proximi, quam nostras fortunas. Respondimus, inquam, quod illud est verum in casu necessitatis: extra tamen illum, maiorem curam habere quis debet rerum suarum ad suã suorumque vitam tuendam, & ad virtutem exercendam, quàm vitæ alienæ, iuxta sanctum Thom. receptum in dicto articul. 7. Pro quo facit l. vt vim. ff. de iustit. & iur. At qui capit aliena titulo alio, quàm necessitatis, non est positus in illa.

Quinto, propter defensionem proximi. gl. pœnit. Cle. 1. de homicid. & in

& in summa, 15. q. 8. Innoc. Panormi. & Commun. in cap. si vero. 1. de sent. excomm. Panorm. in cap. penulti. de cleri. percuss. quidquid dicat Fortun. præcitata l. vt vim. ff. de iustit. & iur. nu. 24. Omnes autem hi casus vna in re conueniunt, scilicet, quod in omnibus eis peccat occisor, qui ob odium, aut vindictam priuatam occidit, capit. cum minister. 33. q. 3. differunt autem in alijs. Etenim in tertio casu, qui hominẽ necat, neque peccat, neque est irregularis: in ceteris autem licet non peccet, fit irregularis, iuxta gloss. sing. ab omnibus fere receptam, quæ est penult. Clemen. 1. de homicid. Item, qui in duobus primis casibus, scilicet, iudicis auctoritate, aut in bello iusto occidit, aut iubet occidere, potest quidem habere propositum, & animum occidendi propter bonum pacis & tranquillitatem reipub. at qui in aliis casibus occidit, non potest iuste habere animum occidendi, nec apprehendere mortem alterius tanquam medium ad se defendendum: solum enim debet intendere in defensionem sui, rerum suarum, aut proximi, licet exinde mors aggressoris fuerit subsequuta, vt videtur sentire sanctus Thom. 2.2. quæst. 64. articul. 7. & expressit late ibi Caieta & Card. sancti Xisti in capitu de occidendis. 23. q. 5. & Abulen. super Matth. capitul. 5. quæst. 46.

3 Pro quibus faciunt aliqua dicta S. Augustini, quorum præcipuũ est in dicto capi. de occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet cõsilium, nisi forte sit miles aut publica functione fungatur. Contrarium tamen tenuimus nos in dicto capit. olim. quod etiam postea late asseruit Sotus in libro 5. quæst. 1. art. 8. de iust. & iur. Primum, quòd hæc subtilis limitatio videtur noua, & nouitates, qua parte fieri potest, sunt fugiendæ. ca ex parte. de consuetu. tum quia vim vi repellere licere, omnia iura clamant, vt habet prædictum capi. olim & licentiam. §. qui cum aliter. ff. ad l. Aquil. & l. 1. ff. de vi, & vi armat. & l. 1. C. vnde vi. & ibi citata in eis per glossas. Tum quia licet cuiuis ferro se petentem occidere, l. sed etsi quemcunque. ff. ad leg. Aquil. Tum quia, nisi S. Tho. vbi supra hoc insinuasset, nullus præfatorum id tenuisset, & sanctum Thomam id noluisse dicere, satis probat Sotus vbi supra. Tum quia præfatum Augustini dictum intelligendum est de volente occidere aliũ, quàm aggressorẽ, vel aggressorem sine præcia necessitate, vt iura iuribus concordent, quòd expedit, cap. cum expediat. de elect. libro sexto, & l. 1. C de inoffic. donat. Tum quòd alioqui vix vllus vnquam occideret aggressorem hoc peccato; quoniam omnis inuasus, vt plurimum, concipit voluntatem occidendi, si aliàs se, suaque tueri nequeat. Tum quod metus mortis, quæ est secundum Philosophum omnium terribilium maximum, non permittit, vt fragilitas humana tam æquo animo sit, vt percutiendo aggressorem, solum velit se defendere, & non occidere, & ita qui se defendit, etiam vibrando ensem, non peccat, secundum gloss. Clementi. prima de homicid. etiam si spiculum dirigat id gattur aggressoris, vt recte explicat Sotus. Quare non licet occidere

occidere alium antequã aggrediatur, ne occidatur ab eo, habita opportunitate id faciendi, licet sciatur id eum velle facere: quia nulla iura naturalia, nec humana hoc permittunt in alium, quàm aggressorem, vt præfatus Augustinus videtur innuere. Credimus autem dici posse, quoad hoc illum tantum aggressorem, qui decreuit occidere alium, nulla mora interposita, qua vllo modo possit effugere mortem, nisi præueniat eum antequam aggrediatur; qualis videtur esse vxor, quæ certo nouit se occidendam à marito pugione, quem supposuit ceruicali ad occidendam eam dormientem, & non potest fugere concluſa claue ianua. Non tamen videtur talis, qui occidit insidiatorem suum, nondum aggredientem à quo tandem certo credit se occidendũ, nisi præueniat, de quo me quidam eruditus interrogauit; quia hoc casu interponitur magna mora diei, mensis, vel anni, qua posset liberare absentãdo, continendo se domi, vel aliquo tuto loco, morte, morbo, aut pœnitentia insidiantis, quod, vt puto, esset verum quoad forum interius: ita videtur in foro exteriori excusatum iri, si occisus minatus fuit mortem occidẽti: & erat consuetus suas minas exequi; quod Castrensis annotauit in l. 1. C. quando liceat vnicuique sine iud. se vendica. Item, vt quis in tribus vltimis casibus iuste occidat, oportet, vt circa defensionem obseruet moderamen inculpatæ tutelæ, vt id solum faciat, sine quo iniuria non posset vitari, vt in glo. fi. dicti cap. olim. plusquam alij declarauimus. Proinde nõ liceret, se defendere maiori vi, quàm sit ad propulsandam iniuriam necessaria, per dictum cap. olim. & per dictam l. 1. C. vnde vi & per tradita à S. Anton. 2. par. tit. 7. cap. 8. §. 1. nec consequenter armis, ab eo, qui sine illis inuaditur, iuxta prædictam glossam, nisi quando pugnus inuasoris est ita, aut paulo minus fortis, quàm ensis inuasi, iuxta eãdem glossam sing. communiter receptam, dictæ l. 1. Idem nobis videtur, quando nisi se armis defenderet, iniuriam maximam honoris, aut personæ pateretur: siquidem iuxta prædicta in 4. casu, supra eod. cap. nume. 2. recte quis potest ob suarum rerum custodiam alterũ occidere: at honor pluris valet, quàm alia bona fortunæ, capi. suam. iuncta gloss. verb. modestiæ. de pœnis. Prouerb. 22. Arist. 4. Ethic. & gloss. extrauagant. ad eõditorem. §. rursus verb. honori. de verbor. signific. & iniuria personæ maior est, quàm fortunarum. l. in seruorum. ff. de pœn.

4 Ex quo, in dicto capi. olim. extra gl. cum Panorm. inferebamus, quòd si ille, quem alius aggreditur, non potest absque suo dedecore fugere, non tenetur id facere: & si non potest vitare vulnus, aut alapam, quam sibi alter molitur impingere, nisi ipsum occidendo, poterit occidere, Bald. in repet. l. 1. C. vnde vi. Contra vero, qui iam est vulneratus, vel quẽ aggressor iam reliquit & fugit, non potest absque peccato illum occidere: quoniam iam illud est vindictam sumere, & limites defensionis transgredi, secundum Richard. in 3. libro sentent. distinct. 37. Quod limitandum existimo, quando affectus iniuria vulneris, aut alapæ, vel alia, magnam

gnam sui honoris iacturam faceret, si fugientem non persequeretur. Nam talis posset eum persequi, & percutere tantum, quãtum ad sui honoris defensionem opus esset. Nam licet illud non esset defendere personam, neque fortunas: esset tamen defendere honorem, quem licet, vt prædictum est, defendere, etiam occidendo, si eo ad id opus esset. Addimus item, quia multis videtur id expedire, licet res manifesta sit, scilicet, maritum occidentem, aut cupientem occidere vxorem in adulterio deprehẽsam, peccare mortaliter. cap. inter hæc. 33. q. 2. vbi glo. singu. & celeb. quamuis in foro extertiori minime puniatur.

Peccat mortaliter quis contra hoc quintum præceptum.

SVMMARIVM.

5 *Occidens feriens procurans, & eo gaudens: nisi id faciat se. vel alium,*
5 *vel sua bona defendendo, vel sit latro.*
5 *Latro diurnus & nocturnus in quo differunt.*
6 *Occidens casu, & exponens se periculo mortis corporalis.*
7 *Irregularis est occidens maritum alicuius fœminæ ob sui defensionem.*
8 *Occidens aut feriens ministros iustitiæ, etiam se defendendo.*
9 *Duella mala, vel torneamenta iniens, vel eis adsistens*
9 *Torneamenta quædam sunt licita.*
10 *Mortem alienam desiderans, vel ea se delectans.*
10 *Delectari potest quis bono nascente de alterius morte.*
10 *Mortem propriam iratus exoptans, aut vitam abbreuians. nu. 12.*
11 *Excommunicatus qui clericum se-*
ipsum percutiens.
12 *Martyrio se ob tædium vitæ offerens, aut optans se nõ fuisse natum.*
13 *Comedens, vel propinans notabiliter noxia.*
13 *Infante cum tenero in eodem lecto dormiens.*
13 *Mater quæ filium suum tenerum admittit in lecto.*
14 *Abortiens, vel abortiendi periculum subiens, vel procurans.*
14 *Irregularis fit quis propter abortum procuratum.*
15 *Bellum ad iniustum pergens, vel in eo militans.*
15 *Restitutio rei lucrifactæ in bello iniusto.*
16 *Mortem ad iniustam pergens, vel ab ea non liberans nu. 17.*
17 *Vindictam non vetans, cõsentiens illi, vel morti aliquo ex nouem modis.*
17 *Testem ad condemnandum nemo tenetur se offerre.*
18 *Taurorum agitatio quando auctori visa valde crudelis.*
18 *Taurorum agitatio Gallis, & olim Nauarris inconsueta*
19 *Taurorum agitatio per Pium V. prohibita vt intelligenda. nu. 20.*
19 *Taurorum agitationi duellis æquatæ qui prohibentur interesse.*
20 *Festa sanctorum non tauris sed iis exhilaranda.*
20 *Taurorum agitatio torneamentis æquata, vt moderata licet.*

5 EX præfatis infertur peccare mortaliter contra hoc quintũ præceptum. Primo, qui iniuste occidit, aut mutilat, aut fuste, vel aliter notabiliter ferit aliũ, aut quidpiam horum vult, procurat, aut delectatur ea fecisse. 23. q. 5. in fine summæ. Id autem quod Ioan. Maior, in 4.

li 5. sent. dist. 17. § 4. admonet, vt confessarius interroget homicidã, quid impulerit ipsum ad occidendum, & quantũ temporis in proposito perseueraverit, & quoties decreuerit id facere, & postquam perfecit, quoties meminit & factum placuit. Illa, inquam, admonitio pertinet ad peccatorum circumstantiam, quã numeri vocant, & non pertinet plus ad hoc peccatum, quàm ad alia. Et quod dicit, toties hominẽ illũ peccare mortaliter, quoties id vouit, debet limitari iuxta illa, quæ in c. 1. de pœnit. dist. 5 nu. 48. & supr. c. 6. nu. 14. & seqq. definita sunt; scilicet, vt nõ procedat quando absq; interruptione operis exterioris actus interior continuatur, vel absq; interruptione actus interioris apparatus exteriores & præludia maleficij multiplicantur.

Dixi supra: Iniuste, quoniam, qui iuste occidit propter iustam defensionem proximi, vel sui honoris, & rei familiaris, etiamsi aliter propriam vitam defendere posset, non peccat, licet irregularitatem contrahat, iuxta gloss. singul. quæ penultima est, Clem. 1. de homicid. receptam per omnes ibi, & Sylvest. verb. homida. 1. quæst. 8. Quamuis postquam hæc scripsissemus, contrarium tenuerit ibidem Reuerendissimus Segobiẽsis Didacus à Leyua, sequutus Fortunium, in l. vt vim. ff. de iust. & iure. eo quod eiusmodi defensor non peccat. quæ ratio fragilis est; cum iudices, aduocati, & testes, & alij sint peccato cooperantes ad iuste damnandum morte delinquentem, nõ peccent, immo mereatur: attamen irregulares fiunt, secundum omnes, vt diximus infra c. 17. nu. 109. & seruat Curiæ Romanstilus, qui ius facit, cap. quam graui de crimin. falsi & cap. ex litteris. de constit. Quare à communi non est recedendum.

Secundo, peccat mortaliter, qui noctu, aut diu furem interimit, cum posset illum apprehendere, & se suaque defensare, non occidendo eum, per resolutionem communem, in cap. si perfodiens. de homicid. etenim quamuis magna intercedat differentia, quantum attinet ad forum exterius inter latronem diurnum & nocturnum, quòd hic præsumitur occidere velle, non autem ille: quo ad forum tamen conscientiæ nihil est discriminis; quia occisor scit veritatem, cui in hoc foro cedit præsumptio, argu. cap. tua. & cap. is qui. cum eis adnot. de spon.

Tertio, qui occidit aliquem, etiam propter tuendam suam castitatem, quã adhuc saluo omni honore suo poterat bene defendere, fugiendo, vociferando, vel alio modo, iuxta communem opinionem, quam S. Anton. 2 par. tit. 7. cap. 8. §. 2. optime declarauit. Nec interest, an sit vir, aut femina sic se defendens.

6 Quarto, qui casu occidit, percutiens aliquem præter intentionem: sed in culpa fuit in non aduertendo, vel non adhibendo eam diligentiam, quã homines mediocriter prudentes in similibus actibus adhibere solent; ne mors aliqua, vel noxa personalis cõsequatur, vt si deiiciẽs tegulas ex aliquo tecto, antequam deorsum eas mitteret, non præmonuit transeuntes, nec vllum eius ei signum posuit: aut castigaturus aliquem puerum, nõ abstulit gladium à cingulo, quo erat eum castigaturus, per quem postea è vagina elapsum, illũ occidit, aut lædit, c. ad audientiam. c. lator. c. presbyterum. de homicid. l. si putator. ff. ad l. Aquil. Et addimus, quod ad hoc, vt homicidium casuale sit peccatũ mortale, nec ne, parum facit ad rem, an opus vnde mors consequitur, licitum sit, vel illicitum; nam in vtroque casu erit crimen erit letale, si præcesserit culpa in non adhibendo debitam diligentiam ad periculũ mortis vitandum, & in neutro, si ea fuerit adhibita: quamuis quantum ad irregularitatem plurimum referat, vt Caiet. 2. 2. q. 64 art. 8 sufficienter probauit.

7 Vnde infertur, illud S. Antonini 3. par. tit. 5. c. 8. §. 1. qui illicite aliquid aggreditur, quod est causa, vt alium occideret propter sui necessariam defensionem, non solum peccat id aggrediendo, sed etiam est homicida. quod est intelligendum, quando opus illud illicitum erat quædam via ad homicidium perpetrandum, iuxta mentẽ Caietani in dict. art. 8. Vt si intendens tantum percutere hominem, interimit, & probatur efficaciter per c. fin de homicid. lib. 6. Per quod defendi potest aliud eiusdem S. Antonini dictum, in dict. §. 1. scilicet, quòd qui ad mulierem alienam ingreditur, eiusque maritum interficit, vt se defenderet ab eo, qui eum inuẽtum cum illa volebat occidere, est homicida quoad irregularitatem. Talis enim ingressus iure dici potest esse via ad tale homicidium, & subinde præuideri debuisse ab eo illius consequutionem. de quo latius infra c. 17. nu. 238. ⓘ

8 Sexto peccat, qui damnatus ad

mortem, occidit, aut percutit ministrum iustitiæ, quo se eripiat; quoniam quoties vis est iusta, resistentia est iniusta, iuxta glo. l. vt vim. ff. de iust. & iur. & Scotum cõmuniter receptum in 4 lib. sent. dist. 15. q. 3.

Septimo, qui ne timidus, pusillanimis, aut ignauus habeatur, vel per audaciam nimiam decernit desiberate amittere, aut amittendi periculo exponere vitam, aut membrum aliquod, vel partem eius notabilem, aut inferẽdi notabile damnum in proximi personam, loco, tempore, vel modo indebito, iuxta mentem sancti Thomæ. 2. 2. quæst. 126. art. 1. receptam, & per Caietan. in summa verb. timiditas. Dixi: Deliberate, quia subreptio & inconsideratio eius, quod aggrediebatur, ipsum excusare posset à mortali, Caietan. ibidem, & probatur per dicta in c. 11. supra eo. nu. 4.

Neque obstat, quod ex hoc videtur inferri vnum falsum; scilicet latronem qui furatur, peccare bis, videlicet furando, & se exponendo periculo suspensionis, quia hic agitur de illo, qui per intimiditatem, ne habeatur timidus, stulte & directe per se, se exponit periculo perdendi vitam, &c. latro autem non se exponit per se, & directe, nec per iutimiditatem eiusmodi periculo, sed per accidens, & per quandam consequutionem: quod non diuersificat, nec multiplicat speciem peccati. arg. l. si quis ne causam. ff. de reb. cred. cum multis ibi citatis per recentiores, & S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 11. Et ideo cõcedo, quod latro, qui furaretur, ne à sociis iudicaretur timidus mortis, quam propter furtum

(11 p-928

incurrere posset, bis peccaret.

Octauo peccat, qui aliquo ioco vtitur eũ periculo suæ vitæ probabili, puta funambulus super funes in altissimis locis corpus volutãs, iuxta Siluest. verb. ars. q. 8. quod, meo iudicio, non procedit quando prudentis arbitrio ille funambulus eis viribus & velocitate pollebat, locusque sic erat appositus, vt sine periculo verisimili talẽ iocũ exercere posset, arg. extrauag. 1. Ioan. 22. de torneamen.

Ex quo infertur respõsio ad quæstionem; An qui hauriunt, vel dant venenum ad experiendam theriacã mortaliter peccent? Et aliis quidem videtur nõ peccare, concurrentibus his; scilicet, quod qui composuit illam pro homine legali habeatur: & quod eam de cõsilio insignium medicorum solito de more iuxta præcepta medicinæ composuerit & quòd iam facto in aliquo bruto animali periculo, virtus eius comprobata sit: quodque tam qui dat, quàm qui sumit venenũ, etedit theriacam esse talem; qualis esse debet prædicto modo cõposita: & nullum subesse mortis, nec alterius notabilis damni corporalis periculum. Aliis tamẽ aliud visum est; quibus libenter accedo ante periculum, vel experimentum factum; eo quòd satis experimenti potest accipi in brutis, post tamen factum non auderem damnare aliorum opinionis vsum.

9 Nono peccat mortaliter, qui aliquod duellum, siue singulare certamen illicitum aggreditur, vel procedit ad torneamenta, aliaue huiusmodi exercitia prohibita; vnde vt plurimum cædes, vel grauia vulnera reportantur: vel ad id alium induxit: vel non impediuit, cum posset, c. monomachiam. 2. q. 5. c. 1. & 2. de cleric. pugn. in duello, & cap. 1. de torneamen.

Dixi: Vt plurimum, vnde cædes, vel grauia vulnera reportãtur: quoniã multa torneamenta, hastiludia, ludus Troianus, siue cannarum, vel virgarum, quibus equites tecti clypeis ludere solent, aliaq; huiusmodi, quæ exercẽtur, eo adhibito moderatione, quo cædes & alia pericula caueantur, non sunt illicita: sed potius permittuntur, per extrauag. 1. de torneamen. quod probat Ioannes Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 5. licet quandoque, sed raro mors & vulnera notabilia cõsequantur. Dixi: Duellum illicitum, quoniam qui iustum duellũ ingreditur, non peccat; quale est illud eius, cui per sententiam iniustã, vita vel membrum eripiendum est: nisi cum accusatore in arenam, & illud duellum descendat; quale est etiam illud Regis, vel Ducis, qui videns se fouere iustitiã, & ab aduersario multo maiori potentia præcelli, quo credit se in vniuersali prælio ab eo superandum, & ideo eligit duellum & singulare certamen, iuxta sententiam Caietani. 2. 2. quæst. 95 artic. 8 Nuper autem Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de reformat. addit multa quoad duelli materiam, quæ supra cap. 11. num. 39. posita fuerunt.

Decimo peccat, qui interfuit huiusmodi torneamentis, aut duellis illicitis cum magna sui animi voluptate, consensuque deliberato, quod fierent, vel tali intentione spectat eos, vt licet foret sibi interdictum spectare illos sub reatu mortalis culpæ,

culpæ, nihilominus tamen spectaret eos, vel eius præsentia fuit in causa, vt tales ludi fierent. Siluest. verb. duellum. 5. Quamuis extra hos tres casus non erit amplius, quàm veniale: nisi ratione scandali fiat mortale; eo quòd spectator sit sacerdos, aut monachus. Angel. in interrog. 5. præcepti. Dubio autem quotidiano, quod circa hæc mouet quidam respondetur infra in fine nu. 27.

10 Vndecimo peccat, qui deliberate alicuius mortem optat, vt in eius munus, aut officium succedat, vel ne reprehẽdatur, aut castigetur ab illo secundum omnes: vel etiã si quamuis mortem nemini desideret, neq; ex alterius cæde voluptatem capiat: sed animaduertens deliberare delectatur cogitatione peruersi operis homicidij; quia inde sibi aliquod bonum vel vtilitas prouenire posset, vt sentiunt S. Bonauent. in 2. dist. 24. in expos. litteræ post q. 4. Alex. Alens. 2. par. tractatu. de peccato veniali, & Caiet. in summa, verb. delectatio morosa, quamuis delectari propter bonum, vel vtilitatem, quæ ex illa morte sibi orirentur, non autem propter ipsam mortem non esset peccatũ, propter ea, quæ in rep. c. inter verba. 11. q. 3. & in addit. cap. quando. de consec. distin. 1. diximus. Quin etiã optare licet alterius mortem, aut morbum, aut rei familiaris iacturam, in finem vt cõuertatur ad dominũ: vel ne tot tantáq; facinora perpetret, vel in alium finem honestum & sanctum, iuxta Alexan. in tract. de maledict. & S. Tho. 2. 2. q. 36. ar. 2. & multi sanctè desiderãt mortem Turcarum Principi, si non se conuertat, vt Deus Christianismum liberet ab eius tyrannide. Immo & inimicis Christianis iniuste nos persequentibus, quando aliud non adesset commodius remedium, possemus ob hunc finem desiderare eam, vt speciatim tradidit Sotus lib. 5. q. 12. art. 1. de iust. & iure.

11 Duodecimo peccat mortaliter, qui deliberato animo sibi mortem, aut membri mutilationem præ ira, impatientia, dedecore, paupertate, aut pro quouis alio infortunio exoptat, cap. si non licet. 23. q. 5. iuxta beatum Augustin. lib. 1. de ciuit. Dei & S. Thom. receptum. 2. 2. q. 46. art. 5. & Oliuerium Malhart. de triplici tædio. in sermone 8. aduentus. Quoniam nemo est dominus, saltem quo ad hoc, suæ vitæ, aut suorum membrorum, l. liber homo. ff. ad l. Aquil. c. contingit. 1. de sent. excom. & ob alias rationes, quas beatus Tho. in dicto art. 5. adducit. Proinde si ea de causa, cum esset clericus, aut monachus, sibi ipsi manus iniecit, excommunicationem incurrit, iuxta Ioan. And. Panor. Felin. & alios omnes in d. c. contingit. 1. de sent. excom. Non autem illam incurrit, qui zelo deuotionis pectus pugno, faciem palma, vel corpus vt cohiberet disciplina percutit. Neq; etiam, iudicio nostro, si talis est percussio, vt sibi licite posset inferre: licet non consentire, vt sibi ab alio inferretur; qualis est capillos, aut barbã vellere, se alapis cædere ob mortẽ parẽtum aut amicorum, iuxta mentem omnium doctorum in dicto c. contingit: quamuis nullus eorum hoc expresserit.

12 Decimotertio peccat, qui se ipsum offert, vel habet animũ offerẽdi se ad martyriũ principalius ob vitæ

fuæ tedium vel alium finem indebitum, quàm ob sanctæ fidei catholicæ amorem Silu. ver. martyrium.

Decimoquarto, qui vult vitam decurtare, aut decurtat per abstinẽtias, quas scit, & aduertit esse indiscretas etiam si absque intentione abbreuiandi eam, id faciat: sed aduertit quòd eam decurtat, iuxta sentẽ. B. Hieronymi in cap. non mediocriter. de cõsecr. dist. 5. & verumque Tho. 2. 2. q. 147. art. 2. quamuis id velit, aut faciat, quo melius Deo pro peccatis suis satisfaciat.

Dixi: Quas scit, & aduertit esse indiscretas: quia non videtur esse mortale, si se bonum opus facere existimat: immo neque veniale, si faciat id existimans probabiliter eas non esse indiscretas, secundum Iunio rem ibidem 2. 2. q. 147. ar. 2. Id quod etiam Gerson in 4. par. in serm. Dominicæ 2. Quadragesimæ, videtur sentire.

Decimoquinto, qui propter aliquod infortunium cupit deliberate se numquam natum fuisse. Alex. tit. de Accidia.

Decimosexto, qui cõiecit aut fuit causa conficiendi aliquem in carcerem iniuste: siue sit iudex siue non, c. non sane. 14. q. 5 versic. fin. L. 1. C. de priu. carce. & insuper tenetur totum damnum, & iniuriam, quam intulit cõpensare.

13 Decimoseptimo peccat, qui ægrotans, aut sanus comedit, aut bibit aliquid, aut dedit alteri sano vel ægroto comedendum, aut bibendũ, prope intelligens, vel intelligere debens, sibi vel alteri inde graue aliquod nocumentum salutis euenturum, Iuno. recept. in cap. tua. de homicid. arg. c. fi. de iniur. & l. qui occidit. ff. ad l. Aqui. maxime si illa medicus interdixerat: atqui si damnum sit exiguum, non erit amplius, quàm veniale, secundum eundem.

Decimooctauo, mater vel nutrix, quæ tenellum infantem, ne eiulet, aut ne ipsa surgens è lectulo frigoris intemperiem patiatur, in suo lecto noctu ita collocat, vt periculum immineat inter dormiendum puerum suffocandi, sine suffocet eum, siue non, arg. cap. consuluisti. 2. q. 5. & cap. fi. de his, qui fil. occid. Atqui non peccat, saltem mortaliter, si non est tale periculum verisimile, etiam si casu eum suffocet, pura, quia cubile est amplum, & puerum à se longe posuit, neque dormiens subinde locum solet mutare: immo vbi semel se collocat, ibidem solet se persistere, iuxta mentem Panor. in dict. c. fi. & Caietanus 2. 2. q. 64. art. 8.

14 Decimonono peccat, qui mulierem grauidam, cum nosset illam vterum gestare, ita grauiter affecit, siue sit maritus, siue alius, vt in probabile periculum abortus ipsum cõiiciat, etiam si postea non abortiatur: ficur e contrario, si in tale periculum probabile illam non impulit, etiam si postea abortiatur, non ideo peccat mortaliter, arg. cap. sicut ex litterarum. de homicid. adiunctis, quę ibi ait Panor. nume. 6. & Anton. 2 par. tit. 7. cap. 8 §. 1. quamuis non fiat irregularis, si fœtus caret anima rationali, cap. aliquado. cum seq. 32. q. 2. neque ea de re dubitatur, gl. in cap. si aliquis. de homic. Fœtui autem, si masculinus sit, ad diem 40. iufunditur anima, si vero femininus ad diem 80. iuxta glo. receptam in summa

summa. 5. dist. per illum text.

Vigesimo peccat mulier grauida, quæ procurat abortum, sumendo pharmaca in eum finem confecta, vel nimio labore corpus defatigando, vel quocunque alio modo, etiam si effectus non sequatur. Nã vt quis letaliter delinquat, satis est malum animum habere, vel culpam, quam latam appellant, admittere, cap. 1. de præsumpt. c. si quis per negligetiam. de cõsec. dist. 2. Immo etiã absque proposito abortiendi facit aliquid, quo tali periculo probabiliter se exponit: vt cum graui oneri humeros supponit, vel immoderatis laboribus corpus vexat, vel tripudijs, aut choreis nimijs exultat, iuxta mentẽ beati Anto. 2. par. tit. 7. c. 8 § 1. Atqui si locus est leuis, & moderatus & periculo carens, nõ peccat mortaliter, etiam si postea eã consequatur abortus, iuxta Panor. in dict. c. sicut.

15 Vigesimoprimo peccat, qui proficiscitur, aut vult in bellum proficiscí, sciens illud esse iniustũ, saltem ex parte illius, cui vult opem ferre, 23. q. 1. in principio. Immo etiam si eò pergit stipẽdij solius intuitu, nihil attendens, an iustum sit vel iniustum, siue sit subditus siue nõ, Caiet. in summa. verb. duellũ. part. 2. Quin etiam si scit, bellum esse iustum, vadit tamen cum intẽtione deprauata principaliter inimicos occidẽdi, aut prædia & rem omnem deuastandi, quamuis in hoc casu non obligetur restitutioni, iuxta sententiam Caiet. 2. 2. q. 40. ar. 1. Neque etiam in casu, si bellum est vere iustum, propter eãdem rationem. Verum est tamen, subditum posse iuste ad bellũ proficiscí (si imperio domini sui admonitus pergat (etiam si non secum præmeditetur, an sit iustum, dum tamen credat esse tale, c. quid culpatu. 23. q. 1. Neque vlla est differentia inter subditum & externũ, qui ante belli exordium eidem Principi inseruiebat, secundum Caiet. in summa verb. bellum. par. 2.

16 Vigesimosecundo, qui fert, aut vult ferre iniuste mortis sentẽtiam, aut alterius nocumenti corporalis contra aliquem, cap. omnis. 45. dist. cap. 2. de re iudic. lib. 6. Vel si iniuste morti damnatum non liberat, cum id facere possit. Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*: vel inuaso ab inimicis suis, cum possit, non subuenit, secundum beatum Ambros. in cap. non in inferẽda. 23. q. 3. Si tamen commoda verbis, aut opere, absque suo periculo potest suppetias ferre, alioqui minime tenetur, nisi esset officiarius publicus, qui etiã armata manu debet defendere eum, quem sibi videtur defendere posse, secundum sanctum Anton. 2. part. tit. 7. cap. 8. §. 2.

17 Vigesimotertio, qui suo testimonio aliquẽ ab iniusta morte, pœna dãni, vel infamia potest liberare, & non vult testificari id: quod nouit, etiam si non iubeatur id facere: neque saltem facit quod in se est, denuncians veritatẽ ei, cui potest prodesse, arg. c. 1. de crimi. falſ. sanctus Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. Gabriel. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 6. artic. 2. conclus. 7. nisi per confessionem sacramentalem tantum id nosset, tunc enim tenetur tacere, & non intromittere se ad liberandum eum, etiam si statim esset suspendendus, ac si nihil penitus audiuisset: non enim nouit, an

reus data opera delictum illud in ea confessione fuerit, Ioan. Maior in 4. dist. 15. distin. 21. q. 1. Nullus tamen se tenetur offerre ad testimonium ferendum, quò aliquis condemnetur, nisi quando iuxta iuris formam esset à iudice constrictus, etiam si accusatori exinde periculum immineret. Quia ille spõte sua se in id periculum ingessit: reus autem inuitus, secundum eundem sanctum Thom. dicta quæst. 70. art. 1. nisi quando accusator, quia obligatur ad id in conscientia, accusat, vt in cap. inter verba. 11. q. 3. copiosius diximus. Qui vero contra aliquem, falsum protulit testimonium, ob quod ille est in periculo perdendæ vitæ, debet suum testimonium reuocare, & omnem suam operam adhibere, vt illum eripiat, etiam si ob id opporteat eum perdere vitam, Quamuis qui aliũ occidit, ob quod alius cum periculo vitæ suæ est in carcere, non videtur obligatus se ipsum prodere, seque periculo propriã vitam amittẽdi exponere. quod Scotus videtur insinuare lib. 4. q. 6. artic. 3. de iust. & iur. cuius sententia iuri conformior videtur illa, quam habuit Medina in Codice de pœnitentia, oppositam præcedenti, fundans se magis in charitate, quàm in iustitia.

Vigesimoquarto, qui cum aliqua affectus esset iniuria, scireteque cognatos suos, vel amicos vindictam sumere velle, non vetuit eis id expresse. cap. Petrus de homicid.

Vigesimo quinto, qui, esto quod nihil facit, nec vult facere ex supradictis, tamen consentit in eo aliquo modo ex nouem illis supra à nobis in cap. 11. nume. 2. expositis, puta imperãdo, consulendo, præbendo consensum, laudando, malefactorem recipiendo, vel ipsum adiuuando, vel non impediendo verbis, operibus, aut monitu, cum id posset & teneatur facere, vt ibidem dictũ est.

18 Vigesimosexto peccat, qui agitat, vel facit agitare tauros. Circa quod interrogatus Madritij, vbi Curia Regia residet, An ludus agitationis taurorũ sit peccatũ mortale, respõdi sequentia, Primũ, ante septuaginta annos me coram confessario Compluti accusasse, quod cũ essem adhuc puer illius academiæ scholasticus, taurorum agitationis spectaculo interfuissem. Secundum, quod quia tunc vidi duos, aut tres homines, à quodam tauro feroci immaniter dilaniari, statui numquã amplius eorum agitationis spectaculo interesse, & ita numquam amplius interfui, nisi semel Salmaticæ ad id coactus vi muneris decanatus & patronatus, quo in quodam viro doctissimo ad doctorarum prouehendo de more fungebar, vbi Dei gratia nullum detrimentum acceptum fuit.

Tertium, quòd ab hinc 20. & 30. annis libenter subscripsissem, prædictam agitationem esse peccatum mortale. Tum quia sic audieram à præceptoribus meis Parisiensibus, qui celeberrimæ illius academiæ Complutensis fundamenta iecerũt. Tum, quòd in Gallia non solent sic agitari, cuius rei causa non est, quã aliqui existimant, scilicet, quod sint cicutes & mansueri: nostra enim ætate Tholosæ quædã Vacca quam prædiues quidam Burgensis Hispanico more in amplo suæ domus pauimento agitare fecit, ipsummet, ascensis aliquot scalarum gradibus, interfecit. Tum, quòd eiusmodi agitationis spectaculum multorũ peccatorum Superbiæ, Vanæ gloriæ, Luxuriæ, Gulæ, Iræ, & aliarum specierũ occasionem præbet. Tum, quòd, vt antea in hoc ipso loco diximus, illiciti sunt ludi, in quibus vt plurimum occisiones & magna vulnera contingunt, qualia in hac agitatione contingere videntur. Tum, quia vt ille Capitaneus Ioãnes ab Azpilcueta, & Xabier (qui fuit frater illius celebertimi Francisci à Xabier, vnius e tredecim, qui ordini Societatis Iesu longe illustri & frugifero initium fecerunt, tam fortis gladio corporali, quàm ille spiritali) dicere solebat, in his taurorum agitationis ludis, viros magis ad fugiendum hostem, quàm ad spectandum sese assuefacere, ob idque numquam huiusmodi ludis intererat. Tum quod torneamenta iure canonico prohibentur. cap. 1. & 2. de torneamen. adeo vt qui illis moritur, quamuis confessus, & sacro cõmunione munitus decedat, non sit in sacro loco sepeliendus: & agitatio taurorum torneamentis similis videtur. Ergo de ea idem erit ius. l. illud. ff. ad l. Aquil.

Sed post ab hinc decem annis & citra, non sum ausus id asserere, immo vt id facerẽ à multis fernis Dei selectis opportune & importune rogatus, respondi, quod agitatio taurorum cum moderamine & debita cautela de se non est peccatum: sanctissimam tamen fore legem, quæ illam prohiberet: quoniam rarò debita cautela, & moderamine exercetur, quam legem, nunc postea quam ego in Vrbem appuli, fœli. record. Pius V. Pontifex maximus mira pietate, prudentia, & in viam Domini oues suas dirigendi desiderio ardens tulit, & promulgauit, kal. Nouembris anni 1567. in hæc verba.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

19 *DE salute gregis Dominici nostræ curæ diuina dispensatione credi ti prout ex debito pastoralis officij adstringimur, sollicite cogitantes, fideles cunctis gregis eiusdem ab imminentibus corporum periculis etiam animarum pernicie, perpetuo arcere studemus. Sane licet detestabilis duellorum vsus à diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque ciuitatibus & aliis locis quamplurimi ad ostentationem virium suarum & audaciæ in publicis priuatisque spectaculis cum tauris & aliis feris lætis congredi non cessant, vnde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur. &c.*

Nos igitur considerantes hæc spectacula, vbi tauri & feræ in circo vel foro agitantur à pietate & charitate Christiana aliena esse, ac volentes hæc cruenta, turpiaque dæmonum, & non hominum spectacula aboleri, & animarum saluti, quantum cum Deo possumus prouidere. omnibus & singulis Principibus Christianis, quacumque tam ecclesiastica, quàm mundana, etiam Imperiali, Regia, vel quauis alia dignitate fulgenti-

bus, quouis vocabulo nuncupentur, vel quibuscunq; Communitatibus, & Rebus publicis hac perpetuò nostra constitutione valitura sub excommunicationis & anathematis pœnis ipso facto incurrendis prohibemus: & interdicimus, ne in suis prouinciis: ciuitatibus, terris, oppidis, & locis huiusmodi spectacula, vbi taurorum ferarumve agitationes exercentur, fieri permittant.

Militibus quoque, ceterisque aliis personis, ne cum tauris, & aliis bestiis in præfatis spectaculis ipsi tam pedestres, quàm equestres congredi audeant, interdicimus. quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, ecclesiastica careat sepultura.

20 *Clericis quoque tam regularibus, quàm secularibus beneficia ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus. Omnesque obligationes, iuramenta & vota, à quibuscunq; personis, vniuersitate vel collegio de huiusmodi taurorũ agitatione, etiam vt ipsi falso arbitrantur, in honorem sanctorum seu quarumuis ecclesiasticarum sollemnitatum, & festiuitatum, quæ diuinis laudibus, spiritualibus gaudiis piisque operibus, non huiusmodi ludis celebrari & honorari debent, hactenus factas, & facta, seu in futurum fieda, quæ & quas omnino prohibemus, cassamus, & annullamus, ac pro cassis nullis & irritis haberi perpetuo decernimus, atque declaramus.*

Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus, & Baronibus S. R. E. feudatariis sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Romana Ecclesia obtinent: reliquos vero principes Christianos, & terrarum dominos præ-

dictos hortamur in domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia & honore præmissa omnia in suis dominiis ac terris huiusmodi exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Ac vniuersis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipimus, quatenus in ciuitatibus & dioces. preprijs præsentes nostras literas sufficienter publicari faciant, & præmissa etiam sub pœnis & censuris ecclesiasticis obseruari procurent. Non obstantibus constitutionibus, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1567. Kal. Nouem. Pontific. nostri anno secundo.

21 Huius extrauagantis definitionem limitarem, salua sanctæ Sed. Apostolicæ censura, ne procederet in agitatione taurorum, vel aliarum ferarum ita moderata, vt probabiliter credi possit, eam non consequuturа notabilia nocumenta personalia, puta mortes, vulnera, offium rupturas, & id genus alia. Tum quia ratio & finis, quæ mouerunt eius latorem ad eam edendam, fuit, quia frequenter ex huiusmodi agitatione consequebantur talia, vt colligitur ex procœmio eius, vnde solet causa finalis legis coniici, l. fina. ff. de hæredibus instituendis. & capit. quia propter. de electio. cum eis adnotat. quæ cessant in agitatione, vt supradictum est, sic moderata & ita cessare debet etiam eius dispositio

dispositio in ea, & iuxta limites rationis legis debet restringi, vel extendi lex, argu. l. cum pater. §. duleissimis ff. de legat. 2. & l. adigere. §. quamuis. ff de iure patrona. c. suggestum. c. meminimus. cum adnotatis eis à Pan. ab aliis recepto. de appella. & capit. quoniam contra falsam. de probatio. Tum quia licet prohibita sint absolute torneamenta, per ca. 1. de torneamen. permittuntur tamen illa, quæ cum moderatione prædicta fiunt, quia in eis cessat ratio illius prohibitionis absolute, vt supra, num 9. dictum est, & probatur in extrauag 1. de torneamẽt. & vsus totius Christiani orbis obseruat. Tum quia videmus vbique, etiam in vrbe, passim agitari tauros, boues, & bufalos chordis longis pedes vel cornua ligatos, etiam per medios calles trãsitu hominum frequentes: quod tamen nemo, etiam post prædictam extrauagã. damnat, quamuis aliquãdo contingat aliquod notabile nocumentum. Immò quotãis in carnispriuio soleunis cursus equorum, bufalorum, equarum, & asinorum, brauiis præuertenti propositis in vrbe celebratur: quamuis casu infidẽtium & occursu eorundem nonnunquam prædicta mala cõtingant. Tum quia multi viri, eruditione, pietate & religione clari, qui damnabant agitationes taurorum eo modo, quo communiter fiebant, approbarunt agitationes illas, quas ter maxima illa domina Isabella huius nominis Prima, Regina Catholica permittebat, cornuũ cuspidibus præcisis, & nimia ægitantium temeritate coërcita, tutisque refugiis opportunè constitutis.

Ex quo infertur, quòd etiam ante hanc constitutionem damnandum erat studium illud, quo multi magnates Hispani quærebant & conseruabant ferocissimos tauros, qui ante in circis agitari aliquos occidissent, & iudicium illud crudele, quo iidem & alij fere omnes iudicabant spectacula taurorum prædicta, in quibus nulli occiderẽtur, vel vulnerarentur, esse frigida, & insipida, & vituperio digna. Et quamquã agitationes, vt profertur, moderatas non auderem damnare, etiam post hanc extrauag. longe tamen melius arbitrarer, loco illarum vti aliis ludis, quibus Gallia, quæ hylarior videtur vtraque Hesperia, ad hylarandum populum & publicam lætitiam significandam, tempore meo vti solebat, puta supplicationibus publicis, hastiludiis, equitu, vel peditum pugnis vmbratilibus aduersus dracones fictos, vel effigies hominum armatas, quæ se percutientes in vno brachio repercutiunt altero, exercitiis arcuum, balistarum, scloporum, pilæ, luctæ, cursus, gioborum ligneorum tum manu, tum clava, vel malleo impulsorum, chorearum honestarum cum vulgarium, tum noue inuentarum, & pellis & foliis Lusitanis, & aliis id genus exercitiis, quibus homines non solum recreantur: sed etiam ad bella, & alias artes honestas habiliores redduntur. Sunt autem pelæ puellæ paruæ ditissimè ornatæ, quæ virorum agilium & saltantium humeris insidentes, manuum, & brachiorum ac totius corporis gesticulatione plurimum ac honestè spectantes delectant. Folliæ vero sunt manus iuuenum circa

grande

grande tympanum saltantium, canentium, & sistrarum sonorarum agitatione mire populum exhylarantium sine villa villius iactura.

An & quid teneatur qui alium occidit, aut percutit.

SVMMARIVM.

22 *Homicida liberi, vel serui quid restituere debeat.*
23 *Homicida quas impensas restituere tenetur.*
23 *Homicida an tentatur se carceri offerre.*
24 *Homicida quid teneatur soluere cognatis.*
25 *Fur & alij rei etiam puniti publica pœna restituant damna.*
26 *Occidens defendendo se sine moderata tutela punietur mitius, quàm aggrediens, sed restituet quantum ille.*
27 *Duella quæ inter particulares milites exercituum licent.*

22 VIgesimoseptimo peccat mortaliter, qui alium iniuste occidit, & non vult satisfacere. Circa quod dicimus primo: quòd Sotus in 4. libr. sent. dist. 15. q. 3. cui satis consonat Adrian. in 4. de restit. q. 6. & Ioan. Maior, in eodem 4. dist. 15. q. 14. ait primo, esse stultum putare, eum, qui bouē proximi necat, teneri ad restitutionem: non autem, qui proximum ipsum occidit. Contra quos tamen faciunt multæ leges, videlicet l. liber homo. ff. ad l. Aquil. quæ habet, hominem liberum nullo pretio æstimari posse, & l. fin. de his, qui deiec. vel effud. quæ sic habet: *Illi homini libero, qui præteriens per viam publicam percutitur, re aliqua proiecta, aut cadente ex aliqua fenestra, deberi medicationis impensam & stipendia, quæ sanus lucrificisset, non autem quidquam pro deformitate aut cicatrice inde relicta, corpus enim liberum nullā recipit æstimationem.* & l. ex hac. ff. si quadr. pauper. fec. dic. quæ statuit, quod quamuis contra dominū alicuius animalis, quod occidit aliquem seruum, vel aliud animal, eius dominus habet actionem, & ius petendi medicationis impensas & stipendia, quæ alioqui lucrificisset, nihil tamen potest petere pro cicatrice & deformitate, neque etiam si occidatur, iuxta glos. dictæ l. ex hac, & l. qua actione. §. si quis. ff. ad l. Aquil. quod etiam dixit Azo in summa ad l. Aquil. & clarius asseruit Ostiens. in summa de iniur. Itaque sit resolutio, eum, qui occidit, aut percurit aliquod animal brutum proximi, vel seruum teneri illi restituere tantum, quanti valet id, quod occidit. Immo & quanto minoris valet ob deformitatem ex vulnere relictam; & quòd etiam, qui percutit hominem liberum, tenetur ei restituere medicationis impensas, & stipendia, quæ sanus lucrificisset, tempore medicationis, & tempore totius vitæ, quatenus ob illam percussionem ad illa lucrificiēda inhabilis esset effectus: deformitatem autem ex vulnere relictā nullatenus tenebitur compensare. Qui verò liberum hominem occidit, nō tenetur ad soluēdum quidquam pro vita quam abstulit, quamuis sic pro eo, quod in se medicando impendit antequam obiret, & pro dāno, quod filij & hæredes eius perpessi sunt, vt statim dicemus. Immo etiam id, quod

quod in eius funere moderato iuxta consuetudinem personarum eiusmodi conditionis expēsum est: quia causa fuerit eiusmodi sumptus, arg. cap. fin. de iniur. & l. qui occidit. ff. ad l. Aquil. quamquam hoc vltimum nemo vsque ad nos expressit.

23 Secundo dicimus, quòd idem Scotus ait, huiusmodi hominem debere patienter perferre mortis pœnam sibi iuxta legem inflictā, etiam si suis propriis manibus non teneatur sibi illam conscisscere: quod quidem recte dictum est, arg. gl. singu. cap. fraternitas. 12. q. 2. & eorum, quę diximus in rubric. de pœnis. Neque etiam, iudicio meo, tenetur vinculis & carceribus, aut morti inferendæ se ipsum offerre, etiam si hoc facere saluti suæ animæ valde conduceret.

Tertio, quòd idem ait, quòd si pœnam mortis non subeat, saltem expediret reliquū vitæ tempus contra infideles transigere, quòd si hoc non placet, debet aliqua restitutione ad iudicium boni viri homicidium compensare, satisfaciendo operibus spiritualibus, quæ tanti esse videantur, quanti vita hominis interfecti æstimanda erat, secundum æquipollentiam, seu æqualitatem, quæ in hac re inueniri potest: veruntamen hoc non arbitramur esse necessarium per supradicta.

24 Quarto, quòd ipsemet dicit, quòd vltra hæc tenetur resarcire parentibus, filiis, aut cognatis occisi quamcunque iacturam, quam illi ratione necis perpessi sunt, quod quidem iustum est. Vnde Panorm. in c. 1. de iniur. post Specul. tit. de iniur. §. sequitur. num. 26. apertius rem totam explicans dicit, tantum hæredibus defuncti restituendū esse, quantum ille viuens suo labore, aut arte lucrari poterat, quod quidem videtur iure quinquaginta aureis æstimatum esse, l. 1. §. 1. ff. de iis, qui deiec. vel effud. vt intellexit singulariter Ostiens. vbi supra.

Quinto dicimus, quòd ex his infertur id, quod Ioan. Maior in 4. dist. 11. quæst. 19. in fine asseruit, nempe eum vinculo maioris restitutionis astringi, qui furorem, aut quemuis alium artificem mechanicum, quàm qui nobilem aliquem occidit, etiam si grauius crimē admittat, qui hunc occidit, quàm qui illum. argum. l. aut facta ff. de pœnis. & cap. aut facta. de pœnit. dist. 1.

25 Interrogatus, An homicida, latro, aut aliquis alius reus, quem iudex puniuit, ad soluēdum damnum, quod parti intulit teneatur? Respondeo, quòd est quæstio quotidiana, & à paucis declarata, quam ter, cum tres glossas solennes, scilicet reg. peccatum. de regu. iur. lib. 6. & cap. sicut dignum. §. eos. de homicid. & cap. si res aliena. 14. quæst. 6. prælegeremus, tetigimus, & postea obsequentes voluntati Reuerendi admodum domini simul & amici mei P. Pradani Illustrissimi ordinis Societatis Iesu determinauimus, concludentes, quod sic. Quia lex naturalis & diuina obligat eos ad restituendū damnum parti, antequā à iudice puniantur, & illa punitio, quæ in vindictam publicam irrogatur, est compēsatio iniuriæ reipublicæ illatæ, lita vulneratur. ff. ad l. Aquil. & cap. vt famæ. de sentent. excommu. quæ non liberat à debito, quo parti tenetur. Cum

qui duobus diuersas res debet, non liberatur soluendo vni quod ei debet, nec soluendo vni, quod alteri debet. cap. certe de iureiur. capi sicut dignum, §. eos. de homicid. & consequenter qui publicam pœnam passus, habuerit quo priuato damno id satisfaciat, soluere debebit & hoc sentit Innocēr. si bene ponderetur in capitul. Odoardus. de solut. Nec obstat, quod Felyn. in capit. ad liberandam. de Iudæis. & alij multi ex glossis prædictis colligunt, scilicet, eum qui ob delictum luit corpore, eo quòd non habet in ære, ad pœnam pecuniariam non teneri: quamuis postea satis bonorum ad soluendam eam adquirat: quia aliud est dicere, quem propter pœnam corporalem à pecuniaria excusari, quod illæ glossæ probāt, & aliud dicere, quem propter pœnam corporalem à soluendo interesse parti excusari, quòd illæ non dicunt, & nos asseruimus. id quod etiam sensit Iason in §. penultim. nume. 45. de act. quod tamen nobis limitandum videtur, quando pars læsa vellet, vt delinquens per pœnam corporalem, non solum Reipub. sed etiam sibi satisfaceret, argumen. l. 1. ff. qui satisda. cog. & l. si rem. §. omnis. ff. de pignor. actio. Ex quo sequitur, quod hæredes eius, qui decollatus, vel suspensus est per sententiam, obligātur ad resarciendum damnum, quod intulerat parti, sicut ad soluendum alia debita l. prima C. ex delict. defunct. immo & Fiscus, si eius bona confiscata fuerint, l. non possunt. & l. in summa. ff. de iure Fisci.

16 Sexto dicimus, inter Scotum & Communem vbi supra cōuenire, quòd nō solum homicida, sed etiam percussor tenetur omnes expensas restituere, quas percussus in se medicando fecit, & insuper quidquid lucrifecisset ex arte vel officio suo, quamdiu male habuit, immo & quidquid magis in reliquo vitæ tēpore suo labore ob id lucrifacere poterat. Vnde confessarius non debet eum, qui occidit, aut qui percussit absoluere nisi prius illarum damnum compenset, aut re vera proponat restituere, iuxta omnium sententiam: quod quidem totum intelligendum est de eo, qui iniuste percutit, aut occidit. Nam qui secundum ius simile aliquid facit, nulli restitutioni tenetur obnoxius. Clementina prima de homicidiis. capit. olim. de restitut. spoliat. cum eis adnotat.

17 Non est tamen connumerandus inter eos, qui iuste hominem occidunt, ille qui debitum modum defensionis excedit, quinimmo (nostro iudicio, quidquid alij opinentur) quamuis multo minus peccet, & subinde minorem pœnitentiam in foro interiori, & leuiorem pœnam in foro exteriori mereatur, quàm ille, qui voluntarie alterum occidit, per textus valde singulares, in cap. significauit. de pœn. & demiss. & l. si adulterium §. Imperatores. ff. de adulter. nihilominus tamen tantæ restitutioni, ac alter tenetur obnoxius, saltem si culpa lethalis existat, iuxta l. si ex plagis. §. fin. ff. ad l. Aquil. Siquidem huiusmodi mors non solum iniusta est ex mala intentione: sed etiam ex ipsomet opere exteriori. Quod addimus ad excludendum responsum, quod nostro argu

argumēto dari poterat, desumptum ex illo dicto Caietani 2. 2. quæst. 44. art. 1. scilicet, eum, qui alterum occidit in bello iusto, vel ex iusto præcepto, iniquo animo, & intentione, licet propter intentionem iniquam peccet: non tamen teneri ad vllam restitutionem.

Neque obstat, quod quidam dicit, tenere me hic homicidam aggressoris, qui per inaduertentiam non seruauit modum inculpatæ tutelæ, & eò accessit, vt peccaret mortaliter, ad tantam teneri restitutionem, ad quantam homicida voluntarius. Cōtra quod ait tenere Syluestrum in verbo, restitutio 3. quæst. 2. & pro eo facere, quod minor culpa minorē inducit restitutionem. Non, inquam, hoc obstat, Primo, quia Syluester agit de solutione pœnæ, & nō de restitutione damni, & interesse, de quo nos loquimur. Ait enim, occidentem ob ineuitabilem necessitatem ad nullam pœnam teneri, nisi det causam aggressuræ, quo casu tenetur ad restitutionem arbitrio boni viri: nos vero loquimur de restitutione damni dati, vel interesse ob illud contingentis. Secundo per incogitātiam videtur ab eo dici, quod minor culpa minorē restitutionem meretur: videtur enim dixisse hoc, Minor culpa minorem pœnam meretur. Tum quia quodlibet furtum notabile obligat ad restitutionem, non autem odium Dei, quod est suo genere maximum. Tum quia culpa seiuncta à dolo obligat ad tantam restitutionem, ad quantam ei coniuncta. Tum quia etiam sine culpa interdum quis tenetur restituere: vt cum animal alicuius non assuetum nocere, nocet alicui sine vlla culpa domini, dicto cap. fin. de iniur.

Dubium remissum huc supra nu. 9. est, An videatur nobis vera sententia Caietani in summa verb. duellum. 5. qua damnat milites, qui tempore belli acceptant singularia certamina vnius contra vnum, duorum contra duos, 10 cōtra 10. &c. ad quæ prouocantur ab hostibus, quæ dubium proponenti displicet, eo quod exercitus prouocantium animosior fieret, si prouocati ea non acceptarent. Pro quo ipse cito, quod primi Reg. capitul. 17. Goliæ prouocatio à Dauide fuit accepta, & quod milites debent honori suo consulere, iuxta ea, quæ Panormitanus & alij tradunt in cap olim. de restit. spolia. quæ supra eod. cap. nu. 4 extēdimus ad eum honorem, quem renuendo talia perderent. Sed arbitror vtriusque sententiam teneri posse: Caietani quidem in certaminibus, quæ offeruntur & acceptātur causa ostentandarum virium, & artis pugnandi, & gloriæ vanæ quærendæ sine respectu, saltem principali belli victoriæ commodandi, quod ipsius verba significant: proponentis autem sententia, cum acceptātur principaliter ad commodandum belli victoriæ & honori, ac reputationi fortitudinis, siue exercitus (quæ plurimum ad victoriam conducunt) seruatis seruandis, quod eius ratio significat.

De sexto præcepto, Non mœchaberis, vel non fornicaberis.

Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum 6. de non fornicando, & 10. de non concupiscendo quæ vetant. 2 & 3*

1 *Luxuriam an ignorantia, vis, aut metus excusent.*

3 *Luxuria omnis reducitur ad has sex species.*

3 *& an sint plura & admissa cum moniali vt est varia ob varias causas.*

3 *Sponsa Dei est anima viri, sicut & fœminæ.*

3 *Luxuriæ loci & personæ sacræ est sacrilegium.*

3 *Sacrilegium cur non sit violatio dormitorij, & ecclesia sic.*

3 *Confessari quæ monacha non possit.*

3 *Incestus gradum cur necessario à confessario exprimendum.*

4 *Confessarius quantum debet interrogare circa peccatum luxuriæ.*

1 PRo fundamento dignosc. qui peccant mortaliter contra hoc sextum, & decimum præceptū præsupponimus primò id, quod iam in additione cap. quando. de consecr. distin. 1. diximus; scilicet, hoc præcepto nobis esse à domino interdictā quamcunque carnalem copulam extra legitimum matrimoniu. Proinde quæcunque talis copula est peccatum mortale, quamuis sit soluti cum soluta, quæ simplex fornicatio appellatur, adeo quidem, vt contrarium asseuerare sit hæresis, vt determinauit cōcilium Viennense, Clemen. ad nostrum. de hæretic. Neque ignorantia ab hoc excusat, neque etiam existimare non esse peccatum rem habere cum publica meretrice. Est enim hęc ignorantia iuris naturalis, & diuini adeo manifesti, quæ nullatenus excusat, 1. quæst. 4. §. notandum, & cap. ignorantia, de reg. iur. lib. 6. Neque metus, aut minæ mortis, vel infamiæ, neque pudor vociferandi, neque timor infamiæ, quæ vociferationem consequeretur, ab hac culpa excusat. Sufficit enim voluntas, aut consensus etiam coactus, vt culpę mortalis macula contrahatur. cap. merito. 15. quæst. 1. Nam potius debet quis vniuersà mundi mala perpeti, quàm illi consentire, cap. itaque. 32. quæst. 5. cap. sacris. de his quæ vi. & Anton. 3. part. tit. 5. cap. 6. sub finem. Excusaret tamen vis absoluta, qua sine vllo consensu cogeretur adulterari, aut fornicari, adeo quòd si virgo existeret, quæ semper animo huiusmodi obscœnæ voluptati contradiceret, non perderet virginitatem, saltem quo ad Deū, vt gloriosissima Lucia virgo & martyr, relata à Gratiano, 32. q. 5. in Summa, & à sancto Thom. 2. 2. q. 64. arti. 5. ad 3. respondit Paschasio in hæc verba: *Si me feceris inuitam violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quod procedit etiam si de actu ipso delectationem aliquam perciperet: modo neque in ipsum actum, neque delectationem voluntate deliberata consentiret. Nam talis delectatio non esset voluntaria: sed naturalis, & est esse in medio ignis, & non ardere, vt dixit S. Gregorius in capitulo, vir cum propria. 33. quæstio. 4. neque tenerur manus iratas iniicere in eum, qui vim inferre nititur: neque clamore se defendere. Satis est enim non consentire ad hoc, vt nō peccet coram Deo mortaliter, vt singulariter dixit Sotus libro 5. q. 1. art. 5.

art. 5. de iust. & iure. quamuis quo ad forum exterius præsumeretur consensisse (si contingeret id ei intra ciuitatem) quæ neque clamauit, neque petiit opem ad sui defensionem, cum posset, vt habetur Deute. cap. 2. 2. Illud vero, quod idem Sotus addit, non teneri scilicet huiusmodi feminam, etiam suis propriis membris resistere, & quòd satis sit non se componere, aut præparare ad obscœnum illum actum, dummodo animo non consenserit, difficile profecto poterit contingere. Quare credo paucas honestas repertum iri, quæ aliquo modo non resistant, saltem sine clamore, & sine manuum iniectione in eos, qui eas tanta iniuria afficere nituntur. quæ opinio Soti sic limitata magis placet, quàm opinio Caietani infra num. 12. tacta, dicentis debere clamare non obstante infamia, quæ inde sequi posset. Interrogatus autem; An sentiam peccare mortaliter, quæ saltem suis membris sine clamore, & percussione non resistit; & quid si ob metum aptat in id sua membra, vel tibias aperit, vel vestem eleuat? Respondi me sensisse non peccare solum non resistendo: sed sic alia in quæstione contenta faciendo; quia ea faciens licet non consentiat ipsimet actui obscœno: participat tamen cooperando ad illum quod sufficit, vt peccet iuxta tradita supra, cap. 11. num. 12. & fusius in cap. 17. num. 20. quæ autem solum non resistit non cooperatur, sed solum patitur. quæ etiam sensit Sotus vbi supra, licet rationem non reddat.

2 Secundò præsupponimus, quòd simul ac veratur aliquid, censetur vetitum desiderium, & propositum faciendi illud: immo & consensus deliberatus delectandi se, in eo, visu, tactu, aut cogitatu etiā sine opere alio, actu, nec proposito, aut desiderio committendi illud, vt colligitur ex S. Tho. in hoc probato. 1. 2. q. 2. 74. art. 5. & 2. 2. q. 45 art. 1. & 5. At cōsequenter quamuis decimū præceptum, quo veratur desiderium copulæ illicitæ, non fuisset datum: per hoc tamen sextum fuisset vetitum, quod in addit. c. quando. de consec. dist. 1. diximus, & probatur efficaciter per c. 5. Matth. & c. meretrices. 32. q. 5. & cap. nec solo, & cap. qui viderit. 32. quæst. 5. At Dominus noster in hac & furti materia speciatim per nonum & decimū præceptum, vetuit desideria & proposita; eo quòd in eis delectatio, quæ ex cogitatione sola nascitur, est quoddam bonum apparens, ad sui desiderium inuitans, secundum sanct. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5.

3 Tertiò præsupponimus, quòd omnia luxuriæ peccata tam cogitationum & delectationū, quàm verborum & operum, vt plurimū, sunt ex vna sex specierum, aut generum, vt ait Gratia. in c. 2. §. cum ergo. 36. q. 1. adiuncto c. mulier. 15. q. 1. & cap. extraordinaria. 35. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. id quod recte defendit & declarat Caietan. 2. 2. q. 154. artic. 7. Quarum prima est fornicatio simplex, quæ est inter solutos; solutos, inquam, non solùm à vinculo matrimoniali, sed etiam à cognatione & affinitate, ordine sacro, religione, voto & infidelitate. Si enim alter esset vinctus aliquo

Universidad de Sevilla Biblioteca

...lictorum circulorum, non esse simplicem fornicationem. Thom. 2. sec. q. 154. artic. 1. & 2. Secunda species est adulterium, scilicet, cum alter vel vterque est coniugatus. Tertia est incestus, quando scilicet, ambo sunt consanguinei, vel affines, ad quam reduci potest sacrilegium, quod admittitur quando alter vel est persona religiosa, professa, aut ordine sacro insignita, aut cognatione spirituali coniuncta, c. fi. 30. quæst. 1. aut admissa in loco sacro. Quarta stuprum, quando scilicet, femina est virgo: est enim peccatum speciale ratione fractionis sigilli virginalis, vt docet sanctus Thom. 2. 2. q. 154. artic. 6. Non sufficit autem quo ad hoc, vt vir sit virgo, quod notauit Caietanus in dicto art. 6. Quinta est raptus, quando scilicet violenter aliqua contra voluntatem ipsius, vel patris eius extrahitur à domo sua, quamuis id fiat ad ducendam eam in vxorem post habitam copulam: & etiam quando violenter extorquetur cupula, siue sit virgo, siue non. cap. raptores. 36. quæst. 2. licet illa vim passa, si nullatenus consentiat, nō peccet, vt dictum est. Sexta est contra naturam, quando non solùm peccatur cōtra rationem naturalem, vt in speciebus sit prædictis, sed etiam cōtra ordinem, quem natura ad habendam copulam carnalem ordinauit, iuxta vtrumque Thom. 2. 2. q. 154. artic. 1. vt contingit cum peccat vir cum viro, femina cum femina, aut vir cum femina extra vas naturale: quod grauissimum, & abominabile, & indignum quod nominetur peccatū est: quamuis cōtingat inter maritum & vxorem. Eiusdem speciei est etiam cum peccatur cum animali bruto, quod bestiale dicitur & est omnium, quæ sunt contra naturam, maximum, iuxta sanctum Tho. 2. 2. quæst. 154. articul. 12.

Aduertendū tamen nō ideo nos dixisse supra, quod omnia Luxuriæ peccata sunt prædictarum sex specierum, quòd non sint plures species: sed quia hæ sunt celebriores, seu quia directe, vel indirecte omnes reducuntur ad eas. Nam & luxuria, quæ admittitur cum religiosa, vocari potest adulterium, vel incestus, iuxta gloss. cap. virginibus. 27. q. 1. Quia illa est sponsa spiritualis Dei, qui est omniū patet, & consequenter, qui violat eam, violat sponsam alienam, affinemq; suam: quamuis etiam eadem gloss. vocat eam sacrilegium, eo quod rem sacram violat, iuxta illud sancti Thomæ 2. 2. quæst. 154. art. 10. videlicet, aliquod sacrilegium est species luxuriæ, & aliqua species luxuriæ sacrilegium, licet in eadē quæst. art. 1. solas prædictas sex species posuisset, quod Caietanus super dictam q. 154. art. 1. defendit per quosdam respectus, quos cū aliis quæstionibus, quæ non sunt tantæ vtilitatis, quàm subtilitatis prudens omitto. Nec refert, an peccans sit religiosa, vel religiosus, siquidem Deus tam verus sponsus est animarum virorum, qui suam castitatem diuino cultui dedicant, quàm feminarum, quæ idem faciunt. Et tam sacrilega est, cæteris paribus, sæcularis cum qua rem habet religiosus, quàm sacrilegus secularis, qui rem habet cum religiosa, & sacrilegiores ille & illa, qui

qui cum sint ambo religiosi, se sibi mutuo commiscent. Sacrilega quoque dici potest omnis copula etiam ipsorum cōiugum, quando ratione loci sacri est illicita. Quæ omnia hinc satis perpensa, & illinc audacia illa impudens, temeraria, & infernalis, qua quidem cum irreuerentia effrenata & diabolica audent monachas violare: immo etiam deeo gloriari, quin & habere eas in suas concubinas, mouerunt admodum Reuerēdum, pium iuxta ac doctum virum, Priorē Ecclesiæ sanctæ Mariæ del Pilar Cæsaraugustanæ, ad exhortandum nos, vt hoc loco id execraremur. quod adeo de se fœdum est, adeo abominabile, & execrandum coram Deo Opt. Maxim. & Angelis eius, adeoque iram Dei prouocans, quod vtinam bonitas illa, quæ immensè est diuina, ob hoc, & ob diluuium tam effrenatæ luxuriæ, etiam inter cognatos, adeo propinquos & affines, vt nō audeamus exprimere, & inter cōiugata, & virgines tam sacratas, quàm nō sacratas, vt non immittat in nos horrendum diluuium aliquod tribulationum, non solū corporālium, quibus corpora, honores, & fortunæ pereāt, sed etiam spiritualium, quibus animæ nostræ periclitentur. Amen.

Interrogatus autem, An monasterium & dormitorium religiosorum sint eiusmodi loca sacra, quæ peccatum carnis ibi cōmissum faciant esse sacrilegium? Respondi, non esse, quoniam sunt quartæ speciei rerum sacrarum, secūdum sanctum Thom. 2. 2. quæst. 99. art. 3. etsi ad sacrilegium satis esset eiusmodi peccatum cōmitti in loco sacro quartæ speciei sacrilegium esset quodcunque in quibuslibet agris, prædiis, aut domibus ecclesiæ committeretur, quippe quæ omnia sunt sacra eiusdem speciei, cap. sacrilegium. cap. qui rapit. cap. quisquis. 17. quæst. 4. iuxta sanctum Thom. vbi supra. Non obstat quòd ecclesia & cœmeteria sunt loca sacra, quæ faciunt, carnis peccatum esse sacrilegium, quia illa sunt tertiæ speciei rerum sacrarū, iuxta eundem sanctum Thom.

Interrogatus item, An sanctimonialis, quæ cum esset sæcularis, aut antequam professionē faceret, occulte fornicata est, suæ congregationis velum suscipiens peccet? Respondi, peccare, nisi cum dispensatione, saltem episcopi, aut cum alia honesta cautela susciperet, vt Syluest. verb. consecratio virg. q. 1. perbelle declarat. Quod ipsum arbitror etiā de illa quæ voluntarie sese polluit, vt colligitur ex sancto Thom. communiter recepto 2. 2. q. 152. art. 1. ad 4. ob quod forsitan paucæ grandiorum, sine cautela licite consecrari possunt. Aduertendum item, quod non dixi, prædictas sex species luxuriæ esse species specialissimas, sed potius genera subalterna continentia sub se alias species. Nam sub specie incestus continetur incestus cognatorum diuersorum graduum, quæ sunt diuersæ speciei specialissimæ: & ita non sufficit confiteri habuisse rem cum cognata, si habuit cum cognata 1. 2. vel 3. gradu: sed oportet exprimere gradum, quia circumstantia illa, licet non mutet speciem generalem, siue genus incestus, mutat tamen speciem

specialissimũ quod sufficit ad hoc, vt sit necessario confitenda iuxta tradita in c.7. supra nu.4. & seqq.

4 Quarto principaliter præsupponimus, periculosum esse tã confessario quã pœnitenti immorari nimis in huius materiæ interrogationibus, proinde debet se quam citissime ab eis expedire, interrogãdo sola necessaria, nõ descendendo nimis ad particularia & minutiora, per dicta supra in c.6. & tradita à Caieta.

Quinto, quod, quidquid Ange. & aliquot alij cõtra suammet rationẽ dicãt, satius est, vt confessarius circa hoc præceptum percontetur coniũctim omnia, quæ pertinẽt ad ipsum, vnà cum eis, quæ pertinent ad decimum, quam diuisim alia circa illud.

Præceptum de non mœchando quis frangit.

SVMMARIVM.

5 *Præceptum sextum de non fornicando, vel decimum quis frangit.*
6 *Pollutio voluntaria, & inuoluntaria variorum casuum. & 7.*
6 *Pollutionis incurrendæ periculo consentiens.*
7 *Pollutio dormienti aduenient, &c. an possit placere ob finem bonũ. nu 8.*
7 *Referri potest in Deum quicquid non est peccatum.*
8 *Pollutio præterita & futura in quo differant.*
9 *Generationem matrimonialis copulæ quis impedit.*
9 *Fornicandi desiderium & delectatio morosa quando peccatum.*
9 *Peccata cordis, oris, & operis eiusdem speciei.*
10 *Delectatione, quam cogitando percipit, si lætatur.*
10 *Delectatio præsens de copula præterita, vel futura quando peccatum.*
11 *Oscula quæ peccata.*
13 *Tactus quæ peccata.*
14 *Ornans se, & insidens fenestris, cantans, audiens, aut videns qui peccat.*
15 *Comedit qui in finem &c.*
15 *Amans insequens amatam vt peccet.*

5 HOc præceptum de non mœchando, vel non fornicando frangit. Primo, qui habet copulam carnalem extra legitimum matrimonium, & tenetur dicere, quoties illam habuit, & cum qualibus personis, quo sciat confessarius cuius speciei est: puta si est simplex fornicatio, vel adulterium, incestus, stuprum, sacrilegium, raptus, aut contra naturam, iuxta dicta supra hoc c.nu.3. Et aduertendum, quòd tantum quis peccat per copulam cum vna eademque persona decies habitam, quantum peccaret, si eam cum diuersis decem eiusdem qualitatis, haberet: quod Ioan. Maior in 4.dist.17.q.4. expressit.

6 Secundo frangit præceptum qui procurat, vt contingat ei pollutio, aut placũit sibi deliberate contingentia illius non procurata: aut cum possit & debeat eam impedire, non impedit: aut probabili periculo, vt eueniat se exponit, volũendo intellectu turpes cogitatus, & afficiendo volũtatem carnali delectatione: aut immiscendo se conuersationibus, vel tactibus turpibus, quæ ad eam prouocant, à quibus potest, & debet se auertere: aut in finem, vt sibi eueniret pollutio, comedit aliquid, aut bibit; quamuis ad exonerandum naturam id faciat.

Quod

Quod genus peccati vocatur mollicies, estque de genere peccatorum contra naturã, de quo Apost.1. ad Corinth.5. ait. *Molles non possidebunt regnum Dei.* quod licet maius sit, quando cum alterius opera contingit, propter participationem in alterius peccato: non tamen ob id fit alterius speciei, nisi copula Sodomitica accederet, iuxta sententiam Caieta.2.2.quæst.154.artic.11.& nisi interueniret aliud, quo ea mutatio fieret: proinde si præter id intercederet personæ alicuius memoria, & volũtas, siue desiderium eam libidinem explendi cum illa, non solum esset mollicies: sed etiam alia luxuriæ species, cuius est copulare habita cum illa persona: puta adulterium si esset nupta: incestus, si cognata: sodomia, si alterius sexus, secundum eundem Cardin. vbi supra.

7 Dixi: Qui procurat. &c. Quoniã pollutio, quæ inuito contra voluntatem euenit, nõ est peccatum: qualis est, quæ euenit dormienti, & feminis fluxum patienti, & violento alterius tactu ei, qui non consentit in eo. Dixi: Cum possit, & debeat impedire & non impedit. Quoniam non sufficit potentia impediendi, nisi adsit obligatio id faciendi. Nã qui operi alicui incumbens potest eiusmodi pollutionis euentum impedire, cessando ab opere illo, & se in alia diuertendo, sed quia non tenetur opus illud intermittere, non cessat ab eo, & ob id polluitur, non peccat, si nullatenus pollutioni aduenienti consentit. Exemplum proponi potest in eis, qui ad prædicandum, docendum, disputandum, audiendum cõfessiones, aut alloquendum feminas ex causa honesta; cum sint ipsi viri, vel contra viros, cum sint ipsæ feminæ, vident, legunt, audiunt, aut dicunt aliquã turpia, aut talia, quæ illam prouocant. Si enim quamuis possint: non sunt tamen obligati ad omittendum id, quod faciunt, quò pollutionis euentum impediant. Quare si ea illis eueniat, non peccant, modo nullatenus, vt supra dictum est, ei aduenienti consentiant. Quæ omnia colliguntur ex his, quæ sentit sanctus Thom.3. part.q.80.& expressit sanct. Anton. 2.part tit.6.cap.5.& Cardin. Ioan. de Turrecrem.in cap. testamentum. & cap. sed pensandum.dist. 6.& Card. Caietanus. Tomo 1. Opusculorum, Opusculo 14.quæst.1.& 3.quæst.16.& in summa verb. pollutio. Quod ipsum respondimus & nos cuidam Veredario, seu cursori venti diplomate, qui non poterat aliter impedire, quam ab equo descendendo & pedibus incedẽdo. Quæ tamen omnia intelligenda sunt, de illis solis, qui probabiliter credunt, voluntatem eorum superiorem siue intellectiuã in huiusmodi pollutionem non consensuram. Alij enim, qui credunt contrarium, potius debent omittere confessiones, prædicationes, cursum veredariorum festinatum, & quiduis aliud ob ea, quæ Caietan. vbi supra dicit, & nos in cap. si quis autem. de pœnit. distin. 7. tractantes illud Ecclesiastici. cap. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, tradidimus. Non est item peccatum mortale, cupere vt sibi dormienti contingat pollutio (quò leuetur natura) per solam viam natu-

raiem, nullam ad id causam præbē do. Quod ne cui videatur durius, addimus nos in hac parte sequi Caiet. 1. 2. q. 154. art. 5. & Sylvest. verb. pollutio. & alios, præsertim glorio sum Doctorem Anton. 1. part. tit. 6. cap. 5. non tantum ob eius auctoritatem (quamquam mihi semper maxima est) sed etiam ob has rationes.

Prima est, quòd hæc, de qua loquimur, pollutio non est in se peccatum, secundū omnes: & quidquid nō est peccatum, in obsequium Dei est referibile, iuxta omnium sententiam, quam sentit Caiet. 1. 2. q. 8. ar. 3. & exprimit q 100. ar. 10.

Secunda, quòd sermo est de desiderio, siue cupiditate, quæ nullatenus est pollutionis causa, quale est desiderium eius qui cupit, vt ea pollutio ei eueniat quandoque in somniis eo modo, quo solet euenire sudor in leuamentum naturæ.

Tertia quòd eiusmodi pollutio non adquatur peccato quoad hoc. Nam etiam S. Tho. in 4. lib. sen. dist. 9. q. 1. Palud. in ead dist. q. 3. & communis asserunt, non esse peccatum, complacere sibi de præterita pollutione ob sanctum finem & purū & ab omni malo defæcatum, cum tamen peccatum propter nullum finem euentum, vel effectum quamliber sanctum, possit vlli iuste placere, vt in cap. inter verba 11. q. 3. & supra in cap. 15. nu. 10. & in addit. cap. quando. de consecrat. distin. 1. probauimus.

Quarta, quòd inter complacentiam de futura pollutione, & de præterita nulla est, quantum ad hoc, alia differētia, quàm quòd complacentia de futura posset esse causa illius. At nos expressim agimus de cōplacentia, quæ nullatenus sit causa illius, vt etiam hi, quos sequimur, loquuntur.

Quinta, quòd doctores, qui contrarium affirmant, intelligendi sunt de desiderio, & cupiditate, quæ aliqua via est pollutionis, vel aliquid prouocationis eius, licet in bonum finem, & non de illa, de qua nos agimus, quæ nullatenus est causa, nec quid prouocatiuum eius, neque ad malum, neque ad bonum finem.

Sexta, quòd falsum est dicere, quòd omnes, qui desiderāt aliquid, procurēt illud habere: & quòd quidquid licet desiderare, licet, & procurare, possum enim desiderare mortem propriam meam: immo & alienam in multis casibus: immo eam rogare Deum: at non est mihi licitum procurare illam opere, quod recte elucidat Sotus lib. 5. quæst. 12. art. 1. de iust. & iure, & docte ac erudite docuit Caieta. 2. 2. q. 154. artic. 5. per illa verba: *Aliud est velitū, aliud voluntarium: illud respicit obiectum hoc, voluntatem. Et potest quis nonquam recte desiderare, vt eueniat ei mors iussu Regio, aut Reipubl. contra suam voluntatem facienti quidquid potest, ne illa eueniat ei, & se defendat ab ea.*

Septima, quòd medicus potest desiderare, vt ei, cui medetur contra ipsius voluntatem, eueniat pollutio (quam credit saluti eius plurimum cōducturam iri) sine vlla culpa ægrotantis, & sine vlla illicita procuratione. Quas ob rationes, quibus in præsentia respondere nesciremus, & ob prædictorum, quos sequimur auctoritatem, hanc partem sine vlla conten

contentione peruicaci', & præiudicio eius, qui contra contenderit, sub correctione debita tenemus.

8 Addimus, non esse peccatū mortale, comedere nimis, aut calida edulia, ob quod pollutio euenit, dūmodo non comedat ea eo fine, vt ei eueniat, sed solum, vt suæ gulæ satisfaciat. Ex quibus infertur, pollutionem, quæ dormienti accidit, non esse in se peccatum, licet esset in causa, iuxta glo. receptam verb. rei. dicti cap. testamentum, & sanctum Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 5. & 10. Maiorem in 4. lib. senten. distin. 9. quæst. 2. non est voluntaria, & quia vt in additione cap. quando. de consecra. dist. 1. diximus, nemo, dum dormit, potest bene mereri, neque peccare, etiam venialiter, nisi exequendo peccatum, vt si somnum accideret pro instrumento peccandi. sanctus Thom. in dicto art. 5. & Caiet. tomo 1. Opusculorum Opusculo 14. quæst. 1. vt acciperet, qui se somno dederit, eo modo, vel ea corporis parte, vt ei pollutio eueniat, tunc enim esset peccatum, vel saltem exequutio eius eo modo, quo percussio facta sagitta est peccatum, seu exequutio peccati, quod perpetrat is, qui eam ad percutiendum emittit. Non est item peccatum, saltem mortale, pollutio illa, quæ incipit euenire alicui, dum dormit, & finitur postquam est experrectus, si voluntas superior, siue rationalis deliberata in illam non consentiat, quamuis sensualitas ea delectetur, iuxta communem sententiam in 4. lib. senten. dist. 9. & Ioan. de Turrecrem. in cap. sed pensandum. artic. 5. dittinct. 6. Immo neque si incipiatur, posteaquam est semiexcitatus, siue experrectus, antequam plene expergiscatur, modo absque eam patientis consensu deliberato voluptatis rationalis perficiatur posteaquam esset plene experrectus, iuxta mentem Cardin. à Turrecre. vbi supra, quia ad constituendum peccatum mortale iudicium integrum requiritur. cap. omnis. de pœniten. & remiss. & cap. 1. de delict. puer. & cap. inebriauerunt. 15. quæst. 1.

Tertio frangit hoc præceptum is, cui pollutio dormienti eueniens, posteaquam plene expergiscitur, placet deliberate ob delectationem, quam inde cepit, præsertim si desiderat, vt iterum ei ad se delectandum eueniat. Sylvest. verb. pollutio. Dixit: Ob delectationē, &c. quoniam si placuit præterita, vel cupit futuram ad tentationes carnis sedandas, non procurando, vt eueniat, non est peccatum, Caieta. 2. 2. quæst. 154. art. 5. & Anton. 2. par. tit. 6. cap. 3. Sylvest. verbo pollutio. etiam si comedat aliquid, vnde putat eam euenturam, modo hic in hunc finem non faciat, licet ad satisfactionem gulæ id comedat. Anton. & Sylvest. vbi supra. Facit cap. de occidendis. 23. q. 5. & l. si quis nec causam. ff. de rebus credit.

9 Quarto peccat, qui habens rem cum aliqua dat operam, ne illa concipiat, procurando, vt tali modo coeat, vt inde nequeat fieri conceptio, quod peccatum est contra naturam, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 154. art. 11. & Caiet. in commen. quo ad ambos quidem, si ambo consentiant, sin autem, quo ad consentientem tantum, qui est reus culpæ.

Quinto peccat, qui habet propositum, vel desiderium deliberatum copulæ carnalis extra legitimũ matrimonium, vel delectatur de illa morosè expressim vel tacite. Expressim, quidem fruendo, vel consentiẽdo expresse & deliberate in delectationem, quæ ex turpi cogitatu illius nascitur in sensualitate, siue appetitu sentitiuo. Tacite vero, si aduertens se illa teneri, & duci in periculum consentiendi, non expellit, nec nititur expellere sine iusta causa, quæ ab expellendo eam excusat. Quod probatur per regulam superius, c. 11. nu. 13. positam. Toties autẽ peccat, quoties habuit eiusmodi propositum, aut delectationem morosam, siue circa vnam interrumpendo sæpius, siue circa multas simul, aut separatim, iuxta sanctum Anto. 2. par. tit. 5. cap. 1. §. 6. & omnes alios, secundum superius dicta in c. 11. supra eodem nume. 13. & 14. Quia peccata cordis, oris, & operis eiusdem sunt speciei, & solum differunt secundum maiorem, vel minorem perfectionem secundum S. Tho. 1. 2. q. 51. art. 7. Proinde iuxta varias circumstantias variarum personarum, quas sic concupiuit, sunt etiam variæ species horum malorum propositorum, & desideriorum, & peccati speciem mutant. Nam quæ sunt erga coniugatas, sunt adulteria, quæ erga cognatas, incestus, quæ erga virgines, stupra. de quibus supra dictum est. Et ideo hæ circumstantiæ necessariò sunt consitendæ cum numero illorum propositorum, & desideriorum, siue concupiscẽtiarum. Silu. verb. luxuria, §. 3. & dicta in c. 6. sup. eod.

Sexto, is cui deliberate placet delectatio, quæ sibi nascitur ex cogitatione copulæ carnalis, quam habiturus est cum illa, vel illa, quando sibi facta fuerit vxor, aut si alioquin liceret, iuxta sententiam Caiet. dicto 1. Tomo Opuscul. Opusculo 14. q. 2. Quoniam quamuis licita sit voluntas conditionalis habendi copulam cum illa, vel illa, si vel quando sua vxor fuerit: quamuis item liceat ei gaudere de spe, quam concipit habendi aliquando illam, non est tamen licitum ei admittere deliberate delectationem carnalem, quæ inde nasceretur. Nam quamuis voluntas conditionalis copulæ futuræ, nil ponat in esse: illa tamen delectatio, quæ inde nascitur, non est conditionalis, nec futura: immo præsens, & absoluta, quæ est conclusio singularis, ratione singulari sulta, de qua latius scripsimus nuper in c. is cui. nu. 1. & seqq. pœnit. dist. 1.

10 Septimo, qui, vel quæ coniux mortua vel mortuo coniuge meminit copulam carnalem in matrimonio tempore præterito habitam, & delectationem carnalẽ ex eius memoria ortam admittit & ea deliberate gaudet, vel aduertens sensualitati suæ eam inesse, ac exponi se periculo pollutionis incurrendæ vel consentiendi in eam, non expellit, nec nititur eam expellere cogitatũ suum in aliud per disciplinam, vel alio modo diuertendo per regulam superius cap. 11. nu. 14. ad dignoscendum, quę morosa delectatio sit peccatum mortale, traditam. Verum tamen est, viduum & viduam licitè posse & meminisse copularum carnalium temporis præteriti, & gaudere,

dere, quòd eas habuerint, & quòd in eis delectati fuerint, immo & velle illas habere, si qua ratione fieri posset. Non tamen est licitum illis habere nunc actu & in præsentia delectationem, quæ ex illa recordatione seu memoria nasceretur, iuxta omnium doctrinam & mentem, quam dilucidius ceteris omnibus declarauit Caietan. in præallegato Tomo 1. Opusculorum, Opusculo 14. q. 1. & 2. Quod ipsum per easdem rationes videtur etiã nobis de illa coniuge, cui ex recordatione copulæ licitæ præteritæ, aut futuræ cõiugis absẽtis nascitur, atque excrescit delectatio in sua sensualitate: quantumuis nemo, quod sciam, illud exprimat arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. &c. 2. de translatione prælat. de quo latius nuper diximus in præallegato cap. cogitationis. & cap. si forte de pœniten. distinct. 1.

11 Octauo, qui deliberato & stabili animo vult amplecti, exosculari, aut tãgere, aut amplectitur, exosculatur, aut tangit feminam, cum sit mas, vel marem cum sit femina, animo fruẽdi delectatione carnali, quæ ex huiusmodi actu nascitur (esto quòd tactus ille non sit de se impudicus, esto etiã quòd tangeret personam, quam desiderabat, atque sperabat in coniugem accipere, si nondum acceperit) iuxta sententiam vtriusque Tho. 22. q. 154. artic. 4. & S. Anto. 2. par. tit. 5. c. 1 §. 7. 8. & 9.

Dixi: Deliberato animo, quoniam appetitus ille, qui in sensualitate nascitur aut ex voluntate auteaquã intellectus id animaduertat, & voluntas ei deliberate consentiat, aut etiam omittat eum expellere cum periculo consentiendi, saltem in illam delectationem; non est peccatum mortiferum, per regulam supradictam, in cap. 11. nu 13. & in hoc ipso cap nume. 9. Dixi: Ad fruendum delectatione carnali, quoniam facere, vel velle facere illa ad se delectandum honestè, vt faciunt multi, qui trangunt, osculantur & amplectũtur pueros, puellas, cognatos vel cognatas, nihil peccat vt diximus nuper in c. si cui. de pœnit. dist. 1. nu. 11. & seqq.

Dixi itẽ: Osculari, tangere & amplecti, non autem dicimus videre & alloqui. quia hæc cum fiunt honestè infinem honestum, puta ad vrbanitatem debitam, ad se recognoscendum postea cum iterũ conuenerint, vel ad reprehendẽdam illius vanitatem vel ad de rebus honestis admonendum, vel ad laudandũ Deum, quod adeo pulchra opera efficiat, aut ob honestũ amorẽ: immo & ad se delectandum caste honesteque amando, non est peccatum: immo est virtutis actus, modo non faciat ea tali loco, tempore, & modo, quo se periculo concipiendi mali propositi operis; vel delectationi luxuriosæ se exponat. Nec est plusquam veniale facere prædicta ob solam curiositatem cognoscendi, qua pulchritudine, aut quo incessu aut gestu sit. Immo nec oblectare se etiam deliberate, videndo & alloquendo eiusmodi creaturam formosam, & perspiciẽdo res eius nouas, & pomposas, modo nulla intentione mala illam comitetur, nec alia mala delectatio carnalis, suapte natura ordinata in liquem luxuriæ actum, vt subtiliter Caiet. in Tomo 1. Opuscu-

lorum. Opusculo 14. q. 3. probat, ponendo magnum discrimen inter visum & alloquium ex vna parte, & tactum ex altera. Nec obstat his quod Hieron. in epistola ad Eustoch. de virginitate scribit paulo ante, & post illa verba. *Claude ostium tuum, abscondere: Foris vagentur virgines stultæ, &c.* Nam ille hortatur ad optima, & ad fugienda etiam minus bona, quæ ipsis possunt esse impedimenta, qualia sunt illa: nos vero dehortamur à malis, discernendo illa à bonis, & quo gradu sint talia.

12 Dixi etiam: Nec despõsati, quia illi quamuis sponsalia tantum de futuro contraxerint, licet non liceat eis copula, sine proposito saltem antea in matrimonium consentiendi, neque hodie post Conc. Trid. sess. 24. in Decreto de matrimonio. cum tali proposito: licite tamen possunt non solum se cernere, & alloqui, & frui gaudio & voluptate, quæ inde nascitur: sed etiã osculari se mutuo, amplecti, & tangere se tactibus, qui de se non sint impudici, & frui voluptate, quę oritur ex eis, sine voluntate tamen ampliori. Sponsalia enim, quę initium matrimonij sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate præambula voluptati matrimoniali, quæ singularis est eiusdem Caietani determinatio, in 2.2. quæst. 154. artic. 4. Quæ tamen intelligenda venit, quando id fit cum cautela, ne contingat pollutio, nec periculum probabile illius incurrẽdæ, aut consentiendi in eam; vel in copulã matrimonialem, antequam expresse, vel tacite matrimoniũ contrahant, licet post conc. Trident. vbi supra non sufficiat tacitus contractus. Quod quia raro contingit, cum soli secreto sese osculantur, amplectũtur, & tangunt, plurimum expediret, ne opportunitates eiusmodi, donec coniuges fierent, eis consentirentur.

13 Diximus item: Tactibus, qui suapte natura non sunt impudici: nam si tales essent, quales sunt tactus verendorũ, nullatenus debent consentiri: immo si ad euitandos eos esset necessarium, petendum esset cum clamore auxilium, non obstante infamia, quæ alteri partiũ, vel vtrique inde nasceretur, secundum Caiet. in 2.2. q. 154. art. 4. sub fin. cui hac in re contrarius est Sotus, relatus supra eo. nu. 1. & ei accedimus cum moderatione, de qua ibidem.

Nono peccat, qui vadit ad aliquẽ locum, præsertim ecclesiam, quo videat, & concupiscat inordinate lataliterque feminas, iuxta gl. c. odi. 24. q. 1. ob intentionem mortiferã quod idem dicendum de illo, qui mittit, aut tradit, recipit, vel promittit epistolas, aut aliqua dona, quamlibet parua eiusmodi cum intentione, Sylu est. verb. donatio. §. 2.

Decimo, qui quærit mediatrices, aut maleficas, ad consequẽdum suæ concupiscentiæ affectum. Alex. Halen. tract. de luxuria.

Vndecimo peccat, qui, vel quæ se in fenestra, vel alio loco exhibet, animo, vt cerneretur ab aliquo, vel aliqua, à quo vel qua scit se carnaliter amari, & eo cõspectu mortaliter peccatum iri, licet in opus peccati non consentiat, in quo toties lataliter peccat, quoties id facit, secundũ S. Anton. 2. par. tit. 5. c. 1. §. 7.

14 Duo

14 Duodecimo, qui se vestit, vel ornat eo animo, vt videatur alicui eius pulchritudo, ob quam carnaliter, & mortaliter ametur: nõ autem si facit illud, vt ametur honeste, licet carnaliter in finem cõtrahendi matrimonium, vel aliũ honestum: immo neque si id facit, quò ametur inhoneste, sed non mortaliter ad luxuriam videlicet tantum venialem.

Decimotertio, qui animo deliberato delectatur, loquendo, canendo, vel audiendo verba luxuriæ turpia, etiam sine malè operãdi proposito, per superius dicta in c. 11. nu. 8. & per alios alibi, & omnis qui verbo, tactu vel scripto dat causam alteri peccandi, licet ipse nolit peccare, neque vt alter peccet arg. c. fi. de iniur.

Decimoquarto, qui nutu oculorum, verbis, musico cantu, aliis similibus nititur prouocare ad consentiendum huic luxuriæ peccato: aut curauit, vt se comitarentur aliqui in aliquem actum mortiferum, qualis est cantus musicus, qualia hastiludia, & alia similia ad prouocandum aliquam in eiusmodi peccatũ mortale collimata, & directa. Alexand. Halen. tract. de Luxuria.

Decimoquinto, qui falsò gloriatur, se cum illo, vel illa rem habuisse, qui nõ solum peccat: sed & tenetur restituere famã, quam per id aufert. arg. reg. peccatũ. de reg. iur. lib. 6.

15 Decimosexto, qui comedit, aut bibit plusquam oportet, aut quærit aromata, vel aliqua calida, quo magis hoc luxuriæ peccato delectetur: nisi sit coniux, qui si faciat id ad debitum matrimoniale commode soluendum, nihil peccat: & si facit quo magis in eo soluendo delectetur, tantum veniale admittit. Angel. interrogat circa gulam. §. 17.

Decimoseptimo 15, quem pigèt impotentiæ coeundi luxuriosè: quãuis pigere impotentiæ ad copulam matrimonialem non sit peccatum, secundum omnes.

Decimooctauo, qui aliquam mulierem mala cum intentione insequitur, quod peccatum eo grauius est, quo maior mora fit in ea insequenda. Immo si mulier est honesta, obligatur ad ei farciẽdam iniuriam, contumeliam, aut infamiam, quæ ob hoc eam cõsequitur. l. item apud Labeonem. §. appellare. ff. de iniur. modo honesto habitu ipsa incedat: alioqui vero minime, vt in ead. l. §. fi quis virginem. An autem si eam ad peccandum inducit, obligetur ad suadendam ei pœnitẽtiam, dictum, est supra in c. 15. num. 45. & latius nuper in c. noli. de pœnit. dist. 1.

Decimonono, qui locat domum, vel aliquam eius partem alicui meretrici, quam scit vel probabiliter credit in ea meretricaturam, seu suo corpore turpem quæstũ facturam, is enim videtur peccato consentire & ad id admittendum iuuare, ac consequenter peccat. arg. c. 1. de offic. deg. cum similib.

Quid restituere oporteat, qui rem habet cum ea, quæ putatur virgo & non est.

SVMMARIVM.

16 *Virginem qui defloratˇ, quid restituat si dolo, aut importunitate, &c. & 17.*

18 *Virgini qui promiserit se eam ducturum in vxorem.*

19 *Virgini corruptæ, quæ putatur virgo*

æque bene nubit, vt restituatur, & nume. 20.

19 *Restitutio qualis facienda patri ab eo, qui eius filiam defloravit.*

16 VIgesimo, qui rē habet cum ea, quæ putatur esse virgo & non est, & nō vult facere illa, quæ debet. Circa quod dicendum primò, quòd qui rem habet cum ea, quæ putatur virgo, sine dolo, & deceptione ipsius, quia illa se ad id offert, vel leuiter rogata consentit, nil tenetur restituere in cōscientiæ foro, etiam si vere virgo esset, tum quia scienti & sponte consentienti non fit iniuria nec dolus, capi. scienti de reg. iur. libro 6. tum quia lex, quæ obligat ad soluendum aliquid ei, quam defloravit, agit de decipiente, c. 1. de adul. Exod. 22. Diximus, Leuiter: nam si grauiter importune fuit rogata, satis dicitur coacta, quò ad hunc effectum, argu. l. 1. C. de rapt. virg. & gl. dicti cap. scienti.

Secundò dicendum, quòd in foro exteriori huiusmodi defloratori iubebitur eam dotare, in vxorem q; sibi ducere, dicto c. 1. de adul. aut dotare, & fustibus cædi, cap. 2. eod. titul. quamuis eam incorruptam non inueniisset, & neget eam fuisse talem, nec ipsa se virginem probet, satis enim est ei, quòd ipse non probet contrarium, iure namque præsumitur illam fuisse tunc virginem, & deceptam, vt asserunt Anton. Panor. & Communis in dicto cap. 1. & 2. de adult. & S. Anton. receptus, 2. par. tit. 5. cap. 6. §. 1.

17 Neque obstat hoc, quod hic dicimus (nempe illum, qui virginem defloravit, si ea tam bene nupsit, ac si virgo esset, marito corruptionem minime percipiente, ad nullam restitutionem teneri) non placere cuidam religioso, eo quod contrarium asseruit Victoria.

Quia respondetur primo laudare me supra multum præfatum Victoriam, defendereque eius dictum, quod ille contra me citat.

Secundo, quod Victoria loquitur de satisfactione: ego autem de restitutione, quas differre vt genus & species diximus in princip. c. 3. supra eodem. Et ita certum est, corruptorem virginis, etiam si nihil damni restituibilis per hoc ei eueniat, teneri actione iniuriarum ad satisfaciendum pro illa per pœnam impositam, vel imponendam, licet æque bene nubat, vt recte ait Victoria per Lapud Labeonē. §. si quis virginem. ff. de iniur. & per capi. si quis tam. de pœniten. dist. 1. sed non ad restitutionem, vt ego dico: quia pœna pro iniuria imponenda, vel etiam ipso iure imposita nō debetur in foro conscientiæ, per §. in hac sub cap. fine. 33. quæstio. 2. Restitutio enim respicit damnū pretio æstimabile ablatum, vel impeditum, reddendum, etiam in foro conscientiæ, per definitionem eius, quam tradimus infra cap. 17. num. 6.

Tertio respondetur, quod ad saluandum dictum præfati Victoriæ, quod aliàs certe de rigore iuris saluari non potest, adiecimus, intelligendum esse illud quoad restitutionem in foro conscientiæ faciendam, quando virgo corrupta, licet bene nubat, ac si fuisset incorrupta, tamē post nuptias, & notitiam corruptionis à marito habitam tractatur male signis, verbis, absentia, & aliis factis, quod est magnum damnum, aut interesse ex illa corruptione consequutum, & restituibile.

Tertiò dicendum quod qui importunis precibus, & appellationibus, aut falsis promissionibus sine pollicitatione eam ducendi decepit, in vtroque foro tenetur. In exteriori quidem ad id, quod supra dictum est, in interiori verò ad ducendum, vel ad faciēdum id, quo illa maneat contenta, vel ad resarciendum ei damnum omne, quod inde illi euenerit, scilicet, quanto maioris eget, quo talem adipiscatur maritū, qualē manens virgo adipisceretur, iuxta boni viri arbitrium, quod sensit S. Anton. vbi supra, & aliquid amplius, ob verecundiam, quam tota vita sua passura est, & ob contumelias, quas ob id à suo marito est acceptura, vt nos in dicto capit. 1. diximus, addentes non obligari ad eam omnino dotandam, quoniam id pœna est, quæ in foro interiore omnino non debetur, donec à iudice imponatur, §. in hoc. 33. q. 2. & gl singularis capit. fraternitas. 12. q. 2. in cuius Comment. id late tractamus.

18 Quarto, dicendum quòd si promittit se ducturum eam, siue promittat ex animo vero, siue ad decipiēdam eam ficto, obligatur ad explenda promissa tam in interiori, quàm exteriori foro, & multo magis si iuramento id firmauit, cap. 1. & cap. qualiter. de pactis. adiuncto cap. quacunque arte. 22. q. 5. Nisi essent valde inæquales genere, potentia vel diuitiis, puta si ille esset nobilis, & illa agricolæ cuiuspiam, vel artificis mechanici filia, eo enim casu præsumi potest, illam fingere, se deceptum, sed non esse. Vel quia huic rationi præsumptionis non est locus in foro conscientiæ, ratio aptior fuerit quod illa nō potest allegare iuste se deceptam esse, quia non est decepta, vel non debuit decipi, quia paria sunt scire, vel debere scire. l. quod te. ff. de reb. cred. & S. Anton. vbi supra. & Syluestr. verb. luxuria. quæst. 5. ob quod iudicio nostro non obligatur ad amplius, quàm ad dādum ei tantum, quantum magis opus habet ad talem adipiscendum maritum, qualem si non esset infamata adipisceretur, vel ad reponendam eam in aliquo statu honesto, in quo Dei obsequio viuat, secundum S. Anton. vbi supra ab aliis probatum: ad alterum tamen horum tenetur: quia licet non præsumatur decepta ad effectum ducendi eam, tamen tenebitur ad resarciendum damnum, eo quod promissio ducendi, vim habet saltem precum importunarū. Idem dicendum de eo casu quo promissio fuit vera & ex animo facta, sed esset probabile, quod ex matrimonio eā consequuturo, grande aliquod scandalum nasceretur, & in eo, qui promittit, & est sacris initiatus, aut aliā habuit vxorem, aut pater renuit omnino illam ei tradere.

Dicendum quinto, quod vltra prædicta obligatur ad placandum illius patrem, & ad satisfaciendum ei pro iniuria illata, secundum sanctum. Tho. 2. 2. q. 154. art. 6. & Caieta. ibidem & sanctum Anton. vt supra, & alios.

19 Dicendum sexto, quod iustum & rationi consonum videtur nobis, id quod dicitur asseueraſſe ille celeberrimus iuxta ac doctissimus pientissimus

tissimusque doctor P. Frater Franciscus à Victoria Gymnasta primæ functionis in sacra Theologia resolutissimus, Academiæ Salmanticensis, cum nos etiam in eadē functionis cathedra essemus in sactis canonibus, nempe illum, qui virginem dolo, aut importunis precibus corrumpit, obligari ad satisfaciendum ei detrimentum ex sigilli virginitatis fractione illatum, etiamsi illa æque bene nuberet, ac si præfatum sigillum non amisisset, quod facile infertur ex dicto tertio supra posita, & rationibus in eo allegatis ad eos saltem casus in quibus nos ibidem respondimus, scilicet, quando defectum huiusmodi deprehendit illius maritus, & propter hoc eam relinquens, ab eaque discedens, peregre proficiscitur, aut eā aspere nimiumque seuere tractat: quamuis (iudicio nostro) illa determinatio seu resolutio limitari debet, ne procedat locumve habeat, quando maritus eiusmodi defectum non deprehendit: immò existimat se illam inuenisse virginem, quales permultos esse plurimis in locis audimus.

Dicendum septimò, quod is qui dolo, fraude, aut precibus, importunis habuit rem cum aliqua iam ab alio corrupta, sed pro virgine reputata, ac habita, & per hoc eā infamauit, licet in nihilum in foro cōscientiæ ob virginitatem ereptam teneatur, ob famam tamen ereptam tenetur, secundum Ioann. Maiorem in tertio libro senten. distinct. 37. quæst. 33. quæ omnia sunt intelligenda de illo, qui peruenit ad copulam carnalem.

Concubinarius quis non debet absolui.

SVMMARIVM.

20 *Concubinarius verus aut pro tali habitus quis non debet absolui, & 21.*
22 *Ancilla, quam dominus abutitur, vt est ab eo separanda. nu. 22.*
22 *Concubinarij vt plurimum excommunicati.*

20 CIrca hoc dicimus primo, quod concubinarius cohabitans concubinæ adeo peccat, vt non debeat absolui ante quam ab ea separetur cum proposito nunquam amplius ad eam redeundi, tum quia non potest vere pœnitere, non abscindendo occasionem & opportunitatem peccādi, adeo propinquam ac est hæc cohabitatio, vt larius diximus in cap. satisfactio de pœnitēt. dist. 3. post S. Thom. in 4. distin. 15. q. 1. arti. q. 3. à Paludano, & ab aliis ibi receptum, & à S. Anton. 3. par. titu. 14. c. 26. & Sylues. verb. confessio q. 25. & ab aliis Summistis, tum ob ea, quæ supra c. 1. diximus esse ad veram pœnitentiam necessaria, tum per ea, quæ profunde dicta fuerunt de peccandi occasione, supra c. 14. nu. 32. cū non possint sine grandi periculo habitare in simul, quin alteruter, vel vterque ipsorum opere, verbis, voluntate, aut delectatione peccet. Nil tamen aliud dicimus, quid faciendum sit eo casu, quo possint ipsi absque peccandi periculo cohabitare, quàm quòd rarissime id continget: & quòd non debent absolui absque proposito deliberato nunquam conuersandi opere, animo, aut voluntate. Idem quod dicimus de concubinariis, dicendum credimus de his, quos populus credit esse tales, licet non sint, donec veritas publicetur. Quoniam non solum ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie cauendum est, iuxta Apostol. 1. ad Thessal. 5. & capitu. cum ab omni. de vita, & honest. cleric.

21 Secundo, quod idem, quod diximus de concubinario, dicendum est de illa persona, quæ cuidam alteri cohabitando, non potest ob suam fragilitatem vitare, ac (vt rectius dicamus) videtur ei quòd non vitabit peccatum mortale, nisi separetur ab ea: debet enim separare se ab ea, quamuis sit pater, mater, filius, filia, maritus, aut vxor, ob eandem rationem, etiam si sit ancilla, qua dominus eius luxurioſe abutitur, si nequaquam potest ei resistere, aut putat quòd ob suam fragilitatem ei nō resistet, nisi fugiendo, quod iuste posset fugere, quemadmodum vxor potest discedere à marito, qui eam ad peccandum attrahit, cap. si infidelis. & cap. Idololatria. & cap 22. sequ. 28. quæst. 1. Immo, iudicio nostro, posset dominum compellere, quò eam vendat alteri, qui ea non sic abutatur: tamets hoc nemo alius exprimit, siquidem ob asperum & crudelem corporis cruciatum, qui longe minor est animæ cruciatu, l. iustissime. ff. de edili. edict. & c. præcipimus. 12. q. 1. potest ad illud compellere. §. sed maior. Iustit. de his qui sunt sui vel ali. iur. cuius rei rationem, quæ fundatur in occasione peccandi altius, quàm alij tractamus in hac postrema editione, supra c. 14. nu 32. & seq.

Tertio, quod concubinarij non solum peccant, sed etiam communiter excommunicantur per constitutiones synodales, vt in episcopatu Conimbricēsi, & hodie vbique gentium legitimè prius moniti sunt excommunicandi, & concubinæ in exilium mittendæ, iuxta id, quod statuit Concilium Trident. sess. 24. c. 8. de reformat. matrimonij, in hæc 23 verba: *Statuit huiusmodi concubinarios tam solutos, quam vxoratos cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absoluantur donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario seuere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres siue coniugatæ siue solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum nulla etiam requirente ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœcesim, si id eisdem ordinariis videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eiiciantur, aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.*

De coniugum luxuriæ peccatis.

SVMMARIVM.

24 *Coniux cognoscens suam vt non suam vt peccet.*

25 Con-

25 *Coniux negans sine iusta causa coniugi debitum petitum.* & 26.

27 *Debitum negandi coniugi quæ iusta causa.*

28 *Coniux non discedens à coniuge adulterante vt peccat.*

29 *Maritus vxorem adulteram quibus casibus ac cusare non potest.*

30 *Matrimonium contra simplex votum castitatis contrahẽs, vel consummans.*

31 *Voto castitatis de consensu coniugum adstricto coniux qui petit, vel reddit debitum, secus si absque coniugis consensu vouit.*

32 *Debitum vt negatur ob mœstruum, aut locum sacrum.*

33 *Coniux conceptionem impedient, & ob id semen extra vas fundens.*

34 *Coniux qui sit patrimus filij per ignorantiam, vel malitiam.*

34 *Coniux recte reddit debitum male petenti, interdum non.*

34 *Cognatio spiritualis spontanea vt maior coacte contracta.*

35 *Coniux cognatam noscens, vel coniugi adulterandi licentiam dans.*

36 *Matrimonium clandestinũ contrahens sine iusta causa, & quæ sit illa.* & 37.

36 *Lex non cessat cessante fine, sed sic cessante inconueniente legis.*

38 *Matrimonium nolle publicare cur peccatum.*

38 *Matrimonio qui occulte ante benedictionem vtitur.*

39 *Matrimonium qui cum duabus cõtrahit, quid faciet.*

40 *Matrimonium contrahens ante scitam coniugis mortem, quid faciet. nume.* 41.

42 *Coniuges se impudice tangentes, & extra ordinem polluentes.*

24 CIrca hoc dicimus multa. Primo, quòd quamuis peccatũ mariti adulterantis ceteris paribus sit maius, quàm vxoris adulteræ, secundum August. cap indignãtur. 32. quæst. 6. quia maioris vigoris ratione vtitur, & melius potest resistere, debetque vxorem suam virtute vincere, & suo exemplo regere: attamẽ maius est peccatum vxoris, arg. glo. l. illud C. ad leg. Iuliam de adult. & trad. Caietan. 2. 2. q. 154 art 8. ea ratione, quod facit prolem de suo patre incertam, & maius scandalum generat.

Secundo dicimus, quid peccat cõiux, qui, vel quæ cum coniuge eo animo rem habet, quod haberet, vel vellet habere illam, etiam si non esset sibi coniux: aut qui, vel quæ tam velit habere cum alio, vel alia ac coniuge. capi. origo, adiuncta gl. verb. amator. 32. quæst. 4. secundum Palud. in 4. dist. 32. q. 3. Anton. 3. part. tit. 1. c. 20. §. 1.

25 Tertio, qui, vel quæ coniux sine causa legitima negat coniugi debitum loco & tempore idoneis petitum, secundum omnes in 4 lib. sent. dist. 32. nisi petenti precibus contrarium suadeat, quæ tamen non debent esse nimium importunæ. Nec ab eo excusat Quadragesima, nec alius dies quamlibet festus, etiam Paschatis, neque voluntas se à pluribus liberis habendis excusandi, arg. cap. 7. 1. ad Corinth cap. 1. & cap. 2. de coniug. leprosi. Multoque plus peccat, quando ira, odio, aut malo aliquo fine id negat.

Dixi: Tempore & loco idoneis: quia non tenetur reddere in locis publicis, aut sacris, nec quando probabiliter timeret incurrere ob id mortem, aut grauem infirmitatem, aut

aut abortienti periculum. quæ cum moderatione sunt intelligenda, c. 1. & 2. de coniug. leprosi. quæ iubent, vt leprosi coniuges communicti viuant, vt colligitur ex Palud. in distin. 32. lib. 4. q. 1. & Caietan. in summa verb. matrimonium. par 2. & aliis. & sancto Anto. 3 par. titul. 1. cap. 20. §. 6. & aliis Rapsodiis in verb. debitum coniugale.

26 Dixi: Petitum, quia non obligatur offerre, nisi petatur: verũ sufficit quòd petatur verbis, nutibus, vel operibus. argu. l. de quibus. ff. de leg. & c. dilecti. 3. de appell. Proinde Augustinus de Ancona relatus à S. Antonino in dict. §. 6. ait, quòd tribus modis debitum coniugale petit vxor, scilicet, verbis, signis, & suo ingenio, siue conditione, per quam maritus coniicit eam id desiderare: sed præ verecundia dissimulare, eo quòd fœminæ naturaliter sunt in hac re verecũdiores viris. Id ipsum tamen dicendum est de marito illo, qui ob pusillanimitatem suam, vel ob vxoris duram conditionem, aut insignem auctoritatem, non audet expresse sine metu aliquo petere ob eandemmet rationem, quamuis nemo id exprimat.

27 Quarto, quod iustã etiam causam denegandi debitum habet coniux ante consummatum matrimonium, si vult intrare religionem, ad quod & ad professionem debet dari ei tempus bimestre, vel quod vir bonus arbitrabitur, iuxta Panor. in c. ex publico. de conuers. coniug. & communem. Non est tamen talis causa stultitia, vel furor petentis, si ei reddi potest absque periculo notabilis dãni personæ, à qua petitur. Richar. in 4. lib. sent. dist. 32. Et quamuis quo ad copulam carnalem maritus & vxor sint omnino pares, differunt tamen in eo, quòd illa non fit bigama vel irregularis ob copulam carnalem, etiam si scit eum adulteratum fuisse: ille vero sic ob copulam habitam cum ea, etiam ignorans eam adulteratam fuisse, c. si cuius 34. distin. etiam si iudice iubente id sub censuris faceret: nec refert, an possit probare nec ne, quo ad forum conscientiæ, quo ad quod loquimur, quidquid aliqui absque ratione ac lege dicant, contra cap. consuluisti. 2. q. 5.

28 Quinto peccat, qui maritus, sciens suam vxorem adulterari, non se separat ab ea, immo petit, & soluit ei debitum coniugale, c. 1. & c. si quis. 32. q. 1. secundum omnes, nisi quando adulterium est occultum, aut illa se iam emendauit, aut eo fine debitum petit, quo ipsemet non incidat in adulterium, nec aliis præbeat occasionem credendi se vxoris esse lenonem, secundũ Paludanum vbi supra in 4. lib. sent. distin. 32. & S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 20. §. 9. Quamobrem vxor communiter non peccat, non recedendo à marito, nec petendo, nec reddendo ei debitum, esto sit publicus adulter. Tum quia non est eius corrigere maritum, vt est mariti corrigere illã, c. duo ista. 23. q. 4. Tum quia numquam, aut rarò putabitur à populo in mariti adulterium consentire, vt recte S. Anto. 3. part tit. 1. c 20. §. 9. expressit, post Palud. id dict. lib. sen. dist. 32. & probat Caiet. Tomo 1. Opusculorũ Opusc. 12. q. 13. & Opusc. 31 resp 14.

29 Aduertendum tamen, nõ posse

maritū accusare adulterij vxorem, si etiam ipse adulteratus est, cap. nihil iniquius. 32. q. 6. neque quando vxor fuit vim passa. cap. itane. eod. q. 5. neque quando probabiliter credebat suum maritum mortē obiisse. cap. cum per bellicam 34. q. 1. neque si quis cum ea sub mariti specie rem habuisset. cap. in lectum. eod. caus. & q. neque si maritus adulterandi occasionē ei præbet, c. discretionem de eo, qui cogno. consang. neq; si maritus tolerat, & passus est eam postea quam sciuit eam adulteratam fuisse, c. si quis vxorem. 32. q. 1. neque si ante baptismum id fecit, c. gaudeamus de diuor.

30 Sexto peccat qui, vel quæ cōiux vouet continentiam, aut numquam contrahere matrimoniū, & postea contrahit, etiā si non consummet: & iterum si postea consummat prima vice ad suam petitionem, secundum omnes, immo & quoties id petit, secundū fere omnes. glo. c. quodam. c. placet. cum quibus Panor. transit, de conuer. coniug. & Io. And. & cōmunis in c. rursus, qui cler. vel vouen. & Palud. cōmunis & Ioan. Maior in 4. lib. sent. dist. 32. Ange. verb. matrimonium. 3. impedimentum 5. §. 3. & melius Rosel. verb. impedimentū 4. §. 7. quamuis aliqui contradicant, & minus bene, quidquid Angelus dicat vbi supra. Verum tamē est, quòd quia (secundū omnes) qui eiusmodi votū emisit, potest habere copulam quando eius coniux id petierit expresse, poterit etiam habere quoties petierit tacite, aut signis, aut ingenio, & conditione, vt supra dictū est eo c. nu. 25. potest etiā qui sic vouet, obtinere ab episcopo dispensationem ad debitū petendum ob grande peccandi periculum, & difficultatem continendi, quæ est similis ei, quam habet sitiens à potu aquæ præsentis oblatæ se abstinendi, iuxta Angel. Rosel. & Maior.

Quæsiuit quidā doctissimus confessarius, cur hoc loco diximus omnes affirmare eum, qui post votum simplex castitatis factum, vxorem ducit, peccare, cum Calderinus in cap. rursus. qui cleric. vel vouen. & Angel. verb. matrimonium. 3. §. 1. in contraria sint sententia?

Respondi, me hic loquutum de illo, qui ducit vxorem animo consummādi matrimonij, vt cōmuniter matrimonium cōtrahi solet, in quo omnes consentiunt, prædicti autem duo auctores, de illo qui animo suscipiendæ religionis ante matrimonij cōsummationem loquuntur, de quo ego hic nil fui loquutus. Nunc autem de illo dico, cum peccare nō tārum, eo quod frangat votū, quàm eo quod sponsam decepit, vt Sotus in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. rectè dixit, & ante ipsum Sylu. verb. matrimoniū. 7. q. 5. & quia magnum damnum infert ei, quippe quæ nō ita facile alij nubet, ob suspicionem copulæ cum illo habitæ: credo tamē, quòd si aliqua causa vrgeret eū ad matrimonium contrahendum cum ea simulato eiusmodi proposito, qualis esset notabilis mortis, aut iusamiæ metus, quamuis non esset satis iusta ad matrimoniū impediendum, & dirimendum, non peccaret, modo daret operam, ne quid detrimēti sua culpa ei eueniret, quo casu opinio Calderini & Angeli intelligi posset.

31 Septimò peccat, qui vel quæ cōiux

iux cum alterius consensu vouet castitatem, & pòst debitū petit secundum omnes: & etiam qui, vel quæ consentit voto, etiam si non vouit, reddit debitum ad petitionem, eius qui vouit, quia in eius peccatū consentit. Non tamen est idem dicendū, si ipsemet, qui nō vouit: sed consensit alterius voto id petit, quia nec ipse peccat, cōtraueniendo voto, quod nō emisit: nec alter reddendo debitū, à quo votum quod fecit non absoluit. Quandoquidē coniux faciens alteri facultatē vouendi nō videtur renuntiare ius, quod habet petendi, secundum Innoc. in c. 1. de conuers. coniug. communiter per Panorm. & alios merito receptum. Quod si ambo communi consensu continentiā vouerunt, ambo peccāt mortaliter. c. quod Deo pari. 33. q. 5. vt supra c. 12. nu. 60. dictum est, vna cum aliis quibusdā ad cōiugum vota pertinētibus: quāuis si ambo pacti essent, ne à se mutuo debitū peterent, & ambo cognoscentes quòd vterq; id peteret, si posset, haberent copulam, non peccarent, secundum Ange. verb. matrimonium 3. impedimentum 5. §. 1. quod melius docet Rosel. verb. impedimentum 4. §. 7.

Neque obstat, quod quidam ait, me asserere hic, vxorē si reddat debitum marito voto castitatis adstricto peccare mortaliter, etiam si matrimonium sit cōsummatum, quod ei non placet, cum eius contrarium probabilius teneat Couarru. 2. part. de sponsalib. c. 3. §. 1. nu. 6.

Cui respondeo primo, me nō dicere, quod ille imponit, quia loquor de vxore, quæ reddit debitum marito adstricto voto de cōsensu eius: & ipse opponit de marito adstricto voto sine ipsius cōsensu, de quo etiam Couarru. loquitur.

Secundo, quod pro nostra parte videtur esse Augustinus in c. quod Deo pari. 33. q. 5. in illis verbis: *Quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consensit*: per quæ significat coniugem de cuius consensu maritus vouit castitatē non posse iuste reddere illi debitum.

Tertio, quod ratio cur vxor non debet reddere debitum marito sine ipsius consensu voto adstricto, est, quia sine ipsius consensu vouit: quæ cessat cum illa consentiente maritus id facit. & merito, quia quæ adiuuat ad vouendum, non debet iuuare ad contrarium, & ad votum infringendum, argu. l. rem legatam ff. de adimen. lega. & cap. fi. de verb. signifi.

32 Octauo, qui vel quæ cōiunx debitū petit, aut reddit tempore menstrui, secundum S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 32. & aliquot alios. pro quibus videtur c. ad eius. 5. dist. contrarium tamen asserendum est cum Palud. in 4. dist. 32. q. 1. nempe, quòd nō peccat (etiam venialiter) si eo fine petit, aut reddit, ne consorti sit odio, vel vt fornicationem eius, vel propriam euitet: mortaliter autem numquam, etiam si credat ex huiusmodi complexu mōstrum aliquod conceptum iri, vt affirmat Palud. & S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 5. & ante multos annos tradidimus in dicto cap. ad eius. & ante paucos asseruit vir doctissimus Alfonsus Castrensis de lege pœnali lib. 1. c. 12.

Nono, qui, vel quæ coniux in loco sacro, siue cōsecrato, siue tantum

Universidad de Deusto

cendicto cum cõiuge rem habuit, secundum Palud. in dicta dist. 32. & S. Anton. 3. par. tit. 1. c. 20. §. 2. & alios, Caietan. verb. matrimonialis vsus. Vide Turrecremat. in §. sed cum naturale. art. 4. dist. 5. siue eam habeat, vt voluptate fruatur, siue vt fornicationem vitet: & siue ad modicũ tempus existat in ecclesia, siue ad multum, vt tempore belli, quidquid alij dicant, Angel. verb. debitum. §. 32. & relati per eum.

Neque obstat quod quidam dicit, cõtrarium esse probabilius, quia id tenet Sotus in 4. lib. sent. dist. 32. q. 1. art. 3. post Angelũ à Clauasio. Non, inquam, obstat. Primo quia S. Antoninus, Paludanus, & Caietan. quos hic cito, & Cardinalis Turrecremata, quem etiam cum illis cito maioris sum auctoritatis, quàm Angelus, & Sotus, quos ipse citat, licet ego nullius essem: & ideo non deberet præfatam meam opinionem damnare, sola eorum auctoritate, nulla alia ratione id muniendo.

Secundo, quod Sotus non est contrarius huic meæ opinioni, immo consentit ei per omnia, nisi qua parte dubitando per dictionem, Forte, limitat in copula occulta: quæ tamẽ ait non esse occultam, si eam habeant iacentes in eodem lecto, & ideo non debere id eis permitti.

Tertio quod, vt ait Caietanus, nõ inconuenit, vt ob reuerentiã Dei, & loci sacri teneantur multo tempore abstinere, cũ id teneantur frequenter facere, etiã ob reuerentiã Regis, cũ maritus occupatur in rebus militatibus. Cui addo idem esse, cũ occupatur in aliis negotiis ipsi regi, vel reip. vel suis priuatis necessariis.

Quarto, quia talis copula est illicita, eo quod per eam polluitur ecclesia, c. fi. de consec. eccle. & cap. 1. eo. tit. lib. 6. etiam si haberetur post multam temporis in ea mãsionem, secundum omnes, & etiam Sotum, qui addit eam haberi posse in campanili, aut in aliquo alio loco ecclesiæ contiguo. Addo, quod etiam dubitatio illa Soti de copula occulta non potest sustineri, quia licet per talem copulam non polluatur ecclesia, vt ipse ait, & est verum dum manet occulta: incipit autem censeri polluta simul ac fit nota, quod fieri potest per confessionem coniugum, vel per famam, & alia indicia postea oborta, vt ante citeiter quinquaginta annos diximus Salmanticæ prælegendo dictum c. 1. de consecra. eccle. vel altaris. lib. 6.

33 Decimo peccat, qui, vel quæ coniux potionem, vel quid vis aliud assumsit, vel præbet consorti quo prolis conceptio impediatur, vel ne sibi fiant plures liberi, quam quos educare potest, vel ob alium finem quamlibet bonum. Quod si ob hoc semen extra vas effundatur, grauius peccatum & alterius speciei, nempe contra naturam erit, secũdum eundem S. Anton. 3. part. §. 20. cap. 6. Sed quia coniuges non obligantur ad petendum à se mutuo debitum, secundum omnes, & licitum est eis desiderare, ne sint sibi plures filij, quàm quos alere possunt, vt asserit S. Anton. vbi supra, iuste possunt de communi consensu abstinere se à copula carnali, secundum eundẽ ab omnibus receptum: nisi quando alteri esset probabile consortem fornicarum iri, nisi debitum petierit, secun

secundum Angel. cuius determinatio tãtum procedere videtur, quando alter videt consortem ob verecundiam non petere verbo: sed tacite satis opere petere.

34 Vndecimo qui, vel quæ coniux fuit patrinus filij sui, cum baptizaretur, vel confirmaretur, malitiose, quo coniugẽ debito coniugali fraudaret, & ideo non reddit illud, eo enim casu non potest petere, sed tenetur reddere. Quòd si ambo malitiose fiant huiusmodi patrini, non possunt à se mutuo debitum absque peccato petere: quamuis alteri petenti alter reddere teneatur. Si autem errore, necessitate, aut ignorantia facti, vel iuris fiat, huiusmodi patrinus ius petendi debitum nullatenus perdit. quæ omnia satis colliguntur ex quodam Alex. 3. responso in c. si vir. de cognat. spirit. & eius glossis simul adiuncta, quam super eo addidimus iampridem opinionum concordia, ob ea, quæ Palud in 4. dist. 32. q. 1. art. 1. concluf. 7. scribit, cui concordant Vuendelinus ibi, & Sylueft. verb. matrimonium. 8. q. 7.

Interrogatus autẽ à quodam solutionem argumenti, quod fieri potest eo, quod diximus supra c. 12. nu. 59. scilicet, coniugem, qui reddit debitum coningi, qui vel quæ de consensu eius vouit continentiam, peccare ea ratione quod consentit peccato? Respondi argumentũ quidem esse neruosum, & torsisse ingenia Ostien. Ioan. Andr. Anto. Card. Pan. & aliorum in dicto cap. si vir. aliis alia docentibus. Nec video vllum, qui omnino soluerit: sed puto solui posse, negando, quòd eadem ratio consensus inueniatur in vtroq; casu, quoniam in dicto cap. si vir agitur de impedimento, quod canon induxit extra consensum coniugis reddere debitum debentis, in illo autem nostro dicto de impedimento, quod nascitur de consensu coniugis debitum reddere debentis, sine quo non poterat nasci, & ita minus tenetur impedimento, quod sola lege sine illius consensu inducitur, quàm impedimento, quod lege, & cõsensu suo inducitur, arg. c. 1. de treug. & pac. Cæterum sanũ consilium est, quod si ambo, vel alter nequeunt se abstinere, petant dispensationem ab episcopo, quem in hoc dispensare posse, S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3. sub fi. & Sylueft. vbi supra aiunt, argu. eorum, quæ adnotant Panormit. & alij, in cap. 1. de eo, qui cogno. consang. vxoris suæ, Rosella verb. impedimentum. 6.

Interrogatus Romæ, an qui infantem semestrem filium suum, quem abortiuit amica eius, baptizauit iam iam moriturũ absente clerico, posset ducere in vxorem sine dispensatione illam amicam? Respondi, non posse. Quia licet necessitas efficiat, vt possit compatet cum vxore sua iam nupta eademque commatre licite rem habere, vt hic dicitur, non tamen efficit ne nascatur cõparentas, quæ ante matrimonium nata illud impediat & dirimat, per c. ad limina. iuncta glo. vlt. 30. q. 1.

35 Duodecimo, qui vel quæ cõiux habuit rem cum coniugis cognata vel cognato, & postea debitum petit, cap. qui dormierit. 27. q. 2. quamuis ad reddendum teneatur, & an impediat à petendo debitum post copulam cum cognata vel cognato

suo proprio habitam, colligendum est ex iis, quæ dicentur infra, cap. 22. num. 5.

Decimotertio, quæ coniux facit marito peregre proficiscenti facultatem dandi rem cum alijs mulieribus, vel consentit vt se cum alijs domi manentibus misceat, aut cum commode posset non impedit eiusmodi commistionem, secúdum beatum Anto. 3. part. tit. 14. c. 9. §. 1. sub fi. 36 Decimoquarto, qui vel quæ cõiux clandestine matrimonium sine iusta causa contrahit, cap. cum inhibitio. de clandest. despon. etiam si contrahat coram parocho, & testibus, quia licet id sufficiat ad hoc vt matrimonium valeat, iuxta cap. 1. de refor. sess. 24. conc. Triden. non tamen ad hoc, vt desinat esse clandestinum per alia iura, quibus præfatum concilium non derogat. Iusta autẽ causa id faciendi visa est Caietano Tomo 1. Opusculorũ, Opusculo 11. q. 2. quando cessant omnia inconuenientia, ad quæ vitanda iure verantur contrahi clandestina ma- 37 trimonia. Contra quem facit doctrina eiusdem 2. 2. q. 120. & 186. artic. 3. nempe, quòd lex non desinit obligare subditos ad id, quod præcipit, etiam si absque illo: habeatur finis, in quem id præcipit testo, quòd responderi posset, aliud esse dicere, quòd lex præcipiens aliquid ob aliqua inconuenientia, illis cessantibus, non obligat, quod dicit Caiet. vbi supra, & antea dixit Panormi. in c. quoniam contra. de proba. & aliud dicere id, quod in aliquem bonum finem præcipitur, cessare si finis ille alia via habeatur, quod ipsemet in dicta q. 120. & in dicto artic. 3. ait, & nos etiam in cap. ad hæc. de præb. tradidimus. Iusta proculdubio tamẽ esset causa, quam ipse ibidem exprimit, scilicet contraxisse antea matrimonium publice, sed inualide ob aliquod impedimẽtum, habita enim dispensatione ad id cõuenienti possunt clandestine contrahere, neque ob id in aliquas pœnas incidũt. quæ res quottidiana est, & in sacro pœnitentiariæ prætorio probata, quatenus etiam post conc. Trid. qui publice semel contraxerunt, tenentur denuo contrahere, ob dispensationem noue obtentam quoad forum conscientiæ tantum, iuxta ea quæ habentur infra c. 22. nu. 70. Iusta itẽ est causa minoris nubendi clandestine alicui sibi multum conuenienti, quando prospicit se à suo curatore traditum iri nupcui alicui parum conuenienti. Nos quoque respondimus in nullas censuras, nec alias pœnas incidisse confessarium, & testes, qui curauerunt, vt quidam gladio grauiter ictus, & iam iam moriturus duceret in vxorem concubinam suam, ex qua liberos susceperat, quò illos faceret legitimos, & quo ad trãseundum ex hoc sæculo, iter melius adornaret.

38 Decimoquarto peccat, qui, vel quæ coniux matrimonio clandestine, sine testibus contracto, vtitur, quia eiusmodi vsus, non solũ est vetitus per cap. aliter. 30. q. 5. sed etiam malus, secundum Card. Caiet. dicta q. 2. quod palam verum est post præfatum concil. Triden. post quod nihil valet matrimonium sine parocho, & testibus cõtractum: sed quod etiam hodie id sit verum, videtur probare id, quod supra diximus, nempe

nempe matrimonium dici clandestinum etiam si contrahatur coram parocho, & testibus, extra faciem ecclesiæ. Porro præfatus Caietanus dicto Opusculo 12. q. 3. ait matrimonij vsum numquam esse mortiferum, eo quòd benedictionem nuptialem antecedat, id quod antea dixit Ang. verb. debitum. §. 1. & Silu. eo. verb. q. 9. Caiet. in summa verb. matrimonij peccata. Non quia non inueniatur textus, qui hoc significare videatur, vt quidam neotericus dixit, siquidẽ in cap. aliter. 30. q. 5 inuenitur, neque ob rationes, quas prædicti formant: sed quia nulla fere transgressio eorum, quæ dicto cap. aliter. prohibentur est mortifera, iuxta omnium sententiam, nisi ex contemptu, vel magno cum scandalo, ea fieret. Quamuis Ioan. Tabien. verb. matrimoniũ. §. 3. (pulchre monstrans, sanctum Thomam non sentire id quod Angel. & Silu. aiunt) absque iusta ratione affirmet prima vice peccare, quod ipsum ante illum prædixerat diuus Anton. 3. par. tit. 1. cap. 22. quod tamen non videtur tenendum, quia nullo iure, vel ratione talis differẽtia inter primam vicẽ, & alias probatur. Et adde quod pro Caietano videtur hodie textus in dicto cap. 1. de reformat. sess. 24. conc. Trid. vers. præterea quarenus hortatur, & non præcipit, vt contrahentes non cohabitent in eadem domo donec benedictionem sacerdotalem in templo accipiant.

Interrogarus autem, An qui matrimonium clandestinum cõtrahit, eo solo, quod non vult illud publicare, mortaliter peccet, quamuis matrimonio non vratur? Respondi peccare, si altera pars poscit vt publicetur, aut periculum incontinẽtiæ imminet, & nulla est iusta causa, qua differatur, quia officio suo nõ satisfacit. Immo etiam, licet vterque consentiat, & nullum sit incontinentiæ periculum, si ex eo quod non publicatur, ea damna & pericula timentur, quæ ex eius vsu clandestino orirentur. arg. l. adigere. §. quamuis. ff. de iurepatr. aliàs vero non, arg. c. cũ cessante. de appel.

39 Decimo sexto, qui vel quæ coniux primum clandestine contrahit cum priore, & postea publice cum posteriore & habet rem cum posteriore, etiam si iussu ecclesiæ sub excommunicatione præcipientis eam haberet, iuxta sententiam communem, quidquid Magist. sent. communiter refutatus in 4. distin. 38. dixerit. Peccat etiam si habet rem cũ priore, offendendo eos, qui putant eam non esse ipsius coniugem, per dicta in §. præceden. Nõ tamen peccaret, si absque scandalo eam haberet: tenetur autem posteriori conuiuere, ecclesia id iubente, si absque perilo habendi rem cum ea, vel eo, id facere potest, alioquin minime, etiã si ob id excommunicaretur. arg. c. inquisitioni. de sent. excom. Sylu. ver. debitum cõiugale. q. 6. quod tamen hodie post c. 1. de reform matri. sess. 24. con. Trid. non procedit, nisi in terris, in quibus illud non est receptum. Vel nisi quãdo matrimonium fuisset coram parocho & testibus, clam tamen aliàs contractum, si per mortem parochi & testium, vel alia de causa probatio prioris matrimonio deesset.

40 Decimoseptimo peccat qui, vel

quę coniux antequam satis certior fiat de prioris coniugis morte, matrimonium contrahit iterum, c. dominus. de secund. nup. & etiam si post contractum habet rem cum posteriori subsistente causa probabili ad dubitandum de morte prioris (esto non sit euidens & manifesta) debitum petit, dicto cap. dominus. & dicto c. inquisitioni. Immo & si reddit petitum, etiam iubente superiore, antequam illam animi dubietatem deponat, ad effectum saltem reddēdi illud. Probauimus enim in cap. si quis autem. nu 81. de pœnit. distin. 7. nō solum peccare mortaliter eum qui facit aliquid quod, credit esse mortale: sed etiam eum, qui facit aliquid, de quo dubitat, an sit mortale nec ne. Proinde coniux probabiliter de prioris coniugis morte dubitās, anteaquam rem habeat cum posteriore, debet expellere ab animo suo illam dubietatem, & credere mortem prioris, ad effectum saltem reddendi debitum, quamuis nō credat, neque credere possit, nec debeat ad effectum illud petendi. quod latissime in dicto cap. si quis autem. à nume. 86. vsque ad 118. monstrauimus, aperientes iustum intellectum, & veram concordiam inter dicta duo celebria cap. dominus. & cap. in quisitioni.

41 Et quòd differentia inter scientem ex vna parte, & credentem aut probabiliter dubitantem ex altera, & inter eū, qui ex leui causa credit, aut dubitat ex tertia, non est sita in eo, quòd vnus peccat reddendo debitum, & alius nō. Quia omnes peccant tam reddendo, quàm petendo (si illa scientia, credulitate vel dubietate durante petant vel reddant) sed consistit in eo, quòd primus horum non potest illam scientiam iuste deponere, neque ad petendum debitum, neque ad reddendum. Secūdus autem potest deponere suam credulitatem, vel dubietatem, præcipiente saltem iudice, ad effectum soluendi. Tertius vero potest ad vtrunque effectum, quæ est singularis resolutio à nobis in dicto cap. si quis autem scripta.

Decimooctauo qui, vel quæ coniux impudicis tactibus se polluit, aut habet tactus huiusmodi intendens habere illam, vel cum periculo probabili habendi iuxta sententiam Card. Caiet. ver. matrimonialis vsus. pag. pen. matrimonium enim eiusmodi tactus non efficit licitos.

42 Decimonono qui, vel quæ cōiux habet copulam cū coniuge alia via quā naturali extra vas naturale, vel tali modo, quo vxor non potest suscipere semen, aut retinere, secundum omnes. Qui autem habet copulam intra vas naturale, ita vt vxor possit suscipere semen & retinere, non peccat mortaliter, quam fœdus sit modus eam habendi: quamquam graue peccatum veniale admittit, & dignus est, qui eo modo vtitur, magna reprehēsione, peiorque animali bruto, quod in eiusmodi actu modū naturalem seruat.

Vigesimo qui, vel quæ cōiux nullum prædictorum facit, nec vult facere, sed consentit in eo aliquo modo ex illis nouem quos supra, c. 11. nu. 16. & in c præceden nu. 17. declarauimus, scilicet mandando, consulendo, cōsentiendo, laudādo, tacendo, auctorem receptādo, participando, vel

do, vel opitulando, aut non impediendo, verbis, opere, aut admonitione, cum posset & deberet id facere, vt ibi diximus. quædam alia tradentur infra. cap. 25. nu. 144.

De muliere fingente se habere filium.

SVMMARIVM.

43 *Mulier fingens se prægnantem, vt absoluatur.*

44 *Vxor quid faciet vt non se infamet & iusto filio non noceat.*

44 *Restituat non debet res familiaris cū fama propria iactura. & tribus nu. seqq.*

48 *Restituat damnum qui tradidit filium suum ad partum supponendum.*

48 *Infantis hospitali expositi impensas quis soluet.*

48 *Mulier testans vt iuste potest spurium: filium apellare.*

49 *Adulter potest non credere esse filium suum.*

49 *Causa etiam remota quæ obligat restituere.*

50 *Restituetur quantum iusto filio læso ob spurium ignotum.*

50 *Legitima filiorum varia in variis regnis.*

43 VIgesimoprimo dicim⁹ peccare. Primo mulier coniugata, quę supponit sibi partum fingendo se prægnantem, & patere filium alienum, quem secreto accepit ab alio: illa item, quæ suscepit filium ex adulterio.

Secundo, quod absolui potest id non reuelando, quamuis per id noceat patri putatiuo, efficiendo vt filium alienū prō suo enutriat, etiam heredi eius, quatenus filius putatiuus & spurius habitus pro vero & legitimo, adiuit hereditatem patris putatiui, aut partem eius, vt respondit Innoc. 3. in c. officij. de pœnit. & remissio.

44 Tertio dicimus id, quod supra dictum est, proculdubio procedere quando maritus indubie credit esse suum filium, & ipsa timet mortem sibi ab eo inferendam, vel mortali odio peccaturū, si resciret vt habet textus illius cap. & Panor. & communis ibi declarant. Immo sufficit timor propriam famam perpendi, secundum Caiet. Tomo 1. Opusculorum, Opusculo 31. respon. 14. ante quem id dixit subtilissimus doctor Scotus, in 4. dist. 15. q. 2 post. art. 4. in responsione articuli: & S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 18. §. 8. in fine, & melius tit. 2. c. 7. § 4. quia vt præfatus Cardinalis 2. 2. q. 62. art. 6. & in dicta responsione 14. ait, non tenetur restituere bona ordinis inferioris cum iactura bonorum ordinis altioris, saltem communiter, & vt diximus in repet. cap. inter verba. 11. quæst. 3. Bona famæ, altioris ordinis sunt, quàm bona rei familiaris, quia melius est bonum nomen, &c. Prouerb. c. 22. vt etiam bona vitæ ac salutis, sunt altioris, quàm bona famæ, l. in seruorum ff. de pœn.

45 Nec obstat dicere, quòd Panormit. indicto cap. officij. & communis videntur præsupponere, quòd si reuelare potest absque animę & corporis periculo, & putaret sibi fidem habendam, debet reuelare. Quia Innoc. cuius mentem ibi omnes sequuntur, ait eam ad id non teneri, si quod grande malum consequeretur. sit quamuis postea ponat exem-

plum in malo corporis & animæ: non tamen negat, illud esse dicendum de malo famæ, iuxta illud prædictum Proverb. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ*, quod constat esse grande malum, vt ratio prædicti Caietani probat. Nec obstat quod Io. Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 17. affirmet contrarium, quia id fecit sine iusta supradictorum perpensione.

46 Quarto dicimus, quòd si mulier illa iam erat de adulterio infamata, & credit probabiliter absque periculo corporis & animæ posse id reuelare, & quòd sibi adhibebitur fides tã à patre, quàm à filio, debet reuelare, quæ communis est conclusio Innoc. in dicto c. officij, & aliorum.

Quinto, quòd si crederet ipsa, filium suum spurium & fictum esse tanto virtutis studio, adeoque matri credenté, quòd reuelando ei casum secrete crederet, & totam hereditatem alijs fratribus vterinis relinqueret, teneretur ei reuelare.

47 Sexto, quòd quando eiusmodi mulier non est ad reuelandum huiusmodi casum obligata, aut quãdo per suam reuelationem non potest consulere damno, quòd suo marito, vel eius heredibus iam euenit, aut est euenturum, obligatur ad competenter satisfaciendum eis confessarij discreti arbitrio, vt contextus ipse præfati cap. officij in fine habet. Qui confessarius tali mulieri suadere debet secundum Scotú vbi supra, vt satagat inducere filium illum ad intrandam religionem, vel vt sacris initietur, & accipiat beneficium aliquod ecclesiasticum, quo contentus hereditatem alijs renunciet. Quod si hoc ei non potest persuadere, debet tã marito, quàm eius heredibus resarcire damnum ex bonis parafernalibus, id est, quæ vltra dotem habet, qualia si non habeat, non obligatur amplius, quàm ad sui peccati pœnitentiã, & ad concipiendam voluntatem satisfaciendi quãdo potuerit, secundum Scotum vbi supra. Cui duo addimus. Alterum, quòd religio, cuius ingressus est ei persuadendus, debet esse hereditatis incapax (qualis nulla est hodie post cõc. Triden. sess. 25 c. 3. de Regularib. præter Franciscanam, Capucinorú, & eorum, qui Minorum de obseruãtia vocantur) aut quòd ante ingressum & professionem renunciet hereditatem patris putatiui: alioquin enim nil prodesset huic proposito ingressus ille, cum monasterio posset hæreditatem illi obuenientem adire, arg. cap. in præsentia cum ei adnot. de proba. Alterum, quòd quãdo non poterit ei prædictum ingressum persuadere, nec satisfacere pro bonis, in quæ filius est successurus; debet bona mariti augere, tanto plus laborando, vltra quàm per matrimonium obligatur, & tanto minus expendendo in vestitum & victum de his, quæ honeste impendere potest, vt quod per hanc parsimoniam residuum fecerit, adæquetur damno per filium illato, vel inferendo. At si nec hoc ad id fuerit satis, debet donare in vita, vel relinquere in morte tantum, quanto in id opus fuerit, filijs legitimis ex parte illa bonorú suorum, quæ libere, in animæ suæ, vel extraneorum gratiam relinquere potest, iuxta authenti. nouissima. & authen.

authent. vnde si parens. C. de inoffic. testam. Demumque quando hæc omnia non fuerint satis, sufficiet ei contritio, & voluntas illa, quas Scotus dixit sufficere.

48 Septimo, quòd etiam obligatur ad resarciendum damnum prædictum is, qui tradidit ei filiũ suum ad supponendum partum, & fingendum eiusmodi figmentum. Adulter item, ex quo illum concepit, si credit, aut credere debet esse filium suum, quia illius damni causam dedit: & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. l. qui occidit. ff. ad leg. Aquil. & vt alterius eorum restitutio & resartio vtrumque liberat, sic altero non potente, aut nolente resarcire alter obligatur, per ea, quæ in cap. seq. scribentur. Quin etsi infans fuit expositus hospitali alicui, vt ibi nutriretur, obligati sunt ad soluendas impensas, quas in eo nutriendo fecit, eos paupertas non excusaret, ob id quòd hospitalia in pauperes subueniendos instituuntur, capit. de xenodochiis, & per ea, quæ ibi late trad. Lapus. in repeti. de religio domib.

Interrogatus, An mulier, quæ de adulterio filiũ susceperit, testari possit, cum id facere posse non videatur, nisi affirmando eos legitimos esse, quod est mendacium propter nullam rem dicendum? ca. 1. 22. q. 2. c. super eos. de vsur. Respondi posse: tum quia potest eos appellare filios absque aliqua legitimi intentione: tum quia sine mẽdacio potest legitimos appellare, intelligendo apud se, tales esse communi æstimatione, iuxta late per nos adnotata in capi. humanæ 32. 22. q. 5. tum quia plurimum interest legitimorum, eam testari quò exoneret conscientiam, quantum plus poterit eis relinquendo, iuxta supra dicta.

49 Octauo, quòd cõfessarius non debet huiusmodi resartionem imperare, adultero non credenti, nec debenti credere eiusmodi filium esse suum, siue quòd mater est leuis, & solita cum alijs adulterari, siue quòd ipsa quoq; dubitat, an sit filius adulteri, vel mariti sui, siue quòd reputat eam, ad se obligandum, mentiri, secundum S. Anton. in 2. par. titul. 2. c. 7. sub fin. Nec ipse adulter facile debet credere se ad id obligatum, argumen. capit. dominus. de secund. nupt. Si autem adulter credit, eum esse suum filium, restituere debet patri putatiuo impensas, quas in eo nutriendo fecit, & etiam hospitali, si apud illud expositus fuit. Insuper & præfato patri restituere debet dotem, aut sponsalitiam largitatem, si quam dedit ei, immo & filiis eius id, quod de patris hæreditate habuit, vt S. Anton. vbi supra, ait, quem Sylu. & communis probant. Quamquam D. Sotus lib. 4. q. 7. artic. 2. de iustit. & iur. contrarium teneat, motus eo, quòd non videtur ei causa propinqua illius damni. At communis opinio videtur nobis longe verior. Primum quod est communis: deinde, quod ipsemet fatetur adulteram ad id teneri, quæ tamen non est propinquior causa damni, quàm adulter: quandoquidem non cõsequitur illud immediate ex adulterio, neq; ex partu, sed ex vita eius, quem peperit. Tertio, quòd adulter est causa satis propinqua, licet non proxima, & non oportet esse proximam, quo

de

quo de damno teneatur, iuxta notata in cap. si egressus. & ca. fi. de iniur. Quarto, quod adulterium, suapte natura ordinatur ad generandum, & est via & medium in illud damnum, quod genitus, eo ipso, quòd genitus est, infert: & cum sit res illicita, obligat in id quod ipsum consequitur, tãquam effectus eius, quo casu etiam causa remota nocet. cap. fin. de homicid. lib. 6.

50 Nonò, quòd addit idem Scotus vbi supra, quòd filiis patris putatiui hæredibus non debet restitui tantum, quanti valet hæreditas: nec quantum restituendum esset, si post adquisitionem illa eis tolleretur: sed multo minus, iuxta prudentis & boni viri arbitrium, quæ singularis cõclusio est, confirmarique potest, per id quod vterque Thom. ait, 2.2. q. 62. art. 2. Id tamen, nostra sententia, limitandum est, tunc tantum procedere, quando restitutio facienda est filiis successuris, antequã succedant, id est, quando pater cui successuri sunt viuit, & dubitatur, an filius putatiuus victurus sit eo tempore, quo de diuidenda hæreditate paterna tractabitur. Nam post patris putatiui mortem & aditam eius hæreditatem, videtur iam tractari de bonis quæsitis, & ita restituendum est illis tantum, quantum valet id, quod filio putatiuo obuenit, arg. l. cum hæredes. ff. de acquirẽ. possess. quamuis Scot. (nostro iudicio) in vtroque casu loquatur.

Itaque omnia resoluendo dicendum, quòd si persona obligata ad hoc restituẽdum, accesserit ad confessarium priùs, quàm pater putatiuus moriatur, debet se informare quantum expenderit in filio putatiuo educando, vel forsan dotem, aut sponsalitiam largitatem ei tradendo, vel in litterarum studiis sustentando: & sic quam, & quantam mercedem meruerit filius putatiuus à suo patre putatiuo, & habita horum ratione, præcipiat illi personæ, vt id residuum quod patri debetur, ei restituat, persuadeatque illi, vt concipiat propositũ restituendi, cui oportuerit id, quod præfatus filius putatiuus de bonis patris putatiui acquisiturus est, si superuixerit illi. Quòd si persona præfata pœnitẽs est mortis periculo propinqua, relinquat aliis filiis, vt dixit Scot. non tantum quantum deberetur eis, si iam hæreditatem acquisissent, vnà cum illis filius putatiuus: sed tanto minus, quanto minoris æstimari debẽt bona post patris putatiui mortem, illi quærenda, ob illam dubietatem, an acquisiturus sit, nec ne? Idque poterit facere meliorando, vt iurisconsultorum vulgus loquitur, alios filios de illa bonorum parte, quam, cuicunque voler, libere potest relinquere, iuxta varias variorũ Regnorum leges. In his quidem Castellæ de tertia & quinta, l. 7. & 8. adiuncta l. 15. Tantis in Regnis vero Portugalliæ de tertia, lib. 4. Ordinat. titul. 70. In illis vero Nauarræ de omnibus, excepta minima re. In illis vero terris, in quibus ius commune seruatur, de semisse aut triente, authenti. nouissima, & authen. vnde si parens. C. de inoffic. testa. Si autem præfata persona pœnitens accesserit ad confessarium priusquam patri putatiuo successerit, & fratribus suis damnum iam intulerit, præcipiat ei confessarius,

sessarius, vt restituat fratribus, quos filius putatiuus læsit omne damnum, quod eis intulit, quàm optimo modo poterit, quicquid & Scotus, & qui eum sequuntur, dixerint.

De septimo præcepto Decalogi, Non furtum facies.

Cap. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Furtum quid, & diuiditur in mentale & reale.*
1 *Præceptum non furandi, quæ & quot prohibet.*
2 *Furtum genere suo mortale, sed excusat ab eo paruitas & alia.*
2 *Furtum ad causandum mortale, quanta quantitas requiratur.*
2 *Furtum notabile, & furtum notabiliter nocens differunt.*
2 *Furtum pauperi & diuiti faciũ qualiter metiendum.*
3 *Furtum propter omne mortale non fertur excommunicatio vbique.*
3 *Doli actio non datur ob omnem quantitatem, quæ mortaliẽ culpam facit.*
4 *Furtum mortale hæc quantitas facit.*
4 *Furtum à mortali culpa septem excusant.*
5 *Metus minor iusto attenditur in foro conscientiæ.*
5 *Finis vtilis animæ, & bonis domini excusat à furto.*

1 QVia hic locus est oportunus, in quo ponatur summa Cõmentarij nostri cap. fin. 14. q. 6. iuxta iam aliàs promissa, ideo cõiungendo ea, quæ hoc loco tradita fuerunt in Hispano, cum illis, ad quæ fiebat remissio, dicimus. Primo, quòd furtum definitur à iurisconsulto in l. 1. ff. de furt. esse dolosa contrectatio rei alienæ, inuito domino suo, a proprietatem eius, aut possessionem, aut vsum acquirendum. quæ reperitur in §. 1. institu. de oblig. quæ ex delict. nascun.

Dixit: Contrectatio, per quod intelligimus etiam voluntatem contrectandi, quæ est mentale furtum. Dixit: Alienæ, quia suæ cõtrectatio, quatenus est, aut merito creditur sua esse, non est furtum, l. inter omnes. § recte. ff. de furt.

Dixit: Inuito domino suo, quia quod eo volente fit, non est furtum, in eod. §. recte. Dixit. Dolosa, quoniam iocosa, & officiosa ad reddendum cautiorem dominum, non est furtum, vt recte ait Maior, in 4. lib. sent. dist. 15. q. 18. Dixit: Ad acquirendum proprietatẽ, aut possessionem, &c. quia ad hoc, vt sit furtum, sufficit vt contrectans velit aliquod horum acquirere, secundum omnes. Ex quibus sequitur furtum esse duplex, reale, quod est cõtrectatio realis, & mentale, quod est voluntas sic cõtrectandi: quæ est definitio iurisconsultorum vsui loquendi proximior, quã illa Ioan. Maior vbi supra.

Secundò dicimus, quòd hoc præcepto, vt diximus in addit. cap. quando. de consecr. dist. 1. non solum prohibetur contrectatio occulta, vel voluntas eam faciendi, quæ proprie furtum dicitur: sed etiam omnis illa, qua aliquid ab aliquo iniuste accipitur, & iniuste retinetur, & omnis iniusta damni illatio, & per consequens violenta, & denique omnium rerum alienarum vsurpario illicita, capi. pœnale. 14. q. 5. & consequenter omnis voluntas deliberata faciendi aliquod

aliquod prædictorum. Quoniam vt supra diximus in Prælud.7.nu.19.& lib.11.nu.11 post sanctum Thom.1. 2.q.72.arti.7.peccata volũtatis,oris, & operis eiusdem sunt speciei, immo vnum,quamquam quæ sunt solius voluntatis,ad restitutionem non obligant,vt in dicto cap.11.nu.16.est dictum.

2 Tertiò, quòd omne furtum ex suo genere est mortale secundum Thom.2.2.q.66.art.6.& probatur.in dicto cap.si.14.q.6.& cap.fures.cum tribus sequ.de furt. Excusat autem furtum à culpa mortali. Primo quidem paruitas rei, quia in omni materia peccati, illa & alia duo, excusant à peccato mortali, vt diximus supra in cap.11.nu.4.post S.Thom. 2.q.88.art.5.& 6.& 2.2.q.3.arti.5.& q. 59.art.4.& Anton.2.par.tit.4.c.5.§.7. & 8.& Adriap. Quolib.8. Ex quo sequitur, quòd saltem in genere moris furtum parum,quod non attingit culpam mortalem,differt specie à furto magno,quod attingit illam, quia supra capit.6.num.3. & sequent. diximus,circunstantiam, quæ facit actum esse mortalem, sine qua ille non esset talis, mutare speciem in genere moris.

Quartò dicimus, quòd magnæ quæstionis est, quæ paruitas excuset à mortali,quia id nullo iure naturali diuino, aut humano definitũ est: communiter tamen tenetur, & quidem recte, id boni viri arbitrio relinqui.quoniam, quæ indefinita relinquuntur à lege,arbitrio boni viri sunt definienda, L1.ff.de iure delibe. & cap.de causis de offic.deleg.

Quintò dicimus, quòd sæpe confessarij nos molestarunt, interrogãtes, quæ quantitas sit ad hoc notabilis: aut quam nos talem arbitraremur: quibus conati fuimus satisfacere per sequentia posita in præfato Commentario capit.fin.t.4.q.6. Primum, quòd qui parum furatur, volens multum furari, mortaliter peccat,vt sanctus Hieron.in d.c.fin. 14.q.6.olare sentit. Nam voluntas faciendi & ipsum factum eiusdem sunt malicię,iuxta S.Thom.receptũ 1.2.q.20.artic.3. Qui autem rem paruulam furatur sine animo aliã maiorem furandi, & maius damnum proximo faciendi, quàm paruula illa res valet, furtũ mortale non cõmittit, etiam si sciat dominum id moleste laturum, si ei denũtiaretur, neque eam à se petitam, daturum fuisse,secundum Caiet.2.2.q.66.art. 6.quàm S.Thom.ibi.de hac re aliquãtum obscure loquatur.

Secundò, quòd qui furatur aliquam paruulam rẽ, veluti subulam sutore,aut acum à sartore, ob quod & quia aliam subulam,vel acum nõ habet, à labore cessat, non furatur rem notabilem, quamuis ex eo notabile damnum in dominum redũdet,licet contrarium sentiat Sylvest. verb. furtum, cui consentit Sotus. lib.5.q.2.artic.3.de iustit.& iur. Quia qui paruam illam rẽ furatur,quamuis ob eam damnum decem ducatorum inferret, non tamen duplo, aut quadruplo, illius damni cõdemnaretur, sed duplo, aut quadruplo rei illius paruæ furto subtractæ, quatenus esset furtum manifestum, aut non manifestum, §.in duplum. & §.quadrupli.Institut.de actio. Illa tamẽ paruæ rei subreptio esset mortalis,si qui furripit,scit,aut scire, aut credere

credere debet,ex furto illo paruulo eiusmodi damnum notabile domino euenturum.non quia res illa surrepta notabilis sit, vel quòd voluntas illam furripiendi sit volũtas furripiendi rem notabilem: sed quia damni notabilis causam dat,& consequenter id dare videtur.cap.fin.de iniur.l. qui occidit.ff.ad leg. Aquil. quæ sunt diuersa, vt ex diuersitate titulorum, de furtis, & de iniuriis, facile colligitur. Quod ipsum est dicendum de eo, qui paruulam rem furatur, credens ex eo dominum magna molestia & perturbatione afficiendum:quale fecit quidam famulus suo hero diuiti nobis noto furripiẽdo magnum quoddam malum cydonium, quod in horto suo ille habebat & magni æstimabat,ad ostendendum amicis: & monuerat suos famulos,notabili se molestia afficiendum, si illud furarentur. Is enim famulus non admisit furtum notabile, quamuis ob molestiam notabilem,quam attulit,mortaliter peccare potuisset, siquidem credebat,aut credere debebat, illa molestia dominum afficiendum esse.

Ex quibus infertur, quòd aliquãdo qui rem paruam pauperi aufert, mortaliter peccat: non autem qui opulẽto simílem aufert, & aliquando è contrario, qui aliquam rem paruam aufert diuiti, peccat mortaliter,& non qui similem aufert pauperi. Nam qui furripit subulam sutori, vel acum sartori, credens vel debens credere, eos non habere alias,quibus operẽtur,& ideo damnum notabile eis euẽturum, peccat mortaliter:non autem qui diuitibus eadem auferret:& è contrario,qui diuiti furripit rem paruam ab ipso magni æstimatam, quale erat pomum,de quo supra diximus, credes vel credere debens,eum ob id notabili molestia affectum iri, mortaliter peccaret, non autem qui idem faceret pauperi rem illam non maioris, quàm valet facienti: quia ille dat causam notabilis molestiæ, hic vero minime.

3 Tertiò, quòd licet in aliquibus episcopatibus per constitutiones Synodales declaratum sit, ne quis excommunicetur pro re,quæ minoris centum dipondiis valeat: & in aliis ne pro re quæ minoris ducbus regalibus,seu Iuliis valeat,non tamen ideireo cẽsetur definitum illam esse quãtitatem necessariam, vt sit mortale,siquidem quamuis non debeat, nisi pro peccato mortali excõicatio ferri,cap.nemo.& ea nullus.11.q.3.vt latius tradimus infra c.27.nu.9.non tamen pro quolibet mortali fertur ipso iure:& sic præfatæ constitutiones interpretãdæ sunt,quòd quamuis propter quantitatem minorem, quàm duorum regalium aut põdiorum,mortaliter peccetur, nemo tamen pro minori est excõicandus.

Quartò,quòd aliqui collegerunt ex Soto lib.5.quæst.2.art.3.de iusti.& iur.summam duotũ, aut trium ducatorum non esse notabilem quantitatem, sine consideratione personæ,cui furtum sit:sed nobis, neque videtur prædictũ Sotum id sensisse, neque esse verum, tum quia S.Tho. 2.2.quæst.66.articul.6. ad 3.à culpa mortali non eximit furtum, nisi quando est de re minima, nemini autẽ videtur esse talis in hac regione ducatus in se consideratus: tum

quia

quia idem S. Thom. sensit, ideo furtum de re minima non esse mortale, quia præsumi potest id non displiciturum domino, significans secus esse, si putaretur domino id displiciturum. Et quamuis Caietan. magno conatu & recte, nostro iudicio, eius sententiam extendat ad furtum minimæ rei, etiam si domino displiceat, nullatenus tamen extendisset ad furtum duorum ducatorum, quippe quod longe alienum fuisset à mente sancti Thomæ: tum quia in aliquibus episcopatibus, ex consilio virorum doctorum & prudentum statuitur, vt excommunicatio pro furto centum dipõdiorum, & duorum regalium, siue Iuliorum concedatur, vt prædictum est, & vt infra c.17.nu.9.dicemus. Et excommunicatio maior non nisi ob peccatum mortale ferri debet, dicto c. nemo.& c.nullus.11.q.3.

Non obstant in contrariũ citata. Non primum, quia aliud est denegare actionem doli contra eum, qui citra quantitatem duorum ducatorum decipit:& aliud dicere, nõ peccare mortaliter, qui in minori decipit, quia lex actionẽ denegat contra emptorẽ & venditorẽ, qui in minùs quàm dimidio iusti pretij decipit. l. 2.C.de rescin. vend.& c.cum dilecti. de emp.& vend. tamen ille mortaliter peccat, si notabiliter decipit, iuxta doctrinam S.Thomæ, receptam 2.2.q.77.art.7.

4 Quintò, quòd consulerem confitenti mihi, vel me consulenti, vt reputaret pro notabili quantitate, quo ad effectum constituendi culpã mortalem. Primò summam duorum regalium, vel Iuliorum, immo & vnius, etiam dimidij: & quòd non haberet pro tali minorem quarta parte regalis, vel Iulij in hac regione, nec in alia, quæ pecunia æque atque hæc abundaret. Nec damnarem eum, qui teneret mediam inter 4.& dimidiam, non esse notabilem. Sed neque nunc quando pecunia numerata minoris pretij est, quàm numquam fuit, dissentirem ei, qui assereret, non esse notabilem ad hoc quantitatem, qui vnum Iulium, siue Regale, aut tres partes eius non contineret, sequutus in hoc mentem cuiusdam statuti Illustrissimi Ordinis Carthusiani.

Secundò consulerem, quòd pro tali haberet vnũ hædum, caponem, & etiam vnã gallinam mediocrem, etiam in regione vbi illa solum dimidio regalis, vel Iulio non valeret, etiam duodecim ouorum ablationem:& idem dicerem de quarta rubij tritici, & quarta vini: tum quia vnaquæque istarum rerũ communiter pro re maiori minima habeatur: tum quia licet olim in publica disputatione, quam super dicto c.fi. 14.q.6.nihil horum attingentes habuimus, defenderimus nõ esse concedendam actionẽ furti, nec aliam propter ablationem, aut retẽtionem tam exiguæ rei, quæ non pertingeret ad culpam mortalẽ: asseruimus tamen propter acceptionem, aut retentionem vnius gallinæ dari posse, quod nobis irrefragabiliter probat. §.gallinarum.Insti.de rer.diuis.

Tertiò, quòd furtũ minoris quãtitatis dimidio regali, est peccatum mortale, illi qui credit, vel credere debet datum iri per illud damnum maius dimidio regali, quale est furtum vnius actus, aut fibulæ, aut alterius instrumenti, factũ ab eo, qui credit vel credere debet, quòd ob defectum eius, is à quo subtracta est, damnum maius dimidio regali patietur ex diaria mercede. Notandum tamen est, quod si daretur excommunicatio propter solum furtum, quæ alia damna non comprehenderet, qui eiusmodi furtũ commisisset, excommunicatus nõ esset, quia, vt supra diximus, aliud est furtum instrumenti tam parui pretij, & aliud damnum, quod eius ablatione, aut retentione fit: quia si duplo, aut quadruplo furti condemnaretur, prout manifestum, aut non manifestum esset, non damnum, sed solum pretium surrepti instrumenti duplicaretur vel quadruplicaretur, iuxta omnium sententiam, in dicto §.in duplum.& §.quadrupli.Insti. de actio. vt suprà dictum est.

Quartò, quòd excommunicatio generalis contra eos, qui furantur aut male ablatum non restituunt, omnes iniustè auferentes, aut retinentes tantam quantitatem, quanta ad peccandum mortaliter satis est, comprehẽdit, quia comprehenduntur sub proferentis verbis & mente, quæ est animas à peccato mortali abducere,& ne in illud prolabantur cauere, argu. cap. 1. de sentent. excom lib.6.& cap. 2. de constit. eo. lib. nisi per constitutionem Episcopatus, vel intentionem excommunicantis, aut aliam viam excipiantur, qui ad aliam certam vsq; quantitatem maiorem non auferunt, qui enim exciperẽtur non comprehenderentur, quia excommunicatio nõ ligat, nisi quos, & quot qui excommunicat, aut qui eam petit, vult, vt infra c.17.nu.11.dicimus.

Quintò, quòd de illo, qui multa minima sæpe suo hero, aut alij, aut multis aufert, teneret id, quod infra eo.c.nu.139.& 140.dicetur.

5 Secundò, & tertiò principaliter excusant furta à mortali indeliberatio, seu surreptio, & defectus iudicij idonei ad culpam mortalẽ: quæ duo, sicut paruitas rei in omni materia peccati, excusant ab illa, per supradicta, c.11.nu.4.

Quartò excusat etiam à veniali ignorãtia probabilis, quòd res esset aliena, & extrema necessitas, vel adeo grauis, quæ iudicio boni viri ad id sufficiat. c. si quis propter necessitatẽ. de furt. vbi Panor.& alij,& etiã præsumptio probabilis dominum rei æquo animo id laturum, l. inter omnes. §. recte ff. de furt. non autem dubitatio, aut temeraria præsumptio, d.§.recte quamuis vere dominus æquo animo ferret. Nam qui facit id, de quo dubitat, an sit mortale, vel credit esse tale, mortaliter peccat, per ea quæ diximus in cap. si quis autem. num.57.& seq. de pœnit. dist. 7. quamquã in hoc casu postremo ad restitutionem nõ teneretur, d.§.recte.& Sylvest. verb. furtũ. q.7. Neq; excusaret præsentia, & patientia domini patientis id præ timore, aut pudore, secundũ Sylvest. vbi supra,& probatur per illam conclusionem Adrian. in 4. de restit. q.2. vers. ex quibus. videlicet, quòd in foro conscientiæ transactio & donatio non valẽt, quoties non fiunt animo libero, etiam si non intercedat tantus metus, quantum forum exterius ad inualidandũ illas requirit, iuxta

ea: quæ leguntur & notantur in l. interpositas. Cod. de transact. & l. mecum. 1. & 2. ff. quod met. causs. Excusat etiam à culpa mortali conditio iustificans, vt cum quis vult furtiue, si Deus id non vetuisset, arg. cap. si pro te. de rescrip lib. 6. l. cedere diē. ff. de verbo. signific. Caiet. verb. cogitatio.

Sextò excusat impotentia recuperandi suum sine scandalo, quia tunc clam capere potest, per gloss. memorabilem. cap. ius gentium. 1. dist. & dictum singulare Innoc. cap. olim. 1. de resti. spol.

Septimò excusat propositum restituendi, quod accipit domino proprio, vt qui à fure, aut latrone vilissime emit, quod ille furatus est, aut rapuit, vt domino suo restituat.

Octauò excusat iusta voluntas proficiēdi domino spiritualiter vel temporaliter, vt cum quis occulte furatur pigmenta: aut fucos alicui mulieri eis male vtenti, & alios ad peccandum prouocāti: aut gladium furioso, ne se vel alium occidat: aut pecuniam, aut folia lusoria, vel aleas lusori ne ludat, modo ex hoc magnum scandalum non sequatur, iuxta S. Anton. in 2. par. tit. 1. c. 14. §. 2. quia nulla harum est contrectatio, aut acceptio fraudulenta, quæ ad furtum requiritur per prædicta supra eod. c. nu. 1.

Restitutio quid.

SVMAMRIVM.

6 *Restitutio quid cum definitionis declaratione.*

6 *Restitutio est actus iustitiæ vtræ. numero 7.*

7 *Restituenda res aliena etiam non restituto pretio. 8. & 9.*

10 *Restituenda ipsamet res aliena surrepta.*

11 *Restitutio duplex, formalis & virtualis, qualis est remissio.*

11 *Restituendi necessitas ex qua lege nascitur.*

6 QVoniam autem non solum acceptio alieni, sed etiam restituendi retentio est contra hoc septimum præceptū, c. sæpe. de restit. spol. & c. si res. 14. q. 6. necessariū fuerit dicere de restit. Primò quid sit, Secundò, quis ad eam teneatur. Tertiò, quid sit restituendum. Quartò, quantum. Quintò, cui. Sextò, vbi. Septimò, quomodo. Octauò, quo ordine. Nonò, quando.

Restitutio igitur, vt ad primū veniamus apertius & breuius, quàm hactenus definiri potest, est actus iustitię specialis cōmutatiuę, quo redditur alteri, quod suū est, vel quod ei debetur lege veræ iustitiæ, formaliter, vel virtualiter, de bonis animi, corporis, honoris, vel pecuniæ.

Dixi: Iustitiæ, quo differat ab actibus virtutum Theologarum, Fidei, Spei, & Charitatis, quibus redditur Deo cultus debitus interior: & ab actibus Prudentiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ, & aliarum virtutum eis attributarum, seu potentialium, quibus animis nostris potius, siue principalius, quàm nostris rebus exterioribus medemur, & proficimus, vt post S. Tho. diximus latius & vtilius, infra eod. nu. 11.

Dixi: Specialis, quo differat ab actibus Iustitiæ generalis, quæ versatur in referendo omniū virtutum moralium actus ad bonum cōmune humanū: sicut charitas in referendo eos

do eosdem ad bonum commune diuinum, quod est Deus, vt post S. Thom. in 2. 2. q. 25. art. 4. diximus in Apologia lib. de reditib. ecclesiast. q. 2. monito 1.

Dixi: Commutatiuæ, quia vt S. Thom. 2. 2. q 61. art. 1. & q. 62. artic. 1. receptus ait, requiritur æqualitas inter id, quod restituitur ex vna parte, & inter id quod debet restitui ex altera: & quia non est actus iustitiæ distributiuæ, quæ commune à priuatis diuidit.

7 Dixi: Quod suum est, ad significandum, quòd per cap. si res. 14. q. 6. & cap. sæpe. de restit. spol. & mentem omnium doctorum in illa comminiscentium, & Caietan. in vtroque loco supra citato, quisquis rem alienam cōtra voluntatem domini habet, tenetur restituere illam: quamquam alio modo si eam bona fide habuit, & retinet, & alio si mala. Quia si bona fide accepit & retinet, si eam amittit, aut absque ipsius culpa periit, satisfacit restituendo id, quo factus est locupletior. l. sed etsi. §. 1. & l. item veniunt. §. 1. ff. de petit. hered. Itaq; qui bona fide emit aliquid à non domino, tenetur suo domino illud restituere, simul ac eius esse scierit etiam non reddito pretio pro eo dato. l. mater. & l. mancipium. C. de rei vendic. & si iam illud non habet, tenebitur ad id, in quo factus est locupletior, puta, pretium, quod pro illo habuit, per d. l. sed si possessor §. 1.

8 Quod si in nihilo factus est locupletior, ad nihil tenetur domino, neq; alteri, cui bona fide vēderet illud eodē, vel minori pretio, quo emerat, l. in creditore. & l. cum ea. ff. de euictio. quia nihil amplius, quā suū habet, licet si pluris vēderet, quàm emisset, illud plus restituere teneretur, quia quo ad illud alienū retinet: aut aliud pro eo, vt recte dixit Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. & in summa verb. restitutio. § 2. radix. pro quo sunt dictæ l. sed & si. & Litem veniunt.

Contra quæ fecit primo, quòd is bonæ fidei vēditor tenetur emptori de euictione. cap. fi. de empt. l. 1. & toto titul. ff. de euict. Sed respondetur, quòd liberabitur cedēdo actionem de euictione, quā contra eum, à quo bona fide emit, habet. l. in creditore. ff. de euict. quia ea factus est locupletior, ad quod etiam in conscientia tenebitur.

Secundò facit contra hæc argumentum cuiusdam eruditi, fundantis se primo quod infra eod. cap. nu. 167. diximus, eum, qui pecuniam adulterinam ab alio bona fide receptam tertio tradit, postea quam id rescierit, teneri ei restituere legitimam. Secundò, quòd qui bona fide vendit auricalcū pro auro, postquam rescierit, tenetur tantundem veri auri restituere. Tertiò, quòd pretium datum à se bona fide, recuperare potest per euictionem, & nō potest iuste vtrumque retinere.

Sed responderi potest ad duo prima, quòd non est eadem ratio de tradente pecuniā adulterinam, vel auricalcum pro auro, & de tradente rem alienam, sed veram, quia ille tradit rem intrinsecus defectuosam & ita falsam, & communiter est in aliqua culpa accipiendo, vel dando, hic autem rem intrinsecus veram iusti valoris, & ita cōmuniter non est in culpa, accipiendo

neque dando. Et vrgenti, quid si vterque esset in culpa, vel neuter in ea? concedi posset idem de vtroque iudicandum, arg. cap. dudum. in 2. de elect.

9 Ad tertium verò, quod solũ concludit bonæ fidei venditorem teneri ad cedendam actionem de euictione, quod non negamus, & proxime cõcessimus. Supradicta ratione qui ad cænam inuitatus ex vitulo alieno edit, quamuis restituere teneatur id, quod mala fide comedit: si tamẽ id bona fide fecit, solum tenetur ad illud, quod ob illam cenam domestico sumptui subtraxit, & si nihil subtraxit, ad nihil tenetur, quia solum quod subtraxit est apud eum ex illo vitulo alieno. Idem dicendum est de vsu alienæ vestis quam quis suam esse arbitratur: si enim ob id, quod eã gestauit, suam seruauit, tenetur soluere vsum, aut quantum ob illum propriæ peperçit. Tertio facit, quod iure dubitari potest, an qui emit bona fide rem alienam à non domino, de hoc certior factus, illam reddere venditori possit, & suam pecuniam recuperare? Ad quod respondetur posse, vt respondet Alexan. Halen. doctor irrefragabilis. 4. part. q. 86. memb. 3. quem Gabriel. in 4. lib. sent. dist. 15. & alij sequuntur.

Quartò, quòd videtur cooperari venditori ad peccandum in retinendo alieno, quòd Medina contra tenet in eo, qui credit venditorem numquã restituturum eam domino.

Ad quorum prius respondetur, negando, quod qui rem emptam, à non domino, reddit ei, vt pretium datũ pro ea recuperet, cooperetur ad peccãdum: tum quia actus ille nõ domini recipiendi rem alienam à se venditam, non est de se peccatum, quia id non est de se accipere alienum dolose, quia potest facere sancte ad finem restituendi eam domino: tum quia ille tenetur restituere illam domino: & ita qui emptor eam restituit illi, videtur iuuare eum ad exeundum à peccato, & non ad peccandum. Ad posterius autem, negando illud Medinæ dictum: tum quia id non satis probat: tum quia emptor plus tenetur sibi prouidere, quàm domino rei, arg. l. si præses. C. de seru. & aq. & c. non licet. 23. q. 5. Et reddendo rem, non domino recuperato pretio sibi prouidet, faciendo actum iustum, & si ob id per accidens culpa non domini, & non sua, contingat damnum domino, non est imputandum ei, qui reponit rem penes eum, à quo accepit, quum nulla lege iustitiæ obligetur ad aliud, & quod per accidens contingit, non est adeo attendendum, l. si quis nec causam. ff. de reb. cred.

10 Qui autẽ male fide recipit, aut retinet rem alienam, tenetur restituere eandem rem si potest: sin minus, tantum quanto pluris valuit à tempore iniustæ acceptionis, vel retentionis, quamuis sine sua culpa perierit. Quia qui mala fide contrectat & retinet rem alienam, semper est in mora, & suo damno perit. l. in re furtiua ff. de cond. furt. cap. mora, cum ei adnot. de regu. iur. lib. 6. & ille dicitur habere bonam fidem in hac materia, qui probabiliter credit rem suam esse, aut eius, qui sibi eam dedit, aut illum qui sibi dedit, ius

ius habuisse ad eam dandam, cap. si virgo. 34. q. 2. glo. in cap. si diligenti. de præscript.

Dixi: Vel quod ei debetur, ad includendũ redditionem qualiscunq; debiti, siue id oriatur ex contractu, vel quasi cõtractu, delicto, vel quasi delicto, vel lege, statuto, vel sententia obligante ad id conscientiam, vel testamento, aut alia vltima voluntate, iuxta varias leges variorum titulorum. ff. & Cod.

Dixi: Lege veræ iustitiæ, ad excludendos actus religionis, & aliarum virtutum attributarum, vel potentialiũ iustitiæ, quibus redditur quidem debitum, sed non lege veræ iustitiæ, quæ versatur in reddendo debitum rei exterioris secundum æqualitatem, cum tamen religio, & aliæ virtutes iustitiæ potẽtiales versentur in reddendo debitum honestatis tantum, vt liberalitas: vel non secundum æqualitatem, vt religio, pietas, &c. Non obstat, quod actus restituendi debitum propter transgressionem legis iustitiæ distributiuæ est restitutio vera & debita, vt dicitur infra eod. cap. nu. 96. quia iustitia distributiua vera iustitia est, & non similitudinaria, est enim altera species iustitiæ, iuxta sanctum Tho. recept. 2. 2. q. 61. art. 1.

11 Dixi: Formaliter, vel virtualiter, ad includendas condonationes & alias satisfactiones, quæ virtualiter sunt restitutiones, & solutiones, l. si rem. §. omnis. ff. de pigno. actio. & l. 1. ff. qui satisd. cogan. & gloss. in verbo. restituatur. cap. peccatum. de regul. iur. lib. 6.

Dixi: De bonis animi, &c. ad significandum, quòd non solum ad restitutionem tenetur, qui debet pecuniam: sed etiam alia tria genera bonorum animæ, & corporis, & honoris, iuxta dicta in cap. 14. num. 26. & cap. 15. num. 16. cum seq. & infra cap. 18. nu. 55.

Necessitas autem restituendi nascitur ex omni transgressione legum veræ & specialis iustitiæ, per quam aliquod damnum alteri cuipiam infertur, prout statim dicetur: non autem inducitur ex transgressione legum charitatis & misericordiæ, etiã illa, qua alius damnificatur, vt affirmauit Alexan. Halen. 3. part. q. 87. & Altissiod. in 4. part. quos sequitur Adrian. in 4. de restit. q. 1. §. de currentibus cum fure, quem pridem sequuti fuimus in repet. cap. inter verba. 11. q. 3. concluſ. 6. & infra cap. 24. nu. 5. & nuper in Apolog. de reditib. q. 2. monit. 2. & 7. quod etiam affirmat Sotus tamquam communiter receptum lib. 5. q. 3. artic. 4. & lib. 4. quæst. 7. art. 3. col. 4. & alibi sæpe, de iust. & iure. Quod latius aliis fundat, & propugnat prædictus Adrian. qui tamen non videtur reddere rationem diuersitatis, quam nouo putamus esse, quòd transgressio legum charitatis, & misericordiæ, immo & ceterarum virtutum aliarum à vera & speciali iustitia, non ordinantur per se & directe ad ablationem alicuius rei exterioris alterius, sed solum per accidens, & indirecte: quia immediate & principaliter versantur circa actus interiores, secundum Thom. 2. 2. quæst. 58. articul. 7. ad 1. & artic. 8. Transgressio autem legum iustitiæ, quæ principaliter versatur circa actus exteriores secundũ eundem, per se & directe ordinatur ad

auferendum aliquid ab alio, quod causat restituendi obligationē. Ob quod diximus pridem in prædicta repet. c. inter verba. multum referre inter testem obligatum ad dicendum verum lege iustitiæ, & inter obligatum lege charitatis, vt etiam infra c. 24. cu. 5. ponetur differentia inter obligatū ex contractu ad alendum, quæ est obligatio iustitiæ, & obligatum ad idem per viam eleemosynæ, quæ est actus charitatis, vel misericordiæ illius filiæ.

Quis restituere teneatur.

SVMMARIVM.

12 *Restituere quis teneatur, late. & 13. & 14.*
14 *Peccare faciens qui, & quid restituat.*
15 *Metus minor iusto cogit restituere in foro animæ.*
16 *Libertas animi non tam minuitur blanditiis ac metu.*
17 *Restituere plus tenetur delinquens, quam contrahens, & consentiens. & 18.*
19 *Ministrum à restituendo non excusat iussus domini.*
20 *Delinquens non excusatur eo quod alius id fecisset.*
20 *Opitulans damnum danti qui totum, qui partem qui nihil restituet.*
20 *Borbonium qui ducem vrbem vastantem iuuit, quantum restituet.*
21 *Furantem non impediēs quis restituet, & quis non.*
21 *Damnum impedire cum periculo qui etiam iudex non tenetur.*
22 *Restituet quis confessarius negligens. & nu. 23.*
23 *Confessor potest dicere heredi restituenda mortui.*

12 EX prædictis colligitur vna regula breuis, scilicet. Quod omnis & solus ille ad restitutionem tenetur, qui aliquam rem alienam tenet, vel aliquid lege iustitiæ specialis veræ debet. Quæ regula continet illas viginti manus, scilicet, fæneratoriam, raptoriam, &c. quas S. Anton. in 2. par. tit. 2. a §. 2. grauiter & late tractauit, & decem & septem dicta, quæ adiunxit Sylvest. verbo, restitutio. 2. & duas regulas, aut radices Caieta. in summa verb. restitutio. & 2. 2. q. 62.

Ex qua regula infertur, quòd tenetur ad restituendum. Primò, tenēs rem alienam, de quo supra nu. 7. Secundò, obligatus ex contract. l. 1. ff. de pact. & cap. 1. eo. tit. cum eis adnot. Tertiò, obligatus ex quasi contractu, vt tutor pupillo, &c. Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu. §. 1. §. 13 tutores. & §. hæredes. Quartò, obligatus lege aliqua iustitiæ, aut statuto conscientiā obligante, quod addo propter pœnas debitas multarum legum pœnalium, quæ non debentur in foro conscientiæ, ante condemnationem iudicis, iuxta gl. sing. cap. fraternitas. 12. q. 2. in cuius Commentario vtiliter & breuiter diximus, quæ sint illæ, contrahendo, addendo, tollendo, ac declarando plurima, quæ prolixissime scripsit in duobus libris de lege pœnali eruditissimus Alfon. Castrensis Illustrissimi ordinis Franciscani ma- 14 ximum decus. Quintò, obligatus ex testamento vel alia vltima voluntate ff. & C. de legit. here. de testa. de legat. & fideicommissa. & alijs tit. Sextò, obligatus ex sententia iusta, de qua in tit. de re iudic. etiam

etiam cōdemnante ad pœnam iuxta D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. Septimò, obligatus ex delicto damnificante bona aliena animæ, qualis est persuasio vitiorum vi, dolo, vel metu facta, de quo supra cap. 14. nu 45. Aut bona corporis, quale est homicidium, vulnus, &c. de quo supra c. 15. nu. 26. Aut bona honoris, gloriæ, & famæ, quale est contumelia, detractio, &c. de quo infra cap. 18. nu. 35. Aut bona pecuniaria, qualia sunt furtum, rapina, & alia quorum quædam sunt sine vllo cōsensu damnificati, vt furtum, rapina, &c. C. & ff. de furt. vi bon. rapt. vnde vi. & quod vi, aut clam: quædam cum consensu eius, sed coacto per metum, siue 15 vim conditionalem. Quod verum est secundum omnes de timore, qui iniuste infertur, & est tā magnus, vt in constantem virum cadere possit, quamuis sua culpa in illum incidat, cap. veniens. de sponsal. non tamen de eo, qui iuste infertur per iudicem. l. 3 ff. quod met. cau. aut alium, qui iure damnum, quod timebat, inferre potest, l. nec timorem. & l. si mulier. ff. quod met. cau. Per quod soluitur quæsitum, An datum ab aliquo timore, ne accusetur, ei, qui eum iure accusare potest, repeti possit, tamquam metus causa datum? Respondi non posse, per citata hic, & per textum iuncta glo. & doctrina Bar. communiter recepta, in l. accusationes. C. de his quæ vi. Nec etiam de eo, qui iniuste infertur, si talis non est vt in virum constantem cadere possit, quo ad iudicium exterius, in quo paria cōsentur consentire sponte, & per eiusmodi metum, qui non cadit in constantem virum, l. metum 2. ff. quod metus causa. & Pauor. adiuncta glo. verb. coactus. de his quæ vi. non tamen quo ad forum conscientiæ, in quo idem censetur, quod quis iusto metu consentiat, vel eo minore, dummodo coram Deo ille fuerit causa principalis illius consensus, vt recte dixit Adrian. in 4. de restit. 16 quæst. 2. Non est tamen verum id, quod Caietanus his addidit in summa verb. restitutio. §. quia vero. scilicet paria reputari quo ad forum conscientiæ consentire metu, aut blanditijs, quia, vt ille ait, his non minus quàm metu, animi libertas adimitur: tum quia id est contra expressam l. fi. C. si quis aliq. test. prohib. tum quia S. Tho. 1. 2. q. 6. artic. 6. determinat, quod passio amoris non inducit inuoluntarium sicut passio timoris: tum quia est contra rationem, qua idem ad id mouetur, scilicet, quod metus consensum diminuit: amor vero & blanditiæ eundem augent: tum quia est noua doctrina nullo iure fundata, quāquam locum habere posset, quando precibus & blanditijs minæ, saltem tacitæ, inessent, quales solent inesse precibus nonnullorum dominorum solitorum male tractare eos, qui precibus suis non parent, cui consequens est, mulieres perditas non teneri ad restituendum ea, quæ suis blanditijs absque dolo, mendacio, & fraude obtinuerunt ab amicis suis, qui donare, aut gratis dare poterāt, vt infra dicemus. Quamquam oppositum Caietan. vbi supra sine textu, & ratione necessaria tenet.

17 Octauò tenetur restituere obli-

gatus ex quasi delicto, vt iudex qui iniquam sententiam tulit ob ignorantiam iuris vel imperitiam. Insti. de oblig. quę ex quasi delict. nascun. in prin. & c. is, ex cuius domo aliquid ejectum damnificauit alium. §. 1. Insti. eo. tit. & tabernarius, & institor tabernę, aut magister nauis & eius exercitor, de furto, & maleficio in naui per alium facto. Et caupo, vel stabularius, de re sibi ab hospite cōmendata, § item is. & §. item exercitor. Insti. eo. tit.

Nonò, qui consentit delinquenti, siue facienti, aliquo nouem modorum relatorum, supra c. 11. nu 12. puta simpliciter consentiendo, vel iubendo, consulendo, laudando, recipiendo, participando, tacendo, non impediendo, aut non manifestando: hi namque omnes & singuli peccāt, vt deliquens & faciens delictum, licet nulli teneantur ad restituendum tantum, quantum ille, quia faciens semper & in totū tenetur. Alij vero sex, puta iubens, consulens, consentiens simpliciter, recipiens, laudans, aut participans, non nisi ad restitutionem eius, quod ad eos peruenit, & cuius fuerunt causa sine qua de-
18 lictum non fuisset factum. Alij vero tres, scilicet, tacens non obstās & non manifestans solum tenentur, quando ad id ex officio obligantur, quāuis fraudulenter & mala voluntate tacuissent, aut obstare, vel manifestare prætermisissent, iuxta omnium fere communem opinionem, vt recte tradit Adr. in 4. de resti. q. 1. col. 12. & Sylvest. verb. restitutio. 3. q. 6. & Sotus lib. 4. q. 7. art. 3. de iust. & iure. quamquam Angel. Richardum secutus contrarium teneat, & idem etiam sentiat eruditissimus Cardin. Caiętan. verbo, restitutio.

19 Ex quibus infertur Primò, quòd quemadmodū qui percutit, aut occidit proximum iussu alieno ob solam vtilitatem præcipientis tenetur satisfacere percussio, aut mortui heredibus, sic famulus vsurarij, qui domini sui iussu ob eius solam vtilitatem pecuniam ad vsuram dedit, restituere tenetur, vt Caiet. in summa verb. restitutio. & 2. 2. q. 62. art. 7. singulariter dixit, & infra eo. c. nu. 266. declarabitur, quia ille est, qui facit delictum & dominus consentiens illi inbendo, quidquid contra innuat Palud. in 4. lib. sen. dist. 15. q. 2.
20 Nec excusatur, eo quòd si ille famulus non dedisset, alius eam dedisset, sicut nec excusatur percussor, quòd si ipse illum non percussisset, alius percussisset, quia si aliquis dominus suis famulis diceret, vt occiderēt N. & cum quisque eorum vellet, & posset illum occidere, vnus anteiret, non excusaretur à restitutione, nec etiam ab extremo supplicio per ipsum iudicem infligando, ob id, quòd vel dominus id fieri præceperit, vel quòd etiam si homicidium illud ipse nō perpetrasset, alius iussu eiusdem, vel omnes simul illud erāt perpetraturi.

Secundò infertur, quòd iuuans facientem delictum, cooperando, qui includitur sub verb. participans, ex mente S. Tho. vbi supra, & communis, aliquando tenebitur ad restitutionē totius damni per faciētem illati, puta, quum fuit causa, sine qua nihil damni fuisset illatū: aliquando vero non nisi ad restitutionem partis, eius scilicet cuius est causa, sine qua

qua non fuisset illa pars damni illata, licet reliquum sic: & aliquando non tenebitur, nisi ad restituendum illud, quod ad ipsum peruenit, puta, cùm non fuit causa sine qua non fuisset totum damnum illatum: & aliquando ad nihil, puta, quando sine illius ope totum damnum inferretur, & nihil ad eum peruenireț.

Tertio infertur, iustè nos nuper consuluisse eū, qui ita iuuit Borbonium Ducē in capienda & diripienda Vrbe, anno 1527. quod sine eius ope id non fecisset, teneri ad restitutionem omnium damnorum: eum vero, sine cuius ope id factum fuisset, non teneri nisi ad id, quod ad se peruenisset, vel eius partis, quæ sine ipso non fuisset illata: & ad nihil, si nihil ad eum peruenit, nec fuit causa, sine qua non totius, vel partis illius. Concludimus, inquā, secuti sententiam Innoc. in c. sicut dignum. de homicid. quam probat ibi Ostien. & nemo cōtradicit, quamque Richar. in 4. lib. sent. dist. 15. & Sylvest. verb. restitutio. 3. q. 6. cum citatis ab eo, sequuntur, immo & Adrian. grauis auctor. in 4. de restit. §. de currentibus cum fure. tenet, auxiliatorem, & opem maleficio, & damno præstantem, solum teneri ad restituendum id, quod ad eum peruenit, & non plus, si delictum factum fuisset, vel damnum datum, etiam si ille, eam opem non tulisset: quamque septem argumentis validis muniuimus, respondendo totidem, quæ pro Caiet. & Soto contrarium tenentibus adduximus.

21 Quarto infertur, quod si aliquis inueniret furē, qui à suo vicino furaretur, acciperetque aliquid quò taceret, non tenebitur restituere quod alius furatus fuisset: neque quod accepit si furis erat, dummodo esset persona, quæ ex officio ad clamandum, aut manifestandum non teneretur, qui idem addit, quod restituere non tenebitur, quamuis eidem cui res subrepta fuit, se interroganti, num aliquid vidisset? respōderet, se non vidisse. Secus autem si ex suo officio ad hoc teneretur, vt iudices, & domini, qui ob id stipendia capiunt, vt iustitiam custodiri faciant, & etiam, nostro iudicio, patres, tutores, & curatores, quo ad bona filiorum suorum, pupillorum, aut minorum, arg. l. cum non solum. §. vbi autem. & alijs seq. C. de bon. quæ lib. & cap. duo. 23. q. 4. Nolumus tamen dicere, quod iudex semper teneatur nō obstante quolibet periculo mortis aut vulnerum, impedire quodlibet damnum, sed solum quando id sine temeritate facere potest, vt (nostro iudicio) sensit S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 6. ad 3. per illa verba: *Nō multum imminet periculum.* Quia, vt recte Sylu. ait in Rosa aurea, casu 50. non tenetur officialis cum periculo probabili suę vitę & status seruare personam, aut statum alterius particularis, quamuis sic (nostra sententia) Rempub. quando ratio postularet, argum. l. minime. ff. de relig. & sumpt. fun. & l. vt patriæ. ff. de iusti. & iure.

Ex quibus sequitur, quòd qui in Capitulo, Consistorio, aut alia vniuersitate, vbi maiori parti statur, iuxta l. quod maior. ff. ad municip. c. 1. de his, quę fiūt à maiori parte cap. & vbi publice suffragia feruntur, & pauciores maioris partis sententiam

sequuntur, quamuis peccet consentiens in delicto secundum Innoc. in dicto cap. 1. tamen non tenetur ad restitutionem damni, quod illā malam sententiam consequitur, quia eius causa non fuit, cum & si contradixisset ipse, id consequeretur, vt Caiet. verb. restitutio. cap. 1. par. 5. dixit, & recte, id procedere, quādo qui suffragantur nō possunt data suffragia reuocare, & quando qui suffragatur, credit propter suū suffragium maiorem partem non mutaturam, quod suffragijs concluſit. Nam si crederet quòd propter suam cōtradictionem alij suam sentētiam mutarent, & non contradiceret, cum id facere deberet, diceretur cōsentire, & eius cōsensus causa illius partialis diceretur: & ita teneretur cum ex suo officio ad id obligaretur per prædicta.

22 Decimo infertur quod cōfessarius, qui per ignorantiā crassam, aut affectatā absoluit ante restitutionē, vel antequām præcipiat eam constitēti ad id parato, remanet obligatus ad restituendū, quia fuit in causa ne dānificatus, quod suū erat, vel ei debebatur, reciperet. Rosel. verb. restit. 2. §. 5. Angel. verb. restitutio. vlt. §. 5. Quod procedit in confessario videte, aut credēre, qđ nisi restitutionem præciperet confesso, nō restitueret, & si præciperet, sic. Nō autē in eo, qui solū credit confessum esse obligatum ad restituendum, & id non præcipit ob incogitātiam: aut quia existimat, id ipsi confesso curæ fore, nā is non est causa non restituendi.

Nec obstat, quod quidam contradicat. Primo quia nullo auctore, nec vlla ratione probabili contradicit: ego autem hic cito graues auctores: scilicet Angelum, & Rocellam. Tertio, quod ratione friuola nititur, scilicet confessarium non teneri ex officio procurare vtilitatem creditoris: sed solum consulere pœnitentes, quod videtur dixisse pro consulere pœnitenti, per id quod subdit, Et iuuare animam eius, quæ ratio facit contra ipsum: cum præcipere pœnitenti restitutionem, ad quam tenetur, sit consulere illi & iuuare animam eius. Quarto, quod ego non affirmo dictum præfatorum auctorum esse vniuersaliter verum: sed restrinxi illud ad causam, in quo negligentia præcepti de restitutione est causa, cur confessus non restituat: quo casu palam est eum peccare cū obligatione restituendi, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur c. fin. de iniur. & l. qui occi-
23 dit. ff ad leg. Aquil. Addo etiam quod Io. Maior in lib. sent. dist. 21. q. 3. difficile esse censet, quòd confessarius iuste dicere possit hæredibus eius, cuius ipse confessionē audiuit, sibique mandauit, vt post eius obitum diceret eis, vt restituerēt illud, ad quod obligatus remanebat, quia per hoc videtur reuelare confessionem sibi factam. Nec mirū est, eum id tenere, quia ipse sequitur opinionē Scoti, tenētis in cad. dist. 21. quod confessarius non potest reuelare cōfessionem confessi, etiam de ipsius licentia & facultate, etiam iusta de causa data. Nobis tamen, qui sequimur & probamus opinionē contrariā S. Tho. & communem in cap. sacerdos. de pœni. dist. 6. à nu. 116. vsque ad 120. & supra eo. cap. 8. non videtur difficile, cum per tale mandatum, expressa,

expressa, aut tacita facultas ad reuelandum iusta de causa concedatur, arg. l. 1. ff. de iurisdict. omn. iudic. cap. præterea. de offic. deleg.

Quæritur hic, quid debeat cōfessarius iubere pœnitenti, qui ex India diues redit? Respō. idipsum quod aliis, qui similia in bellis iustis, vel iniustis, vel in pace, tyrānice, vel fortiter commiserunt, iuxta ius naturale & diuinum, quod nulla recta Monarchia, nec vlla fortuosa Tyrannis euertere potest. Super quo quidam Nostrates pij, & eruditi ediderunt aliqua, quæ timorē quendam futurorum malorum præsentis & futuræ vitæ incutiunt, digna decisione summæ Potestatis Apostolicæ, audita summa Laica.

Quid restituendum.

SVMMARIVM.

14 *Restituatur alienum, idem ipsum & fructus, vel interesse nu. 25.*

26 *Aliena res male retenta cui perit.*

24 REstituendum autem est regulariter idipsum, quod acceptum est, vel debetur, si fieri potest: nisi creditor sit alia re contentus, l. cum à quo. & l. manifesti. C. de solut. si autem non potest, eius æstimatio, authen. hoc nisi eod. titu. si est æstimabile, qualia tamen non sunt vita, salus, libertas, honor, & fama. l. liber homo ff. ad leg. Aquil. cap. contingit. de sent. excom. Lin seruorum. ff. de pœn. & ideo pro eis restituendum est, quod vir bonus arbitrabitur, arg. capi. de causis de offic. deleg. l. 1. ff. de iure deliber.

25 Dixi: Regulariter: quia fallit, quando per restitutionem eiusdem rei, peccator occultus manifestaretur, aut aliquod aliud magnum incommodum sequeretur, per infra dicenda. Et si res retenta iniuste est fructifera, restituendi sunt domino omnes fructus, & emolumenta. cap. graui. cum ei adnotat. de resti. spolia. l. cum prætor. ff. de verbor. significa. & 3 q. 1. per totam. quæ sunt ea, quæ deductis necessariis impensis in illis acquirendis, colligendis, & conseruandis factis supersunt. l. fructus. ff. solut. matrim. l. si à domino. §. fructus & l. plane. in fi. ff. de peti. hæred. habita tamen ratione bonæ, vel malæ fidei iuxta supra dicta nu. 7. & 8. Sed si res non est fructifera, non est restituendum quod ex eius vsu, & industria eius, qui occupatam eam tenet lucrifactum est.

Per quod soluitur dubium de illo, qui torquem aureum à non domino emptum sæpius locauit, an pretium locationis restituere teneatur? Respondendum enim est negatiue. Nam & vsurarius & latro non tenētur restituere quod lucrati sunt pecunia ad vsuram accepta, aut furtiua, negotiationi eam applicantes, immo qui illud accipere vellet, vsuram committeret, capi. plerique. & c. fi. 14. q. 3. secundum Scotum in 4. lib. sentē. dist. 15. q. 2. nisi quando acciperet pro suo iusto interesse, aut acciperet is, cui surripitur pecunia, quā collectam habebat ad soluēdum suo creditori, & ob eius furtum cogitur ad vsurā accipere, aut vendere suum prædium minoris, quò ei debitum
26 soluat. Quia talis accipere posset à latrone, & etiā hic deberet restituere omne illud, quòd ob id amisit cum omnibus impēsis, & damnis

ob id

ob id acceptis. Et qui aliquam mulam, aut equum meritorium, seu lotari solitum, furatur & retinet aliquanto tempore, quod in causa fuit ne dominus solitam mercedem lucraretur, non satisfacit, etiam in foro conscientiæ, restituendo solum equum, aut mulam sine vlla mercede deductis impensis debitis & deduci solitis, vt ait Ioann. Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 27. & 28. Quin etiã, si fuit vi raptus, furto sublatus, aut retentus, & periit in potestate eius, qui rapuit, sustulit, aut retinuit, tenetur soluere quanto maioris valuit à tempore, quo male accepit, donec illum domino, loco, & tempore ad recipiendum conuenientibus obtulit: & si dominus legitime oblatam noluit accipere, satisfacit, restituendo tantum, quanti valuit tempore quo accepit.

Quantum restituetur.

SVMMARIVM.

27 *Restituatur quanti æstimatur damnum certum, aut arbitrarium.*

27 *Restituendæ rei, si valor incertus est quid fiet.*

27 REstituendum vero est tantum, quantum satis est ad æqualitatem debiti, aut damni illati, ita vt si quantitas debiti, aut damni est certa, necesse est vt tantundem restituatur: sed si quantitas est incerta, cuiusmodi est damni honoris, famæ, vulnerum, fructuũ sperator um seminum satorum, damni emergentis, aut lucri cessantis, & aliorum similium, restituendum est quantum bonus vir consideratis omnibus, rei, temporis, loci & personæ, &c. circũstantiis arbitrabitur. l. certi cõdictio. ff. de reb. cred. & in princ. Instit. de verb. oblig. & l. 1. C. de sentẽ. quæ pro eo, quod interest. Et vir bonus tantum arbitrari debet, quantum ad æqualitatem requiritur: si poterit, sin minus, quod propius ad eam accedat, arg. l. fideicommissa. §. quamquam. ff. de lega. 3. & cap. Quintauallis. & capi. veniens. de iureiur. habita ratione bonæ, vel malæ fidei iuxta posita supra nu. 7.

Cui restituendum.

SVMMARIVM.

28 *Dominus, cui sua res est restituenda, quis dicatur*

28 *Domino restituendum quando custos est suspectus.*

29 *Domino suo restituenda res regulariter, sed fallit.*

29 *Prælato dissipanti quæ res ecclesiasticæ restituenda.*

29 *Furi cui non restituenda res furtiua.*

29 *Metus qualis excusat quo ad forum conscientiæ. nu. 29.*

30 *Restituendum an regulariter male datum & male acceptum.*

30 *Restitutio pauperibus facienda quando de præcepto.*

31 *Meretrix, nec aliæ mulieres solutæ, coniugatæ vel sacræ tenentur de præcepto ad restitutionem, & 34. Maleficio pro aliquo, quod limitatur. nu. 41.*

31 *Restituere cur magis tenetur qui accipit, pro eo quod tenetur facere, quam quod accipit pro eo, quod tenetur non facere.*

32 *Datum quo titulo retineri potest.*

32 *Intellectus cap. de hoc de simon.*

32 *Restituendum quod male accipitur, sed non quod male datur. & 34.*

33 *Resti*

33 *Restituendum omne quod accipitur pro eo, quod gratis tenetur dari, vel debet fieri. nu. 33.*

33 *Exempla non restringunt legem.*

34 *Restituant testis, aut iudex acceptum pro testimonio, aut sententia.*

34 *Gratis qui debet facere turpiter pro illo accipit.*

34 *Intellectus l. 4. §. sed & quod meretrici. ff. de condi. ob turp. caus.*

35 *Meretricis opera an aliquid valeat in genere emtis, sed non moris.*

36 *Opera meretricis & aliorum delinquẽtiũ in foro Dei æqualis & 39.*

37 *& permissa in foro exteriori tantum quoad hoc æquantur.*

38 *Meretrices peccant accipiendo sed non tenentur restituere. nu. 38.*

40 *Vendibile per se vt sit inuendibile ratione admixti.*

41 *Meretrici & impudici confessarij consulant circa eis promissa.*

HOc in loco, Christiane Lector, in editione vulgari considerauimus quinque casus occurrẽtes in hoc articulo, quo quæritur, Cui est restituendum? in quibus non sine cura & studio vigili discessimus à communi sentẽtia quo ad quædam, quæ etiam nunc perplacẽt, licet nonnulla, quæ sequutus communem tenui, merito displiceant. Alia igitur methodo, & clariore, ac vtiliore omnia resoluturus simul ac digesturus ea, quæ Didacus à Leyua & Couarruuias, meus olim in Academia Salmanticensi seruentissimus auditor, ac pro dilectissimo filio habitus, & postea eruditissimus doctor, & Gymnasia ac celeberrimus scriptor, ac demum insignis episcopus Segobiensis, dignitate perillustris & Reuerendissimus, scripsit in §. 2. par. 2. c. peccatum. de reg. iur. lib. sexto quod à nobis iamnus eidem prælectum, erudite, curiose, ac copiose ditauit. Protestatus igitur nullum vnquam scriptorem, nec ipsum, qui omnes alios in hac re superauit, nec me hactenus penitus in ea mihi satisfeciisse, & sperans nunc omnibus & mihi satisfacere, precibus gloriosissimæ Mariæ Magdalenæ, cui dies hic sacer est, fretus, dico primo. Distinguendum esse, an agatur de restitutione rei alienæ, male acceptæ, vel male retentæ, eo tantum quod est aliena, aut de restitutione damni dati, intelligendo per damnum tam iniustam acceptionem, quàm iniusti detrimenti illationem, ac in priori quidem membro definiẽdum, quod res aliena regulariter domino est restituenda. siue sit absolutus dominus, siue dispensator dumtaxat, quales sunt prælati ecclesiarum, cap. fin. 16. q. 1. & capit. pastoralis. de donat. vt olim copiose probauimus, in capit. 1. & capi. cum secundum. de præbend. & nuper in libr. de redit. eccles. super dicto cap. fi. 16. q. 1. & in Apolog. eius, & in Comment. capi. non liceat Papæ. 12. q. 2. Per dominum autem intelligimus etiam illum, cuius custodiæ est commissa res accepta, aut damnificata, quamuis ea sit dominij alterius, & consequenter quo ad hoc censetur dominus pignoris creditor, & depositi depositarius, in cuius potestate, aut custodia est illud, & vestis fingendæ sartor, & vestimenti lauandi fullo, seu lotor, & rei commodatæ commodatarius: nam eis restituendum est, quod ab eis acceptum fuerit, & non iis, quorum sunt, arg. l. cuius. & l. sui. & l. itaque

fullo

fullo.in princi.§.sed etsi res pignori. ff.de furt.Verum est tamen,quòd in foro conscientiæ veris dominis restitui possunt.argu.dictæ.l.bona fides.& nor.in cap.in literis.de restitu. spolia.adhibita necessaria cautione, ne præsidij custodes damno denuo restituendi afficiantur, aut alia molestia, neue incurrant in iacturam existimationis fidelitatis, diligẽtiæ, aut probitatis, & modo illud sine scãdalo & sine alterius iniuria fiat: maxime autẽ hoc fieri potest, quando aliquis prædictorum habetur suspectus,quòd non restituet domino, aut non sine magna difficultate,aut damno, quia est fur, aut versutus, aut opulentus,aut prodigus,aut alia simili praua qualitate affectus,iuxta omnium sententiam. Immo in istis casibus, domino restituendum esse videtur,nisi timeatur aliquod damnum personæ,honoris,aut alia molestia,vt recte sentit Sotus,lib.4.q.7. art.1.de iusti.& iur.

29 Dixi: Regulariter, quia nonnunquam alteri est facienda.

Primò, cum dominus est furiosus,prodigus,aut habet tutorem,aut curatorem.l.pupillo.ff.de solut.§.furiosos.§.pupillos.Instit. de inutil.stipul.l.obligari.ff.de auctor.tuto.

Secundò, quãdo prælatus est dissipator, qui disperdit bona ecclesiæ secundum Caietanum in summa verb.restitutio.cap.4.& alios recentiores, iuxta quos non est ei restituendum:sed in vtilitatem ecclesiæ conuertendum. Nobis tamen videtur,quòd si prælatus non est suspensus, nec ei coadiutor datus, & quod restituẽdum est,sunt fructus & prouentus, quorum ille est legitimus dispensator, illi esse restituendum, arg.not.in capit.veritatis.de dolo & contum.& in cap.venerabili,de offi. deleg.& ca.fin.de accusat.& c.peruenit.de fideiuss. Quia nullibi contrarium statuitur, & etiam quando id quod est restituendum,ad ipsa bona ecclesiæ pertinet, quæ ipse non potest, nec debet sine causa alienare, quia non est textus, qui ad aliud obliget, quamuis hoc casu melius esset ex eorũ sententia facere,adhibita tamen cautela,ne alia inconuenientia consequerentur.

Tertiò,quando ignorarur dominus rei restituendæ,adhibita debita diligentia,de qua infra,eo.c.nu.170.

Quartò, quãdo etsi longinquus, aut in tali loco,vt ad eum mitti non possit, aut non sine magno periculo aut scandalo, tunc restituendum est Iesu Christo Domino nostro, hæredi omnium incertorum vniuersali, c.1.ad Hebræos capi.quo iure.8.dist. vt diximus in cap.nouit.de iud.nu.5. & 8.dispertiendo illud pauperibus eius,aut aliis piis operibus,quia hoc cõsentaneum legi naturali videtur, & significat cap.cum tu.de vsur.cap. qui habetis.14.q.5.cuius autem impensis mittendum sit,quando poterit,ex dictis infra,nu.43.colligitur.

Quinto,acceptum à fure, quamuis ipsius non sit, restitui potest & debet eidem, quo ipse possit, vt debet restituere illa domino cui furatus fuit,nisi cessantibus aliis incommodis, præstaret domino, aut cui fur tenebitur restituere,iuxta S.Anton.2.part.tit.2.c.1.§.4.pro quo l.bona fides.ff.depos.& Sylu.verb.restit. 4.q.1.vt proxime diximus.

Per quod respõdetur affirmatiue, ad

ad quæsitum An satisfiat reddendo acceptum à fure ei, cui ipse mandauit? quia paria sunt reddere alicui, vel de eius mandato alteri,arg.l.1.& l.inter causas.ff.manda.

30 Hactenus de priori membro, id est, quo ad obligationẽ restituendi rem alienã. Quo ad posterius vero membrum, id est, obligationem restituendi damnũ datum dico quatuor.Primum, quòd damnũ datum alicui contra suam voluntatẽ, vt datum per furtum,rapinam, vim, aut metum, saltem reuerentialem ad id sufficiẽtem per astutiam, dolum,vel accipiendo,ne faceret aliquod damnum iniustũ,restitui debet damnificato per tales malos actus,secũdum Innoc.Panormi.& commu.in c.quia plerique.de immun.eccles. Per metum autem intelligo, quo ad forum conscientiæ,non solum illum,quem iurisconsulti appellant iustum,& cadentem in virum constantem in l. metum,ff.quod met.causa.sed etiam minorem,talem tamen, qui sic fuit causa dandi vel accipiendi,quod nisi interuenisset, non fuisset datum,vel acceptum. Quoniam tam canones, quàm leges requirentes prædictum iustum metum respiciunt forum exterius.in quo si daretur rescissio actuum ob leuem metum,omnium fere peteretur rescissio.& ita respub. litibus redundaret.contra intentionem iuris in l. properandum.C. de iudic.& ca.finem litibus.de dolo, & contum. Quæ desumũtur ex mente Ostien.& Ioan.Andr.ex c.verum.de iureiu.& ex verbis Adri.in 4.de rest. c.aggredior.vers.ex quibus omnib⁹. & ex Soto.q.7.de iustit.& iur.lib.4.

Addidi tamen vltra alios: Talem tamen &c.quia eatenus tantum erit inualidus actus per metum leuem factus in foro conscientiæ, quatenus eius fuit causa, saltem sine qua non illius actus, arg.c.fin.& ibi nor. de iniur.& in capit.felicis.§ illud.de pœnis.lib.6.& per gl.in verb.simplici fauore.

Secundò dico, quòd acceptum iniuste de volũtate dantis, ita quod turpitudo versetur ex vtraque parte,non est restituendũ, saltem regulariter vlli de præcepto: quod etiam in editione vulgari affirmauimus contra communem, quæ vsque ad illam nobis semper placuit,sed tunc re altius perpensa, sequuti fuimus S.Ant.par.2.c.5.in princ. Monald.verbo.restitutio.2. Ang.verb.restitutio. verb.turpe.& Sylu.verb.restitutio.2. & verb.eleemosyna q.4 Pro qua facit Primò,quòd nulla est lex diuina, nec humana sæcularis,neque canonica, qua hoc iubeatur: & ita non est dicendum l.illam.C.de collat.ca. legatur.13.q.2.

Secundò, quòd l.vbi.cum l.seq.ff. de condict.ob turp.caus.capi.in pari delicto.de regul.iur.lib.6.l.iurisgentium.§.si ob maleficium,ff.de pact. & canones huius materiæ statuunt quidem id, quod propter delictum datur,repeti non posse, neque quod ob delictum promittitur, peti: sed non præcipiunt acceptum ob delictum esse alicui reddendum.

Tertiò, quòd est regula Veruercelli, recepta à S.Anton.vbi supra, Ange.verb.restitutio.1.vers.turpe. & Syluestr.restitutio.2.q.2. Et ab aliis quamplurimis,quòd restiturio,quæ non est facienda alicui certæ personæ,sed pauperibus, non debetur ex

præcepto

præcepto, sed solum ex consilio: quod recte limitat Sylvester vbi supra, vt procedat in eo, quod numquam alicui personę, nec alicui collegio debitum fuit, cuius defectui pauperibus erogari præcipitur, nec his relictum, nec donatum fuit, nec per legem præcipientē, nec sententiam specialem adiudicatum. Cum igitur iuxta communem in hoc casu restitutio pauperibus, & non parti facienda sit, consequens est, quod non est de præcepto.

Quartò, quòd quando malum, ob quod datum fuit, non consequitur, vt si datum est iudici, quo inique iudicaret, & recte iudicauit, & episcopo quo ordinaret, aut beneficium conferret, & nec ordinauit, nec beneficium contulit, datori & non pauperibus restituendum est, vt doctissimus Medina in Codice de restit. efficaciter probat.

31 Quintò, quòd vt mox dicemus, meretrix nō tenetur de præcepto restituere id, quod pro mercede prostibuli accipit, & neque aliæ mulieres solutæ, coniugatæ, vel sacræ, & tamen, saltem quo ad forū conscientię, in omnibus eis turpitudo versatur ex vtraque parte, vt statim efficaciter probabimus, ergo &c.

Non obstat primò argu. Adriani, quo sic in effectu argumētatur: Qui accipit aliquid, vt faciat bonum, quod præcipitur facere, tenetur ad restitutionem, vt iudex qui accipit aliquid, vt recte iudicet, & fur ne furetur amplius, & depositarius, vt reddat depositum, l. 2. 3 4. & vlt. ff. de cōdict. ob turp. cau. Ergo à fortiori qui accipit aliquid, vt faciat malū, quod tenetur non facere, arg. auth. multomagis. C. de sacrosanct. eccle. cap. cum in cunctis. de elect. Non, inquā, hoc argumentum obstat, quia solui potest negando, maiorem esse necessitatem restituendi acceptum ob malum patrandum, quàm acceptum ob bonum debitum faciēdum, quia non est etiam tanta. Tum quia qui dat alteri, vt bene suo officio fungatur, non peccat, & dat quasi coactus quia videt, aut timet, quòd nisi dederit, accipiens non est bene officio suo functurus. At qui ob maleficium patrandum dat, peccat, & sine simili timore dat, & ideo nō est ei restituendum. Tum quia qui accipit, vt quod debet faciat, accipit aliam mercedem vltra illam, quam habet ad officio suo fungendum, & ideo non debet illud retinere tanquam indebite datum, in quo restitutio fit danti per prædictas leges, & l. 1. & totū tit. ff. de condict. indeb. Tum quia qui accipit, vt quod debet faciat, nō remanet in conscientia obligatus ad aliud: qui autē accipit ob maleficiū, eo sequuto, communiter tenetur ad resarciendum damnum per illud datum. Tum quia communis fatetur, eum, qui ob maleficium accipit, non teneri ad restituendum danti, sed pauperibus, & aliis piis operibus, & ita debet fateri, quòd hæc obligatio restituendi degeneret à propria restituendi ratione, qua res in primo statu reponitur, & consequenter debet fateri, nō reperiri in hoc casu tantam rationem restituendi, quantam in altero, in quo restitutio fit ipsi dāti per prædictas leges. Tum quia idem Adrianus, vbi supra quæstio. 19. sub finem post Ange. verbo restitutio 2. §. 4. fatetur, fatetur, quod ex mente S. Augu. in c. non sane 14. q. 5. is, qui ob maleficiū accipit, satisfacit restituendo pauperibus, aut ei, qui dedit, aut cui maluerit, saltem antequā qui male dedit, facultate recipiēdi in sui peccati pœnam, priuetur: qui tamen asserit id, quod accipit, vt fiat quod debetur, soli danti esse restituendum, & per cōsequens debet fateri strictiorem esse obligationem restituendi acceptum ob bonū, quod debet facere, quàm obligationem restituendi acceptum ob maleficium patrandum. Per quæ omnia & singula argumentū Adriani clare dissoluitur.

32 Non obstat secūdo illud, quod plurimū vrgere videtur, nēpe quòd titulus quo aliquid ob maleficiū datur, est ipso iure nullus, l. iuris gentium. §. si ob maleficiū. ff. de pact. l. generaliter. ff. de verb. obli. cū vtrobique per glo. & doct. citatos. in c. si. de pact. ergo qui accipit ob maleficium, sine vllo iure tenet, & consequēter iniuste, & tenetur restituere, vt fur vel raptor, quia tenet alienum inuito domino, arg. c. sæpe. de restit. spol. & c. si res. 14. q. 6. Non inquam, hoc obstat: tum quia licet pactū vel conuentio, qua quid ob maleficium datur, non valet in illa forma, quā partes solæ prætendunt facere, valet tamen vt donatio quædam virtualis, vel vt quidam actus habēdi pro derelicto, quod lex in pœnam male dātis interpretatur taliter male dan tē habere id pro derelicto, vel pro donato ad hoc, vt ei non debeat necessario reddi, vt alta mente dixit Anton. relatus ibi à Panor. in c. quia plerique. de immuni. eccle. & probatur per l. 2. 3. & 4. ff. de condi. ob turp. cau. Et quibus colligitur non esse paria, quod huiusmodi accipiens, nullo penitus titulo præcedente accipiat, & quod accipiat prædicto qualiquali & turpi titulo præcedente. Nam in priori daretur condictio sine causa, vel indebiti, vel rei vendicatio, iuxta titulos de condict. sine causa, & condict. indeb. & de rei vendica. In secundo autē nulla condictio habet locum per præfatas leges, & per leges tit. ff. pro derelicto.

Non obstat tertio, quod accepti per simoniam non potest iuste reciperi, c. de hoc. de simo. cum tamen ex vtraq; parte versetur turpitudo, iuxta Extrauag. 2. de simo. respōderi enim potest. Primò, secundum aliquos, quod illud c. non agit de vera restitutione rei acceptæ, quia non iubet restitui danti, sed ecclesiæ iniuriam passæ, vt Felin. post alios ibi tradit. Nec videtur necessario restituendum esse ecclesiæ. Nam S. Tho. quem ibi alij non citant, vbi supra determinat, satis esse quod restituatur pauperibus. Sed contra solutionem hanc faciunt verba illius cap. quibus adstruitur, non posse illud sine graui salutis periculo retineri, & ita concludit necessario esse restituendū proprie, vel improprie aliquibus. Alij respōdent, quod dispositio illius c. continet pœnam, quæ non debetur in foro cōscientiæ ante iudicis condemnationem, iuxta glo. solemnem in c. fraternitas, 12. q. 2. Sed & hæc responsio eodē modo refellitur quo prior. Quare respondendum est, c. illud continere quiddā speciale in illo crimine propter ea, quæ ibi not. & melius colligi possunt ex vtroque Tho. 2. 2. q. 32.

art.7. & Medina C. de reſti. q.10. & Soto lib. 4. q.7. art.1. de iuſt. & iure. ſcilicet, quòd ibi acceptum fuit pro ſpiritualibus, quæ nullã æſtimationem habent, vt ait Medina: aut quia neceſſario gratis dari debent, vt ait Sotus. Nam etiam continet ſpeciale in eo, quod mandat reſtitui eccleſiæ iniuriam paſſæ, quamuis dicant aliter S. Tho. & Sotus vbi ſupra, quod an fecerint per inaduertentiam, dicam infra c.25 nu.112.

33 Tertiò principaliter dico, quòd damnum iniuſte datũ per acceptionem iniuſtam ab eo, qui iuſte dedit, ita vt turpitudo ſit ex parte accipiẽtis tantum, reſtituendum eſt danti, ſiue damnificato, c. non ſane. 14.q.5. quod Adrian. vbi ſupra q.19. col. 4. copioſe probat. De hoc numero ſunt iudex, lictor, notarius, milites & eorum duces, & alij, qui ratione ſui muneris publici plus ſuis ſtipendiis decretis accipiũt, & omnes alij, qui ad faciendum id quod debent, aliquid accipiunt, puta, qui accipit quò non futetur, iniuriam nõ inferat, quò recte iudicet, aut recta teſtificetur, aut ſuũ domino ſuo reddat, aut quo faciat, vel facere præter mittat alia ſimilia, ad quæ tenetur per l. 2. ff. de condi. ob turp. cauſ. & alia, quæ affert Adrian. vbi ſupra. Hoc tamen moderatur Sotus, lib. 4. q.7. ar. 1. de iuſti. & iure. vt ſolũ procedat in his, qui accipiũt ad faciendũ illa, ad quæ iuſtitiæ legibus obligantur, non autem in accipientibus ea, ad quæ legibus aliarum virtutum tenentur, qualis eſt, qui aliquid accipit quò nõ fornicetur, quò miſſam audiat, quando tenetur.

Sed contra moderationem hanc facit. Primò, quòd videtur eſſe noua, & quod nullo textu iuris, neque vlla efficaci ratione neceſſario probatur. Deinde quod l.2.ff. de cõdict. ob turp. cau. habet, repeti poſſe, id quod datur alicui, ne ſacrilegiũ faciat: & conſtat legem, quæ vetat ſacrilegium, eſſe legem pertinentem ad religionem, vt S. Tho. receptus docet in 2.2.q.99.art.1.& 3. ſecundũ quem eundem vbi ſupra, q.81. art.4. religio eſt diuerſa virtus à virtute iuſtitiæ. Tertiò, quod glo. cum qua trãſeunt omnes in lib.4. eiuſdem tit. ait, repeti poſſe id quod datur alicui, ne fiat meretrix, & conſtat meretricium eſſe contra legem Caſtitatis & Temperantiæ, & non contra leges Iuſtitiæ. Quartò, quòd eadem lege §. fin. cauetur repeti poſſe id, quod datur furi, vt indicet ſociũ furem, ad quod potius videtur teneri lege Charitatis, quã Iuſtitiæ. Quintò, quòd datur ab eo, qui eſt ineptus militiæ deligẽti milites, vt eum excuſaret à tyrocinio, repeti poteſt, l. quod euitandi. C. de cond. ob turp. cau. & tamen delecturus milites tenetur ad bene deligendum legibus militaribus, quæ potius pertinẽt ad Fortitudinem, quã ad Iuſtitiam ſpecialem, ſaltem commutatiuam.

Sextò, quòd eadem ratio turpitudinis videtur militare in eo, qui capit aliquid, vt faciat quod tenetur facere legibus aliarum virtutum, ſicut in eo, qui accipit, vt faciat quod tenetur facere lẽge Iuſtitiæ. Turpitudo enim cõſiſtit in eo quod accipit mercedẽ pro eo, quod ſine mercede tenetur facere, quæ ratio peræque militat in omnibus, qui debito legali tenentur.

34 Septi

34 Septimò, quòd qua ratione repeti poteſt datum alicui, ne ſacrilegium faciat, eadem videtur repeti poſſe datum alicui, ne parentes deſpiciat, ne impediat, ſiue rebelles magiſtratibus, & ſuperioribus, & ne ſit mendax, & ne vindicet ſe iudebite, aut ne alia id genus delicta perpetret, cũ omnia hæc ſint debita proximo legibus virtutũ potencialium Inſtitiæ, ſicut ſacrilegium per leges Religionis. Quare moderationem Soti arbitror ſolum tenendã in his, quæ accipiũt vt faciant id, ad quod tenẽtur ſolo debito honeſtatis morali & non debito legali, quale eſt, debitũ virtutis Liberalitatis, & virturis Gratiæ vt plurimum. Arbitror autem eſſe verum quod prædictus Sotus ait vbi ſupra, videlicet, eum qui accipit aliquid, ne male faciat, ſiue vt faciat quod tenetur facere, non teneri ad reſtituendum in foro conſcientiæ, donec qui dedit repetat illud, quia poteſt tenere illud ex quodam dantis conſenſu donec repetierit ſaltem extra iudicium. Pro quo facit, quòd lex non prohibet tranſlationem dominij rei datæ, ne maleficium fiat, ſed tantum cõcedit condictionẽ, quæ eſt actio perſonalis, quales ſunt omnes cõdictiones, vt notatur in rub. de condi. indeb. & alibi ſæpe. Per quam rationem facile reſponderi poteſt etiam eis, quibus contrarium tenet Fortunius in l. iariſgentium. § ſi ob maleficium. ff. de pact. quẽ ſequitur prædictus Didacus vbi ſupra. Ex quibus infertur, quod teſtis reſtituere tenetur acceptum ob teſtimoniũ, quod ferre tenebatur, ſicut & iudex, qui capit, vt ferat ſententiã, vt diximus in reper. cap. inter verba. 11.q.3. conclu.6.

Secundò infertur, quòd hæc conſequentia regulariter valet: tis tenetur aliquid gratis facere. Ergo turpiter accipit aliquid quo faciat illud, iuxta glo. l.4.§ fi. ff. de condi. ob turp. cau. putat. ſingu. ibi à laſ. cui ſimilis gloſ. in cap. qui cum fure. de furt. vbi late Anan. Eadem ratione valebit illa argumentatio. Is poteſt accipere pecuniam, quo hoc agat in mercedem illius actionis. Ergo non tenetur id gratis facere.

Dico quartò principaliter, quòd acceptũ à meretrice ob turpem cauſam fornicationis, non eſt neceſſario reſtituẽdum, etiam in foro conſcientiæ. In qua concluſione fere omnes tam Theologi, quàm Canoniſtæ & Legiſtæ conueniunt, vt videre eſt apud ſcribentes in l.4. §. ſed & quod meretrici. ff. de condict. ob turp. cau. & S. Tho. 2.2.q.32 artic.7. Paludan. & alios in 4. lib. ſent. diſt. 15. & ſuper gloſſ. communiter receptam in ſumma, 14.q.5. & eos, quos latius citat prædictus Reuerendiſſimus Segobienſis in dicto cap. peccatum. de reg iur. lib.6. part.2.§.2. ſed ratio nulla redditarum à prædictis ſatisfacit. Non quidem prima iuriſconſul. in l.4. §. ſed & quod meretrici. ff. de condict. ob turp. cau. quam etiam ad litteram ſequitur ſanctus Thom. vbi ſupra & omnes alij poſt eum, videlicet, quod meretrix licet turpiter faciat eo quod ſit meretrix: non tamen turpiter accipit, cum ſit meretrix. Non, inquam, ſatisfacit illa ratio. Tam quia viderur ſibi repugnare, cum præſupponat turpe eſſe meretricari, & non eſſe turpe mercedẽ pro meretricio capere.

Cum l. 2. eiusdem titul. probet ideo turpiter accipere quem aliquid, vt homine occidat, quia turpe est hominem occidere: & turpe esse accipere vt sacrilegium faciat, quia turpe est sacrilegium facere. Et l. 3. habet turpiter accipere iudicē, vt iniquè iudicet, quia turpe est iniq; iudicare. Et l. 4. turpe accipere, vt stuprum faciat: quia turpe est stuprum facere. Cum igitur dicat esse turpe meretricari, cogetur etiam dicere esse turpe propter meretricium accipere. Nec credo iureconsul. posse defendi, nisi per æquiuocationem, dicendo quod cum sentit turpe esse meretricari, intelligit de turpitudine vera iuris naturalis, quod ipse nouit, licet diuinum, contra quod etiam est, ignorauerit, secundū communem doctrinam glos. in clem. ad nostrum. de hæret. & sanctum Tho. 2. 2. q. 154. arti. 4. & Ioan. Maior in 3. lib. sent. dist. 27. q. 29. Cum autem ait non turpiter accipere, sentit de turpitudine iuris humani, quod permittit meretricari. Quod si quis ita defenderit iurisconsul. vt defendēdus est, cogetur dicere, quòd iure vero naturali & diuino, sicut turpe est meretricari, ita etiam erit turpe pro meretricio aliquid accipere. Et cum in foro cōscientiæ ius naturale & diuinū sint necessario seruanda, c. sunt quidā. 25. q. 1. cogetur consequenter fateri, q̄ in illo foro vtrumq; est turpe, & meretricari, & ob meretricium aliquid capere: & ita ratio illa non satisfit quo ad forū conscientiæ, licet satisfaciat quo ad forū exterius, in quo impune licet meretricari.

Secundò ideo non satisfacit præfata ratio, quia concludit necessariò vnum falsum, scilicet, esse verā opinionem Cyni, & Angel. in l. 2. C. de condi. ob turp. cau. Anton. Panor. & cōmunis in c. quia pleriq;. de immu. eccle. Videlicet, quòd acceptum ob fornicationem à mulieribus soluris clam fornicantibus, est necessario restituendum: & magis id, quod accipitur à cōiugatis & monachis ob eandem causam: non minus, quod accipiūt mares, præsertim clerici & religiosi à feminis, eo quod libidini earum inseruiūt. Quia ratio prædicta, quæ nititur permissione legis humanæ, cessat in illis omnibus, præsertim coniugatis, monachis vtriusque sexus, & clericis. Quoniam etiam in exteriori foro hi omnes puniuntur per leges tit. ad l. Iul. de adult. ff. & C. & cap. 1. & 2. de adult. & l. vnica. C. de raptu virg. & 27. q. 2. per totam. Cuius tamen contrarium est verum, vt tenet Henricus Boic. in cap. peruenit. de adult. Cui consonat vsus confessariorum, vt in editione vulgari tenuimus hic, & in d. cap. peccatum & in cap. 1. & 2. de adult. quibus in locis numquam fuerunt mihi copiæ sufficientes ad respondendum huic argumento, & ita nec proposui illud, nec respondi, & miror quòd cū illud grauiter proposuissent Cyn. Anton. Panor. & qui sequuntur eos: nemo tamen nostrum, qui contrarium tenemus, ei iuste satisfecit, nec certe satisfieri potest, nisi alia ratio addatur rationi prædicti iurisconsul.

35 Non etiā satisfacit ratio Adriani, videlicet, q̄ meretrix nil accipit alienum inuito domino. Tum quia illi tā est locus in omnibus aliis delictis, in quibus alicui datur sponte aliquid

aliquid, vt delinquat, quā in meretricio. Cuius tamen contrariū tenet ipsemet Adrianus & cōmunis, quæ contrariū nostri prædicti tertij dicti tenet. Tū quia iuriscōs. significat hoc esse speciale in meretricio, per illa verba: *Nouo ratione*. Ratio item Caieta. in 2. 2. q. 32. art. 7. videlicet, q̄d vsus meretricis est materia vendibilis, & non rei sacræ, quā Sotus & recētiores magni facere vidētur, licet aliqua ex parte satisfaciat, quo ad ponendū differēt iam inter acceptū ratione criminis simoniç, & acceptū ratione meretricij., quo ad quam astruendam, eam ille reddit non tamē satisfacit, quo ad alia. Nā æque, immo magis vendibilis est opera eius, qui se locat ad militandum in bello iniusto, ad duellum cōmittendum, & ad fuste cædendū, vel occidendum alium quā opera meretricis ad explendū libidinem, volentis cum ea rem habere. Nam palam & passim conducuntur, vel emuntur operæ lictorū, quos vulgus Hispanū borreros, vel verdugos, & Italū, bota, siue magnigoldi appellant, & l. 1. §. remouet. ff. de postul. edicit de locantibus operas ad pugnandum cū bestijs, & idem facit l. in arenam. C. de inoffi. testa. At ipsemet Caiet. & prædicti, qui cum sequuntur, negant idem esse in alijs delictis, in quibus ex vtraque parte versatur turpitudo. ergo illa non satisfacit.

Ratio vero, quam prædictus Segobiensis, sequutus aliquot alios sentit, videlicet, quòd lex permittit & facit iustam operam meretricis, non tamen alias prędictorū operas, nō potest defendi: tum quia ipsimet affirmant acceptum à mulieribus, quæ non sunt meretrices, licet sint coniugatæ & monachę, non esse restituendum, & constāt, nulla lege etiam humana, earū in hac re operas iustas fieri: tum quia lex naturalis & diuina, quæ necessario est seruanda in foro conscientiæ, damnat illam: nec vlla lex humana eam potest quò ad illud forum iustificare, argu. c. erit autem lex. 4. dist. & c. si. de præscrip. tum quia sequeretur, quòd acceptū ob opetam pugnandi aduersus feras, cum probabili vitæ periculo, non diceretur turpiter acceptum, secundum leges humanas, & alias aliarū gentium, quæ id probant, aut certe permittūt, iuxta prædicta in l. 1. §. remouet. ff. de postul. & l. in arenam. cum ei adnotat. C. de inoffic. testa. quod tamen videtur esse contra mentē eorundem: quòd idem esset dicendum de opera conductorum ad duella, vbi permittuntur, & ad furta, vbi ea non puniuntur: quod tamen est contra l. 2. & 3. ff. de condi. ob turp. cau.

36 Quare omnibus omniū dictis ruminatis, asserenda arbitror tria. Primum, quod nulla est differentia quo ad forū conscientiæ, in quo lex naturalis & diuina necessario seruāda est, inter acceptū ob operam meretriciam ab vna parte, & ob operas ad alia maleficia, in quibus vtrinq; turpitudo versatur, ab altera. Quia in omnibus datur, & accipitur, contemplatione maleficij damnati & punibilis in illo foro. & in omnibus æque voluntarie datur, & in omnibus æque admittitur turpitudo ab vtraque parte, quo ad illud forum.

Secundum, quod ratio solida & vera, quare acceptum ob operam

meretriciam: non est restituendum, est, quod acceptum volentarie ab alio ita vt ab vtraque parte admittatur turpitudo: nulli est de præcepto restituendo, iuxta conclusa sup. in 4. dicto contra Palud. Adria. & alios multos pro diuo Ant. Monal. Ang. & Syluest. ibi citatis.

Tertium, quod verus intellectus §. supra citati, sed & quod meretrici colligitur ex supradictis in confutatione primæ rationis, videlicet, turpe esse meretricari iure naturæ, non tamen iure humano, ideo licet meretrix turpiter faciat, attento iure naturali, quod est meretrix: non tamen turpiter accipit mercedem, attento iure humano, quod permittit, eam esse meretricem, & ita ille §. solum habet locum quo ad forum & territorium, in quibus opera meretricis est permissa, & non quo ad forum & territorium, in quo illa est damnata, & punitur, quale est forum conscientiæ: & consequenter meretrix quo ad forū conscientiæ, in quo eius status dānatur, non minus peccat accipiendo mercedem, pro illa opera fœda quam præstat, quàm qui accipiunt mercedem pro operis locatis ad occidendum, ad (vt ita dicā) duellandum, & iniuste bellādum, ac alia huiusmodi: nec consequenter in illo foro tenetur minus ad restituēdum, quàm illi. Sed quia illi per cōclusa in præfato dicto secundo non tenentur de præcepto, sed de consilio tantum restituere, quæ est conclusio communis & antiqua speciali & noua ratione efficaciter fundata.

37 Ex quibus tribus dictis, & eorū fundamentis infertur primò, quòd prædictus §. sed & quod meretrici, habet locum nō solum in meretrice, sed etiam in omnibus alijs, qui operas suas locant, aut accommodāt eis rebus, quæ permittuntur in foro exteriori, licet damnētur in interiori, qualia sunt multa, quę permittuntur iuxta cap. denique 4. dist. in spectaculis carnispriuij, & aliorum festorum, & in hastiludijs, tornicamentis, choreis, &c. Quales itē erant pugnæ, quas Romani permittebant cū feris, ad quas qui locabant operas, licet fierent infames vt sunt meretrices: tamen permittebantur, & non puniebantur plus, quàm illę, & accipiebant suarum operarum pretium, non secus quàm illæ, iuxta prædictā l. 1. §. remouer. cum seq. ff. de postul. & l. in arenam. C. de inoffi. testa. quæ est conclusio quotidiana cōprehendens innumeros, qui cōducunt operas ad multa ludiera, quæ sunt saltē peccata venialia, & ita damnata in foro interiori: sed quia non sunt dānata in exteriori, quo ad mercedem accipiendam & retinendam, æquantur meretricum operis.

38 Secundo infertur, opinionem doctissimi Io. à Medina in Cod. de rest. q. 20. quam prędicti Didacus & Sotus penitus carpunt, esse verā, qua parte ait peccare meretrices accipiendo mercedem tamquam debitū operæ suæ fornicariæ: tum quia accipere mercedē pro opera occidendi aliquem iniuste, vel furandi, vel infamandi, vel aliquod aliud delictum faciendi, est peccatum, secundū omnes, & non alia ratione, quàm quia occidere, & alia prædicta facere, est peccatum. Ergo & accipere mercedem pro fornicandi opera est peccatum, cum illa opera sit talis in foro

foro conscientiæ: tum quia in confesso est, quod assasinus & quivis alius locans operas suas ad committendum peccata, & accipiens mercedem ob eas peccat: tum quia licet non concludat quòd opera meretricis sit inuendibilis, eo quod est peccatum, & peccata nullius pretij sint, immo nihil, iuxta illud Io. 1. expositum ab Augustino: *Sine ipso factum est nihil*, id est peccatum, eo quod, vt respondet Sotus, licet opera illa fœda meretricis, quatenus est peccatū, nullius sit pretij, quatenus tamen est res quædam humano vsui accommodata, pretio æstimari potest. l. 1. cet, inquam, argumentum Medinę non concludat, operam illam de se & in genere entis esse inuēdibilem: concludit tamen esse inuendibilem in genere moris, & actus intrinsece mali, pro quo nihil iuste posse promitti, dari, vel accipi, sancitum est ab omnibus iuris vtriusque auctoribus, vt videre est. in l. iurisgentium. §. si ob maleficium. ff. de pact. l. 1. 2. 3. & per totum. ff. de condi. ob turp. cau. & l. generaliter. ff. de verb. obliga. & l. 1. ff. de receptat. & C. de cōd. ob turp. cau. per totum tit. & cap. 1. de homicid. lib. 6 & in alijs innumeris locis. Nec vsquam inuenies textū, qui significet licere accipere pretium pro opera peccandi, vel peccato cooperandi, excepta vna meretrice, quo ad forum exterius: quia quo ad illud non peccat, nec puni-
39 tur, & eius opera pro impunita reputatur: tū quia non est bona consequentia, quæ Sotus vtitur, scilicet opera meretricis, quarenus est opera & quidam actus vsui humano accōmodus, est alicuius pretij & æstimabilis: ergo pro ea aliquid accipi potest. Quoniam omnis opera exterior, qua peccator operatur peccatum, vt plurimum est talis & tamen nullus vnquam Catholicorū, quod sciam, dixit licite posse pro ea, saltem quādo est intrinsece mala, qualis est opera meretricia capi aliquā mercedem.

40 Non obstat quòd actus peccati consideratus in genere entis est quoddam ens, & cōsequenter quiddam bonum & à Deo, vt diximus, in Prælud. 7. nu. 17. & 15. licet idem consideratus in genere moris sit nihil, & nullius pretij: quia omnia iura diuina, & humana respiciunt in eo magis, id quod est in genere moris, quàm quod est de genere entis, quę sunt inseparabilia: & ita vetant absolute, ne pro tali actu accipiatur, detur, vel promittatur aliquid, excepta, vt dixi, vna fornicatione, & alijs similibus actibus, qui licet sint peccata in foro interiori permittuntur, tamen in exteriori, vt prædictū est, sic in simili Caiet. ait, in 2. 2. q. 100. art. 2. ad secundum dubium, quod licet actus conficiendi sacramenta & ministrandi illa sit res temporalis: non tamen potest vendi, quia magis attenditur spirituale, quod sine illo non potest esse, quàm substantia illius. Per quod ipsum dictum Caietani ab omnibus receptum probatur, quod licet aliquid sit in se vendibile: non tamen potest licite vendi cum misceatur inuendibili. Sic ergo actus delinquendi, licet sit in se vendibilis, coniunctus tamen peccato, quod est inuendibile inuisibiliter, non potest licite vendi.

Tertio infertur, opinionem præ-

dicti Medinæ non esse veram, qua parte ait, acceptum à meretrice in operæ suæ fœdæ mercedem, esse in foro conscientiæ restituendum: quia per conclusa efficaciter supra in dicto secundo, non est restituendum ex præcepto id quod turpiter acceptum est à turpiter dante: at per prædicta, quo ad forū conscientiæ non solum datur meretrici turpiter, sed etiam turpiter accipitur ab ea, quoniam datur & accipitur pro opera & actu qui est peccatum, & non qualequale: sed mortale, secundum fidem catholicam vt prædictū est. Ergo non est necessario restituēdum: sed retineri potest tamquam donatum, vel derelictum ab eo, qui dat, vt dixit Anton. in cap. quia plerique. de immunit. eccl. supra in dicto secundo relatus, & declaratus.

Quartò infertur, necessario idem dicendum esse quo ad forum conscientiæ, de alijs feminis, & maribus, cuiuscunque ordinis, qui ob fornicariam operam aliquid accipiunt, quod dictum est de meretribus, & e contrario. Quia sicut illarum fornicatio est vetita & peccatum mortiferum, vt plurimū in vtroque foro, sic harum fornicatio est vetita, & peccatum mortale in altero: scilicet conscientiæ, secundum fidem catholicam, iuxta prædictam ele. ad nostrum. de hæret. & eo magis, quòd meretrix non solum peccat infringendo non solum præceptum sextū & nonum: sed etiā vt plurimum infringendo octauum, quatenus vetat iactantiam, & actum gloriandi, & laudandi se de vita, de statu, vestitu, & artibus ad alliciendum alios in malum turpibus, quod graue crimē esse pronunciatur, in c. quam graue, de excess. prælat.

Quintò infertur, partim verum & partim falsum esse, quod communiter aiunt glossæ à multis receptæ, in l. 4. C. de cond. ob tur. cau. & in l. 2. C. eo. & in l. affectionis. ff. de donat. quatenus tenent promissionem de dando meretrici ob operam meretriciam non valere, nec ex ea posse agi. Per prædicta enim cōstat id esse verum quo ad forum conscientiæ, falsum autem quo ad forū exterius: & e contrario partim esse verum, & partim falsum, quod ait Barth in d. l. 4. ff. de condi. ob turp. cau. à multis receptus, scilicet promissionem prædictam valere; quia verum est quo ad forum exterius, falsum autē quo ad forum interius.

Neque obstant illa tria, quæ quidam hic opponit. Primum tenuisse me in Enchiridio Hispano, feminas coniugatas, & Deo sacratas peccare accipiendo turpe lucrum pro causa turpis concubitus. Secundum, quod nunc omissa priore opinione teneo, posse quidem illas petere, & sibi retinere: sed non tamquam debitum legale, sed tamquā debitum ex animo grato. Tertium, contrarium tenuisse Sotum, Caietanum, & Couarruuiam.

Quia respondetur primo supernacaneum fuisse notare primum, & tertium, cum ipsemet asseuerem ore pleno præfatam mutationē fecisse, & discedere ab opinione præfati Soti, Caietani, & Couarruuiæ.

Secundò, quòd ipse non videtur satis intellexisse mea diligēter scripta, nec ego sua negligēter notata. Quoniam confundit petitionem, & restitu-

restitutionem, promissum, & acceptum, forum interius, & exterius; ius naturale male cognitū ab ehtnicis, & idem bene cognitum à catholicis, & obscurat debitum legale, & mortale, & causam finalē & impulsiuam, quæ omnia ego distincte & dilucide, & forsasse (absit iactantia) altius, & resolutius, quàm alius numquam distinctius declarauit, vt ex eorum contextu omnium aliorū temporū collato, facile diligens & eruditus quisque lector colligat.

41 Sextò infertur, cōfessarios prædictarum mulierum, & virorum impudicorū, quibus ob impudicitiam aliquid promissum est & nondū traditum, debere illis consulere, quod nos consuluimus cuidam, qui præcepto cuiusdam Magnatis, magnis promissis eius illectus, accepta parte eorum, occidit quendam, & ob id vertit solum in aliud Regnum, & querebatur, quòd ille Magnas non soluit omnia promissa, & petebat illa. Cōsuluimus enim, caueret ne peteret illa tamquā sibi debita iustitia legali, quia non erant talia propter promissionis nullitatem, & quia per talem petitionem approbaret peccatum, quod ante fecerat, & ita noue peccaret mortaliter: sed quod in litteris, quas ei scriberet, & mandatis, quæ ad eum daret, confiteretur primum agnoscere se nihil sibi propter illam operam illicitam præter ipsum infernum, de iustitia deberi, & ita nil se petere ob eam, tāquam debitum legale: sed supplicare illi, vt misereretur eius necessitatis & indigentiæ, & dignaretur mittere illi promissa, in eleemosynam: non quidem propter eius factum, quod erat abominādum: sed propter affectum illum magnum obsequendi ei, qui fuit potens, vt præcepcis Dei præferret eius præcepta. Ita, quòd nullatenus placeret ei suum factum illicitum, nec approbaret illud dicendo, ob id esse ipsi aliquid debitum, sed solum probaret affectum magnū atque desideriū obsequendi, quo in ipsum fuit cum eius iussa complenit, & erat obsequendi ei in licitis & honestis, quando ea scriberet, & mandaret. Ita quod delictum non sit causa principalis petēdi promissa: sed causa impulsiua & occasio, sine qua non peteret. Quod ipsum, mutatis mutādis, debet consulere confessarius ei, qui promisit dare aliquid ob delictum, post quod perpetratum vult dare, quod ob id promisit: nempe, quòd perpetratio delicti non sit causa finalis: sed solum, causa sine qua nō daret, & quod det principaliter, vt necessitati eius subueniat, vel honori suo satisfaciat. Quod vtiliter dixit Caieta. 2. 2. q. 62. art. 5. Sic igitur præfatæ impudicæ vtriusque sexus personæ debēt coram Deo & confessario agnoscere, nil sibi deberi in foro conscientiæ ob illa turpia facta damnata in illo foro: & ita nihil velle, nec desiderare, vt quidquam ob ea promissorum ei tamquam debitum soluatur ne noue peccent ea noue approbando: sed cupere & rogare, vt sibi subueniatur soluēdo promissa tamquam mortaliter debita magno illa amori, quo fuerunt in promissorem extra operam illam illicitam, & quo sunt quando hæc petunt, ad inseruiendum tantum in licitis & honestis: quod ipsum seruare

debent in dando eis promissa, qui promiserunt. Et arbitror, quod, vt prædictus homicida per viâ iustam plura obtinuit, quàm obtinuisset per iniustã: ita hæ quoque personæ impiæ plura consequentur per hãc viam Deo placidam, quàm per contrariam.

Septimò infertur, omnia supradicta intelligenda esse de his, siue feminis siue maribus, qui sine fraudibus notabilibus à suis amicis aliquid extorquent: sed non de his, quę cum fraudibus notabilibus id faciunt. Verbi gratia, dicendo se esse virgines, cũ non essent, aut non fuisse cognitas, nisi à magnatibus N. N. lõge maiora extorserũt. Quia eiusmodi, sicut alij fraudatores, ff. & C. de dolo. restituere tenentur, iuxta ea, quæ diecmus infra, nume. 73. post Gerard. & Adrian. Non sunt etiam intelligenda de his, qui accipiunt quidem sine dolo: sed ab his qui nõ possunt dare, l. 2. & 3. C. de aucto. præstan. & l. & 2. C. de præd. minor. c. si quis presbyterorum. de reb. eccles. non alien.

Vbi restitutio facienda.

SVMMARIVM.

42 *Restitutio rei alienæ fiat vbi sita est, si bona fide possidetur.*

43 *Debitum ex contractu vel quasi soluatur vbi dictum est, vel petitur.*

43 *Debitum ex delicto, aut quasi soluatur vbi damnum passo fiat satis.*

43 *Debitum in India petitum an cambiis minuendum.*

42 REstitutio autem faciẽda est vbi solutio fieri debet, & ita vbi est sita res, quando restitutio est facienda eo solo, quòd est res aliena, cũ qui bona fide, & sine sua culpa possidet, nihil perdere debeat, c. 2. de consti & l. si possessor. ff. de petit. hered. Si tamen restitutio ex contractu, aut quasi debetur, fieri debet in loco expresse, vel tacite solutioni destinato, aut vbi petitur, hac lege, vt extra locum præstituum solutio nec creditori nec debitori dãno sit, l. ff. de eo quod certo loco. c. P. & G. de offic. deleg. & cap. dilecti. de foro compe. §. præterea. Instit. de actio. & si locus præstitutus nõ fuit, restituendum est vbi coram iudice competenti petetur, arg. c. fi. de foro compe. & adnotat. in iuribus prædi-
43 ctis. Sed si restitutio ob delictum, aut quasi delictum debetur, facienda est in loco, in quo ipsa facta nullum damnum is, cui fieri debet, accipiat, siue restituatur vbi acceptum fuit, siue vbi est dominus, siue in alio loco, ad quẽ dominus transtulisset, ita vt dãnificatus nulla impensa vel alio onere grauetur, quàm si damnum datum non fuisset, quia restituere est in primo statu reponere, & reddere rem integre in statu eo in quo dominus seruasset, si ab eo ablata non fuisset, l. restituere. 1. & 2. ff. de verb. signi. & l. 1. C. de sent. pass. & restit. & 2. quæst. 3. §. fin. sentit D. Tho. & explicat Caieta. 2. 2 quæst. 62. art. 5. quamuis semper sufficit restituere vbi creditori placet, l. 1. ff. qui satisda. coga. & per dicta supra eod. cap. nume. 11. Ex quo colligitur cuius impensis suo domino sit suum mittendum.

Quæstionis magnæ fuit nuper in Vrbe, An is, qui mutuo dedit mille in India, ea lege & conditione, vt certo

certo tempore lapso, posset ea petere mutuatario vbicunque terrarum inueniretur, an postea inuentus in Vrbe teneatur soluere integra illa mille, an vero possit deducere cambia, quibus cõstat traductio illorum ab India in Vrbem? Et quidem videtur liberandus soluendo illa integra mille in India, aut etiam in Vrbe deductis cambiis, quoniã l. 1. & totus tit. ff. de eo quod certo loco, non solum habent locum in debitis aliarum specierum: sed etiam in pecunia numerata, text. est in l 4 ff. de eo quod certo loco.

Quomodo restituendum.

SVMMARIVM.

44 *Restitutio facienda est eo modo, quem causa cur debetur postulat.*

44 *Remissio sine rei soluendæ præsentia sufficit ad restitutionem.*

45 *Debiti remissio solutio quædam est.* & 46.

46 *Debitum facilius remittitur, dum res soluenda præsens non est.*

44 REstituendum autem est eo modo, quem natura contractus, delicti, aut vltimæ voluntatis requirit, & sufficit quòd obligatus per se vel per alium restituat, argumen. c. qui per alium. de regul iur. libr. 6. Et si delictũ occultũ sit, etiam restitutio occulta debet esse, argum. c. si peccauerit. 2, q. 1. § non tibi dico. de pœnitẽt. dist. 1. Sed cauendum est, ne quando per alium occulte, fit internuncius quod restituendum est, retineat, & restituere debens in sua obligatione permaneat, vt dicetur infra eo. cap. num. 67. Et quicquid S. Anton. 2. part. titul. 2. cap. 4. & Dynus

45 in regula peccatum. de reg. iur. lib. 6. & alij dicant, sufficit etiam quo ad forum conscientiæ, vt is cui restitui debet, liberaliter & voluntarie remittat, & condonet, iuxta gl in d. capit peccatum. verb. restituatur. & Host in summa de vsur. § quæ pœna ver. quid si. siue realiter ei offeratur, & coram constituatur, quo accipiat, aut condonet, siue solum verbo offeratur, sine absque vlla reali, vel verbali oblatione, creditor precibus partis aut alterius alicuius internuncij, confessarij aut alterius remittat & condonet, modo vere & ex animo remittat, & ea sit talis quę donari possit, vt recte Caiet. in summa verb. restitut. resoluit, & Adrian. in 4. de restit. q. 2. col. 4. sensit. Et credendum est, eum, ex animo remittere, si ipse id affirmat, cum vt acriter
46 Caietan. vbi supra aduertit, nemo alius sit suæ voluntatis se aptior testis. Quod verum est, si contrarium non arguunt coniecturæ, quales respõdimus interuenisse in quodam casu, in quo austerus quidam dominus, qui suos subditos precibus suis non obtemperantes, per se aut alios vexabat, à quibus certam conditionem petiit, argu. l. 1. §. quæ onerandæ. ff. quarum rer. actio non det. & gl. 1. ff. quod iussu. Et videtur nobis caurum, quod Caietanus singulariter addidit scilicet, quòd pauper diuiti debens non ferat ad eum, aut ostendat id quod est soluendum, sed deprecetur per se vel alium, quo ipsi condonetur, ne rei debitæ præsentia difficilior efficiatur ad condonandum. Cum multo facilius, quod habemus, quàm quod possidemus, remittamus & condonemus. l. cum hi.

ff. de

ff. de transact. facit l. sed & si ego ff. ad Velleia. Neque id obstat condonandi liberalitati, sed ad illiberalitatis tentationem reprimendam valet.

Quis ordo in restitutione seruandus.

SVMMARIVM.

47 *Debitum omne soluendum si potest sin minus, prius certum quam incertum.* & 48. *Et prius res sua domino, nu.* 49. *quam illud, & illudnum.* 50 & 51. *Et prius talium & talium contractuum. quàm vsurarum, nu* 52.

51 *Restituere contra ordinem prædictum non sufficit,* & 53.

53 *Debitor creditori posteriori prius petenti cur prius soluit.*

47 IN restituendo seruetur ordo, quem ius diuinum & humanum præscribunt, scilicet quod nullus ordo seruetur quando suppetit vnde omnibus soluatur, cum omnibus quod debetur sit soluendum, iuxta illud S. Paul. ad Rom. 13. *Cui honorẽ, honorẽ cui debitũ, debitũ, & cui tributum, tributum*, & §. 1. Instit. de iustit. & iure. & quando non suppetit ad omnia soluẽda prius debita certa, quorum creditores sciuntur, soluantur, quam incerta, quorum creditores ignorantur, propter quatuor rationes S. Anton. 2. par. tit. 2. c. 7. Vnde sequitur, vt bene adnotarunt Syluestr. verb. restitutio. 6. q. 5. Caietan. verb. restitutio, capit. 8. multos errare, qui cum non possunt omne debitum re-

48 stituere, componunt se super incertis cum prælatis ecclesiæ, vt id quod eis remittitur tanquam proprium possideant, certos creditores defraudãdo, verum est tamen, quòd si res incerta adhuc in eadem specie permanet, puta quidam calix consecratus, repertus, aut ablatus & adhuc integer, & non potest habere eius dominus nec inueniri, potest dari prius Christo erogando in eius pauperes & pia opera, quia per id nulli creditori præiudicatur: Siquidem debitor non tenetur ex alieno creditori satisfacere, & cõstat, quòd ille nũquam eius fuit, immo semper alienus. §. sacræ. Insti. de rerum diuis.

49 In debitis certis seruandus est ordo Baldi communiter recepti in l. pro debito, C. de bon. auct. iud. poss. scilicet quòd primum suo domino suum restituatur, vt commodatum, depositum, furto subtractum, aut raptum, quod adhuc in sua forma & specie reperitur. Quia hoc in eius, qui restituere debet, bonis non numeratur, cum eius dominium nunquam ad illum trãslatum sit, immo semper penes eum, cuius erat remãsit. Et ideo ante omnia alia illi restituendum est, l. si vẽtri. vers. si tamen ff. de priuileg. cred. Secũdo loco venditori soluendum est pretium eius, quod vendidit emptori, penes quem res empta est. Quia quamuis illius dominium in emptorem transierit. l. traditionibus. C. de pact. illud tamen remansit obligatum solutioni quandiu in sua forma & specie penes emptorem inuenitur, iuxta dictum Bald. & eos qui eum referunt vbi supra. Pro quibus facit primo l. 2. ff. quib. caus. pign. vel hypoth. taci. contu. per argumentum à fortiori. Deinde quòd hoc videtur valde

æquum

æquum & rationi consentaneum, saltem ad hũc effectum, quò in hoc cæteris creditoribus præferatur, quãdo omnium solutioni debitoris bona non sufficiunt.

50 Et idem eadem ratione videtur de omni eo, quod titulo oneroso datum fuit: verum est tamen, quòd si res empta pluris valeat, quàm pretium pro ea promissum, eo soluto, residuum cedet aliis debitis solnendis. Verum est item, quòd venditor non habet hoc priuilegium in pecunia habita ex re vendita, nec emptor in pecunia habita ex noua eiusdem rei venditione, nec in eo, quod permutatione illius habuit, quia nec pretium, nec habitum permutationem in singularibus actionibus in eius locum succedit, iuxta gl. Bart. & communem in l. Labeo. ff. de verb. significat.

Tertio loco seruanda sunt statuta regionis, si qua inueniuntur specialia, super ordine restituendi, vt dicuntur esse in aliquibus regionibus de nummulariis fraudatoribus: & si non sunt, seruetur ius cõmune, iuxta quod ij, quibus bona fuerũt expresse obligata, aliis præferũtur, & postea in sua dote vxor, & fiscus aliis creditoribus, quibus non sunt bona prius expresse hypothecata, quãuis tacite sint. l. assiduis. C. qui potio. in pig hab. & l. quamuis de priuil. fisci.

51 Quartò loco sequuntur ij, quibus sunt tacite hypothecata suo ordine postea depositarij, nisi quando depositum fuit pecunia ad negotiandum, & vt soluerentur vsuræ, aut interesse. l. si hominem. §. fin. ff. depos. & l. si ventri. ff. de priuileg. cred. quia tale depositum vim mutui habet l. certi condictio. §. fi. ff. de reb. cred.

Quintò loco subsequuntur, qui habent priuilegium personale, quo præferantur aliis sine obligatione reali. Postremum locum tenent alij creditores, qui non habent hypothecam, nec obligationẽ bonorum expressam, nec tacitam, nec priuilegium personale, sine cõsideratione, quis eorum sit prior, aut posterior, ita vt quòd prædictis satisfactis supererit, pro rata parte nominum inter hos diuiditur recipiẽdo & amittẽdo solidum pro libra, vt dici solet, deductis tamen ante omnia impensis necessariis: sed non pomposis ac superfluis funeris & exequiarũ debitoris mortui, & publicationis & copiæ testamẽti, & aliis ad additionẽ hæreditatis necessariis, iuxta Palud. cõiter receptum in 4. lib. sentẽt. dist. 15. q. 3. & S. Anton. 2. part. tit. 2. c. 7 §. 3.

52 Aduertendum tamen, quòd qui alteri mutuum dedit pro reficienda domo, naui, aut alia re simili præfertur omnibus, qui habent hypothecam bonorum domini illius in solutione ex pretio eius consequenda, l. 2. ff. qui potio. in pignor. habe. Addo præterea, quod qui debitor soluendo hunc ordinem non seruat, suæ conscientiæ non satisfacit, iuxta Ostiens. Monal. & Syluestr. verb. restitutio. 6. q. 7. si ignorantia iuris, aut facti eum non excusat, arg. c. ea te. de iureiur. nisi quando creditor aliquis in petendis suis creditis in iudicio, aut extra illud fuit aliis diligentior. Quia tunc nõ solum potest, sed etiam debet prius illi, quàm aliis soluere l. pupillus. ff. quæ in fraud. credit. Syluestr. vbi supra, q. 8. modo alij non sint magis priuilegiati. Et

idem

idem, quod hic diximus de debitore soluente, est dicendum de creditore petente, nempe quòd non peccat accipiendo suum debitum, quod diligentius petit, si alii non sunt magis priuilegiati, alioqui sic violando iustitiã, quæ habet vt illis priusquam ipsi satisfiat per prædicta. Vnde infertur peccare generos & nurus recipientes, aut retinentes de bonis socerorum, quod eis debetur, scientes eorum bona aliis magis priuilegiatis deberi. Aequum etiam nobis videtur, quod Caietanus verb. restitutio. cap. 8. dicit, quòd vsurarius prius debet soluere, quod debet per contractus licitos, quibus non est pauperior factus, quales sunt emptionis & mutui, quàm vsuras iniquè extortas, etiam si ante illos contractus fuissent extortæ. Per quod soluitur, quod hic noue quærebatur. Debet tamẽ prius eas soluere, quam quod debet per contractus gratuitos, quibus pauperior est factus. Nõ obstat, quòd Medina teneat oppositum, dicens vsuras esse magis iniustas, magisque prohibitas à iure diuino naturali, & humano quàm sit retentio debitorum ex aliis contractibus, quia id non est verum: magis enim indubie debeo tibi quod mihi mutuasti, quàm quod per vsuram tibi ademi. Cum in mutuo nemo vnquam dubitarit, & in vsuris multi: quamuis male, vt colligitur ex capi. quoniã in omnibus. de vsur. & clem. 1. eod. tit. Tum ob alia, quæ breuitatis gratia omitto.

51 Neque obstãt illa tria, quæ quidam hic notat. Primum me dicere, quod quando bona, quæ sunt restituenda, non sufficiunt omnibus creditis soluendis, & creditores sunt æquales, restitutio est facienda pro rata. Secundum teneri debitorem ad restituendum quando posterior creditor debitum suum exigit. Tertium vtriusque dicti cõtrarium esse probabilius, quia qui prior est tempore potior est iure.

Cui respondetur primo, me non dicere prædicta verba, quæ ipse dicit, sed hæc. Si prædictis, scilicet priuilegiaris satisfactis, aliquid supererit, pro rata parte nominum inter hos, scilicet nullatenus priuilegiatos, diuidetur: nisi aliqua statuta sint cõtraria, vt dicit S. Anto. & est verissimũ, & quotidiana praxi receptũ.

Secundò, quòd ego expresse assentior dicentibus, quod debitor potest, & debet soluere prius creditori posteriori prius petenti, & exigenti debitum in iudicio, vel extra illud, quàm priori nullatenus priuilegiato propter diligentiam, quam in petendo adhibet pupillus. ff. quæ in fraud. cred. Et ita falsum est, quod ille ait in secunda nota me dicere, scilicet debitorem teneri ad restitutionem priori creditori, quando posterior prius suum debitũ exigit, quoniam expresse contrarium assero: quia vt ait lex prædicta, diligentia posterioris in petendo suum debitum fecit eum potiorem, sicuti hypotheca, & aliud priuilegium.

Tertiò verum esse non, quod ille ait, me dicere, sed debitorem, qui sciens se debere creditoribus chirographariis nullatenus priuilegiaris, & sua sponte non coactus, neque exactus, neque requisitus soluit posteriori fraudans priorem ea parte, quæ illum contingerent, si bona venirent, nirent, secundum communem sententiam peccare grauiter, & teneri ad restitutionẽ: eo quod soluit quod alteri debetur, iuxta ca. ea te. de iureiur. Per quod damnantur multi, qui volentes gratificari quibusdam, & videntes sua bona esse diuidẽda per iudicem ob suam mortem, vel ob fugam, vel aliam absentiam inter creditores non priuilegiatos, diminuendo credita pro rata, soluunt eis integra, quorum de numero ne sit caueat præfatus religiosus, si consuluerit hoc talibus debitoribus.

Quarto, quòd incogitanter videtur allegare pro suo proposito capit. præfatum, qui prior est tempore, potior est iure. Quia magis probat antiquiorem creditorem debere præferri posteriori, quàm suum propositum, cum palam sit creditorem maius ius quærere sibi credendo, quàm petendo, cum ex illo, & nõ ex hoc nascatur obligatio contra debitorem. Nec potest huic inductioni responderi à defendẽti, quod posteriori diligentius petenti possit solui: nisi id, quod iurisconsultus in præcitata lege pupillus. sentit, nempe non esse cetera paria, cum posterior creditor est diligentior in petendo. Et præfata regula, qui prior. intelligitur quando cetera sunt paria, vt super ea adnotauit gloss. per l. quoties. vtriusque est par causa, vnde sumpta fuit illa regula ff. de reg. iur.

Quando est restituendum.

SVMMARIVM.

54 *Restitutio statim facienda.*
54 *Præcepta affirmatiua, & negatiua non æque ligant.*
55 *Debitor quoties noue peccat non restituendo.*
56 *Restituere quis non posse commode dicitur.*
57 *Restitui non debent bona minoris ordinis cum damno maioris.*
58 *Debitum ex delicto & contractu quoad quæ paria.*
59 *Damnum proprij boni, & lucri non restituere alienum.*
59 *Instrumenta ad viuendum necessaria quando non restituenda.*
59 *Confessarius an absoluet eum, qui semel iussus non restituit.*
60 *Necessitas extrema differt, sed non tollit restitutionem.* & 61.
61 *Necessitas extrema non tollit restitutionem etiam eius quod in ea capitur,* & *ea minor minus*
61 *Commune fieri, & communicandum longe differre.*
61 *Extreme patienti satisfit etiam non donando.*
62 *Dominus non fieret, quæ vsu consumitur, eo quod iure illam cõsumat.*
62 *Dominus consumens suam rem interdum restituere tenetur.*
62 *Causa limitata limitatum producit effectum.*
62 *Necessitas decentis status differt restitutionem*
62 *Damnum debitoris & creditoris quod differt restitutionem*
63 *Damnum quod formidatum reipublicæ excusat à restitutione.*
63 *Restitutionem excusat metus probabilis peccatorum.*
64 *Debitor sciens se talem, antequam damnetur, restituat.*
65 *Confessarius quando iussit differt debitori solutionem.*
66 *Debitor differre non potest soluendo pulatim.*
67 *Restituet quis per alium quando, & per*

per quem faciet.

68 *Testanti qui potest statim restituere non sufficit dicere.*

54 REstitutio autem faciēda est statim iuxta S. Thom. 1. 2. q. 62. ar. 8. ab omnibus receptum. Pro quo est cap. sæpe. de restit. spol quatenus habet, tātum fere peccare qui alienum retinet, quàm qui accipit. Et quòd præceptum restituendi, quamuis sit affirmatiuum, quatenus expresse iubet restituere: est tamen negatiuum, quatenus tacite præcipit non retinere alienum, inuito suo domino. Et præcepta negatiua semper & ad semper obligant, quāuis affirmatiua non nisi semper, & ad certum tempus, iuxta eundem S. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 2. & Arch. cap. si peccauerit. 2. q. 1. & in summa de pœnit. dist. 5. Panor. & omnes in cap. nouit. de iudic.

Ex quo infertur. Primò, decisio dubij quando, & quoties quis ob retentionem alieni noue peccet. Nam omnes tenent quòd non peccat noue singulis momentis, & quod pluries quàm semel peccat communiter, qui illud multo tempore retinet, & quod peccat, quoties proponit non restituere illud. Et etiā credo, quod quotiescunque vtitur alieno, quod restituere tenetur, quamuis de restitutione nō cogitaret, Caiet. 2. 2. q. 66. art. 3. & secundum aliquos quoties commode restituere valens non restituit: quod tamē intelligendum est, si id animaduertit, quamuis non statuat illud non restituere, non autem aliàs, si quidem illud potius est status peccati, quàm peccare.

55 Secundo infertur, quod quamuis qui nocte in lecto, aut in ecclesia recordatur, se alienum habere, & posse commode restituere, statim debeat proponere actualiter vel virtualiter restituere: nō tamen statim à lecto surgere, aut ecclesiam egredi, quod id restituat: quia id non potest commode, & satis est id facere, quum cōmode poterit, boni viri arbitrio. Ad id autem quod hic quęritur? An hęc cōmoditas arbitraria referatur ad tēpus, vel ad facultatem restituendi? Respondetur, quod ad vtrunque: ad tempus quidē, per prædicta, ad facultatem autem, per statim dicenda. seruando ea.

Tertiò infertur, quòd sicut ignorātia probabilis iuris, aut facti quādiu durat à restitutione excusat l. quod te. ff. de reb. credit. cum ei adnot. sic etiam multo magis ab statim restituendo excusabit. Et vt condonatio creditoris pro semper à restitutione excusat, sic ab statim restituendo eius voluntaria dilatio excusabit. Siquidem permanente hac, inuito domino alienum non retinet, & vt perpetua restituēdi impotētia perpetuò excusat, sic impotentia restituendi statim ab statim restituendo excusat. Et dicitur nō posse,

56 non solum qui est in extrema necessitate, aut nullo modo potest: sed etiam qui commode non potest, l. nepos Proculo. ff. de verb. significa. cap. faciat. 22. q. 2. Ille autem dicitur commode non posse, qui non potest sine damno suorum bonorum altioris ordinis, qualia sunt vitæ & salutis, respectu famæ & rei familiaris: & qualia famæ respectu rei familiaris, vt supra dictum est: aut non sine magno damno eorum quæ sunt eiusdem ordinis, quod aliqua dilatio

dilatio parum creditori nocens excusare potest, vt accurate S. Anton.

57 2. par. tit. 2. c. 8. prosequitur. Et ita qui statim aliena bona fortunæ restituere sine amissione propriorum suæ vitæ salutis, aut famæ non potest, ad statim restituendum non tenetur. Nam quemadmodum iuxta prædicta, in c. 16. nu. 44. nemo tenetur regulariter ad bona aliena inferioris ordinis restituēda, cum damno suorū altioris ordinis, sic & multo minus tenetur ad aliena inferioris ordinis & qualitatis, cum amissione propriorum altioris ordinis statim restituēda, arg. c. cum in cunctis. de elect. & auth. multo magis. C. de sacrosan. eccl. Sic eadē ratione qui debet centū aureos statim soluendos, si non potest statim soluere sine magno damno suæ rei familiaris, puta non nisi domum suam, aut aliquod prædiū multo minoris vendat, quā valeat, ad statim restituendum non tenetur. Quod (nostro iudicio) non solum locum habet in debito, quod ex contractu, aut vltima voluntate, sed etiam in eo, quod ex furto aut alio delicto nascitur, vt sentit beatus Anto. vbi supra, quidquid Caiet. vbi supra dicat.

58 Quia quamuis hæc duo debita quo ad suā originem differant (quia in vnius origine peccarum est, & in alterius non) quo ad hūc effectum tamen, saltem in foro conscientiæ, similia sunt: siquidem vtrumque restituere tenetur, & in vtroq; totalis impotētia omnino excusat, & sic in vtroq; mediocris impotētia mediocriter excusare debet, argu. de toto ad partem, l. quæ de tota. ff. de rei vendica. & c. pastoralis §. item si totum. de offic. delegat.

Nec obstat quod quidā religiosus hic ait, asserere me excusari à restitutione eum, qui si statim restituat, amittet bona, vel statū adquisitum per vsuras, vel latrocinium, vel aliam iustitiam. Cuius contrarium ait esse tenendum.

Cui respondeo primo, mirari me quod vir alioqui pius, & religiosus imponat mihi, etia religioso, quamuis indigno quod ego nec hic, nec alibi dixi: scilicet excusari quem à restitutione ob conseruandum statum adquisitum per vsuras, vel latrocinium, vel aliā iniustitiam. Immo in hoc ipso loco num. 59. dico non posse quidem excusari à restituendo aliena, eo quod per illud sibi videretur euenire sibi magnum damnum. Ea ratione quod restitutio alienorum non est damnum restitutionis, cū per id nihil proprium pereat. Et quod paulo post dico nu. 62. eum, scilicet, qui non potest decenter viuere secundum statum suū, si totum quod debet, statim restitueret, intelligitur de statu nobilitatis, vel alio iuste quæsito.

Secūdo, quod quidquid dicat Sotus, & teneat Couarruuias, vt puto pro grandi obseruantia, qua erat in Sotum multis, & irrefragabilibus argumentis probamus nos contra Sotum: & quasdam suas nouas imaginationes, infra nu. 89. esse veram illam præcellentem doctrinā, quam explicatius aliis tradit eruditissimus Caietanus in locis ibi citatis, quem etiam satis tacite videtur sequi Couarruuias in regu. peccatum. de reg. iur. lib. 6. part. 1. colum. antepenult. nempe regulariter non esse facien-

dam restitutionem bonorum inferioris ordinis cum iactura bonorum superioris, quam præfatus religiosus mordere velle videtur, licet aperte id non faciat.

Tertio, quod ego in nihilo recedo à Couarruuia, nec Couarruuias à me quo ad propositum, si serena mente omnia dicta perpendantur. quod facile si vacaret, & breuitas in hoc libro affectata, id permitteret monstrarem. Nam & ipse Couarruuias, licet me tacito, tenet vbi supra col. 4. idem esse iudicandum de dilatione danda debitori ex delicto, & debitore ex contractu: quod ipse hic dico, nu. 58.

59 Aduertēdum tamen, quod non dicitur magnum damnum proprio rum bonorum, eo quod sint magnæ res alienæ restituendæ. Quia vt recte Caiet. verb. restitutio. dixit illud non est suorum bonorum iacturam facere: sed aliena relinquere. Nec etiam dicitur magnū damnum propriorum bonorum, non lucrari, eo quod restituturus est, quia vt idem dicit vbi supra, illud non est amittere suum, sed alieno non vti. Quod (mea sententia) non habet locum in instrumentis artis, quibus victum sibi parat, qui restituere tenetur, iuxta S. Anton. nec etiam damnum propriorum bonorum ab statim restituendo excusat, quando restitutionis dilatio etiam magnum damnum, cui est restituendum infert iuxta omnes.

Quarto infertur, quod quamuis æquum nobis videatur dictū Caiet. verb. restitutio. cap. 6. quod ante ipsum S. Anton. 2. part. tit. 2. c. 8. sensit, scilicet quòd confessarius non debet absoluere eum, qui statim restituere tenetur, nisi prius actualiter restituat, si antea à confessario iussus, restituere prætermisit. Quia quamuis fides pœnitenti in his, quæ pro se, & contra se dicit, habenda sit: prouideri tamen etiam debet, ne qui semel defecit, iterum deficiat: licet, inquam, hoc dictum videatur æquum: talis tamen pœnitens occurrere posset, & tales circūstantiæ temporis, loci, & causæ, vt confessarius solo restituendi proposito contentus esse debeat. Cum etiam Deus tunc eo (sua benignitate) contentus sit, arg. c. dixi. & c. magna. de pœnit. dist. 1. Quia non est ad amplius faciendum opportunitas, argu. cap. si quid inueniſti. 14. q. 5. per quæ respondetur affirmatiue, ad noue quæstum, An qui subtrahit decimas, aut impedit solutionem earum, possit absolui ante realem restitutionem, si ab ea aliquo supradictorum modorum excusatur legitime, non obstante Conc. Triden. quod sess. 25. cap. 12. prohibet absolui ante satisfactionem eiusmodi subtrahētem, vel impedientem.

60 Quinto infertur, quod in necessitate extrema constituitus, non habens aliud quam quod ad suā suorumq; vitam est necessarium, restituere non tenetur, nisi creditor eadē necessitate prematur, immo neque si eadem prematur, argu. cap. si non licet 23. q. 5. & l. si præses. C. de aqua quot. nisi dominium eius, quod restituendum est, semper penes creditorē remansit, quidquid Io. Tabien. verb. restitutio. §. 4. dicat.

61 Magna tamen circa hoc quæstio incidit, An sit vera communis opinio

opinio in 4. lib. sent. dist. 15. quam recentiores sequuntur in Armilla aurea, videlicet, cum, qui in extrema necessitate quo ea se liberet, aliquid accipit, ad restituendum illud non teneri, licet ad pinguiorem fortunam euadat. Ad quam breuiter respondeo, oppositum eius, quod rectissime Adrian. vbi supra. q. 33. defendit, verius & iustius esse. Nam efficaciter probamus in Apolog. libri de redit. eccle. q. 1. mouit. 4. quod nemo sit verus Dominus rei qua eget ad liberandum se ab extrema necessitate, licet posset iuste eam accipere etiam auctoritate propria, & ea vti quatenus esset ad id necessaria. Tum quia contraria sententia non videtur probari vlla lege, vel efficaci ratione, sine quibus non est affirmandum aliquid contra ius regulare, c. elegatur. 14. q. 2. §. consideremus. in authen. de trien. & semiss. col. 3. c. consuluisti. 2. q. 4. & cap. 2. de transla. præla. & ius regulare habet, id, quod est vnius sine consensu eius non effici alterius. l. id quod nostrum est. ff. de reg. iur. Tum quia lex illa celebris, quæ est secunda in §. cum in eadem. ff. ad l. Rhod. de iact. non habet, res fieri communes per necessitatem, sed esse communicandas. Tum, quia non patiuntur iura, vt eiusdem rei dominium sit penes plures insolidum, l. 3. §. ex pluribus. ff. de adquir. poss. Tum quia legi charitatis, misericordiæ, ac pietatis, & cuiuscūque alterius virtutis satisfit, succurrēdo necessitatem extremam patienti sufficienter ad hoc vt ab ea liberetur, vt palam est: at frequentissime succurri potest, & abunde quidem extrema patienti, cōmodando, vel locando ei rem illam, qua eger, non tradendo ei dominium illius: verbi gratia. Aliquis, alioqui saltem alibi diues, in montibus Alpibus vel Pyrenæis niue canis, necessitatem extremam alicuius vestis patitur: & aliquis alioqui pauper, deferens vestes pretiosissimas, holoserices, pellibus Herminiorum carissimis duplicatas siue suffultas, obuiat illi, tenetur quidem ei vnam, vel duas, vel plures & quotquot ille, ad illam necessitatem subleuandam eger, commodare vel locare: sed non dare & transferre in illum illarum dominium. Immo, cum se in aliquem locum, vbi necessitas illa cessaret, reciperent, posset illam vel illas, quas commodauit, repetere, quod nemo negabit: tū quia nemo diceret, quòd si quis alioqui diues aliquo in loco fame moriens obuiaret alicui pistori, viginti mulos panibus coctis onustos aliquo agenti, fieret dominus omnium illorum panum, cum tamen qua ratione fieret dominus vnius, eadem quoq; fieret omnium, antequam vllo illorum ad sedandam famem vteretur. Neque quisquam diceret, pistorem obligatum esse ad dandum dominium omnium illorum illi: neque illum auctoritate propria posse omnes eos sibi occupare. Immo quilibet eruditus dicet satisfacere pistorem communicando illi esurienti panes necessarios ad illam esuriem sedandam: tum quia ridiculum videtur & granitati legum contrarium dicere, extremam famem patienti quæri dominium omnium panum, qui in foro venduntur, & illico sedata per vnum panem fame, illud ei perdi: &

rursus iterata fame fieri eius, & propulsata ea, definere esse illius: tum quia glossæ receptæ in d. §. cũ in eadem, & d.c sicut hi. 47. dist. asserunt, verbũ Cõmunia in loco dicto, Necessitas omnia facit cõmunia, exponendum esse, per Communicanda.

62 Cõcludo igitur, per extremam necessitatem proximi, obligare quidem proximos eius ad subueniendum ei tantum, quanto est opus ad liberandum eum ab ea, facereque sibi ius capiendi illud, etiam propria auctoritate: nõ tamen efficere eum ipso iure dominum illius necessarij, & consequenter teneri regulariter ad restituendum, cum ad pinguiorẽ fortunam peruenit.

Dixi: Regulariter, quoniam nonnumquam, vt infra, nu. 118. dicemus, ex paruitate rei & aliis coniecturis, iuste credi potest, eũ ad id nõ teneri.

Non obstat, quod Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. de iust. & iur. noue distinxit inter eum, qui non habet bona aliqua, vbi extrema necessitate vrgetur nec alibi, & inter eum, qui alibi ea habet, & inter illud, quod tempore talis necessitatis insumptum fuit, quales sunt res ad esum pertinentes, & inter illud quod insumptum non fuit, qualis est vestis, aut equus quo vsus est, & cõcludit, quod qui alibi habet bona, ad restitutionem expensi tenetur, & etiam qui non habet ad restituẽdum id, quod insumptum in illa necessitate non fuit, sed non ad id quod in ea impensum & consumptum fuit. Non, inquam, obstat: tũ quia ipse fatetur, quòd qui bona alibi habet, restituere tenetur etiam insumptũ, & cum vnius regionis bona nõ adimãt necessitatem extremã, in quam in alia incidit, fieri debet, quod extrema necessitas sola non facit dominium rei alienæ, vt ea vtatur sine obligatione restituendi. Tum quod præsupponit falsum, significans, quod omnis, qui licite vti potest eo, quod vsu consumitur, illius dominus efficitur, quia ipsemet lib. 4. q. 1. de iust. & iur. loquens de extrauag ad cõditorem. de verb. sign. tenet, quod Franciscanus eius quod licite comedit, & consumit dominus nõ est, iuxta c. exiit. de verb. sign. li. 6. quod nos latius cõfirmauimus in Apolog. prædicta. q. 1. Mon. 14. num. 1. Tum quod etiã præsupponit falsum, quatenus significat, quod nemo, qui consumit aliquid tãquam illius dominus, si est verus dominus illius, ad illud restituendum tenetur. Nam qui consumit panem & vinum mutuo acceptum, tamquam dominus & existẽs verus illius dominus consumit, l. 1. §. appellata. ff. de reb. cred. tamen soluere illud & restituere tenetur. Et ita quamuis extrema necessitas aliquem dominum faceret, quo ad effectum illum ab ea liberandi, nõ ob id eundem ab obligatione restituendi liberaret. arg. cap. cum cessante. cũ ei adnot. de appel. Siquidem ad se liberandum ab ea, sufficit dominium, quod per mutuum, vel alium iustum cõtractum, absque donatione adquiritur. Tum quod necessitas solum tribuit ius ad accipiendum, & cogendum vt illi detur, quod sufficit, vt liberetur ab ea, & non amplius, & ad hoc sufficit mutuo vel commodato, vel alio contractu iuste accipere, aut illi dare, quia limitata causa limitatũ producit

ducit effectum, l. non omnis. ff. de reb. cred. Concludo igitur, quod qui aliquid in extrema necessitate accipit, post modum cum potuerit ad restituendum tenebitur, siue alibi bona habeat, siue non, siue illud totum consumat, siue non: nisi per coniecturas probabiles iuste præsumeretur donatio vt supra tactum est, & latius dicetur infra, num. 118. & 119. Quoniam vltra prædicta sequeretur ex contraria opinione, quod si aliquis mille militum dux in extrema necessitate mille ducatorum aureorum alimenta alicuius priuati hominis, vel villæ comederent, soluere ei non tenerentur, quamuis altero direptione aliqua licita diuites euaderent, quod est absurdum, & ita non dicendum, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber.

Infertur sextò, eum, qui totũ statim restituendo, nõ posset decenter pro dignitate sui status viuere, ad illud non teneri, quamuis id facere, perfectionis esset, vt ait S. Anto. 2. part. tit. 2 1. c. 8. col. 7. modo ei sit animus restituẽdi illud, quamprimum poterit, & modo curet, ne quid in alios vsus, quam necessarios & decentes impendat, quo reliquare aliquid, & paulatim restituere possit.

Infertur septimo, quod quando ex restitutione statim facta redundaret damnum corporis, aut animæ eius, cui debetur, non est statim facienda. Quia nec furioso, nec irato ensis depositus, quo creditur, se aut alium percussurum, reddendus est, c. ne quis. 22. q. 2. Neque eadem ratione volẽti bellum facere, aut litigare iniuste, sua pecunia, qua id faciat, & fortiori ratione, si ex ea magnum damnum reipub. obueniret: siquidem eius bonum priuato præponitur, c. licet. de regul. & auth. de restit. & ea quæ par. §. licet, collat. 5. Et consequenter nemo debet facile condemnare Reges aliosue Principes, qui aliqua iudicio eius, aliena retinent, credentes probabiliter ex eorũ restitutione, sua regna passura magna incommoda & bella iniusta, arg. l. si quis fumo. ff. ad leg. Aquil.

65 Quæ tamen non procedunt, quando æqualia, vel multo maiora mala probabiliter crederẽtur euentura ex retentione, quam ex restitutione. Depositarius enim, qui sicut putat ex redditione gladij furentis, vel alius penes se depositi secuturã percussionem alicuius iniustam, ita credit ex retentione secutura esse maiora mala puta, furentem, vel alium cum cognatorum, & amicorum turba, se & suam domum cum his, quæ in ea sunt incensurum, restituere tenetur, argu. à cessante ratione iurium prædictorum, quæ illa fundant, quod aliquando scimus euenisse. Et idem dicẽdum videtur, quando probabiliter creditur, quod ex restitutione statim facta, sequerentur adulteria, fornicationes, aut alia peccata mortalia, quæ indigentia restituendi, aut eius filiis, aut filiabus suaderet. Quia, vt dicit sanctus Anto. vbi supra. hæc mala sine comparatione sunt maiora, quam damnum, quod creditor ex dilatione sui debiti patitur, immo sunt bona altioris ordinis, quam fortunæ, quæ creditori debentur.

64 Infertur octauo, quod multi damnantur ob non solutionẽ debitorum, nullũ sibi de ea scrupulum

conscientiæ loquutiendo, credẽtes se antequam pœnitentiam condemnentur, nõ teneri. Quia quoties qui alienum iniuste retinet, & considerat, aut cõsiderare debet, se illud debere, & proponit formaliter vel virtualiter non restituere sine vlla iusta causa, quæ eum excuset, toties mortaliter peccat, iuxta Ioan. Maior. in 4. dist. 15. quæ. 16. vt supra eo. c. nu. 55. declarauimus. Nã quemadmodum qui concubinam retinet, non est pœnitens, sed pœnitentiæ illusor, & confitendo peccatum peccato apponit, sic qui opere & voluntate, sine iusta causa alienum retinet, non est vere pœnitẽs, iuxta Scotum in d. lib. sent. dist. 15. q. 2.

65 Infertur nonò, quod cõfessarius non potest pœnitenti dilationẽ concedere, quãdo certo scit, eum soluere posse, nisi concurrat aliqua causa prædictarum supra eo. num. 61. & seq quæ ab statim restituendo excuset. Quibus adnumeratem casum, in quo videret confessarius, debitorem nolle se resoluere ad totum debitum statim restituendum, ob aliquod emolumentum inde sibi proueniẽs, & creditorem nolle concedere dilationem, parum sibi nocuam, & numquam, aut non tã cito, nec tam vtiliter, atque dilationem cõcedendo, suum recuperaturum, & ea concessa debitor suam fidem obstringit se ad certum tempus soluturum. His enim concurrentibus confessarius dilationem, & absolutionem concedere posset, iuxta mentem Angeli in verb. restitutio. vlt. §. 5. post Directorium. Tunc enim cõfessarius verisimiliter credere potest, quòd creditor illo contentus foret, si sciret, vt ipse secretum intimum conscientiæ debitoris.

66 Infertur decimò, quòd qui debet & statim totũ restituere potest, & non vult nisi certam partem in singulos mẽses vel annos, quousque solutionem finierit, non est absoluendus, quidquid dicant Ostien. & alij Summistæ, iuxta Adrian. in 4. de resti. col. 17. dicentem, quòd confessarius, qui talem absoluit, eum magnopere decipit, quia qui debet & potest cõmode restituere, & nõ restituit, est in peccato mortali, per prædicta: qđ Ioã. Maior. in 4. dist. 15. q. 18. ait non solũ procedere in debitis ex delicto, & furto, sed etiã in alijs mutuo, aut alio iusto modo cõtractis.

67 Vndecimò, quòd qui nõ potest furtum, aut aliud damnum datum restituere per se, sine sui manifestatione, nõ debet per se, sed per aliam personam secretam & fidelem id facere, ad quod confessarius, cui reseratum est peccatum aptior alijs videtur, modo pro fideli habeatur. Caueat tamen, quia si persona media non restituerer, non liberaretur debitor ab obligatione, vt exprimit S. Anton. p. 2. cap 4. §. 1. etiam quando pro fideli haberetur, si dominium rei restituendæ in eum, qui restituit translatum fuit: quamuis non, quando translatum non fuit, & iuste acceptum fuit, iuxta notata in cap. significante. de pign. Et idem sanctus Anton. addit, ne multum fidant prædicatoribus & confessarijs pecuniã potius, quàm salutem animarũ quærentibus: & consultum fuerit syngrapham à creditore accipere, in qua confiteatur, se accepisse tantam summam, per N. pro solutione eius, quod

quod alius sibi debebat, sine nominis expressione, & eam pœnitenti tradere. Et in hoc casu restitutio differri potest, quousque inueniatur persona, per quam fideliter, & secreto fieri possit.

Infertur duodecimò, quòd qui statim restituere potest, & nõ restituit, quamuis testamento relinquat, vt restituatur, securus non discedit, si aliquid ex prædictis eum non excusat: nisi quando id fecit, quia probabiliter credit, quòd suus heres melius præstabit, & nisi hoc persuasum haberet, statim ipse per se restitueret. Ang. verb restitutio. 3. §. 2. Addo tamen, quòd qui non potest statim restituere, debet remissionis schedam, aut dilationem à suo creditore petere, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 62. artic. 8. ad 2. receptũ, nisi tali petitione peccatum manifestaretur per supradicta eodem cap. nume. 41. aut aliquod scandalum sequeretur, arg. c. nihil. de præscrip.

Quæsitum est autem à multis, An defunctus detineatur in Purgatorio donec eius debita soluãtur? Resoluo negatiue, iuxta sanctum Thom. in Quodlibet. 6. artic. 13. & Adrian. in Quodlibet 8. quia fieri potest, vt moriatur martyr, vel statim post baptismum, quem recta ire in cœlum, docet fides catholica, cap. baptismi vicem. de consec. dist. 4. cap. eum Marthæ. de celeb. miss. & cap. debitum de baptis. vel eum contritione ad omnem pœnam delendam sufficiẽti, iuxta cap. mensuram. adiuncta gl. de pœnit. dist. 1. vel absolutus virtute Iubilei ad id efficacis, extrauag. 1. de pœnit. & remis. Non obstat quod Angel. dixit contrarium per cap. in litteris. de rapt. in illis verbis: *Vt à peccatis suis valeat liberari*: quia, vt olim prælegendo illud Salmanticę diximus, loco verbi, *Valeat*, quod refertur ad defunctum, debet legi, *Valeant*, quod referatur ad heredes, ità quod significat per restitutionem debitorum defuncti heredes liberari à peccato suo negligẽtiæ: aut germanius, quod intelligatur de ope tribuẽda mortuo accidentaliter per preces creditorum, vel pauperũ bene satisfactorum, nam vt ait S. Tho. vbi supra solutio debiti parum prodest defuncto, nisi accidentaliter, modo prædicto. Quare risũ, aut potius commiseratione digni sunt filij, & alij hæredes, qui miserentes plurimum defunctis, quòd propter debita teneantur in purgatorio, nõ miserentur sibi, quòd tenentur, in statu infernali notabiliter eorũ solutionem negligentes, aut differentes. quod plus satis frequenter contingit.

De impediente bonum alienum.

SVMMARIVM.

69 *Impediẽs à consueto aliquo bono quis tenetur restituere. 70. & 73.*

69 *Restitutio præsupponit debitũ legale.*

69 *Priuatio præsupponit habitum.*

70 *Testamentum vel legatum qui facit mutari tenetur restituere.*

71 *Intellectus l. 3. denique. ff. de aqua plu. arcen.*

71 *Argumentum à contrario quando valet.*

72 *Iustitia distribuẽdi beneficia & officia publica multum differt à iustitia distribuendi cõmunes pecunias*

communicatio singularibus eius.

73 *Beneficiariorum malus electior vel collator, cui restituet.*

73 *Impediens malo animo cur non restituit. & impediens metu sic*

74 *Restituunt qui suffragantes siue vocantes*

69 DVbitatur hic, An qui alium à consequutione officij, beneficij, aut alterius boni impedit, restituere teneatur? In quo quamuis multum dissentiant doctores, vt patet per Adrian in 4. de restit. q. 10. & quæstio sit difficilis, eáque Caiet. 2.2. q. 62. art. 2. ad nubes efferat, omnibus tamen perpensis, nobis placet, quod Adriano non displicuit, quamuis illud non asseruerit scilicet quòd omnis & solus ille impediens regulariter restituere impedito & damnum passo tenetur, qui impedit alium à consequendo officio, aut beneficio, aut alio bono ita ei debito, vt haberet iam in eo ius perfectum, quod appellant ius in re adquisitum per dispositionem interuiuos, aut vltimam voluntatem, collationem, confirmationem, aut aliũ modum legitimum, aut erat ei de iustitia debitum. ita quod habebat adquisitum aliquod ius imperfectũ, quod appellant ad rem per iustam promissionem, emptionem, stipulationem, electionẽ, præsentationem, oppositionem siue concursum, expectatiuam, regressum, accessum, coadiutoriam, primogenium, legitimam aut alium titulũ, qui non dat ius perfectum, per quod adquiritur bonum, sed quoddam imperfectum, per quod illi conuenit, & acquiritur aliqua actio, vel officium iudicis ad iure petendum: nisi impediat per modos iustitiæ contrarios, videlicet vim, metum, dolum, mẽdacium, aut aliam fraudem, etiam si alias odio, vel mala intentione impediat.

Mouet nos ad id primum, quia ex definitione restitutionis posita, supra num. 6 colligitur, quòd vbi non est debitum legale, non est quod restituatur, quod etiã affirmat Caiet. in d. q. 62. ar. 2. & etiam Sotus vbi supra. At nemini, cui non est ius in re, vel ad rem, vel officium iudicis ad petendum est debitum legale, licet forte sit debitum morale, & antidotale, vt colligitur ex glo. & alijs Instit de actio. in princ. & in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iure. Ergo non debetur eius restitutio.

Secundò, quòd restitutio, siue redditio præsupponit ablationem, secundum mentem omnium, quam Sotus vbi supra exprimit. At cui nihil iuris est, nihil iuris aufertur, quia priuatio præsupponit habitũ, l. decem. ff. de verbo. oblig. cap. ad dissoluendum. de despons. impube. Ergo &c.

70 Tertiò, quòd qui blanditijs, sine vi, metu, mendacijs & dolo, facit testamẽtum mutari, aut legatum in alium transferri, restituere nõ tenetur, l. fi. C. si quis aliq. test. proh. Ergo neque qui impedit, ne collator, præsentator, aut electo conferat, præsentet, aut eligat illum, aut illũ, vel Rex, vel alius, qui potest cõferre aliquod officium, vel aliud ius illi vel illi, tenebitur illi aut illi restituere, arg. l. illud. ff. ad leg. Aquil.

Dixi Qui mala intẽtione, &c. quia intentio nocendi, aut malum iniustum inferendi, necessitatem restituendi nõ inducit, quamuis in foro conscientiæ peccatum inducat, nisi adiiciatur ei opus aliquod exterius iniurium & contrarium legibus iustitiæ, vt lictor mala intentione suspendens iuste damnatum, licet peccet, non tamen tenetur restituere quidquam, & miles in bello iusto occidens hostem vel diripiens ciuitatem malo animo & fine, peccat quidem, sed nõ tenetur restituere, quia licet transgrediatur leges charitatis, vel aliarum virtutum, non tamẽ transgreditur leges iustitiæ specialis, quarum transgressio sola est iniuria. & obligat ad restituendum. vt probamus cum communi, in Apolog. prædicta q. 2. monit. Qua ratione etiam Sotus, quem post hæc scripta legimus, discedit à Scoto, Palud. & communi in 4. q. 6. art. 5. à col. 17. quatenus aiunt, intẽtionem malam sine opere iniurioso inducere obligationem restituendi.

Per quæ resoluitur negatiue illud noue quæsitum, An qui odio alicuius, famulum prosequitur, & efficit, vt herus eius dimittat eum, qui non potest inuenire alium, qui tantum salarij ei soluat, quantum dimittẽs, teneatur restituere? Respondendum enim est quòd non, nisi efficeret vt herus contra iustitiæ legem ante lapsum temporis conuenti, eum dimitteret. Non obstat l. Proculus. ff. de dam. infec. quam Caiet, vbi supra citat, quia illa &l. fluminum. §. fi. eo. tit. pro nobis faciunt, habent enim eum, qui fodit puteum in suo, non teneri vicino, licet inciderit venas per quas fluebat aqua in eius puteũ.

71 Neque obst. l. 2. ff. de noui oper. nun. quam citat Scotus, quia vitiosa est allegatio, & videtur voluisse citare l. 1. §. denique. 1. ff. de aq. plu. arc. quatenus significare videtur, cum qui puteum effodit, aut aliud opus in suo facit, vnde damnum vicinus accipit, non teneri de damno, si non facit animo nocendi, significans à contrario sensu, quòd tenetur si eo animo faceret. Respondeti enim potest primo, quòd argumentũ à contrario sensu, licet alioqui sit validissimum in iure l. 1. ff. de offi. eius cui mand. est iur. & cap. Apostolica. de his quæ fiũt à præla. sine cõsen. cap. nil tamen valet, quo ad ea quibus contrarium exprimitur in iure, iuxta glo. celeb. & receptam, vt tradit ibi late Felin cap. significasti. de foro compet. pro qua textus optimus in cap. à nobis 2. de senten. excom. & secundum omnes communiter intentio mala sine opere iniurioso nõ obligat ad restituendum damnum, vt prædictum est.

Quę solutio roboratur ex eo, quod Vlpianus ibi noluit innuere obligationem restituendi propter malum animum induci, sed vt clarius confirmaret dictum Marcelli, negantis eo casu actionem de dolo dari, dixit, non esse locum actioni de dolo sine malo animo, sine quo dolus nõ datur, l. dolum. C. de dolo. facit pro hoc, quod prædictæ leges fluminũ. & Proculus. quæ sunt ipsiusmet Vlpiani, neque alia lex ponderat bonũ vel malum animum, sed solum an qui iure vel iniuria in suo faciat opus, quo nocetur proximo. Nõ obstat, quòd etiam sanctus Tho. in d. q. 62. ar. 2. significat actum, malo animo factum inducere restitutionem aliquo casu, quo bono animo factus non induceret. tum quia S

Tho non loquitur de actu solo animo malo facto: sed malo animo iniuste facto, & ita intelligendus est de actu iniurioso alteri, vel modo iniurioso facto, pura per vim, metũ, dolum, vel fraudem, de quo statim dicemus, tum quia etiam idem S. Tho. videtur legisse prædictum §. denique. & quia non occurrit sufficiens responsio, tentauit aliqua parum firma. De quibus vnũ est, quod ait teneri quem aliquo casu ad restitutionem, sed non secundũ æqualitatem, cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, quæ obligat ad æquale, secundum eundem ibidem, art. 1. Alterũ quod æquiparat in hoc collationem beneficij cum proposito firmo conferendi, quòd nullo iure vel ratione necessariò probari potest, & reprobatur ea manifesta, quod qui popposuit firmiter conferre alicui beneficium, si mutata voluntate alteri contulerit, valet collatio, & non tenetur restituere, nec peccat si æque dignus est. At qui iã contulit vni, si mutata volũtate conferat alteri, peccaret, & non valeret collatio, & teneretur restituere, etiã si secũdus esset longe dignior. Tertiò quod odium, vel malus animus sine opere iniurioso obligat ad restitutionem, quod cum saluare nitatur Sotus, parum sibi constat, vt videre est vbi supra. Quare dicta sancti Thomæ in illa responsione ad 4. reducenda videntur ad ea, quę firma ratione probantur, & tribuenda obseruantiæ, qua solet esse in sacros canones & sacras leges adeo magna, vt nec latum vnguẽ ab eorum verbis recedere sit solitus, quod quia non aduerterunt Scot*, Palud. Caie. & alij, putauerunt Thomam sensisse contrarium, in quo etiam Sotus, se satis inuoluit.

72 Non obstat etiam ratio Caiet. vbi supra, scilicet, quod officia, & beneficia sunt bona communia, quæ sunt singularibus diuidenda, & ideo qui ea male distribuit, aut male impedit, cõtra iustitiam distributiuam facit, vt qui male distribuit, vel impedit bene distribuere centum aureos communes singularibus plebis, & consequẽter quemadmodum hic restituere tenetur, iuxta omnes, ita & ille tenebitur. Non, inquam, hæc ratio obstat: tum quia illa solum militat in beneficijs, & officijs publicis, & ita quo ad alia nihil probat: tum quia non est eadem ratio de distributione centum aureorum communium faciendа alicuius cõmunitatis in singulos eius, & de distributione beneficiorum & publicorum officiorum communium ecclesiæ, vel reipublicæ in singulos eius. Nam vt perspicaciter ait Sotus vbi supra, non sunt beneficia & munera publica communitatis ita debita ijs, inter quos sunt diuidenda, vt centum aurei communitatis diuidendi, singulis eius sunt debiti eis, eo quod beneficia, & officia publica sunt instituta principaliter propter seruitium ecclesiæ vel reip. & non propter eos, qui seruituri sunt. Et collatores eorum non distribuunt, tamquam debita eis, quibus distribuuntur, sed tamquam debita seruitio ecclesiarum & tamquam electores ministrorũ earum, ita quod per bonã vel malã electionẽ earum, non fit principaliter commodũ vel damnũ eligendis: sed ecclesijs

clesiis vel rebus p. quibus sunt eligẽdis: sicut præfectus ab aliquo domino ædificio alicui cõstruendo, deligendo artifices idoneos, vel minus idoneos, non facit commodum vel damnum principaliter idoneis, vel magis idoneis, quos ad illud opus deligere omittit, sed domino, & si quid damni dat, non tenetur restituere illis, quos omittit deligere, sed ipsi domino, cuius ædificiũ est male, vel non adeo bene constructum.

Confirmatur hæc, eo quod licet iustitia distributiua illud, aut illud officium, vel beneficium, aliquibus dare obliget, regulariter tamen nemini ius perfectum, quod appellant in re, quo suum fiat, concedit, nec imperfectũ, quod appellant ad rem, quo debitum illi sit, & possit illud iure petere, quamuis sit dignior, nec vnquam talis vsus in ecclesia aut republica Christiana fuit, etsi sæpe sæpius diuisor non dando diguiori, aut dãdo indigno peccet. Sed quando centum aurei communes sunt particularibus plebis distribuendi, vnusquisque eorum ius aliquod habet, ob quod illis debetur, & suam partem, aut saltem quantum debetur ex ea petere potest. Dixi supra in conclusione non esse restitutionem faciendam impedito, quia reipub. vel alij iniuste læso, facienda esset, vt ex proxime dictis colligitur.

Dixi: Nisi impediat per modos iustitiæ contrarios, videlicet vim, metum, dolum mendacium, &c. quia si per hos modos impediret, teneretur. Vnde si mẽtiens me esse mortuum, aut non esse eius consanguineum, aut esse spurium, aut ignarum, aut malum, aut per alias fraudes, aut per vim faceret mutari testamentum, aut legatum, aut collationem, aut præsentationem beneficij, officij, aut alterius boni & commodi factam, aut iam decretam, restituere mihi tenetur, iuxta omnes per l. 1. & 2. C. si quis aliq. test. prohi. & l. fi. ff. de hære. iust. etiam iuxta Gerardum, relarum per Adrian. vbi supra, licet ipse plus ceteris in hoc se extendat. Ratio vero, cur mala intentio damnificandi hanc necessitatẽ restituendi inducit, mẽdacium autem, fraus, aut comminatio, & alij modi iniusti sic, est quòd intentio sola damnificandi est contra charitatem, sed non cõtra iustitiam commutatiuam, cuius actus est restitutio, & mendaciũ, fraus, & comminatio sunt cõtra iustitiam, quia per hæc iustus modus acquirendi, qui impedito competit, impeditur. Non tamen tenetur restituere, quantum impedit, nec quantũ soluere deberet, si eripuisset iam penitus acquisitũ, aut debitum: sed quantum consideratis circũstantiis, iudicio boni viri videbitur, vt communis dicit in aliis casibus, saltem iuxta æquitatem, & consuetudinem in his semper seruari solitam.

74 Ex quo sequitur, quòd quando beneficia, officia, & cathedræ dantur per oppositionem, seu cõcursum digniori, extãte statuto, quod necessariò debeant conferri candidatis tempore præstituto cõcurrentibus, & competentibus, si satis sunt in id qualificati, & aliquis impediuit, ne darẽtur legitimis oppositoribus, seu concurrentibus candidatis: sed aliis, restituere tenetur, quia illi iam ius quoddam perfectum acquisierant, ad pe

ad petendum, vt alicui ex ipsis darentur. Quemadmodum etiam, qui iniuste ab opere agricolam, à scribendo scribam, &c. impedit, tenetur restituere, quia impedit ab eo, quod ipsi iure conuenit, scilicet laborare aut scribere.

Nec obstat, quod Sotus vbi supra col. penulti. significare videtur, quia non loquitur de scholasticis suffragantibus aliis, quàm candidatis: sed de suffragatibus minus dignis candidatorum, de quibus etiam nos in hoc loco antequam cũ videremus, diximus eos ad restitutionem non teneri: quamuis peccent eo modo, quo collatores & electores beneficiorũ, per supradicta. Sequitur etiã, quòd non tenebitur restituere, qui sine vi, mendacio, aut fraude, mihi prohibuit profectionem ad episcopum, cui erat propositũ, beneficium alicui digno conferendi, ne me cognosceret, qui si me cognouisset, mihi illud contuliſſet, quia illud beneficium adhuc nõ erat meum, nec mihi debebatur, nec ab eo per modos iustitiæ contrarios prohibitus fui.

Quæ cause non restituentem à peccato excusant.

SVMMARIVM.

75 *Restitutione à debita excusant hæc nouem. & seq.*
78 *Debitor non omnis securus per remissionem quoad peccatum.*
79 *Debitor non excusatur donec debitum petatur.*
80 *Debitor nõ liberatur specie perempta.*
81 *Beneficij collatio, vel procuratio non est debiti restitutio.*
Officium per profanum quando fit restitutio.
82 *Restitutione ob qualem ignorantiam quis excusatur. & 83.*
84 *Ementem ab eo quem suspicari debet furem, caueat sibi.*
85 *Præscriptio quæ à restitutione excusat.*
86 *Cessio qualis bonorum excusat à restituendo.*
87 *Bona vitæ, salutis, libertatis, famæ esse æstimabilia.*
87 *Quæ non est necesse reddere pro æstimabilibus, licet sit interdum vtile.*
88 *Liber homo quis possit vendi à se, licet non possit ab alio.*
89 *Bona trium ordinum vitæ, famæ, & pecuniæ multum differre.*
89 *Fama, vita, & libertas, & conueniunt & æstimari non possunt.*
90 *Compensatio quæ fit pro vita, & fama non facit eas æstimabiles.*
90 *Fama non æstimatur plus quàm vita, licet sic, vt illa compensetur.*
90 *Famam mulier proba pluris, quàm libertatem æstimat.*
90 *Metus infamiæ vt excusat adulteram, vel partum supponentem.*
90 *Intellectus & inductio capit. officij. de pœnit. & remiss.*
91 *Vita non est amittenda propter famam illustris familiæ.*
91 *Æstimabile aurum etiam maximum fama non est minima.*
91 *Adultera de ecclesia non extrahitur sine debita cautione.*
91 *Fama per æquiualens nequit restitui secundum S. Thom.*
91 *Fama bonitatis sola æstimabilis non alia.*

75 PORro multa à restituẽdi obligatione excusant. Primum, necessitas, de qua supra eod. nu. 60. Secundum, remissio, cõdonatio, aut alia satisfactio, qua creditor fiat contentus: quæ si est perpetua, perpetuo excusat, & si temporalis, pro tempore quo durauerit. c. peccatum, adiuncta glos. recepta, verb. restituat, de reg. iur. lib. 6. & l. 1. ff. qui satisdar. cogan. concurrentibus duobus. Prius est, quòd fiat per eum, qui donare potest, & liberam suorum bonorum administrationem habeat. arg. capi. veniens. de testib. adiunctis iis, quæ supra eod. cap. nume. 45. diximus. Posterius, quòd scientes & sponte fiat sine vi, metu, dolo, aut fraude aliqua.

Ex quibus infertur primò, quòd non prodest illa quotidiana satisfactio, qua creditor sit contentus parte debiti propter diffidentiam recuperandi debitum, nam ex eo, quòd ei debitor minatur, quòd si pro centum, quæ debet, nolit esse contentus quinquaginta pro integra solutione, nihil vnquam habiturus sit, secundum Caietan. in d. artic. 8. & antea Syluestr. verb. restitutio. 7. quæst. 1. & 2. quia deest ei secunda conditio. Secus tamen est de diffidentia recuperandi, quam concipit ob alias causas, vt recte Syluestr. vbi supra insinuauit.

76 Secundò infertur nõ esse opus tertia conditione, quam aliqui desiderant in dicta reg. peccatum. libr. 6. scilicet, quòd sit parata solutio, nec illa quam quidam theologi relati ab Anton. 2. par. titu. 2. c. 6. scilicet, quòd pecunia ponatur realiter coram creditore, sed neque vt verbis offeratur, quod requirunt alij relati per Perusinum in dicta regula peccatum. & Anton. vbi supra. quia satis est, vt creditor scienter & sponte id faciat, vt sentit glos. in d. reg. peccatum. immo, vt bene insinuauit Caietan. 2. 2. q. 62. art. 6. quando restitutioni obnoxius est pauper, & creditor ita diues, vt remissio vel dilatio debiti foret opus misericordiæ, consulendum illi est, vt antequam pecunia realiter, vel verbaliter præsentetur, remissio petatur. Quia quemadmodum actus castitatis liberius in absentia feminarũ & obiectorum venereorum exercentur, & abstinentiæ in absentia suauium epularum: sic etiam libertatis condonandi, & remittendi debita, liberius in absentia solutionis, & ante oblatam, præsentaram, & receptam pecuniam, quàm post exercentur.

78 Tertiò infertur, quòd non est necesse, quòd debitor habeat propositum debitum soluendi si eo non remittatur, ad hoc vt remissio & cõdonario creditoris valeat, quamuis sic ad hoc vt peccatum dimittatur.

Quartò infertur, quòd debitor, qui dicit creditori, se ad soluendum quantum sua facultas fert paratum esse, & simul rogat, vt erga se vtatur misericordia & liberalitate, consecuta totius vel partis remissione, fiet liber à peccato, & restituẽdi necessitate, si soluendi voluntatem habebat, esto quod non fieret remissio: si vero talem voluntatem nõ habebat, liberatur quidem à restituendi necessitate: non autem à peccato, quod peccabat nolendo soluere, etiã non sequuta remissione, quod etiam insinuauit Sylueſtr. verb. restitutio. 7. q. 2. Nam debitor, qui etiam post condonatum debitum, eo animo esset quòd nollet soluere etiam si posset, licet non esset ei condonatum, manifeste peccat voluntate inordinata

nata interiori cõtra septimum præceptum.arg.cap.si res.14.q.6.& capi. sæpe.de restit.spolia.in quod vtinam multi qui compositiones quærunt non incidérent.

Quintò infertur, quòd si aliqua persona proba tractat cum creditore,& dicit,Ego curabo vt N.soluat tibi tantum, si tu liberali voluntate reliquum remiseris, idque faciat sine fraude, nullo iniecto metu, aut diffidentia nunquam debitum recuperandi,& debitor paratus sit facere quicquid potest, si creditor illi remittit,immunis est à peccato & restituendi necessitate. Si autem non habet voluntatem soluendi quantum posset,manet quidem à restitutione immunis:sed non à peccato.

Sextò infertur, quòd si persona internuntia dicit remissionem libere esse factam, & non ita res se habet,à restitutione debitor immunis non fit,immo si de eo dubitat,de veritate certior fieri debet quamquam si internuntius est satis ad id fide dignus, eius dicto excusatur, quoad contrarium rescierit. Quod cum resciuerit, soluere tenebitur, aut soluendi voluntate proposita,remissionem petere.argu.c.cum cessante.de appellat.adiuncto. capit.significante de pignor.

79 Septimò infertur,quòd nõ excusatur debitor à peccato, eo quod creditor non petat ab eo debitum, ob timorem etiam reuerentialem, aut ob ignorantiam debiti, si iudicio boni viri soluendo erat. Quia eo casu creditor scienter & sponte non remittit,aut dat dilationem, quamuis excusaretur, si creditor scit sibi deberi,& nõ petit sine aliquo metu, aut sine alio respectu, qui eum inuoluntarium faciat, quia probabiliter credere potest.sibi ab eo dilationem dari,vt vtiliter adnotarũt Ang. verb.mora. §.1.& Sylu.eod.verb.q.4.

80 Octauò infertur,quòd qui aliquid debet in genere, puta hominẽ, bouem , aut equum, aut tot modios frumenti , aut amphorã vini,à solutione aut restitutione nõ excusatur, quamuis species , quas ad soluẽdum destinatas haberet, incẽdio,aut alio quouis casu fortuito perirẽt : immo neque si omnia eius bona disperirent , quia debitor in genere non liberatur specici peremptione.l.incẽdiũ. C.si cert.petat.not.in l.quod te mihi.ff.de reb.credi.quãquam debitor speciei, puta illius vel illius hominis,bouis,equi,vestis, &c.regulariter excusatur illius speciei peremptione,si absque dolo, fraude & culpa,& ante morã perierit. Nec etiam post moram, saltẽ in foro conscientiæ,si sciretur, quòd perinde peritura erat apud creditorẽ ac apud eum, l.fin.§.fi.ff.ad l.Rhod.de iact.siue ex contractu,siue ex delicto deberetur. l.si ex legati causa.ff.de verb.obliga. cum ei adnot. Sylvestr.verb.restitutio.7.q.5. Secus tamen si constaret, aut dubitaretur,quòd antequam res periisset,dominus vendidisset,aut ea vsus fuisset,l.cum res.§.fi.ff.de lega. 1.& declarat Sylvest.verb.restitutio. 7.q.5.Ille autem dicitur esse in mora restituendi , qui tenetur ex delicto.l. 1.ff.de condict.furt.& etiam , qui ex contractu , & non restituit ad diem præfixum, vel non statim atque scit, vel scire debet , rem esse alienam l. quod te.& argu.c.fi.de præscr.idque facit sine iusta causa eam retinendi.

Nam

Nam si eam retineret ratione aliquarum impensarum, quas bona fide circa eam fecisset, aut credendo iusto errore suam esse, non censeretur in mora l.illud.ff.de petit.hæred. & l.is qui rem commodasset, ff.de furt.

81 Tertia causa principalis à restitutione excusans,secundum aliquos iurisperitos, est dedisse , aut procurasse creditori aliquod beneficium ecclesiasticum:quod falsum est,quia per spirituale non potest solui temporale.cap.quam pio.1.q.2.vt probamus in cap.cum secundum.de præb. Et ideo neque à soluendo eo , quod propter obsequia debetur , id excusat.quamuis si post datum aut procuratum beneficium gratis , creditor ille causa gratitudinis debitum remiserit , debitor à restitutione liber erit. Et idem per eandem rationem dicendum est de officiis, quæ sine simonia aut peccato emi & vẽdi non possunt,quamuis nõ de aliis, quæ licite venduntur, & emuntur, quia horũ datio aut procuratio impensa debitoris facta , idonea solutio est,arg.cap.totum 1.q.3.

Quæritur autem hic, An sit locus prædictis in officiis sæcularibus,quę sine peccato vendi non possunt? Respon.non esse, quum titulus est validus,licet in eo peccetur, quales sunt multæ venditiones factæ à regibus, vel aliis facultate ob id regia munitis,in quibus faciendis, solet nonnũquam intervenire peccatum , saltem veniale. Esse vero,quando in eo non solum peccat , sed etiam titulus est nullus,eadem ratione.

82 Quarta causa principalis est probabilis ignorantia facti,qua credit id, quod restituendũ erat,suum esse, quia forte hæreditate obuenerat, aut illud non debere , quia erat debitum à patre contractum. Et etiam ignorantia iuris obscuri iuxta glos.in c.1.de postula.prælat.lib.6. verb. de cetero. præsertim quando viri scientia & conscientia prædicti consulunt ei,quòd ad restituendum non tenetur,argu.gl.sing.& receptæ in cap.capellanus.de feriis. Secus tamen esset de eo , qui consuluit eos, quos credit sibi placita responsuros,

83 & nisi hoc crederet, eos non consuleret. Et minus qui consulunt multos qui dicunt illi ipsum ad restituendum teneri,& ab aliis consulendis non desistit,donec aliquem reperiat , qui ei respondeat , ipsum non teneri,& huic potius, quàm reliquis fidem adhibet , iuxta Adrian. in 4.de restit.q.88.

84 Dixi supra: Ignorantia probabilis: quia non excusat crassa & supina, qualis est illa , qua quis emit à milite Missale, aut Calicem , aut à famulo orbem , aut salinum argenteum,aut ab aliquo iuuene pannoso sericum , aut alterius generis pannum , quem credere aut certe dubitare debebat habuisse illum per furtum,rapinam, aut bellum iniustum, non adhibita diligentia debita ad veritatem sciendam. Nec etiam excusat ignorantia iuris clari , qualis est ea,qua ignorat iniustũ esse , rem furto ablatam emere,vt eam sibi retineat,argu.cap. Apostolicæ.de cler. excom.minist.& c.ignorãtia.de reg. iur.lib.6.Sylvestr.verb.restitut.3 q.7. Quãquam quia quisque sibi arctius est obligatus quã alteri, potest illud tale venditori reddere , aut permutatori,

tatori: & pretium recuperare, aut quod pro illo dedit deprecatus eũ, qui male accepit, & male dederat, vt illud suo domino restituat per dicta supra eod. cap. nu. 9.

85 Quinta causa est canonica præscriptio, aut vsucapio, qui est vnus modus adquirẽdi dominium vtile, aut directum alicuius rei, aut exceptionem ad retinendum eam, quæ competit ex eo, quod eam legitimo tempore, modo ad id legitimo, bona fide possederit, l. 1. ff. de vsucap. & toto tit. de præscript. l. 1. C. de vsucap. transfor. & glo. 16. q. 3. in summa. Et vt nemini videamur per incuriam præscriptionem immobilium bonorum vsucapionem appellasse, monemus, quod quamuis modus adquirendi rem mobilem per possessionem appelletur vsucapio, & modus adquirendi rem immobilẽ præscriptio. iuxta vulgarẽ opinionem commentatorum vtriusq; iuris: verius tamen videtur, quod omnis talis modus appelletur vsucapio, & exceptio, quæ ex ea nascitur, præscriptio, vt colligit ex multis legibus. ff. de vsucap. doctissimus, ac omniuga disciplinarum omnium encyclopædia tori orbi vsque ad miraculum Illustris Andræas Alciatus, in l. vt sunt. ff. de verb. sign. & alij receptiores in alijs locis monstrant.

Nõ sine causa diximus, quòd præscriptio canonica excusat, quia legalis iuris ciuilis, quæ sacris canonibus non consentit, non excusat. Et ideo nulla præscriptio, quæ inchoata fuit & continuata mala fide, seu à sciẽte rem esse alienam, excusat: nec etiam, quę cœpta bona fide, si postea antequam finiretur, mala successit, c. vigilanti. c. fi. de præscr. c. possessor. de reg. iur. lib. 6. Vnde nec leges particulares Regnorum, vel statuta ciuitatum, quibus statuitur, ne post aliquot annorum lapsum, debitum peti possit, debitorem scientem se debere & non soluentem in foro conscientiæ excusant, iuxta communem, quam tenet Ancha. in c. peccatum. de reg. iur. lib. 6.

86 Sexta causa, quę excusat est cessio bonorum, qua debitor ea relinquit creditoribus, ff. de cess. bono. & C. de his qui bonis ced quæ in foro exteriori excusat quoad debita ex contractibus orta, quatenus lex ciuilis statuit, ne debitor cedens in plus teneatur, quàm commode soluere possit de iis, quæ postea quæsierit. Quod ipsum est dicendum de debitis, quæ ex delicto nascuntur, quo ad interesse priuatum partis, nõ autem quo ad interesse publicum: nam quo ad illud, qui non habet in ære, debet luere corpore. l. 1. §. & generaliter. ff. de pœn. & gl. c. non satis. 86. dist. & ca. si res. 14. q. 6. Dixi: In foro exteriori, nam in foro conscientiæ non excusat, nisi quatenus necessitas eum sine cessione excusaret, de qua supra eo, cap. nu. 60. cum seq. diximus. Hoc est, ita quod ei suæ artis instrumenta, & ad victum necessaria iudicio boni viri duntaxat relinquantur.

87 Septima causa est impotentia restituendi sine vitæ & salutis periculo, per capit. officij de pœnit. & remiss. cum declaratione, quam super illam Innoc. 4. cõiter receptus fecit. Cuius ratio videtur esse, quod vita & salus sunt bona altioris ordinis, quàm bona fortunæ, & pecunia æstimari

æstimari non possunt, arg. l. in seruorum. §. fi. de pœn. Et ideo restitutio, quæ est actus iustitiæ commutatiuæ, vt dictum est supra eod. c. nu. 6. quæ ad æqualitatem partes reducit, non obligat ad danda bona altioris ordinis, & inæstimabilia pro bonis fortunæ, quæ inferioris sunt ordinis. Qui autem bona proximo debita cum periculo vitæ & salutis restitueret. non male faceret, si magna essent, quin laudẽ promereretur, ob rationes & auctoritates, quibus pulchre Sotus, lib. 5. q. 1. art. 6. de iust. & iure. probat, licitum est vitam cordate & prudenter pro defensione sui amici & proximi, & etiam suæ rei familiaris, & pro quolibet actu virturis effundere. Vnde inferimus, veram rationem huius septimæ causæ & excusationis non esse, quòd homo suæ vitæ & salutis dominus non sit l. liber homo. ff. ad legem Aquil. & cap. contingit. 2. de senten. excom. cum saltem eius custos sit, cum potestate ponendi eam pro Deo, pro republica, pro amico, pro suis bonis, etiam pro quolibet actu virtutis.

88 Octaua causa est impotentia restituendi sine amissione libertatis, & sui ipsius venditione. Quia quamuis lex vetus Exod. 22. statueret, vt qui furto sublatum reddere non posset, venderetur, & etiam vt debitor seipsum aut suos filios pro debito ciuili traderet, Leuit. 25 & 4. Reg. 4. & quamuis idem nunc sanciri possit: numquam tamen in republ. Romana postquam Christiana effecta est, decretum fuit, vt aliquis pro debito ciuili seruus efficeretur, immoin l. ob æs alienum. & auth. sed hodie. C. de actio. & oblig. & in c 2. & ibi glo. de pigno. sancitum est, ne quisquam ad id compellatur. Ratio huius octauæ causæ videtur esse eadẽ, quæ septimæ, videlicet, quod liberras sit altioris ordinis bonum, quàm bona fortunæ, & sua natura inæstimabile, sicut vita. & salus, l. libertas. ff. de reg. iur. & ideo non est danda pro bonis fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis, & sua natura æstimabilia. Quamquam nõ male faceret, qui pro faciẽda restitutione, se quasi seruum creditori traderet, aut se alteri venderet, nulla enim lex diuina vetus, vel noua id vetat, immo neque vlla Romana, immo statuit ne quis ad id compellatur, & quamuis l. & liberi hominis. cum 2. seq. ff. de contrah. empt. probet emptionem liberi hominis scienter factam non valere, non tamen probat vendentem se ob grandem necessitatẽ peccare. Et l. 2. C. de patr. qui fil. distr. habet, posse patrem vendere filium etiam inuitũ propter necessitatem, & hodie passim Christiani in Aethiopia multos emunt, qui se ipsos vendunt, aut se vendi consentiunt. Quod licitum permissumque esse etiam prædictus Sotus libro 4 q. 2. art. 2. de iustit. & iure scripsit. Vnde sequitur, quòd ratio huius octauæ causæ excusandi, non est quòd homo liber suæ libertatis dominus nequaquam sit, sed prædicta.

89 Nona causa est impotentia restituendi bona fine famæ amissione, secũdum doctissimum Card Cajet. 2. 2. q. 62. art. 2. dicẽrem, quòd quemadmodum bona vitæ & salutis sunt altioris ordinis quàm famæ: sic bona famæ altioris ordinis sunt, quàm

pecuniaria: & quòd nemo ad restitutionem bonorum inferioris ordinis tenetur, cũ iactura bonorum altioris.

Contra tamen hoc tenet Ioan. Maior. in 4. lib. sent. distin. 15. q. 17. & Adrianus 4. de restit. & postea prædictus Sotus resolutionem prædictam Caietani refutat, lib. 4. q. 6. art. 3. de iust. & iure. & q. 7. art. 2. sentit non esse horum ordinum rationem habendam, sed potius æstimationem famæ cum æstimatione debiti esse conferendam: & quod æstimatio famæ tantum posset æstimationem debiti superare, quod non teneatur restituere: & è contrario si debitum superaret æstimationẽ famæ, teneretur restituere cum illius iactura. Mouetur ad id primo, quod doctrina Caietani videtur ei magis Metaphysicæ, quam Philosophiæ morali niti. Secundo, quamuis fama ex se maioris sit æstimationis, quam aliqua res pecuniaria: magna tamen pecuniaria, plutis quam exigua fama æstimatur: sicut quamuis pretiosius ex se sit aurum, quam plumbum, c. duo sunt. 96. dist. tamen plumbũ viginti pondo pluris æstimatur, quam vnũ granũ auri. Tertio, quod qui læsæ maiestatis diuinæ vel humanæ illustrem aliquã familiam infamauit, restituere suo iudicio teneretur ei famã, etiam si ipsi ob id mors subeunda foret.

His tamen non obstantibus Caietano eruditissimo hærẽdum censeo. Primò, quia eius doctrina non tam Metaphysicæ nititur, quã Philosophiæ morali, quæ neminem compellit ad dandam suam vitam pro debito ciuili, & nõ alia ratione quam quia hæc est inæstimabilis & altioris ordinis debitum, vt dictum est. quæ eadem ratio militat in fama respectu boni pecuniarij. Siquidem etiã fama sua natura bonũ est inæstimabile, sicut salus & vita, & superat bonum pecuniarium, iuxta illud Eccle. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* & Prouer. 22. *Melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ.* & Arist. 4. Ethic ait. Honorem esse maximum bonorum exteriorum, quem probat sanctus Thom. 2. 2. quæst. 129. artic. 1. Cui & alter Thom. ibi consentit, & in quæst 131. art. 1. ad 2. & quæst. 105. art. 2. ad 1. & gloss. cap. suam. de pœnis. & in Extrauag. ad conditorem. Ioan. 22. §. turſus. verb. honori. de verb. signific.

Nec obstat quod, quando fama restitui non potest aliqua pecunia est compensanda. Tum quia id non fit, eo quòd fama suapte natura æstimabilis sit, sed quia alia compen-
90 satio fieri nequit. Tum quia etiã pro vita & salute idẽ fieri iubetur. in l. 1 §. 1. & l. fi. ff. de his qui deie. vel effud. & l. ex hac. ff. si quadru. paup. quæ tamen ob hoc non dicuntur æstimabilia. Tum quia id non datur pro pretio famæ, quæ nullum habet: sed pro compensatione damni, quod ob eius iacturam obuenit, sicut etiam mutilato aliquo membro datur aliquid non pro pretio deperditæ integritatis, quæ nullum habet. sed pro damno, quod ex eius defectu euenit per leges prædictas, & ea quæ supra cap. 15. nu. 19. citata fuerunt, quorum consideratio ad hæc maxime facit.

Quarto,

Quarto, quod S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. & 2. eodem modo loquitur de restitutione famæ, quo de restitutione vitæ: aut membri, quæ restitui nequeunt: nam in vtroque dicit par rependi nõ posse, & in vtroque dicit compensandum esse. Et in respon. ad 2. vbi de compensatione famæ loquitur, se remittit ad prædictum vers. ad 1. vbi loquitur de compensatione vitæ, aut mẽbri abscissi, dicens in famæ restitutione idem esse faciendum, quod de vita ablata, & membro abscisso dixerat, per quod aperte significat famam æstimari non posse. Et quod id, quod pro ea rependitur, non datur magis pro solutione, quam quod redditur pro vita erepta, aut membro abscisso. Et quod altioris ordinis sunt bona famæ, quam pecuniaria, & quod non potest conferri pretium boni pecuniarij cum pretio famæ, quod nullum est, sed cum damno ex eius iactura sequuto.

Quinto, quod libertas, fama, & honor, eiusdem ordinis esse videntur, & vt dictum est, nemo pro solutione debiti se vendere tenetur. Ergo nec pari ratione se infamare, argu. l. illud ad l. Aquil.

Sexto, quod mulier quæ pro honesta habetur, potius seruitutẽ cum bona fama, quam libertatem cum infamia eligere debet, argum. l. isti quidem §. fin. ff. quod metus causa. At pro restituendis bonis se in seruitutem tradere non tenetur. Ergo minus tenebitur, quando ob id pro inhonesta haberetur.

Septimo, quod restitutio, vt dictũ est supra eod. cap. nu. 6. est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ æqualitatem inter accipiẽtem, & eum à quo accipitur constituit, & restituere debitum cum iactura famæ, esset reddere debitum & perdere famam pro solo debito, quæ magna inæqualitas foret.

Octauo, quod Inno. iij in c. officij. de pœnit. & remiss. aperte dicit, quod metus indicandi suum adulterium marito, vxorem à restituenda hæreditate excusat, non distinguendo inter hæreditatẽ magnam vel paruam, & inter famam magnatum & infimatum. Nec vmquam S. Tho. neque aliquis alius classicus auctor istas distinctiones parum (iudicio nostro) fundatas induxit. Ergo neque nos eas faciamus, argu. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. cap. solitæ. de maio. & obed.

Nono, quod non potest dici, quod Innoc. iij. in dict. c. officij. non sensit aperte, quod metus amittendi bona altioris ordinis excuset à restitutione bonorũ inferioris ordinis, quia clare dicit, quod metus mali maioris cõsequendi ex indicatione adulterij marito facta excusat vxorem à restitutione hereditatis; quam spurius pro legitimo habitus obtinebit, & cũ textus de metu generaliter loquatur, de quolibet iusto intelligendus est, cumque metus infamiæ talis sit, d. l. isti quidẽ. cum gl. etiam de infamiæ metu intelligetur.

91 Decimo, quod durũ & nouum videtur id, quod prædictus Sotus sine aliquo auctore asserit, scilicet, eum qui Illustrem aliquam familiam infamauit, ad restitutionem famæ cum iactura vitæ teneri.

Vndecimo, quod similitudo auri & plumbi non concludit, quia

vtrumque suam natura pecunia est æstimabile, & ideo maior quantitas vnius potest pretio superare minorem alterius, sed fama non est res pecunia æstimabilis, sicut nec etiam vita, salus, & libertas.

Duodecimò, quod rarissime continget casus, in quo bona cito, aut tarde restitui non possint sine iactura famæ, faciliori ratione, quàm in casu prædicti c. officij. in quo mulier supposuit sibi partum, aut ex adulterio occulto filium suscepit, in quo tamen habetur, quod non tenetur id reuelare marito, si timet eum, cum tamen sine metu amissionis vitæ se in monasterium tutum recipiens reuelare posset; quandoquidem ecclesia eam suo marito restitui absq; idonea cautione non permitteret, arg. c. literas, sub fi. de restit. spol. & c. inter alia. de immu. eccle.

Denique facit, quod si contraria opinio vera esset, sequeretur, nullum inter restitutionem debiti famæ & pecuniæ discrimen fore, cum iuxta illam in vtraque magnum damnum eius, qui restituere tenetur excuset, & in nulla paruũ, & vtraq; pretium pecuniarium magnum vel paruum reperiatur. Sequeretur etiam, quod semper fama per æquiualens restitui posset, contra sententiam S. Tho. 2.2.q.2. art. 2. ad 2. communiter receptum. Concludimus ergo quod restitutio debiti bonorum omni via possibili procuranda est, sed si non inueniatur ad id idonea, siue amissione vitæ, aut libertatis, aut famæ, non est necessariò facienda. Moderamur tamen opinionem prædicti Caiet. vt solùm procedat in fama bonitatis virtutem theologam & moralem consequente, & non in fama ex aliis rebus præclaris parta, qualis est fama ingenij, scientiæ, iurium. solertiæ, artium, diuitiarum, & aliarum rerũ similium. In qua opinioni contrariæ sit locus, quia fama harũ non videtur inæstimabilis, vt est fama bonitatis, iuxta ea quæ ex Eccle. & Prouer. supra citamus. quas duas species famæ & infamiæ esse & in vtrisque locũ esse detractioni, probabimus infra c. 18. nu. 10.

De restitutione bonorum incertorum.

SVMMARIVM.

92 *Bona incerta quæ?*
92 *Restitutio bonorum incertorum vt reseruata episcopo.*
92 *Bonorum incertorum restitutio vt fieri possit à tenente ea.*
92 *neque id episcopus vetare potest, nisi in quatuor casibus.*
92 *Episcopi absolutionem eius, qui bona incerta habet, vt reseruare possunt.*
93 *Pauperibus restituendum vt potest tenenti restitui.*
93 *Pauperem dici omnia per opera, & pro suo statu egentem.*
93 *Compositio de incertis quæ iusta.*

92 BOna incerta sunt bona debita alicui homini, qui, vel quorum quantitas ignoratur, etiam post inquisitionem debitam, iuxta communem sententiam in cap cum sit. de Iudæis. quam ibi explicauimus. Dixi: Bona, pro genere. Dixi: Alicui debita, ad excludendum ea, quæ in nullius bonis sunt, & habita pro derelictis, quæ occupantis fiunt, l. 1. ff. de acquiren. rerum domi. & §. nullius Instit. de rerum diuis. Dixi: Homini

Homini, ad excludenda sacra & religiosa, quæ licet nullius in bonis hominis sint: sunt tamen Dei, non solum illo titulo generali quo omnia sunt eius, Psal. 13. & cap. quo iure. 8. distinct. sed etiam alio speciali humano, iuxta gloss. in dicta l. 1. & dicto §. nullius. Dixi: Qui ignoratur ad differentiam aliorum, quorum domini sciuntur, vel iusta inquisitione sciri possunt. Dixi: Vel quantitas ignoratur, ad significandum duplicem aliqua dici incerta: quamuis gloss. cap. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6. sola illa, quorum quantitas ignoratur appellet incerta.

Dixi: Etiam post inquisitionem debitam, quia ante illam non contingit iusta ignorantia. cap. innotuit. iuncta glo. de elect. si per eam saltẽ heredes cognosci possent. sanctus Thom. recept. 2.2. quæst. 62. articul. 5. Quorum restitutio pauperibus est facienda, c. cum tu. de vsur. Et secundum multos episcopis est reseruata, & per eos tantum facienda, secundum Ostien. in dicto cap. cum tu. & in summa de pœn. §. fin. sed communis contra, cuius veritatem copiosè in Comment. dicti cap. cum sit. probauimus vbi concludimus, eum, qui restitutioni est obligatus, per se ipsum sine episcopo & etiam sine confessario, restituere posse. Immo, quod episcopus contrarium iubere non potest, nec regulariter in eo contra voluntatem debitoris se interponere, secundum Ange. verb. restitutio. 2 §. 14. Rosel. eod. verbo. §. 2. Pisan. restitutio 6. Gabriel in 4. distinct 15. q. 2. col. 18. & Ioan. de Lign. & Cald. in dicto cap. cum sit. de Iudæ. & alios, quos refert Sylvest. verb. restitutio. 8. q. 5. Quod adeo quidem verum videtur, quod consuetudo contraria non valeret, siue quia contra legem naturalem esset, siue quia irrationabilis, eo quòd episcopis communiter non magnæ curæ sunt pauperes, iuxta Sylvest. vbi supra. Quamquam consuetudo episcoporum. qui sibi ipsis restitutionem horum bonorum reseruant, de qua glos. c. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6. mẽtionem fecit, defendi posset intelligendo de absolutione peccati commissi ab illorum non restitutione, & de restitutione, & ordine confessariorum, hoc est prohibere cõfessariis, ne absque consilio episcopi absoluant, aut distribuant, sed non prohibere parti, vt si per se velit, nõ restituat, nec suam conscientiam prout debet exoneret. Et hac noua distinctione aduersæ opiniones omnes inter se conciliari, possunt simul cõstitutiones synodales multorum episcopatuum defendi. Dixi supra: Regulariter. quia episcopus interponere se potest quatuor casibus. Primus, cùm restitutioni obligatus moritur absque herede & exequutore. Secundus, cùm qui restituere tenetur, nõ vult id facere, & contra illũ in iudicio proceditur. Tertius, cũ qui restituere debet, non recta distribuit. Quartus, cũ huiusmodi res ab eo, qui est aut fuit manifestus vsurarius, possidentur, secundum communem vbi supra.

93 Addimus tamen, quod propter omnes rationes, ob quas cõfessarius debitorem rerum certarum non statim restituentem, aut ad certũ tempus absoluere potest, a fortiori debitorem incertarũ poterit. Et quod

si restitutioni obnoxius est pauper poterit sibi totum aut aliquam partem capere, maxime de cõsilio episcopi, aut confessarij, tamquam vnus ex pauperibus, per ea, quæ infra eo. cap. nu. 88. dicemus. Neque est necesse inniugere ei onus oradi, vel alia pia faciendi pro animabus eorum, quibus restitutio debebatur, quę necesse non esset alijs pauperibus iniungere, vt late diximus in Apolog. lib. de redit. eccle. mon. 34. q. 1. Quia non est textus nec ratio quæ id probet, quàm ad ea, quibus alij obligarentur, arg. l. illud. ff. ad leg. Aquil. & cap. inter ceteras. de rescript.

Addimus etiam, quòd licet pientius esset, pauperiores eligere, & ex his ceteris paribus meliores, cap. est probanda. & cap. non satis, 86. distin. non tamẽ est necesse, quia nulla lege aut ratione id conuincitur, vt in eadem Apolog. 1. mon. 77. nu. 2. cõcludimus. Per pauperes vero intelligimus non solum personas pauperes, sed etiam ecclesias, xenodochia, & monasteria, ornamentis, luminaribus, ædificijs, & alijs similibus indigentia, secundum Io. And. communiter receptum, in c. 1. de testa lib. 6. aut alia opera pia. Quia reditus ecclesiastici, æque aut magis, quàm hæc incerta pauperibus debentur. cap. aurum. 12. q. 2. & cap. fin. 16. q. 1. Et certũ est illos in alia opera pia insumi posse, quod latius probamus in d. Apolog. q. 1. monit. 28. nu. 1. quidquid dicat Petrus Perusinus in tract. de cano. port. episcop. c. 7. Cuius opinioni in legatis pauperibus factis, locus esse posset. Immo & pauperes intelliguntur non solum mendicantes, sed etiam alij egentes ijs, quæ sunt eis ad decentiam necessaria, vt diximus in d. Apolog. q. 1. mon. 77. nu. 4. & subtiliter Caiet. 2. 2. q. 100. art. 1. ad. 7.

Per quæ resoluo affirmatiue illud noue quęsitũ: An iuste retineat quis illud, quod per compositionem factam cum Camera Apostolica super incertis retinet? modo vere sint incerta, iuxta definitionem datam supra eo. nu. 92. & modo compositio non sit indiscreta, vt quia 20. millia pro 3. vel 4. millibus remittuntur, vt dicit Caiet. ibidem. quia Papa habet administrationem generalem omnium, quæ debentur pauperibus, per ea, quæ tradimus in Comment. cap. non liceat Papæ. 12. q. 9. num. 2. Et ita potest iusta de causa applicare in alia pia, arg. cle. quia cõtingit. de relig. domi. & condonare aliqua iusta de causa, qualis est recuperandi pro illis quod aliàs non recuperaretur, vel tarde. Aduertant tamen procurantes huiusmodi compositiones, quòd sunt in peccato, donec eas adpiscantur, si cum possint non restituant ea pauperibus. Immo & post compositionem, si est eis animus nõ restituendi sibi condonata, etiam si non fuissent condonata, sicut fur cui remissum est furtum, peccaret, si esset animo non restituendi illud, etiã si non esse remissum, arg. dictorum supra, nu. 78.

De fructibus beneficiorum male impensis.

SVMMARIVM.

94 *Confessarius quid de impensis beneficiarij iudicabit resoluze.*

94 *Impensa omnis inordinata peccatum, sed magis clerici, quam laici.*

94 *Regularis beneficiarij impensa quæ iusta, & quæ non.*

94 *Beneficiarij regularis, & secularis quæ impensa recta.*

94 *Beneficiarius quæ prisane impensa non restituet.*

94 COmmunis & vera opinio habet, Beneficiarios impendentes fructus suorum beneficiorũ in prauos, vanos, vel profanos vsus, & ab eisdem accipientes, non solum peccare: sed etiam ad restituendum teneri, vt late probamus, declaramus, & limitamus in Commen. c. fi. 16. q. 1. & latius in eius Apolog. q. 1. 2. & 3. & Summam quorum hùc spectantium in monito vltimo dictæ q. 3. quamplurima continentẽ pro paucis, quæ hoc in loco in vulgari posueramus, in gratiam confessariorũ de verbo ad verbum reponimus. Nempe quoad admonendi sunt confessarij, & consultores beneficiariorum, ne facile peccati mortalis & restitutionis damnent, vel absoluant beneficiarium confitentem malam bonorum suorum impensam, immo mature considerent.

Primum, omnem impensam quorumcunque bonorum à quibuscunque, quocunque modo factam, si est inordinata hoc est contra rectam rationem naturalem, diuinam vel humanam, omnem item retentionem inordinatam esse peccatum saltem veniale, quia illa est prodigalitas, hæc auaritia, hæc est contra virtutem liberalitatis per defectum, illa contra eandem per excessum: & ita vtraque mala, & peccatum saltẽ veniale, quod probat sanctus Tho. 22. q. 118. art. 1. & 119. art. 2. Inter impensam autẽ prodigam, & retentionem auaram beneficiariorum de reditibus ecclesiasticis ex vna parte, & similem de reditibus laicis ex altera, hoc distare, quòd hęc regulariter est venialis: illa vero mortifera, vt diximus in dicta Apolog. prædicta q. 1. monito 39. post S. Tho. in dicta q. 119. art. 1.

Deinde animaduertant, An sit regularis, vel sæcularis. Et si est regularis, eadem censura censeant impensam factam ex alijs bonis, quoquo modo quæsitis ante vel post professionem ac de reditibus ecclesiasticis, quia illa omnia sunt ecclesiastica, eo quod quidquid habebat ante professionem, fit per eam monasterij, vel ordinis. auth ingressi. C. de sacrosan. eccle. cap. in præsentia. de proba. & quidquid post eam quęrit, adquirit eisdem, cap. cum olim. 2. de priuil. & dictũ est in dicta Apolog. q. 1. monito 10. & tribus sequentibus, & 56. & 62. & modum restituẽdi male impensa pono ibidem q. 2. monito 20. Si autem est sæcularis, consideret cuius speciei sint bona illa, quæ impendit, & non censeat eũ mortaliter peccare magis quàm laicum, si bona illa erant patrimonialia, per posita in monito 22. Quorum in numero sunt etiam ea, quæ ratione dignitatis clericalis, missando, prædicando, confessiones audiẽdo, & alia sacra ministrando, quæsierit, vt ibidem, & in monito 72. probatur. Idem si erant ecclesiastica, sed reliquata ex illi eorum parte, quæ illi ad decentem vitam erat conueniens, per monitum 30. & duo sequentia quæstione 1. & monitum 77. eadem q. etiam si auare

fuerint relicuata, siue residua facta, prædicto mon. 30. & seq. Idem si ea beneficiarius pie sit commeritus ex obsequijs ecclesiæ præstitis vltra ea, quę tenebatur præstare inseruiendo ministerijs suo beneficio, per posita in q.1. mon. 78 vel si tantundem dederit ecclesię suæ vel pauperibus ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, quantum de reditibus ecclesiasticis impenderit, monito 77. Ita quod tantundem potest pro patrimonialibus habere de reditibus beneficij, quantum in eleemosynas & alia opera pia impenderit, post quam beneficium fuit adeptus, per idem monitum, quod est maxime notandum. Iudicet etiã bene impensum, quod datum fuit pauperibus quibuscunque etiam alienigenis & locis pijs extra suam parochiam, vel episcopatum sitis, per dictum monit. 77. etiam si non fuerint data in necessitatem naturæ, sed tantum decentiæ personæ, per mon. 77. Idem faciat si fuerit impensum in decentiam, aut vtilitatem ecclesiæ immediatam, vel mediatam, hospitio suscipiendo regem, proceres, & iudices eius: litteratos item, & alios amicos, & etiam aliquando inimicos, vt loco & tempore opportunis prosint, vel non noceãt ecclesiæ, vel iuribus eius, vel litigando pro iuribus ecclesiæ, vel pro sua electione vel prouisione. per mon. 77. & 78. q. 1. Idem si fuerit impensum in remunerationem obsequiorũ à cognatis, amicis, vel famulis ei præstitorũ, per mon. 81. ead. q. Idem iudicet de vere irreuocabiliterque donatis ad quæuis opera pia, etiã in articulo mortis, per d. mon. 81. & seq d. q. 1. Idem etiam de illo superfluo beneficiarij, quod seruat in pia opera etiam futura, modo probabiliter sperentur, per moni. 77. Nec putet male impensum, eo quòd beneficiarius male viuat, & ob id perdat fructus modo aliàs canonicę possideat, per mon. 79. Idẽ item iudicet, de quæsitis per distributiones quotidianas, quod de alijs reditibus, per mon. 79. & de quæsitis per pẽsiones, per monit. 80. Pro male vero impenso iudicet retentionem superfluorum sine iusta causa, & sine proposito impendendi pijs operibus, saltem futuris probabiliter speratis, per mon. 75. Beneficiarium autem, qui fuerit confessus se impendisse notabilẽ quantitatem de reditibus ecclesiasticis male, vane, aut profane extra casus & modos sub prædictis cõprehensos, peccasse mortaliter, tenerique ad restituendum, qua parte poterit illam, piis operibus. Iudicet item diuitem, qui gratuito contractu recipit à beneficiario aliqua, sciens non esse patrimonialia, vel quasi patrimonialia, neque ob causas prædictas largita, peccare mortaliter, tenerique ad procurandũ, quòd donans restituat, & restituere, si ille id nõ fecerit, iuxta monit. 81. q. 1. De restitutione autẽ lucri, quod in ludis fit, dicetur in c. 19. & de restitutione famæ in c. 18.

Præceptum contra septimum peccant hi.

SVMMARIVM.

95 *Præceptum contra septimum peccat mortaliter qui accipit alienum. & seqq.*

103 *Mercenario & famulo male soluens, vsque*

vsque ad nu. 112.

114 *Excommunicatio non obligat eũ qui clam sua recuperat.*

114 *Debitum tantum legale recuperationem occultam iustificat.*

117 *Legatum pium male solut.*

118 *Necessitas extrema excusat à peccato, sed non à restitutione. & numero 119.*

120 *Venatus & piscatus prohibitus & an restitutio excusat. 25.*

121 *Restituere qui domini iubent inuti liter.*

122 *Custos pascui Venatus & piscatus &c 123. 124.*

126 *Columbarium quod licitum. 17.*

127 *Animalia aliena qui ferit, occidit, vel includit. & nu. 128.*

128 *Apes & examina earum capient.*

95 PEccat primò cõtra septimum præceptum, qui rem alienam notabilem furatur, vel vult furari, vt supra, nu. 1.

Secundò, qui rem suam propriã, credens esse alienam, accipit, quamuis quo ad forum exterius pœnam non incurrit, si per id nemini nocet, arg. l. inter. § pen ff de furt. nec quo ad forum interius ad restitutionem obligatur, vt ibi. nu. 2.

Tertio, qui rem suam, in quam aliquod ius alius habebat, contra eius voluntatẽ contrectat, vt pignus traditum, aut equum locatum vel commodatum supra, nu. 26.

Quartò, qui vi accipit aut vult accipere aliquid, quòd peius est quàm furari, est enim rapina. cap. pœnale. 14. q. 5. & est alterius, & peioris speciei secundum S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 9. ideoque habet circunstantiam necessario confitendam, per prædicta supra, cap. 6. num. 3. & non solum de accepto: sed etiam de honore, quem per iniustam viã abstulit, satisfacere tenetur, vt alij, qui sine rei ablatione iniuriam faciunt, iuxta sententiam eiusdem S. Tho. vbi sup. & aliorum: & eadem videntur dicenda de illo qui cogit, vel cogere vult ad dandum, vel faciendum aliquid, argumento totius tit. ff. quod met. cau. & de his, quæ vi in volu. Gregoriano, & lib. 6.

Quintò, qui rem sacram ex loco sacro, aut non sacro: aut rem nõ sacram ex loco sacro furatus est. quin & plus peccat, quàm fur simplex: & alterius speciei peccatum nempe sacrilegium admittit, c. quisquis. 17. q. 4. Et si id commisit effringendo fores, fenestras, seras, tectũ, aut parietem ecclesiæ, est excommunicatus ipso iure. cap. conquesti. de sent. excom. de quo infra c. 27. nu. 97. quamuis non ob solã effractionem, quam furtum non sequitur, nec ob solum furtum sine effractione, licet vtrumque sit peccatum graue, & propter iniuriam, quæ per vtrumque infertur ecclesiæ, puniri debeat, vt post Panor. Fel. & communem in dicto cap. conquesti. diximus. Cui consequẽs est id, quod Io. Maior in 4. dist. 15. dixit, scilicet, quod qui effracto sacrario sanctissimum Eucharistiæ sacramentum furaretur, excommunicatus esset. Locus autẽ sacer, quoad hoc dicitur quęlibet Ecclesia, xenodochium basilica, eremitorij auctoritate Papę, aut episcopi ædificata, c. constitutus. de relig. domi. aut cœmeterium per illos sacratum, c. 1. de consecr. eccl. lib. 6.

96 Sextò peccat, qui recepit aliquid notabile vt faceret quod facere te-

nebatur, vt iudex, pro ferenda iusta sententia, aut testis pro dicēda veritate, aut accusator pro accusatione iusta, ad quā tenetur, aut vt desistat ab ea iniuste, c. nō sane. 14. q. 5. c. militare. 15. q. 1. l. 1. & 2. ff. de cōd. ob turp. cau. & obligatur restituere, quod accepit ei, qui dedit, vt dictū est supra eo. c. nu. 37. Et quamuis grauius peccet, qui capit, vt faciat quod facere non debet: aut omittat quod facere debet: non tamen tenetur ex præcepto restituere, quod accepit, quamuis ad damnum, quod fecit tenetur per dicta supra eo. cap. nu. 33.

Septimò, qui alterius iussu aliquid emit, & dixit pluris emisse, quo sibi illud plus retineret, iuxta S. Anto. nisi pro impensis necessarijs acceperit aut venditor donauit ipsi, & nō pro quo emit, arg. cap. requisisti. de testa.

Octauò peccat, qui distributor onerū, & commodorū alicuius cōmunitatis vel alius, nō distribuit iuste, alijs plus oneris, quàm debet imponendo, & alijs minus commodi, quàm par est tribuendo, secundum Anton. & omnes: quamuis nec odio, nec alio malo animo id faciat, nisi ignorantia probabilis iuris, aut facti eū excuset, quia iustitiam distributiuā violat, & restituere tenetur grauato id in quo grauauit, secundum omnes præsertim Caie. 2. 2. q. ar. 2.

Nonò peccat, qui prælatus, aut dominus, cui est ius cōferendi beneficiū ecclesiasticum, aut officiū publicū, confert illud indigno secundum omnes. vt in c. graue. de præb. diximus, & restituere tenetur etiam si sit Papa, secundum omnes, non quidē digno, vel digniori, vt aliqui dicūt, sed reipub. vel ecclesiæ cui damnum intulit, per supra dicta eo. nu. 71.

97 Decimò, qui impediuit aliquem etiam sine malo animo, à cōsequutione alicuius boni, officij, aut beneficij, in quo erat ei quæsitū ius in re, vel ad rē, vel malo animo à cōsecutione alius, in quo nondū erat tale ius quæsitū. Sed in priore illo casu tenetur ad restitutionem, in hoc vero nō, nisi vi, metu, mēdacio, aut minis id faceret, per dicta sup. eo. c. nu. 17.

Vndecimò, qui pœnā vel multam iniustam imponit, vel est causa, vt alius id faciat, aut ne suum ius consequatur, cū restituendi obligatione, iuxta omnes, arg. c. fi. de iniur. & l. qui occidit. ff. ad leg. Aquil.

98 Duodecimò peccat, qui sibi capit aliqua eorum, quæ in mari amittūtur, neque sunt piratarum, nec infidelium, siue ex naui, siue ex mari, siue ex litore accipiat, cū restituendi obligatione, c. excommunicationi. de raptorib. l. si quis. ff. de incēd. rui. & naufra. & l. deprecatio. ff. ad leg. Rhod. quamuis ea perirent nisi ille occuparet, qualia sunt farina, saccarum, papyrus, cum ex charitate opem suis proximis ferre teneatur, d. cap. excommunicationi. & si fuerit in mora restituendi, etiam ante monitionem ipso facto est excommunicatus quo ad Deum, licet quo ad ecclesiam debeat præcedere monitio, vt ibi declarat Panor. Quod locum habet, nisi periculo mortis etiam non adeo probabili se obiiciat, quò ea seruaret: quia tunc sibi retinere posset, eo quod ad opē ferendā cum tali periculo non teneatur. Quamuis etiam tunc si dominus iuste speret se recuperaturum suum per aliud mediū, scilicet, quia mare

mare ad litus eiiceret, aut inueniret alios qui mercede illud periculum subirent, restituere tenetur, soluta sui laboris mercede iudicio boni viri, iuxta S. Anton. 2. par. tit. 1. ca. 15 §. 2. Angel. verb. naufragium. §. 3. & 99. Syluest. eod. ver. q. 2. Quamquam simplex qui crederet illud accipere sibi licitum esse per statuta regionis, aut per aliquam aliā rationem, mortaliter non peccaret, nec ipso iure excommunicatus esset, licet respondere teneretur, si iudex sub excommunicationis pœna moneret scientes ad manifestandum. Inter omnes autem conuenit, capta omnino derelicta, vel pro derelictis habita, non esse restituēda, per ea quæ infra eod. nu. 170. de rebus inuentis dicentur. Non tamen putatur habitum pro derelicto, quod in mare ob procellam ad nauim onere leuandam iacitur, secundum gl. Panormit. & communem in capit. cum dilecti. de accusat. quamuis sic illud, quod dominus deserit, eo quòd existimat. quòd licet recuperari sine probabili periculo vitæ posset, neminem tamen illud subiturum, l. si quis merces. ff. pro derelict. Idem dicendum de accipientibus ab iis, quorum domus & bona igni deflagrant, qui grauius peccant, quàm qui simpliciter furantur. Gab. in 4. dist 15. q. 3.

Neque obstat, quòd quidam ait me affirmare hic, posse quemquam capere, & seruare sibi bona Christianorum piraticam exercentium per naufragiū amissa. Non inquam, obstat, quia respondetur primo, me neque affirmare, neque dicere illud: sed longe aliud, scilicet quod peccat, qui capit aliqua eorum, quæ in mari amittuntur, neque sunt piratarum, nec infidelium, &c. quod est aliud ab eo, quod ipse imponit. Item quod in meo dicto nulla mentio fit de Christiano exercente piraticā. Tum quod solum damno capientem bona in mari amissa, si non sunt piratarum, & infidelium, & hoc est verissimum. Quod autem idem sit de bonis piratarum, & infideliū omitto dicere: & casus omissus habetur pro omisso, & relinquitur iuri communi, commodissime. ff. de liber. & posthum.

Secundò, quòd non debuit per subauditionem, & per argumentum à contrario sensū corrigere meum dictum, cum huiusmodi argumenta non debeāt sumi ad probandum id, quod est contrarium iuri, capit. à nobis 2. de sentent. excommunicationis, & traditur in aliis mille locis, quarum aliqua referunt Panormitan. & Felyn. in capi. cum Apostolica. de iis, quæ fiunt à prælat. & Felyn. in capi. significasti. de foro comper. Et consequenter si est verum iure communi, vt ipse colligit contra me, male profecto colligit per subauditionem, & à contrario sensu.

Tertiò, quòd asserit esse verum etiam id, quod colligitur à contrario de infidelibus, cum quibus est nobis bellum iustum: & quilibet pius debuit credere, non intellexisse me de aliis, cap. estote misericordes. de reg. iur.

Quartò, quòd nec per somnium vnquam intellexi res à piratis raptas non debere dominis eorum restitui, si cognoscantur: quamuis de receptis ab hostibus iustis, & postea recuperatis distinguatur in l. 2. &

aliquot

aliquot aliis, ff. de capti. & postli. reuer.

Quintò, quòd non tam facile debuit damnare sine vllo auctore id, quod ego sequutus S. Antoninum, Angel. & Syluestr. æque videor mihi dixisse, nempe quod qui cepit aliquid amissum in mari potest sibi retinere, tribus concurrentibus.

Primum quod illud omnino erat perditum, si non saluasset ipse. Secundum quod perdiderit specie recuperandi. Tertium quod saluans illud maximo vitæ periculo ob id se obiiceret.

Nec obstat ratio illa generalis, quòd res aliena vbicunque reperiatur, est domino restituēda, quoniam id non est perpetuo verum: fallit enim cum iusta causa contrarium suadet, vt in capi. ne quis. 22. quæst. 2. Et in re vsucapta. tot. tit. ff. de vsucap. Et in re pro derelicto habita. tot. tit. ff. pro derelict. Et in clam accepta pro legali debito, iuxta supradicta, capit. eod. nume. 5. in ea, quam Princeps iusta de causa militi concedit, l. item si verberatum. ff. de rei vend. & l. Lucius. ff. de euict. & in casu proposito, videtur interuenire iusta causa conflata ex eo, quod dominus satis præsumi potest habuisse pro derelicto: & quod capiens non tenebatur tam grande periculum subire: quod alioquin illud omnino periisset. Et quod sicut vsucapio iustificat acquisitionem rei alienæ, ne incerta sint rerum dominia. l. 1. ff. de vsucap. à fortiori videtur iustificare causam retinendi huiusmodi acceptum, ne omnino periret, cum longe peius sit rem omnino perire, quam eius dominium penes quem sit incertum esse adiuncta præfata spei reuocandi amissione, & præsumptione derelictionis. & quòd fortunæ, quæ est ipsa prouidentia diuina insperatam rei recuperationem rei concessit.

100 Decimotertiò peccat, qui nō casu sed de industria in aliquam domum, aut locum, aut segetes ignem immittit, cum restituendi obligatione, cap. pessimam. 23. quæst. vltim. & capit. si quis de iniur. Et si locus erat sacer, puta ecclesia aut cœmeterium, aut xenodochium, &c. ipso facto est excōmunicatus, & quamuis antequam denūtietur ab episcopo, absolui possit, non tamen postea. Panorm. & communis in capit. conquesti. & cap. tua. de sentent. excommunicat. Sed si locus non est sacer, non est ipso facto excommunicat. quamquam excōmunicari debeat. Et tales quando dicantur denuntiati aut non, dicetur in capi. 27. nu. 94. Auctor vero incendij, aut alterius delicti manifesti, occultus, non potest pœn. excommunica. compelli ad se manifestandum, sed ad restitutionem debitam faciendam sic, capitu. quidam. 5. q. 1. & Caieta. in Opuscul. lib. 17. Respon. 14. responsione.

101 Decimoquartò peccat, qui soluit, aut solui facit iniuste, ob debita in carcerem iuste coniectum, cum obligatione restituēdi debitum creditori, quamuis misericordia motus id faciat. 10ā. de Platea in l. quoties, de exact. libr. 10. nisi sit adeo pauper, vt neque per se, neque per aliū probabiliter soluere posset: quia tunc quemadmodum ipse se soluendo, & fugiendo non peccat, ita nec alius, qui fugæ auctor esset, nec restituere creditori tenetur, secūdum communem, quamuis secūdum aliquos sic, ad compensandum damnum, quod inde carceris custodi eueniet. Contra quos tenet Caietan. quam sequimur. 2. 2 q 66. artic. 4. eo quòd, qui è carcere licite fugit, ad damna custodis non tenetur, quia illud damnum per accidens sine intentione eius, qui se carcere liberat contingit.

102 Dixi: Coniectum in carcerem ob debita, carceratus enim ob delictum, morte, aut abscissione membri dignū, licite fugere potest, iuxta S. Thom. 1. 2. q. 69. articul. 4. ad 2. siue peccatum occultū sit, siue publicum, siue condemnatus sit, siue non. Syluestr. verb. fugere. quicquid dicat Cardinalis in clemē. pastoralis de re iudic etiam effringendo, aut limando compedes, & etiam carcerē rumpendo, modo vim carceris custodi non inferat, aut alteri iustitiæ ministro, quicquid dicat Henri. Quoli. 9. arti. 25. & Syluestr. vbi supra, vt optime Caiet in d. articu. 4. defendit, & à fortiori ratione, fugere potest is qui quæritur, vt capiatur iuste aut iniuste cum volūtate satisfaciendi tantum quantum conscientia recta dictat. Qua eadem ratione potest quis alterius fugam sine peccato iuuare, vt antequam capiatur à iustitiæ ministris, liberetur, quādo nec ex obligatione sui officij, nec ex mandato Regis, nec alterius superioris, nec ex ex qualitate delicti, nec ex alia re particulari prohibetur, & credit quòd suo iudicio, sine carcere, & sine pœna teporaria resipiscet à peccato, vt in cap. inter verba. 11. q. 3. cōclus. 6. diximus, & infra c. 25. num. 38. repetemus, addendo quædam Caietan. in d. art. 4.

103 Decimoquintò peccat, qui captiuus fugit, aut fuit causa vt alius captiuus à suo domino fugeret, cum obligatione restituēdi eundē captiuum, si potest, sin minus æque bonum, aut pretium, & præterea omnia, quæ ille fugiēs furatus est, quia quemadmodum fuit causa fugæ, ita & omnium, quæ fugam adornans surripuit, arg. c. fi. de iniur. secundum dicta supra in c. 11. nu. 12. quamquam Christianus captiuus apud Infideles. fugiendo non peccet, nec qui eri auxiliatur, arg l. 1. C. ne Christ. mancipium. si tempore pacis, aut iniusti belli ex parte Infideliū captus fuit, arg. cap. Dominus. 23. q. 2. & q 8 cap. vt pridem. Idem est, si Christianus iniuste ab alio Christiano detinetur: sed si captus fuit in bello iusto ex parte Infidelium, quale esset, si Christiani tempore induciarum, aut pace cum illis constituta, Infideles adorirentur, restituere honestam redemptionis mercedem tenetur, argu c. noli. 23. q. 1. quamuis non personā propter animæ periculum. Ad nullam etiam restitutionem teneretur in casu aliquo si infidelis ad circuncisionem, aut idololatriam Christianum compelleret, quia ipso facto omnino liberatur. capit. nulla. 54. dist. & ita qui liberauit, non peccat, quin bene meretur Syluestr. verb. furtum. q. 6.

Neque obstat, quod quidam ait, me dicere hic, captiuum in bello captum non posse fugere, & ad suos redire, quod ea ratione dānat, quod non distinguo inter seruū emptum, & bello captum, vt Sotus distinguit lib. 4. q. 2. artic. 2. de iust. & iur. Non, inquam, hoc obstat, quia respondetur

tur primo, non dicere me id, quod mihi imponit: quia non loquor in specie de captiuo fugiente ab hostibus ad suos, sed in genere de captiuo fugiente à domino suo.

Secundò, quòd citat gloss. cap. iusgentium. 1. dist. quæ sine vlla distinctione definit, seruum in bello iusto captum peccare fugiendo à suo domino.

Tertiò, quòd Sotus non firme asseuerat distinctionem inter seruum emptum, & bello captum: sed eam sine vllo auctore allegato facit per verbum, reor, & paulo post defert iudicium iurisprudentibus, miscendo aliqua, quæ iusta dolabra indigẽt. In quibus est, quod c. si quis seruum. 17. q. 4. non probat conclusionem præfatæ gl. in quã ipsam citat. & quod non loquitur de seruo fugiente, sed de solicitante eum ad fugiendum, & quod potest intelligi de emptitio, quæ responsio confutatur. Tum eo quod si peccatum est solicitare seruum ad fugiẽdum, à fortiori peccatum erit seruo fugere, cũ plus delinquat regulariter faciẽs actum, quàm consulẽs illum per c. 1. cum ei adnot. de offic. deleg. & per dicta supra eo. c. num. 14. Tum quod ex nulla parte illius c. nec c. præcedẽtis, quod ei concordat potest colligi cõcilium Gangrense, vnde fuerũt illa excepta agere de seruo emptitio magis, quã de bello capto. Tum quod nullum iurisconsultorũ responsum in ff. nec vlla Imperatorum constitutio in C. nec vllus Commẽtator eorum classicus eius nouã distinctionem, quòd meminerim, facit. Tum quod iusgẽtium publicam tantam, vel maiorem auctoritatem potuit dare dominis super captos in bello quantam consensus priuatus: cum auctoritas publica præsertim omniũ gentium maiorem potestatẽ habeat in personas hominum, quam vllus priuatus, argument. l. liber homo ff. ad leg. Aquil. & cap. contingit. de sentẽ. excommu. cum adnotatis ei, & alibi sæpe. Præsertim quod causa publica inducendi seruitutem bello captorum multa iustior fuit, quam causa priuata, ob quam se quis vendit, quia fuit conseruatio publica vitæ innumerorum bello captorum, & causa seruitutis per emptionem fuit priuata, & pauciſſimorũ. Tum quod Couarruuias in locis per opponentem citatis, scilicet capi. peccatum. 2. par. §. 11. nu. 6. & cap. 11. num. 10. lib. 1. variar. resolut. nihil de hac dist. meminit & expresse in dicto capi. num. 10. approbando præfatam gloss. affirmat, peccare seruum fugientem à domino, si fugeret extra limites hostium, redeundo ad suos, etiam si Christianus ab Infidelibus iusto bello captus.

Quartò quòd praxis totius ferè ecclesiæ Christianæ cogit seruos redire ad dominos suos, nisi sint Christiani, & inueniantur in regnis, quæ de more antiquissimo non ferunt, vt in illis vllus Christianus sit seruus, qualia sunt regna Francorum, & patria communis Roma, quæ donat libertate Christianos seruos sese certo modo sibi subdentes. A quibus tamen absoluendis sine concepto proposito redeundi ad dominos suos audiui abstinuisse multos eruditos confessarios.

105 Decimosextò, qui recipit aliquid gratuitum ab eo, qui donare non

non poterat, nisi ignorantia probabilis excuset, & ad restitutionem tenetur Monal. in summa. Donare autem non possunt Abbates, religiosi, moniales, c. non dicatis. 12. q. 1. ferui, & alij, qui non habent aliquid suum proprium, & filij qui sunt in potestate patris. l. filius familias ff. de donat. Licet hi cognatis donare bene possint, si liberam administrationem haberent, & etiam aliis, & suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus. d. l. filius. cum gloss. & communi. Possunt etiam illi omnes, cum expressa vel tacita facultate superioris donare. Quam habere creduntur, qui cum eorum facultate studeant, peregrinantur, ad largiendas eleemosynas pauperibus, iuxta id quod alij scholastici suæ conditionis regulariter faciunt, argu. l. si longius. ff. de iudi. gl. dicti c. non dicatis. & l. 2. ff. de iurisd. omn. iudi. Et etiam in casu extremæ necessitatis, & etiam magus, si ad superiorem non pateat confugium, iuxta Panormitanum receptum, in c. si quis. de furt. & gl. d. c. nõ dicatis. Neque etiam vxor, quæ præter dotem non habet alia bona, quæ Paraphernalia vocantur, donare regulariter potest, sine expresso, aut tacito consensu mariti, 106. nisi quando ipse ad id tenetur, iuxta gloss. cap. quod Deo pari. 33 q. 5. Sub qua limitatione includi possunt octo casus, quibus vxori donare est licitum, quos post alios in 4. dist. 15. Syluestr. ver. eleemosyna. q. 5. scripsit. Neque furiosus, qui non habet certa intervalla, in quibus ad mentem redire solet. l. Iulianus. ff. de minor. Neque pupillus absque tutoris sui auctoritate. l. pupillus. ff. de acquiren. rerum domin. Neque prodigus, qui habet curatorem, aut est ei bonis interdictum, l. is cui. ff. de verb. obligat. cum not per Barto. & alios. Neque minor 25. annis: quamuis eius donatio valebit, si post illos eam ratam habuerit, l. fin. C. si maior factus. Neque personæ ecclesiasticæ de reditibus ecclesiasticis, nisi ad pia, vel modis tactis supra eo. nu. 94. Neque hæretici, nec rebelles, nec alij similes, quos lex ob sua delicta suis bonis ipso facto priuat, capit. vergentis. de hæret. c. cum secundum, eod. titu. lib. 6. l. quisquis. C. ad leg. Iul. Maiestat. Quamquam illi, quibus donata ab illis sunt, vsque ad sententiam declaratoriam retinere possunt. Ange. ver. donatio. 1. §. 4. Sylues. eo. q. 1. § 8.

Decimoseptimo, qui recipit aliquid notabile pro se sciens non esse illius à quo accipit per contractum, siue oneroſum, siue gratuitum, Alex. 4. part. quæst. 86. cum restituẽdi obligatione, vt dictum est, supra eo. cap. num. 10.

107 Decimooctauò, qui se sanctũ, deuotum, pauperem, infirmum, aut religioſum, cum nõ esset, simulauit, vt hac simulatione eleemosynam ab eo, qui patefacta sibi veritate nõ dedisset, obtineret, cum obligatione restituendi quod datum ei fuit, non illis à quibus accepit: quia iam apud Deum mercedem suam consequuti sunt, sed pauperibus, iuxta Scotum communiter receptum in 4. lib. sent. dist. 15 q. 2. & copioſius Adrian. in 4. de restitut. q. 15. Sotus tamen postea lib. 9. q. 7. art. 3. de iusti. & iure. tenuit, quòd huiusmodi hypocrita ad restitutionem non tenetur, nisi eleemoſyna magna esset: sed communis

videtur

videtur verior, quia quod eleemosyna sit magna vel parua non refert quo ad forum interius, de quo agimus, quia non refert nisi quo ad præsumendum, An erogãs habuerit, aut non habuerit animum absolute erogandi, argu. cap. & si quæstiones. de simon. & præsumptio cessat in foro interiori, vbi sola veritas valet, cap. tua & c.is qui. de sponsa. Quam tamẽ cõmunem limitamus, ne procedat, quando simulatio non est causa finalis, sed tantum impulsiua. arg. tex. optimi in l.2. §. fi. ff. de donat. qualis videtur esse simulatio, qua paruæ elleemosynæ adquirũtur. Et quoties sic quæsitum fuerit restituendum non est ei, qui dedit restituendum, vt videtur significare Sotus, sed pauperibus vt ait cõmunis per quos omnia opera pia intelliguntur, iuxta ea, quæ citauimus supra eod. nu. 93. Quia causæ finales illius eleemosynæ duæ fuisse videtur; scilicet amor Dei, & necessitas proximi habiti pro seruo Dei: & ideo quamuis hæc secunda cesset, & ita quo ad pauperem simulantem erogatio non valeat, quo ad Deum tamen valet: quia cessante vna ex duabus causis finalibus, non cessat dispositio. §. affinitatis. Insti. de nup. & in ipsum Deum dominium transijt, eo modo, quo eius, quod diuinæ suæ maiestati donatur, transit. arg. l. si quis ad declinandam, iuncta gl. verb. minui. C. de episc. & clerc. & si quis in nomine. auth. de eccle. tit. colla 9. & not. per Inno. in c. cum super de cauſ. possess. & ideo impendendum est in ea, quæ ad ipsum Deum specialiter pertinent, sed nõ necessario in solas pauperum personas.

Nec obstat, quod quidam damnet hanc meam sententiam, qua teneo eleemosynam factam simulanti se pauperem, cum non esset, non esse restituendam facienti eam, etiam si esset magna: quia Sotus contrarium tenet. Non, inquam, obstat, quia respondetur primo, me allegato Soto, & perpensa eius ratione tenuisse, quod nunc teneo. Tũ quia ipse fundatur in præsumptione, quę non habet locum in foro conscientiæ, de quo loquimur, cõtrà veritatem, quę in eo respondet. Tum quod datum principaliter amore Dei, licet non acquiratur ei, cui datur, acquiritur tamen Deo, & operibus piis, quæ sunt ipsius, vt antea respondi. Tum quod causa principalis eleemosynæ, quæ legitime datur, principalior est Deus, ipse, quam is, cui ob eius amorem datur. Et quod causa finalis est potius attendenda, quàm impulsiua. Et quod cum sunt duæ causæ finales alicuius actus, cessante altera nõ cessat ille, sed conseruatur ab altera, vt probo in contextu. Et quod opinio Soti procedit non solum in eleemosyna magna: sed etiam in parua, quando cõstat largitorem eius noluisse dare Deo, nec operibus piis aliis, si non esset quærenda ei, cui datur per multa, quæ breuitas Enchiridij, & occupationes maximæ non patiuntur scribere.

108 Decimonono, qui mercenario diarium suum statim non soluit, contra c.19. Leuit. *Non morabitur opus mercenarij, &c.* Vel. soluit quidem, sed non in ea re, quam debet, sed alia, puta panno, aut esculẽto contra eius voluntatem, cũ possit soluere in re conuenta, & si in ea non poterit

soluere, id in quo soluet æstimandum exit iuxta pretium commune. Et si mercenarius eo non indigens illud vendit, & nõ inuenit pretium, quo accepit, ad damnum tenetur, iuxta S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 17. §. 8. & communem. Quod meminisse deberent confessarij, & admonere conionatores in eis terris, in quibus duces & alij ministri Regũ soluunt stipendia militibus in pannis, quibus illi non indigent, quoſque longe viliori pretio statim vendere coguntur. Ad soluendum tamen diarium temporis, quo seruus ægrotauit, nõ tenetur herus, gl. in l. si vno. §. cum quidam. ff. locat. Et si mercenarium, vel quemlibet alium famulũ, qui suas operas locare consueuit, nullo pretio statuto suscepit, tenetur ei soluere tantum, quanti alium similem conduceret. Et si pretium statuendum est arbitrio heri, taxandum est boni viri arbitrio, Federic. cõs. 18. Ange. & Sylvest. verb. familia.

Huic loco congruit quæstio illa iam pridem nobis proposita, An qui donauit sua, aut renunciauit beneficio suo, vt posset iuste cooptari in aliquod collegiũ, in quod soli pauperes cooptãtur, sit habilis ad illud? Ad quam numquã antea fui ausus respondere, licet sæpe rogatus, præsertim Salmanticæ. Tunc autem adduxi multa pro vtraque parte, quorum summa omissis allegationibus breuitatis gratia, est. Pro parte negatiua vigere, quod paupertas prædicta videtur culpabilis, procurata, & affectata, quæ non debet prodesse. Pro parte vero affirmatiua, quod is est vere pauper tempore cooptationis, quod solũ statuta requirunt: & quod non est factus talis culpa sua: & quod nemo diceret eum inhabilem, si id propter amorem Dei fecisset: & quod studiose, siue virtuose, & meritorie, ac satis propter Deum relinquit bona, qui ea relinquit eo fine, vt adipiscatur locum opportunum studiis & virtutibus, quo apcius maiore cum auctoritate Deo, ecclesiæ, & reipub. inserpiat: quoque muniatur qualitatibus, & opinione necessariis ad consequenda loca, in quib⁹ id præstare valeat. Per quæ tenuimus hanc partẽ, modo donario esset irreuocabilis sine vllo pacto de retrodonando, & renunciatio beneficij sine vllo pacto & confidentia illicita de retrocedendo, quoniam alioqui cessio esset fraudulenta, & ipso iure nulla, per quam non vacaret beneficium, secundum Innoc. in c. cum vniuersorum. de rer. permut. & Rot. in antiq. 7. de renun. & probat extrauag. 1. de simon. Pij iiij. & melius noua extrauag. Pij V. de confidentia. relata infra cap. 23. nu. 110.

Vigesimo, qui nõ vult soluere famulis debitum tacite, aut expresse conuentum cũ illis, cum obligatione restituẽdi per proxime dicta: vel soluere quidem vult pretiũ conuentum, sed illud est longe minus iusto.

109 Vnde sequitur primo, quod maior pars magistrorũ artiũ mechanicarũ, quales sunt sartores, sutores, carpentarij, &c. qui accipiũt famulos, quos tyrones vocant, vt eos doceant suas artes, ob idq; nullam eis mercedẽ tribuunt, aut exiguam, & interdum etiam pro victu, quem illis præbent, aliquid accipiunt. Et scholastici Salmanticenses, qui ac-

cipiunt famulos ex conuentione expressa vel tacita, si illis certum tempus ad studendum concessuros, & panem & duos denariolos pro obsonio, & singulis in singulos menses singula paria calceorum: & postea occupant eos in aliis rebus contra ipsorum voluntatem, adeo, vt non possint discere illas artes, aut studere, peccant cum magna obligatione restituendi damnum, quod illi accipiunt propter tempus discendi & studendi illis ereptum. Et si eos volentes occupant, tenentur illis dare quantum dedissent aliis, qui absque tempore studendi & discendi ipsis seruissent.

Sequitur secundo, peccare cum obligatione restitutionis eos, qui accipiunt famulos, conuentione facta, quod non vacabunt litteris, & illis & amplius stipendium non tribuunt quam aliis, quibus facultatem studendi faciunt, quia notabiliter est minus ea mercede, quam eorum obsequia merentur.

Sequitur tertio, quod nobis, qui absque conuentione expressa pueros precibus parentum accipiunt, & præbent illis victum & vestitum; quale gestabant quando eos acceperunt: & per se aut alios eos elegantia morum, & artibus honestorum hominum instituunt quo ad viri fiant, & tandem eos honeste cultos dimittunt, obligationi iustitiæ, qua erga eos tenentur satisfaciunt. Quia illis ex conuentione expressa, aut tacita plus non debetur, nec plus illa ætas, nec illud obsequij genus meretur, nisi intercederet lex, promissio, aut consuetudo particularis ad plura obligans.

110 Sequitur quarto, quod qui accipiunt æconomos, emptores, a secretis, architriclinos, pueros, satellites, a pedibus, & alios similes famulos cum obligatione, vt sint parati ad illis omnibus diebus, & horis, quibus eis placuerit seruiendum, & non præbent illis victum nec vestitum, sed certam pecuniam, quæ ipsorum victui non sufficit, tenentur soluere reliquum, quod ad eorum victum & vestitum honestum, necessarium fuerit, & præterea honestam aliquam mercedem, pro merito obsequiorum.

Dixi Cum obligatione, vt sint parati ad seruiendū illis omnibus diebus, & horis; quia si non accipiunt nisi vt tres, aut quattuor menses illis seruiant, nō tenebuntur ad aliud, quam quod obsequia illorum mensiū merebuntur, nec si eos accipiunt ad aliquas horas diei, quemadmodum aliqui doctores Salmanticenses aliquos accipiunt in comites, qui eos comitentur euntes ad prælegendum, & inde redeuntes, & diebus festis quando proficiscuntur ad rem sacram, aut ab eadem reuertuntur ipsi, aut ipsorum coniuges, nō tenebuntur ad soluendum plus, quā obsequium illarum horarum cū obligatione paratos se præstandi ad seruiendum illis horis meretur.

111 Sequitur quinto, quod magnates, qui suis famulis dant certam portionem ad victū & vestitum moderatum non sufficientem, non obligando tamen eos ad cōtinuum obsequium: sed solum, vt habitent, aut resideant certū tempus, vbi resederint ipsis, & cōpareant coram ei saltem singulo quindecimo quoq; die semel

semel, non tenentur ad soluendum plus, quam illam pecuniam, si illis plus quam dictum est non seruiant: quia nec conuentio expressa, nec obsequia facta eos ad amplius obligant. Sed si pluribus quam conuentis eorum opera vtantur, tanto plus tenebuntur, quanto plus eos sibi seruiendo occupauerint, & minus temporis ad agenda sua negotia eis relinquent. Quia illorum meritorum iustitia eos, ad id obligat per ius naturale, & diuinum. *Dignus est* enim *mercenarius mercede sua.* Lucæ 10. cap. 1 13 q. 2.

Vigesimo primo peccat, qui clam recipit, quod sibi deberi prætendit pro vsuris dolo, aut alio delicto a se admisso. Licet enim sponte data propter delictū regulariter retineri possint: non tamen iuste peti, & minus tamquam debita legalia recipi.

112 Vigesimo secundo, qui occulte recipit, quod suum est, vel sibi iuste debetur, cum commode iure recuperare posset, aut qui (etsi cōmode iure recuperare non posset) se ob id periculo mortis, aut amissionis alicuius membri, qua iudex propter furtum cōdemnare posset, obiicit: & qui id facit contra conscientiā sibi dictantem quod ita recuperare peccatum est mortale, & qui aduertit, vel aduertere debet, ꝙ ex tali occulta recuperatione redundaret magnū scandalum, aut damnum ei, qui habebat eam rem, quam sic ille recuperauit penes se depositam, aut pignoratam, aut commodatam, licet ad restitutionem non teneatur. Gab. in 4. dist. 15. q. 3. Non est tamen peccatum occulte recipere, quod sibi vere debetur, quando alias illud recuperari non posset propter defectum, iniustitiam, ignorantiam vel affectum iudicis alteri parti fauentis. Et qui quamuis recuperare possit, non tamen commode propter rei paruitatē & magnitudinē sumptus in recuperatione faciendi, aut quia ex tali lite simultates orirentur, aut licite sine lite recuperare posset: nō tamen sine amissione gratiæ & amicitiæ illius, qui debet, iuxta gl. sing. in c. ius gentiū. 1. dist. modo in tali recuperatione eæ condiiiones concurrant.

113 Prima, ne aliquod ex prædictis inconuenientibus sequatur. Secunda, ne plus debito suo accipiat. Tertia, vt restituat damnum corporale, aut spirituale, quod ex eo in aliquē redundaret. Gab. vbi supra, Siluc. in Rosa aurea casu 37. Quarta, vt res quam accipit, non sit aliena, nec furto, nec latrocinio ablata, nec inualide ab eo, qui debet adquisita. Quinta, vt caueat, ne iterum tale debitum sibi soluatur, eo quod debitor recordatus illius debiti, vel pœnitens voluntatis non soluendi illud ei satisfacere velit. Cauebit autem satis, si quo modo honesto debitori, aut eius heredibus significet, nihil eos illo nomine vlli debere, secundum S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 15. §. 1 Sexta, vt illud vere & de iustitia sit ei debitum. Multi enim decipiuntur, nostro iudicio, vsurpantes ex bonis suorum dominorum pro suorum obsequiorum satisfactione, quibus quamuis aliqua compensatio remuneratoria debeatur debito gratitudinis & antidoralis: non tamen debetur de iustitia vera & legali. Obligatio enim gratitudinis, quam antidoralem appellant, non parit actionem

neque ius petendi, sicut obligatio legalis, per notata à sancto Thom. 2.2.q.58.& 106.& ab aliis in l.ex hoc iure.ff. de iust. & iure.& l. sed & si §. consuluit.ff.de pet.hered.

114 Ad hoc autem quæsitum hic respondetur affirmatiue,quod Martinus qui rem depositã apud Ioannem clam accipit pro debito, quod Ioannes ei debet, tenetur reddere, vel manifestare oblatam excõmunicationem contra id accipientem, vel scientẽ: quia nullo iure conceditur, vt creditor accipiat in cõpensationem rem à debitore detentam, si non est sua, & ita est prohibitum per hoc septimum præceptum. Credimus etiam decipi eos, qui putant sibi licere auctoritate propria vlcisci iniurias, quas per iustitiæ ministros non possunt: quamuis gloss. l. nullus.C.de Iudæ.quem Paulus Castten. consulendo sequutus fuit in cõsilio, mihi 203. in impressione antiqua, quod nõ licuit mihi nunc inuenire,) dixit posse. Et etiam qui accipiunt aliquid occulte ob pœnam,quæ illis non debetur ante cõdemnationem, per gl.c.fraternitas.12.q.2.& alia.quę in eius commento diximus. Notãda tamen sunt sequẽtia. Primum,quod excõmunicatio generalis episcopi, qua monitione prẽmissa excõmunicaret scientes & non reuelantes res subtractas alicui nescienti, quis eas subtraxit, non obligaret eum,qui sic recuperauerit; neque etiam id scientes, modo pro comperto haberent, eas pro debito legali fuisse subtractas: secus tamen si dubitarent,licet recuperans eis dicat, quod ad recuperandum suum,tantum quod iustum erat accepit: nisi tanta fide & virtute apud eos esset, vt merito propter eius dictum dubietatem ab animis suis depellere deberent:argu. gl.sing in l.Titio fundus.ff.de condi. & demonstr.& eorum, quæ addit ei Feli.in c. cum contingat. de rescript. Quæ procedunt etiam si episcopus iuberet reuelari eos, qui rem illam pro recuperatione rerum suarum acceperint, vt recte probat Silue.verb. 115.furtum. 1.q 5.quidquid.Rosel. dicat quod ipsum nobis videtur,quando datur excommunicatio specialis ob illam rem, quidquid dicat Silue. vbi supra. Tum quia quamuis specialis sit quo ad rem, tamen quo ad personas generalis est.Tum quia excommunicatio maior generalis non ligat eum, qui mortaliter non peccat,c.nullus.c. nemo, 11.q.3.vt in cap. inter verba.conclus.6.11.q 3.dicimus. Tum qaia nemo se nec alium innocentem tenetur prodere, præsertim ad damnum & præiudicium, c. quis aliquando.vers.non tibi dico.de pœniten.dist.1. Tum quia vt idem Silu. ait, si intentio iudicis est,vt manifestaretur,quamuis acceperit iniustam compensationem intolerab lem errorem contineret,& ita non valeret. cap.1.de re iudic. Tum quia clausula huiusmodi poni solita,in literis Apostolicis sub forma Significauit: intelligenda est quando scitur non fuisse acceptum pro iusta compensatione, aut dubitatur, per dicta in c.inter verba. conclus.6. arg.l. si procurator. ff. de condic.indeb. Nec refert, an res sit deposita,vel non, quo ad forum conscientiæ,quidquid aliqui dicant,arg.l.illud.ad leg. Aquil.& c.1.de transla. prælat.

116 Secundo notandum quod si is qui bene accepit, iurare cogeretur, an sciret quis accepisset, posset respondere,se nescire, subintelligendo intra se aliquem, qui male accepit, arg.cap.humanę aures.22.quæst.5.& eorum, quæ in eius Comment. dixi, & etiam supra cap 12 num.8.Tertio, quod indubium est id, quod dixit doctissimus Medina in Cod. de rest. quæst. 11. scilicet, quod modo supra dicto recuperans cõtra voluntatem debitoris parati ad soluendum illi peccaret, licet non teneretur restituere per dicta supra eod. num. 112. Quarto, quod licet tertius aliquis non debeat regulariter accipere etiã occulte, quod est eius,qui restituere tenetur, & non vult, nec commode compelli potest, vt suo creditori satisfaciat, arg.cap. forte.& cap.denique.14.q. 5. Vxor tamẽ potest de bonis mariti, qui debet & non vult soluere etiam contra eius expressam voluntatem, quia est;socia adiutrix, Genes. 1. Et hoc faciendo adiuuat eum ad seruandam animam, modo sine scandalo id faciat, Gab.in 4.lib. sentent.dist. 15. quæst.1. & prouideat quo maritus intelligat se illi non debere, recuperata scheda remissionis ab eo cui soluet, aut alio modo, per prædicta supra,num.112.

117 Vicesimotertio,qui occulte accipit,quod dubitat,an suum sit,ad illius tamen restitutionem non tenetur secundum Med.in Cod.de restit. fol. 66. quamdiu probabiliter, an suum sit dubitat, an eius qui accipit, quo ad proprietatem:certum tamen est,possessionem eius fuisse illius,qui eam antea habebat, & sic iniuste illam teneri ab eo qui accipit, donec restituat,aut certo suum esse sciat,& sic tenetur ad restituendum, argum. cap. sæpe. de restitut. spol.& l.1. ff.de furt.quæ habet furtum fieri quo ad possessionem.

Vigesimoquarto, qui non soluit legata pia tempore & modo debitis, cap. quia oblationes. 15 quæst. 2. ad cuius peccati remissionem non sufficit propositum in posterum soluendi,si tunc soluere sine magno sui detrimento potest per supradicta eod. cap. nu.66. & 68. quod locum habet quamuis talia legata fiant tantum coram duobus testibus. Quia iusta canonica iura valent,cap. relatum 1. de testamen. non obstante contrario statuto quod tamquam præiudicans libertati ecclesiæ,non valeret.Immo qui scriberent illud & iudicarent secundum illud excommunicati essent, cap. graue. de sentent. excommu. Rosel. verb. excommunicatio 1.18. excommunic. & infra traditur, cap.17 num.32.

118 Vigesimoquinto, qui absque necessitate extrema aliquid ad edendum, aut vestiendum accipit, cum restituendi obligatione, quia illa licet excuset à tanto: non tamen à toto,cap. si quis. de furt.licet cum extrema quisque possit sine aliquo peccato accipere, non pro se solum, sed etiam pro alio,qui est in eadem, si de sito non habet,nec aliter ei subuenire potest,cap.sicut histor.47.distinct. & cap.discipulos. de consec. distinct. 5. Remanet tamen obligatus ad restituendum regulariter exceptis certis casibus, vt dictum est supra eod. cap. numero 61.quamuis oppositum communis dicat. Quæ procedere potest in re adeo parua: vt probabiliter credi possit, dominum eam

graris concessorum,& etiam in magna,quando extreme egenti cõtaret eum, à quo accepit non solum eam ipsi mutuaturum, sed etiã gratis concessurum, si præsens esset quan do accepit. Quæ ratio probabiliter credendi ex rei acceptæ & eius domini circũstantiis colligi potest, scilicet,num sit dives,num liberalis, nũ cognatus & amicus eius, qui accepit,num eleemosynas elargiri solitus: vt recte prædictus Medina no 119 tauit in Cod.de restit. q. 3. Inter omnes autem cõuenit,peccare eos, qui extra necessitatem extremã occulte res alterius etiam illi superfluas ad sibi, aut alteri subueniendum accipiunt, cap.forte.& c. denique.14 q.5. Tũ quia erogatio superfluorum non semper est debita pauperibus.Tum quia etiam quãdo est debita eis per dominos earum est facienda,& ad eos pertinet pauperum & piorum electio,vt in Apolog.prædict.q.1 mon.77, probauimus:& cõsequenter alius nec pro se, nec pro alio accipere potest:nisi vt prædictũ est, & tradit S.Tho.Quod lib.8.art. 12.communiter receptus.Necessitas autem extrema, quæ sit,infra c.24. nu.6.dicitur.

120 Vigesimosextò,qui aliquod animal domesticũ in prædio suo damnum inferens occidit, aut grauiter percutit:quia nõ est ei ius id faciendi,sed solum expellendi ab eo & includendi,donec de damno dato dominus eius monitus satisfaciat.§. ceterũ.Insti.de leg.Aquil.& l.Quintus Mutius.ff.eo.&gl iuncto textu in c. si læserit.de iniur.& damno dat. nisi cõsuetudo,priuilegium,vel aliquod statutum contra disponere. arg.c. fi. de consuet.cap priuilegia.3 dist. & l. omnes populi. ff. de iust. & iure.& trad.Angel.verb.furtum.§ 31.

Vigesimoseptimò, qui venatum, aut piscatum, cum iuste non posset, prohibuit cũ obligatione restituendi emolumentum, quod verisimiliter impediuit. Gab. in 4.dist. 15. q. 5. arg.2.cõclu.5.corol.1.in laqueum, ff. de adqui.rer.dom.Et non potest iuste prohibere, nisi concurrentibus quinque.Primum est auctoritas regia iusta,aut consensus populi lib r à metu, aut præscriptio canonica sine vi & metu introducta.Secũdum, vt ob occasionem ferarum extra loca prohibita,non puniat eos, cui nõ procurant dolis eas è prohibito loco extrahi,vt extra illũ eas capiant: aliàs enim punire posset,arg.cap. ex tenore.de rescrip.l.itaque fullo.ff.de furt. Tertium, vt prohibeat in suis proprijs prædijs,quamuis non sit o iudicio,sufficit vt domini aliorum sua sponte in id consentiant.arg. cap. scienti.de regul.iuris.lib.6.

121 Quartum, vt restituat omne damnũ,quod illæ feræ alienis prædijs faciunt, quorũ domini in damnum eorum non cõsentiunt: quamuis in aliorum damnũ consentiant. Parum tamen prodest quibusdam magnatibus dicere sæpius se restituturos eiusmodi damna, & numquam restituunt. Quintum vt caueat prohibens ne subditi timentes eum,& ministros eius, & fugientes odium & indignationem & minas eorum, quia eis sæpe opus habent, ea petere non audeat, quę peterent ab alijs sibi paribus: quia eiusmodi metus, etiam si aliaqui non esset omnino iustus, inducit restituendi necessi

necessitatem,vt dictum est supra eodem. Quod etiam Margarita confessorum probat, scilicet ne venantes in locis prohibitis occidant, vel mutilent, saltem pro prima vice, quamuis id sancitum sit, quia eiusmodi seueritas non est exercenda nisi in consuetos id facere, & contumaces. Et consuetudo sic puniendi etiam prima vice,iniusta videtur, quam qui seruaret,peccaret mortaliter, quod asserit Siluest. verb. restitutio 3.quæ.2.§.4.& verb. venatio. sub fin.

122 Vigesimooctauò,qui sunt iusti custodes venatus, aut piscatus prohibiti, vt ceruorum, cuniculorum, auium, & siluarum cæduarum,aut pascuorum constituti ab ijs,quorum sunt illa iura. Custodes inquam iurati, aut sola fide adstricti fideliter ea seruare,& non seruant,arg.c 1. & cap.qualiter. de pact. & cap. si vero. de iureiur.nisi scirẽt eos, quos contra facientes inuenissent, fecisse id necessitate,quę eos à peccato excusabat,& non permittit ne eis plura quàm talis necessitas exigit. Dixi: Nisi scirent,&c. quia dubitatio non excusaret, in dubio enim turiora sunt eligenda.cap.ad audientiam.de homic. & cap.si quis autem. de pœnit. dist. 7. vbi late de hoc diximus. Excusarentur etiam, si scirent eos, quos in eiusmodi locis inueniunt, esse consanguineos,aut adeò domini prædictorum iurium amicos, vt probabiliter credant illi eorum venatum placiturum.Non tamen sufficit inuentos tales esse qui si facultatẽ à domino peterent,obtinerent, sed eam petere nolunt. Ex hoc sequitur,peccare cũ obligatione restituendi damnũ custodes,qui dissimulant se videre prædicta loca prohibita ingredientes,quo cędant,venẽtur,aut piscentur in eis propter aliqua dona,aut quia sunt sui amici aut consanguinei:quia tenentur præseruare à damno dominũ ob iuramentum præstitum, & ob fidem datam. Med.Cod.de resti.q.12. col. 2.quamuis non tenerentur per prædicta eo. cap.nu.53. & seq.restituere ea, quæ ob id acciperent.

123 Vigesimonono peccat custos qui se abscondit, ne videatur ab ijs qui talia loca prohibita ingredi volunt, vt ingressos intercipiat,aut puniri faciat secundum aliquos,quorũ opinio dura nobis videtur, saltem quo ad eos, qui permittunt ingredi, quo semel deprehensi iterũ ingredi queant,nec sinũt eos inferre damnũ notabile in locis eiusmodi prohibitis.Tum per ea,quæ diximus in cap.inter verba.11.q.3.Tumquia oppositũ omnes fere custodes faciunt, idque ab omnibus scitur, & ita nemo se deceptum dicere potest, arg. c.scienti.de reg.iur.lib.6. Dixi supra: Custodes,idest constituti ab his, qui iuste prohibent & possident, quia constituti ab ijs qui iniuste & tyrannice prohibent, ad nil tenentur, licet iurauerint se capturos, aut denunciaturos,quos inuenerint, arg. c. 124 In malis promissis rescinde fidem.22 q.4.& cap.non est obligatorium.de reg.iur.lib.6. Notandum tamen est iuste prohiberi venationem certarum ferarũ certis temporibus, scilicet quando pariunt, aut oua faciunt,aut nutriunt,aut tẽpore niuis, aut ne illis, vel illis instrumentis venatus fiat, aut ne talibus

artibus venandi quis vtatur : quia eiusmodi prohibitiones in populi vtilitatem redúdant. Sed qui talium prohibitionum tempore venantur, restituere quod venati sunt non tenentur, nisi post iudicis condemnationem. Med. vbi supra, & probatur per gl. receptam, c. fraternitas. 12. q. 2.

Nec obstat, quod quidam ait, me dicere hic custodes, qui abscondunt se, & venatores, vel prohibita transportantes libere peccẽt, & comprehẽsi multẽtur, peccare, & teneri ad restitutionem. Nõ, inquam, obstat, quia respondetur Primò, mirari me, quod vir religiosus imponat mihi etiã religioso, licet se imperfectiori falsum: cum omnino cõtrarium asseram, & rationibus muniam, & patet ex contextu.

Secundò, quòd tacite insinuat, me opinari peccare omnes, qui vetita venãtur, & pascua prohibita pascũt, & vetita extrahi extrahunt, per illa verba, vt libere peccent : quod ego nec exprimo, nec insinuo, immo arbitror multos nihil peccare per ea, quæ scripsi infra c. 23. nu. 52.

Trigesimò, qui prohibet suis subditis, ne eiiciant, aut ne occidant feras, in suis prædijs damnũ inferentes, cum intentione non restituendi integre damnum, aut postea cũ esset notabile, non restituit, Gab in 4. lib. sent. dist. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 5.

125 Trigesimoprimò peccat, qui ad venandũ profectus permittit, vt canes sui noceant alienis auibus domesticis, puta gallinis, anatibus, anseribus, & id genus alijs, aut quod sui equi, aut famuli notabile damnũ inferant prædijs, aut satis per quę transeunt, aut eorum fructibus, & nõ vult restituere, Ostien. in summa de pœnit. & remiſ. Omnibus de venatione prædictis addo id, quod nemo hactenus attigit, & pauci confessarij (meo iudicio) aduertunt, videlicet, quòd reges & magnates prohibentes, ne feræ palantes, quæ non sunt inclusæ, occidantur à dominis prædiorũ, quibus nocent, non excusantur à peccato per propositũ restituendi damna etiam consequuta restitutione, magis quàm excusatur fur, aut raptor per propositum restituendi quod furatus fuerit, aut rapuerit, etiam sequuta restitutione. Quia licet per eiusmodi propositum & restitutionem cõsequutam excuſetur à peccato quod admitteret non restituendo: non tamen excusatur à peccato, quod admittit dãnificando, aut capiendo aliena inuito domino. Aliud enim peccatum est dãnificare, furari, vel rapere, & aliud damnum illatum furto subtractum, vel raptum non restituere: & ita excusatus ab hoc, non excusatur ab illo: quia à diuersis nõ fit illatio l. Papinianus. ff. de minorib. cap. ad audientiam. de deci. Quare qui per feras, vel animalia domestica nocet prædijs proximi eo inuito, peccat mortaliter, etiam si postea cumulatissime damnum restituat, & consequenter nõ solum oportet eum pœnitere, & confiteri, quòd non sufficienter vel nõ tempore restituerit damnum illatum: sed etiam quòd intulerit illud inuito domino. quod concionatores prædicare, & confessarij meminisse deberent.

126 Trigesimosecundò peccat, qui habet columbarium illicitum cum notabili aliorum præiudicio, arg. c. si bos, de iniur. & l. 1. si quadru. paup. fec. di. Dixi, Illicitũ, quale est, si opportunis temporibus alimentũ non præbeat, nec circũ illud habet agros satos, in quibus sufficienter, saltem pro maiori parte columbæ alantur: nec qui tenet illud est paratus ad restituẽdum quodlibet damnum notabile, quod illæ fecerint quando ei constiterit: nec vnum damnum alio compensatur, puta, quia vicinus eius cui suæ columbæ nocent, non habet totidem quæ tantumdẽ ei noceant: quia concurrẽtibus aliquot horum tolerari potest, iuxta Palud. in 4. lib. sent. dist. 15 q. 2. S. Anton. 2. part. tit. 2. cap. 1. & commu. non autem quando ex illis damnum notabile proximi nascitur, sicut nascitur ex columbarijs aliquorum prædinum, qui nec serunt agros, nec vineas colunt, & habent columbaria columbis conferta, quæ ex satis subditorum, vel vicinorum suorum viuunt, qui contradicere ob metum maioris damni non audent, secundum Io. Maior. in præcitato 4. lib. sent. dist. 15. q. 29. Quamquam (nostro iudicio) regulariter non peccant qui columbaria habent vbi non est lex, quæ ibi prohibeat. & est cõsuetudo, quæ id permittat: & populus non queritur, nec damnum notabile apparet, attento quòd ad populi victum pertinent, & æque fere prosunt stercorando, quã noceant pascendo, & eas reges tolerant, & si non essent columbæ domesticæ, essent palumbæ siluaticæ, vt sunt cornices & aliæ aues, quod optime Syluest. verb. restitutio. 2. q. 4 insinuauit.

127 Trigesimotertiò peccat, qui in suo columbario certa semina spargit, aut aliqua arte vsus est, qua columbas ab alijs colũbarijs ad suum pertraheret, cum obligatione restituendi, si paruitas eum non excusat, Med. in Cod. de resti. quæst. 3. Quod tamen limitandum videtur, vt procedat tantum in eo, cuius principalis finis est alienas inescare: non autem in eo, qui principaliter intendit suas pascere, & retinere, ne alio euocentur, arg. l. si quis nec causam. ff. de reb. cred.

128 Trigesimoquartò peccat, qui sibi accipit, aut includit animalia aliena domestica etiam fugitiua, vt eorum lanã, plumas, aut oua in vtilitatem suam conuertat, aut eis vtatur, secundũ Io. Maior. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 5. Quia ob fugam non desinunt esse cuius erant. §. gallinarum. Insti. de rerum diuis. Idem dicẽdum est de accipiente animalia domum redire solita, vt sunt sues, apes, pauones, columbæ, cerui qui abeunt, & redeũt. Et de illo, qui accipit aut occidit ea priusquam illam consuetudinem reuertẽdi amiserint. §. pauonum. & §. apium. Insti. de rer. diuis. §. naturalem. §. 1. & 2. ff. de adquir. rer. domi. quam amisisse videntur, cum ad horas & dies consuetas bis redire desinũt, post quæ accepta capientium fiunt iuxta gl. l. de quibus. ff. de 129 leg. Apes tamen, aut examina antequam in alueariis includantur. & alię aues ex alienis arboribus acceptæ fiunt accipientis, qui per hoc furtum non committit etiam eas in alieno prædio accipiendo, priusquam ab ingressu eius, aut ab ascensu arboris à domino prohibeatur: immo nec si postea, licet tunc iniuriarum teneretur, l. naturalem. §. pa-

uonum. & §. cruos. ff. de adquir. rer. domi. Prohibitus autem videtur tacite, si prædium est muro, aut sepe cinctum.

De participantibus in damno dato.

SVMMARIVM.

130 *Damnum datum à multis diuisis vel vnitis sub duce, vel sine illo.*
131 *Restitutionem debent qui fauore vel cõsilio impedit.*
132 *Consulens, nec scientiæ ob hoc non multum confidat*
132 *Damnum ad aliquod laudãdo, aut aliàs animat.*
133 *Ratum habens damnum suo nomine datum.*
133 *Ratificans suo nomine factum delictũ semper punitur: quia fingitur esse persona delinquens.*
133 *Testis nocens aliũ tacendo verum vt peccat.*
133 *Metus iustus à testificando, & denũciando vt excusat.*
134 *Monitus sub excommunicatione denuntiare, vel reuelare quid faciet.*
135 *Monitus reuelare ad plus tenetur, quã monitus denuntiare.*
136 *Custos ex officio ad plus tenetur, quam alius.*
136 *Iudex non cogens restituere rei pub. aut priuato.*
137 *Damnum qui dat ministrans alienæ haec faciat nu. 138.*
139 *Furatur qui aliquid ab eo, qui illud dedisset, aut multa parua.*
140 *Damnum datum cum impensis, & interesse restituendum.*
140 *Confessarij cur furi non iubent soluere impensas iustas.*
140 *Damnum datum qui impedit volentem illud impedire: & qui mittit ad terrendum loco, si per incuriam damnum datur.*

130 TRigesimoquitò peccat, qui cũ multis aduna: sub vno Duce, siue vt vulgus ait, Caporali, vel sine illo ad furandum, aut damnificandum vadit, l. 1. ff. si famil. furt. fecis. dic. l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquiliam.

Restituere autem non tenetur, nisi id quod ad eũ peruenit, & id cuius talis causa fuit, quod sine ipso illud non fuisset illatum: ita quod si fuit causa totius, tenetur restituere totũ alijs non restituentibus, & si partis partem, secundum posita supra, nu. 17. Vnde si multi singulatim vineam aliquã ingrediantur, alij aliorũ ignari, & vnusquisque suũ racemum capiat, etiam quoad vsque nullus in ea relinquatur, nullus eorũ mortaliter peccat nec restituere tenetur, & multo minus tota multitudo: quia nullus eorũ damnum notabile facit, nec est causa quo fieret nec in id cõsentit.

131 Trigesimosextò peccat qui procurat, vt rex, aut magnas, aut iudex suum cuiquã tollat, vel ne cui quod sibi debetur restituatur, ne ve ad id debitor cogatur, quod multi magnates & familiares eorum, aduocati & procuratores sæpe faciunt, qui nõ solum mortaliter peccant, sed etiam restituere tenentur.

132 Trigesimoseptimò, qui male consulit scienter & dolose, immo & si bona fide, sed nõ adhibitis studio & diligentia debitis, ad veritatem assequendam. Quare qui consulunt, caueant ne nimium suæ scientiæ vel prudentiæ fidant.

Trigesimooctauò, q aliculus acumen, aut fortitudinem laudat, aut ignauiam & demissionem vituperat, quò eum ad damnum proximo inferendum mouet, & totum damnum restituere tenetur: quia ad id exhortari videtur.

133 Trigesimononò peccat, qui audiens aliquem alteri suo nomine nocuisse, illud ratum & gratum habet, quia mandare videtur, capi. ratihabitionẽ. de regu. iur. Quod solum intelligitur iuxta Ang. verb. furtum. §. 20. quando qui nocuit, no nocuisset, nisi existimans eum cuius nomine nocuit, illud ratum habiturum. Sed huic moderationi raro (nostro iudicio) locus erit. Quia rato, aut nunquam continget aliquem nomine alicuius nocere alteri, nisi existimantem illud gratum illi fore. Quamquam si eius nomine factum non fuit, aut gratum illi non fuit, quatenus suo nomine factum est, licet opus in se illi placeat, ad nullam restitutionem tenetur: quamuis peccet, per capi. cum quis. de sentent. excommunic. lib. 6. & cap. ratihabitionem. cap. ratam. de reg. iur. lib. 6.

Nec obstat, quod quidam ait, me dicere hic, teneri ad restitutionem qui nec tacite, nec expresse iussit occidi hominem, sed pro rato habuit, quia ratihabitio æquipollet mãdato. Cuius contrarium asserit tenendum. Non inquam, obstat, quia respondetur, primo, me non loqui de homicidio in specie, vt ipse imponit: quamuis in genere loquar de nocente, cuius species est homicidium.

Secundò, quod meum dictum est firmum. Tum per illam regulam iuris lib. 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari.* Et regulam, hoc iure, §. *Dececit, qui mandauit. vel ratum habuit*, ff. eod. Et palam est, mandantem delictum teneri ad restitutionem, vt dictum est supra eod. ca. nu. 14. Tum quod præfatæ regulæ non solum habent locum in contractibus, & in iudiciis sed etiam in maleficijs, & delictis, vt haber gl. recepta per omnes in d. cap. ratihabitionem. saltem illis, qui per alium fieri possunt, vt Dynus receptus ait in dicta regu. ratihabitionẽ, immo & in aliis, nisi quo ad effectum fruendi libidine, vt pulchre de iure probat Couarruuias in clemen. 1. 2. part. §. 1. nu 5. de homici. Tum quod ratihabitio non solum habet vim augẽdi peccatum, vt ait is, qui contra nos opponit, sed etiam faciẽdi incidere quem in pœnam. Casus est in capit. cum quis. de sentent. excommunic. lib. 6. quod determinat, cum qui ratificat percussionem clerici nomine suo factam incidere in pœnam excommunicationis ipso iure. Tum quia facilius & fortius obligatur quis ad restituendum damnum, quàm ad subeũdum pœnam. Hanc enim nõ tenetur regulariter subire in foro cõscientiæ, nec in exteriori antequam cõdemnetur, restituere autem sic, vt supra dictum est. Tum quod omnis ratificans delictum suo nomine factum est puniendus pœna, licet non semper ordinaria, vt late probat præfatus Couarruuias vbi supra. Tum quod ratificans rem suo nomine acceptam, vel iniustam acceptionem fingitur accepisse propter suam ratificationem, & ita non solum peccat, quia placet peccatum, sed quia fit persona peccantis, & accipientis, secundum totã vtriusque iurisprudentiam,

tiam, quod non aduerrit præfatus religiosus, qui contra nos opponit. Per quod tollitur eius ratio, & consequeter ille qui ratificat incendium domus alicuius, nomine suo facti, magis tenetur ad restitutionem domus incensæ, quam ad subeundam pœnam à iure, vel iudice inflictam, vel infligendam.

134 Quadragesimò qui testis à iudice legitime interrogatus, an sciret tale furtum, sciens tacet, & ob illud damnificatus suum non recuperat, & restituere tenetur c.1.de crim. fal. Si non tacet propter metum alicuius periculi sui status, aut personæ, aut bonorum, iuxta S.Anton.2. par.tit.1.c.19.§.7.& argum.cap.quisquis.11.q.3.& Scotum in 4.dist.15.q. 2.Sylvestr.verb.restitutio.2.q.6. Notandum tamen est, quòd si episcopus monuerit sub excommunicatione vt denuncient qui nouerint illud:is, qui metu tacuit, tenetur parere, sed nõ quoadvsque eum iuxta ordinem correctionis euangelicæ moneat: & inducere debet, vt parti læsæ satisfaciat, & si fur satisfecerit, cum denũtiare non debet, nec etiam si non satisfaceret, si illud probare non potest, quia quando præcipitur, vt qui talem rem scit, eam per denunciationem manifestet, intelligitur de eo, quod scit & probare potest, vt 135 diximus copiosius quam alij in 1.c.iuter verba.11.q.3.cõclusi.6. Sed si admonitus satisfacere nollet, & admonitor probare potest, denuntiare debet quia aliàs peccaret & excommunicationem incurreret, & teneretur restituere damnificato, de suo quod ob suum silentium recuperare omisit, Ioann.de Anan.in c.qui cum fure.de furt.nisi ob iustum metum taceat, vt proxime dictum est. Per quæ respõdetur ad noue quæsitum, scilicet, An vxor, filius aut cognatus alicuius delinquentis, abscondens aliqua eius bona in aliquo monasterio, aut alio loco, ne à iudicibus sequestrentur, teneantur ipsi vel alij eius rei conscij, manifestare illa, propter excommunicationem, aut iuramentum, quibus iubentur id facere. Respondeti enim potest, quod non, si omnia abscondita pertineant ad compensandum debitum dotis, vel aliud, alioqui autem sic. Oportet autem cauere, ne iterum peti possit id ad quod abscondita sufficiunt instar illius, qui clam accipit aliquid de bonis creditoris, in sui debiti compensationem, de quo supra, numero 113. aduertendum tamen supradicta procedere in monito denuntiare, & non in monito testificari, vel reuelare, nemo enim tenetur id facere iuxta capi ad nostram 2.cum ei adnotat.per Panormit. & alios.de iureiur. præsertim si iudex post semiplenam probationem coram ipso factam, eam supplendam præcipit, vt qui illud scit ad testificandum veniat, iuxta capi.fi.de iureiur.quia illi non præcipitur vt denunciet, sed vt testificetur. Angel.verbo, denuntiatio.§.3.nisi fit persona à testificando eo casu excusata ob cognationem vel aliam causam, de quo infra cap. vigesimoquinto, nu 48. & sequenti dicetur.

136 Quadragesimoprimò peccat qui constitutus custos ciuitatis aut agri non obstat damno notabili, quod fieri videbat saltem clamãdo cum obligatione restituendi in solidum, per dicta supra eod.num.122. Quamuis qui ad id ex officio non tenetur, licet peccet malitiose tacẽdo: restituere tamen non tenetur, per dicta ibidem. Immo nec peccaret si absque malitia per negligentiam aut modestiam non se ingerẽdi negotiis alienis, id facere omittit. Sed si ex officio, aut dignitate tenetur impedire, & administrare iustitiam, quia est princeps, aut iudex, peccat & restituere tenetur iuxta mentem S Thom.2.2.q 62.arti.7.& supra eod.nu.18.adiunctis etiam iis, quæ S.Anton. & Ang.dicunt, & quæ nostri scribunt in capit.quantæ.de sentent.excommunic. & nos in cap. inter verba.11.q.3.concl.6.diximus.

Quadragesimosecundò peccat qui iudex non facit parti damnum restitui, cum posset, siue sit reipub. siue personæ particularis, cum obligatione restituendi, iuxta Scotum communiter receptum in 4 lib.sent. dist.15.q.2.

137 Quadragesimotertiò peccat curator, procurator, & alienorum negotiorum gestor, administrator bonorum alienorum, & filius qui res sui patris tractat, qui nomine sui principalis, & ob eius vtilitatem alicui damnum notabile infert, & ad restitutionem in solidum tenetur, si principales non restituant, & ex eorum bonis restituere potest, si adhuc eorum administrationem retinet: & prudenter faciet restituendo, ita vt ab ipso postea domini reposcere non possint. Et si iam dictam administrationem non habet, & est adeo inops, vt satisfacere nõ possit, debet dicere principalibus, si ignorant, qvòd satisfaciant. Et si illi restituere noluerint, tenetur restituere, si potest: occulte tamen poterit accipere de eorum bonis tantumdem quo satisfaciat, obseruatis conditionibus seruandis ab iis, qui occulte sua debita recuperant: quæ positæ fuerunt supra eodem c.nu.13.

138 Quadragesimoquartò peccat qui occulte aliquid accipit ab eo, cui non displiceret acceptio sibi nota: sed occulta sic, is licet peccet venialiter, non tamẽ mortaliter. Quia eius acceptio, aut retentio non est contra voluntatem domini: sed modus solum accipiendi, quo ad peccandum mortaliter non sufficit, vt definierunt bene Adrian.in 4.de restit.& Caiet.in summa verb.furtum. Id quod sæpe filij ob verecundiam parentum faciunt. Serui etiam & famuli accipientes à suis dominis pana & fructus quibus vescantur, credentes dominum illa concessurum esse, si ab illo pererent, aut si illic inuenirentur, quamuis nollet, vt se inscio acciperent.

139 Dixi: Quibus vescantur. Nam qui caperent ad donãdum vel vendendum alteri, vt solent aliqui panem coctum, vinum, aut triticum, aut alia similia mortaliter peccarẽt, & tenerentur restituere: quia nõ solum modus, sed ipsum factum inuito domino fit. Qui tamen minutatim vno die quid exiguũ, puta quadrãtem seu quatrinum, & aliis multis diebus singulis tãtumdem caperent, nulla vice peccarent, nisi venialiter, etiã si totaliter accepta ad notabilem quantitatem crescerẽt: modo iam inde à principio, vel postea non habuissent animo furandi notabilem quantitatem per illa parua furta,

furta, siue tamen cum hoc animo, siue sine illo perueniantur ad quantitatem notabilem, restituenda videtur illa. Quo fit, vt inueniri possint furta solum venialia, quæ obligent ad restitutionem sub pœna peccati mortalis. Quæ limito procedere in eo, qui cõtinuato tempore sine magnis interuallis illã notabilem quãtitatem conflaret, nõ enim dicerem teneri ad restituendum sub pœna peccati mortalis illos famulos, qui aliquot diebus vnius mensis aliquot eiusmodi furta facerent, & post aliũ vel duos menses totidem, & post aliquot alios totidem &c. ita quod in fine trium vel quatuor annorũ conflarent summam etiam duplo maiorem, quàm sit illa, quę semel accepta peccatum & restituendi necessitatẽ induceret sub pœna peccati mortalis, etiam postquam peruenerint ad notabilem quantitatem, si nunquam percipiendo illa parua intendit peruenire ad illam, ratione illa firma, quod ceteris paribus magis peccat, qui capit, quam qui retinet. cap. sæpe. de restitu. spol. & quod qui capit illa parua sine intentione perueniendi ad quãtitatem notabilem non peccat plusquam venialiter. Ergo nec retinendo illa.

140 Ad dubium autem à quodam hic nobis proposito, scilicet, An fur teneatur restituere impensas, quas furtum passus fecit in quærenda re sibi furto subtracta? Respõdeo, quod sic eas, quas vir prudens & bonus facere debuisset, quia earum causa fuit, & non solum fur: sed etiam quilibet alius malefactor tenetur ad interesse damni, etiam extrinsecum, l. qui tabulas. & l. is cui §. fi. ff. de fur. & glos. recepta in l. 1. verb. casibus, & verb. consequenter. C. de sentẽt. quæ pro eo, quod int. prof. Roganti cur autem confessarij non obligant eos ad illud restituendum: respõderi potest, quia forte non est cõfessum eis tale damnum cõsequutum, aut probabiliter credunt damnum passos contentos fore restituto principali: quòd sufficeret vt censeatur restitutum, arg. l. 1. ff. qui satisd. cog.

Quadragesimoquintò peccat qui impedit aliquem euntem ad impediendum damnum, quod tertius inferre volebat quarto, & ad restitutionem tenetur, licet aliter non iuuaret tertium, quia impediẽdo opitulaturum, indirecte videtur iuuare nociturum, vt rectè innuit Medina in Cod. de rest. fol. 39. Peccaret etiam cum obligatione restituẽdi, qui aliquos amicos, aut famulos mitteret ensibus districtis ad terrefaciẽdum, aut ad alium iocum, aut ludum, si ex eo damnum sequeretur, nisi adhibeat diligentiam debitam ne damnum notabile fierer, arg. u. capit. presbyterum, & c. lator. & cap. continebatur. de homicid.

De peccatis patrum circa bona filiorum.

SVMMARIVM.

141 *Peculium filiorum quadruplex. & sequen.*
142 *Clericis quælibet quæsita sunt quasi castrensia.*
143 *Pater an solus filiis succedat.*
144 *Donatio facta à patre quæ valet. & nu. 147. & seq.*
144 *Filius seruiens patri quale mixtum peculium habeat.*
147 *Donatio à patre filio facta quatenus reuocanda.*
148 *Filius qui plus aliis patri seruit, quid plus habet.*
149 *Donatio coniugis facta coniugi quæ valet.*
150 *Legatum à patre relictum filiæ, cui dos debetur, vt compensatur.*
151 *Patris heredes quod damnum datum filio restituent.*
152 *Filiæ renunciatio cum enormi læsione vt valet.*

141 QVadragesimosextò peccat mortaliter, qui pater tractat aut dat bona filiorum suorum aliquo modo indebito infrascripto, nu. 151. cum obligatione restituendi do qua ibi. Pro quorum intellectu, octo præsuppono.

Primum, quòd quatuor bonorum genera, aut peculiorum filij vinentibus parẽtibus habere possunt, scilicet castrensia, quasi castrensia, aduentitia, & profectitia.

Secundum, quòd castrense est, quod filius in bello adquirit, l. castrense. ff. de castrensi pecul. cum ei adnor. & in rubr. C. eod. & hæc bona solius filij sunt, tam quo ad vsumfructum, quàm dominium, & in eis pater nihil habet, secundum omnes l. fi. C. de inoffic. testamen. l. 1. §. fin. ad Macedo. Bart. in l. si forte. ff. de castr. pecul. in tract. de duob. fratrib.

142 Tertium, quòd quasi castrense est, quod filius familias adquirit per officium aliquod publicum, puta Medici, Aduocati, Scribæ, aut Magistri in aliqua septem artium liberalium, aut quouis alio publico, propter quod stipendium publicum accipit, per beneficium Regis, vel Reginæ, l. cum multa. C. de bonis, quæ lib. & quod clerici suo officio clericali, aut suis beneficiis curam animarum habentibus, aut non habentibus, cum administratione, aut sine ea adquirunt: quoniam etiam quælibet alia bona clericorum, saltem quæ adquirunt post clericatum, iure communi sunt quasi castrensia, authentic. presbyteros. C. de episcop. & cleric. secundum Ostiens. Panorm. & commun. in c. quia nos. de testa. & c. constiturus. de restitut. in integr. In quibus nihil plus habet iuris pater, quàm in castrensibus, l. non solum. C. de bon. quæ libe. quod an de consuetudine seruetur, infrà dicetur.

143 Quartum, quòd peculium aduentitium est peculium filiifamilias non castrense, nec quasi castrense, aliunde quàm à patre & ex bonis eius & ob gratiã illius principaliter habitum, qualia sunt bona illi hæreditario iure à matre aut à suis cognatis, aut amicis, & suo labore, industria, aut fauente fortuna partа: per notata vbi supra. In his bonis aut peculiis proprietas est filij, & vsusfructus patris, quandiu viuit regulariter, d. l. nõ solum. & l. cũ oportet. C. de bonis. quæ lib. nisi. cum qui donauit, aut reliquit filio, vetuit, ne patri quæreretur vsusfructus. auth. excipitur. eod. tit. & in casu authent. idem, eod. titul. & cum in bonis filij sui cum fratre succedit, secundum ius commune, auth. item. C. eod.

Dixi: iure communi, nam secundum leges Regni Castellæ solus pater filio succedit per l. 6. & 7. Tauri, & etiam secundum leges Lusitaniæ, tit. 75 lib. 4. ordinat. quamuis fratres habeat, nec ad diuidendum inter reliquos fratres tenetur, secundum omnes l. final. C. de collat. & l. cum antiquis.

antiquis. C. de inoffic. testamen.

144 Peculium vero profectitium est peculium filiifamilias habitum à patre aut eius causa, & aut de eius bonis nec ad bellum, nec ad officia publica pertinens: & in his tam proprietas quam vsusfructus est patris. Nobis tamen videtur esse aliquod mixtum, partim aduētitium, partim profectitium, scilicet, quod filius suo labore & industria ex bonis paternis, aut in eisdem adquirit: quidquid dicat Siluc. Nam quamuis recte dicat, quod quidquid filius ex illis bonis adquirit, aut patri adquirit, aut furatur: quod tamen filius ob suum laborem & industriam promeretur, eius est, & tanto plus, quā cæteri fratres debet habere de bonis paternis, quanto plus quam illi in eis quęrendis laborauit, aut certe tātum quantum mercedis solui debet alij extraneo qui tantundem laboraret, aut potius dimidium eorum, quæ de bonis, & pecunia etiam clandestine accepta per suam industriam lucratur, per singularem doctrinam Bartol. in l. 1. §. nec castrense. ff. de colla. bonor. quam plurimorum auctoritate fulcit Dec. in l. illud. C. de colla. à nu. 10. quod intelligendum est concurrentibus duobus. Alterum est, quòd filius patrem sustentare non teneatur, quia habet vnde alatur, l. si quis à liberis, §. idem ff. de lib. agnos. & l. Nesennius. ff. de neg. gestis. & l. alimenta. C. eo. cum eis adnot. per glo. & doctores. Alterum, quòd expresse, aut tacite protestetur se eo animo seruire, vt pater ob suam operam & laborem det ei tantum, quantum alteri extraneo dare deberet, si ipse ei non seruiret. Meritum etiā filij prędictum attendi potest ad effectum, quod pater donare aut reliquere posset tantum plus ei, quàm eius fratribus, quantum alicui extraneo ob similia merita dare debere, ita quòd id non computetur in sua legitima, iuxta mentem Bar. in l. 1. §. cæt resta. ff. de castren. pecu. & l. si donatione. C. de colla. Et quamquam hæc duo dicta colligantur ex eo, quod statim in eo. cap. nu. seq. & nu. 148. dicetur: visum tamen est hic declarare, quia res quotidiana & parum ab alijs resoluta.

145 Quintum, donationem à patre factam filio, qui est sub ipsius potestate, non valere, nec ab illo factam patri, quia pro vna & eadem persona reputantur l. fin. C. de impub. nisi. Primo, facta à patre in dotem aut matrimoniū l. Pomponius ff. famil. erciſc. & ff. de collat. bonor. & C. de collat. dot. per totum. Secundo, mobiliū facta pro bello. C. famil. erciſc. l. 4. Tertio, vsusfructus quem in bonis filij aduētitiis habet pater, vt in l. cum oportet, & l. non solum. §. sin autem. C. de bon. quæ liber. Quarto, facta pro meritis & seruitiis in tantum, quantum pater dare alicui extraneo ob similia merita teneretur, iuxta Bartol. communiter receptum l. 1. §. castrensi. ff. de castrens. pecul. & l. si donatione. C. de collat. & l. frater à fratre. ff. de cond. indebi. Et in foro conscientiæ sufficit ea esse vera, argum. not. in c. tua. & c. is qui. de spōs. Sed in foro exteriori probari debēt, nec sufficit patrem dicere ea vera esse, iuxta eundem in l. si forte. de

146 castren. pecul. Quia fides non habetur dicenti de se alium benemeritum esse, quando id requiritur ad

ad hoc, vt iure aliquid facere possit; qualis est hæc donatio, iuxta cūdem & cōmunem. Et cum dubitatur, an pater filio donet ob merita, vel ob meram liberalitatem, præsumēdum est dare, ob merita, si antecesserunt, & alias ob liberalitatem, iuxta glo. communiter receptam in d. l. si donatione. C. de collat. Quinto, facta in omnibus casibus, in quibus donatio a marito facta vxori suæ, aut ab vxore facta marito valet, qui referuntur infra nu. 150.

147 Quia iuxta doctissimum Azonem in summa de donat. donatio inter maritum & vxorē, & donatio inter patrem & filium communiter æquiparantur. Notandum tamē est, quod donatio patris, & matris facta filio, quæ non est remuneratoria, quamlibet valeat, aut eorum morte confirmetur; quia in vita non reuocarunt; si tamen excedat quantitatē, de qua patres libere disponere possunt, iuxta varias leges diuersorum regnorum, quas statim citabimus, & legitimæ reliquorum filiorum præiudicat, reuocanda est, quātum opus fuerit ad præiudicium eorum excusandum. l. 1. C. de inoffi. donat.

148 Sextum, quod si vnus filius patri ſuo seruit, & alij non, quamuis pater pro remuneratione eius meritorum dare possit, quanti illa merita valent, & quantum extraneo alicui dedisset: si tamen non dat, nec filius in vita cum patre conuenit, vt sua merita remunerarentur, saltem vt extraneo, nec protestatur se ab eo, aut eo mortuo, ab eius heredibus petiturum a suis fratribus heredibus remunerationem aliquam ratione suorum meritorum poscere non potest: quia illud amore filiali facere censetur, arg. l. Nesennius. ff. de neg. gest. l. 1. & l. alimenta. C. eod.

149 Septimū, quod donatio a marito facta vxori, aut ab vxore marito post contractum matrimonium de presenti, aut ante pro tēpore, quo contractum iam fuerit, non valet: & donator antequam moriatur, cum libuerit reuocare potest. l. 1. ff. de donat. inter vir. & vxo. quamuis sit per tertiam personam, & per modū remissionis debiti. l. si sponsus. ff. eo. excepto quando Imperator, aut Rex donat Imperatrici, aut Reginæ, aut illa illi, C. eo. l. pen. Et quando donatur pecunia pro restaurandis rebus igne absumptis. ff. eod. l. quod si vir. Et quādo donator pauperior ob talem donationem non efficitur, quāuis recipiens ditior fiat. Et quando recipiens non fit ditior, quamuis donator pauperior fiat. Et quando donatur pro tempore, in quo matrimonium perficietur, scilicet vt res fiat mariti, aut vxoris, quando alter eorum morietur, l. sed interim. ff. eod. Et quando donatio sit mortis causa, vt donatarius post mortem donatoris id habeat, vt in d. l. sed interim, modo se in vita reuocandi facultate non priuet, secundum glo. in d. l. sed interim. Et quando vxor marito donat ad aliquem honorem, aut dignitatem cōsequendam. l. quod adipiscendæ. ff eod. Et quando maritus extante matrimonio, vxori omnem dotem promissam, aut aliquā eius partem remittit. gl. sing. & ibi Cyn. & Bal. in l. si constante. de dona. ante nupt. remissio tamen alterius debiti non valet.

150 Et quando maritus vxori suæ

in mensem aut annũ, aut quandiu superstes fuerit, pro victu suo, & suorum certum quid pro æstimatione fructuũ dotis & non amplius deputet, vt tenet glo. in l. ex animo. ff. de donationi. vir. & vxo. per illũ textũ.

Octauũ, quod pater, qui legatum aliquod filiæ, cui debebat dotem, reliquit, videtur reliquere in solutionem, aut in partem solutionis illis, cap. qui abstulit, 12. q. 2. quia est debitum, quod lege debetur.

151 Quadragesimoseptimo infertur peccare mortifere patrem, accipiendo sibi, vel alteri aliquid notabile à suo filiofami. ex bonis castrẽsibus, aut fructibus eorum cum obligatione restituendi. argu. c. qui abstulerit. 12. q. 2.

Quadragesimooctauo peccat pater accipiendo sibi, vel alteri aliquid notabile quo ad proprietatem de bonis aduentitiis sui filifamilias: vel administrando ea ita male, vt notabiliter lædatur, siue vsumfructum habeat, siue non: quo casu alij fratres heredes post obitum patris damnum illud cum bona inter se diuiserint, resarcire tenebuntur. Sed si pater vsumfructum eiusmodi bonorum habebat, & non damnificauit proprietatem, sed solum fructus illorum, nec pater nec fratres ob illud ad aliquam restitutionem tenentur. Angel. verb. peculium. §. 24. Silu eo. verb. q 15.

152 Quadragesimonono peccat pater qui inducit per metũ saltem reuerentialem, aut dolum & fraudem suum filium, vel filiam, vt suæ legitimæ, vel patrimonio renunciet cum iuramento se contentam fore dote minore legitima, cũ obligatione restituendi, arg. à cõtrario, c. quanuis. vbi Dominic. & alij de pact. lib. 6.

Dixi: Per metũ aut fraudem, quia si sponte id faceret, teneretur ad seruandum iuramẽtum, etiam si enormiter vel etiam enormissime lædereretur in foro conscientiæ: quamuis nõ in exteriori; quia ex tali damno dolus, aut fraus præsumitur, secundum Pet. de Anch. consi. 38. & in reg. accessorium. de reg. iur. lib. 6. & late Decius consi. 180. quæ tamen præsumptio in foro conscientiæ cessat, iuxta not. in c. is qui. & cap. tua. de sponsa. Qua distinctione contrariæ opiniones relatæ per Dec. in dicto consi. 180. & 182. componi possent.

De peccatis mariti vxoris contra septimum præceptum.

SVMMARIVM.

153 *Maritus vt peccet accipiendo ex bonis vxoris suæ paraphernis.*

153 *Vxor vt peccet capiens ex bonis mariti etiam ad pia. nisi octo casibus nn. 154 & seqq.*

153 *Paraphernalia bona quæ sunt.*

153 *Eleemosynam octo casibus vxor largiri potest. & seq.*

155 *Dos tota vxori reddenda, licet ornatus eius fuerit nimius.*

155 *Maritus cur non noceat vxori in paraphernis vt in lucris.*

155 *Vxor etiam valde dotata non potest donare 40 scuta.*

155 *Maritus siue vxore quid potest, vbi omnia bona communicantur.*

153 QVinquagesimo peccat mortaliter maritus, qui sibi aut alteri accipit aliquid notabile ex bonis, quæ præter dotem vxor habet, quæ græco vocabulo paraphernalia appellat lex vlt. C. de pact. cõuen. nam

nam alienum contra ius vsurpat. Bona paraphernalia sunt: quæ vxor sibi reseruat præter dotem, quam marito pro oneribus matrimonij dedit. l. si ergo. §. dotis ff. de iur. dot.

Quinquagesimoprimo, quæ vxor sibi, aut alteri accipit ex bonis mariti aliquid notabile contra eius voluntatem pro cognatis, ludis, pigmentis, & id genus aliis, cũ obligatione restituendi. S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. quia nec eleemosynam ex bonis mariti, aut communibus absque eius licentia dare potest, nisi. Primo extreme egenti cauendo tamen, ne ob id maritus egeat extreme. cap. pasce 86. dist. Secundo, vbi consuetudo regionis haberet, quod vxores eleemosynam panis, aut vini largiãtur, ibi enim credere potest, id placiturũ marito, quamuis expresse id prohibeat: quia verisimile est id maritum facere, ne eleemosynas extra modum consuetum tribuat. Si autem crederet eũ vere nolle, vt etiam consuetam & moderatam faciat, debet se ab ea facienda abstinere, iuxta S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 19. §. 1. arg. c. per tuas. 3. de simo.

154 Tertio, cum facit ad euitandum aliquod damnum mariti temporarium, vt Abigail, 1. Reg. 25. fecit. Et eadem ratione, immo fortiori, si eam facit ad ipsius damnum spirituale euitandum, vt cum maritus est malignus, & illa moderate largitur, vt Deus eum illuminet, & ad pœnitentiam conuertat, modo sine eius scandalo faciat. argũ. c. nihil. de præscript. Quarto, si maritus est amens. Quinto, si maritus est absens: quia tunc administratio domus ad eam spectat, nisi per illum, aut superiorem aliter statuatur. Palud. in 4. lib. sent. distin. 15. q. 3. art. 6. concl. 2. Sed quia nec eius dicta, nec ratio iure firmo nituntur, verius est eam in his duobus casibus non posse dare ad summũ plus, quam eius maritus mentis compos, & præsens largiri solebat. Sexto, cum maritus pro eius victu certum quid illi deputat, & ex eo parcius viuendo reliquit aliqua in pauperes eroganda, iuxta eundem vbi supra. Septimo, si habet bona paraphernalia, de quibus ad voluntatem vxor statuere potest: nisi vbi consuetudo & statuta prouinciæ aliter decernerent. Octauo, si dedit marito dotem ad sustentandum sufficientem, & nihilominus nouit aliquam artem texendi, aut suendi, aut acu pingendi, vendendi, emendi, aut aliam similem? qua non deserendo debitam domus administrationem lucraturi. Quo possent cõciliari opiniones contrariæ gloss. l. sicut. ff. de oper. liber. & Theologorum, sancti Thom. Richard. & Palud. vbi supra. Siquidẽ ex ita lucrifactis libere impendere potest, vt sentit Barto. in l. Caio. ff. de alim. & cibar. lega. modo (vt sancte dixit Astensis) sua familia eo non indigeat. quia de præcepto charitatis primum domesticis subueniendum est, c. non satis. 86. dist. & l. si præses. C. de seru. & aqua. & modo lucra non sint communia inter maritũ & vxorẽ, & administratio sit marito reseruata, vt communiter sunt in omnibus Hispaniæ Regnis.

Adnotandũ tamen, quod si maritus est prodigus, vel decoctor, potest licite vxor accipere clam aliqua, vt necessitatis tẽpore, domui suæ prouideat, adeo quod marito etiam id

imperanti, non tenetur omnia, quæ habet, illi tradere. Ange. verb. furtū.

155 Ad noue autem hic quæsitum, respondimus affirmatiue, quod etia in foro conscientiæ potest vxor totam dotem repetere mortuo marito, etsi, quod ille multa superflua impendisset in eā alendo & ornando: quia iura cum onere conseruandi eam vxori faciunt eū dominum eius, l. doce ancillam. C. de rei vend. & l. in rebus. C. de iure dot. & c. per vestras. de dona. inter vir. & vxo. & alia quæ tunc attulimus.

Ad alterum hic noue quæsitū, respondimus, quod maritus tenetur restituere vxori, non solū dotem integram: sed etiam ea, quæ bene vel male impendit de eius bonis paraphernis: nō tamen quæ de lucris cōmunibus. quonia illa sola quæ tempore diuortij inueniūtur lucrifacta, censentur lucra; reliqua enim licet pro dimidio lucrifierent vxori: lucrifiūt tamē reuocabiliter, ita quod maritus ad quem spectabat libera illorum administratio, potuit bene vel male administrando illa, sibi & vxori reuocare, vt tradit Ioan. Lup. in rub. de dona. inter vir. & vxo.

Ad tertium noue quæsitū respondimus. quod vxor etiā si maximam dotem dederit marito, non potest absque eius licentia dare de illa 40. aureos. etiam ei, qui eam lactauit. Nec obstant citata in cōtrarium de pupillo, quem, aiunt non teneri ad restituendum ea, quæ de suis bonis clam tutore impēdit, nec deponentem qui de rebus a se depositis clam depositario idem facit; quia vterque horum tenetur ad imputandum illud sibi in redditione rationū, quod effectu est restituere, arg. c. veniens. 2. cum similib. de testibus. Nec refert, an minutatim iteratis vicibus, an vna eos dederit, cum a principio 40. dare statuerit, per dicta supra eod. num. 140.

Ad alia quattuor noue hic quæsita, sic in summa respondimus. Primo, quod etiam in Portugalia vbi ipso iure omnia bona mariti & vxoris communicantur, donatio mariti de mobilibus, etiam sine vxoris consensu valet: quoniam apud maritū est tota administratio bonorū, & potest solus regulariter alienare mobilia: licet non immobilia: iuxta tit. 6. lib. 4. ad fi. & tit. 8. lib. 4. ordin. Lusitaniæ. Secūdo, quod tenetur tamen computare illa in partem suam; immo & facere quod vxori suæ id innotescat, vt in partitione tantūdem plus sibi cedat, per prædicta. Tertio, quod donatarius qui credit, maritū non manifestaturū id vxori, nec in sua parte clam illa donatum computaturum, tenetur eam eius rei admonere. Quarto, quod idem est dicendum de marito, qui in terris vbi lucra fiunt communia, donat aliqua clam vxore sua; quia licet impensa eius prouida, vel prodiga diminuat lucra: non tamen id facit donatio, quæ illi non permittitur sicut illa.

De peccatis filiorum circa bona paterna.

SVMMARIVM.

156 *Filius qui de bonis paternis, patre nolente, aliquid accipit.*
157 *vel eo volente, vel donante vltra legitimam. 158.*
158 *Filius fruens fructibus, vel pecunia*

nia patris, clam fratribus. & seqq.
158 *Legitimam filiorum in variis regnis.*
159 *Filius studiorum impensam à patre factam an &c.*
159 *Filij legitimam non minuit ornatus sibi à patre datus.*
159 *Filius quæ alimenta studij computat in legitimam.*
160 *Filius donatum patri inuito nolens conferre, nec fratris impensas studij soluere nec perdita ludo, vel pœnam delicti non computat in legitimam. & seqq.*
161 *Filij lucra de patris pecunia facta. & seqq.*
165 *Vxor quorum locatium domina, & quorum vsuaria. & seq.*

156 QVinquagesimosecūdo peccat filius, qui aliquid notabile ex bonis patris contra eius voluntatem accipit. Quia filius nullum ius in bonis patris viuentis habet, quā quod debet aliquis eis, si ex suis nō potest, l. si quis a liberis. §. idem. ff. de libe. agnos. Et ita quod ex eis acceperit, patri, aut saltē eius heredibus, singulis pro rata restituere debet: nisi pater viuens illud ei condonarit, iuxta S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 15 §. 1 etiam si bona, ex quibus id accipit forent sua aduentitia aut profectitia, per supra dicta eod. c. nu. 153.

157 Et etiam si accipiat ad eleemosynam dandam nō egenti extremę; immo & si ad dandum egenti extreme, si eius necessitati mutuādo subuenire potuisset per supradicta eod. cap. nu. 90. Potest etiā licite accipere quādo probabiliter coniicit patrem suum eo contentum fore: vt cum de eius licentia peregrinatur, aut in peregrinis gymnasiis versatur, tunc enim probabiliter credere potest, ratas habiturum patrem eleemosynas illas, quas instar sui similium facit, arg. l. si longius. ff. de iudic. cum ei adnot. Potest etiam cum bona ipsius aduentitia ad eum spectant, etiam quo ad vsumfructum, cuiusmodi sunt in casibus relatis supra eod. c. nu. 145.

158 Quinquagesimotertio, qui filius accipit sibi vel alteri ex bonis patris datis sibi in peculium profectitium, vel ex fructibus eorū, vel ex fructibus aduētitiorum pertinentibus ad patrem: immo vel ex ipsis bonis cū præiudicio vsusfructus patris cōtra eius voluntatem: vel cum eius voluntate plus, quam pater donare potest; eo quod excederet suam legitimam, & quantitatem, quam pater cuilibet extraneo relinquere potest. Quod interdum iure communi sunt duæ tertiæ partes, & interdū dimidia, auth. de trien. & semiss. colla. 3. & auth. nouissima. Cod. de inoffic. testa. & iuxta leges Regnorum Lusitaniæ, tertia, lib. 4. ordinat. tit. 70. & Regnorum Castellæ quinta l. 7. & 8. adiuncta l. 15. Tauri, & etiam tertia ad donandum ea, quibus filiis volet. Et si mortuo patre illud plus non vult in diuisionem conferre cum suis fratribus, mortaliter peccat, cū obligatione restituendi per supra dicta iura. Idem est si vltra legitimā per donationem patris inualidam aliquid accipit.

Quinquagesimoquarto, qui filius accipit fructus ex aliquibus bonis sui patris viuentis de consensu eius: & post mortem eius non vult in diuisionem cum ceteris fratribus illos conferre: nisi pater permittat, & consentiat eos accipi ab eo animo re-

munerandi eius merita, intra tamen quantitatem quam ei donare potest. Bar. in tract. de duob. fratrib. nu. 1. & 2. quod ipsum etiam est dicendum de pecunia, quam in peculium profectitium a patre accipit, secundum mentem Bart. vbi supra. Idem quoque dicēdum de eo, quod pater nomine filij emerat, cum id labore atque industria sua filius promeritus esse, l. filij. ff. fami. herciſc.

159 Quinquagesimoquinto qui filius non vult cōferre ea, quæ pater ipsi emit, sed viuens non tradidit, quāuis sint libri, arma, aut alia quæ si traderentur viuente patre, bona castrensia, aut quasi fierent, quo ad proprietatem & vsum fructum: quia omnino patris remanent, & sic inter fratres diuidenda sunt: licet tempore quo talia pater emit, filius iam esset doctor, aut miles: nam quò illa fierent bona castrensia, aut quasi castrensia, necesse est, vt in vita patris ea tradantur. l. 1. C. de castren pecu. Bar. in dicto tract nu. 16. Et idem dicendū est de libris, quos pater emit, & tradidit filio, qui versabatur in litterarum studijs: si doctor effectus, aut iam emancipatus non erat: quia non fuerūt facta bona quasi castrensia. Verum est, tamen non teneri accipere illa, secūdum æstimationem, qua empti fuerunt, si nunc minoris æstimantur, iuxta gl. in l. illud. C. de collat. ab omnibus receptam: nec etiam pluris, si eorū æstimatio creuit, iuxta Raphaelem, cuius contrarium tenet Ludo. Rom. quod verius nobis videtur, arg. l. secundum naturam. ff. de reg. iur. cap. qui sentit. eo. tit. lib. 6.

160 Ad nouc hic quæsitū respondimus, quod filius non tenetur conferre illa, quæ cū eo præ ceteris pater impēdit in vestitu, cibo, & equitatu, quia id non est donatio, saltem talis, quę in legitima computari debeat: nisi cum pater donauit ei aliquam summam, vt de ea pro libito disponeret, & ipse suo arbitrio in prædictis impendit, quia conferet eam vt alias donationes, iuxta l. 17. & 18. Tauri.

Adde quòd si pater filij nulla bona habebat, & aluit eum in studijs litterarum, non tenetur in parte suæ legitimę cōputare alimēta, quæ ibi accepit. Sed sic, si pater penes se peculium castrense, aut quasi castrēse filij habebat: quia præsumitur, cum aluisse tamquam administrator bonorum eius, iuxta Bar. vbi supra, arg. l. 1. C. de dot. promiſ. Quamquam in relictis creditori per vltimam voluntatem distinguitur, an debitū esset necessario, aut voluntate contractum, iuxta commun. in l. si cum dotem. §. si pater. ff. sol. mat. & in §. sciēdum l. 1. C. de rei vxo. act. cap. officij. de testam.

161 Quinquagesimosextò peccat qui filius, id quod de patris pecunia lucratus est, eo mortuo nō vult conferre, cum obligatione restituendi prętet partem lucri, quam suo labore & industria meruit, vt quilibet extraneus permisser præcedēte protestatione expressa, vel tacita, per prædicta eo cap. nu. 144. & seq. & nu. 148. & 158. facit l. si. C. de colla. & Bar. in dicto tract. nu. 13. Quia eā conferre nō tenetur per prædicta: quę pars regulariter est dimidium eius, quod lucrifecit, secundum Bar. in l. 1 §. nec castrense. ff. de colla. bono. quem plurimorum auctoritate fulcit Decius in l. illud. C. de colla. vt diximus 162 supra, nu. 158. Idē de filio, qui viuente patre datum, aut relictum aliquid ab aliquo extraneo solius patris & non sui contemplatione, mortuo patre nō vult cōferre. Quia illud est peculium profectitium, per supra dicta in eo c. nu. 144. secus tamen esset, si ei datum, aut relictum ipsius sinet contemplatione fuit, aut tempore quo iam emancipatus erat, l. sed si quid. ff. de vsufruct. Bart. vbi supra, nume. 7. Quod si non constat vtrius contemplatione fuerit datū, id coniiciendū est ex qualitate personarū, & modo relinquendi, & alijs similibus, iuxta boni viri arbitrium, arg. l. 1. ff. de iure delib. & cap. de causis. de offi. deleg. Idem de filio, qui non vult pro sua patre soluere debita honesta, quæ suus frater in litterarum studijs viuente patre, qui eum ad ea miserat, contraxit, cum obligatione restituendi. l. sed Iulianus. §. pe. ff. ad Maced. & Bar. in dicto tract. nu. 16. & Bal. in addit. eiusdem. quamuis conferre in impensas studij, in quo perseuerare intendit, non teneatur, iuxta Bar. & Bal. vbi supra, 163. nu. 17. Idem dicendum de filio, qui non vult cōputare in suam legitimam mortuo patre sumptus, quos ille in sua bona aduentitia necessarios fecit: aut qui in eorū perpetuum emolumentum redundantiam, cum pater eos animo recuperandi fecisset, cum obligatione restituendi. Secus tamen esset, si eos animo non repetendi fecit, quod si non constat, parui præsumentur facti sine animo repetendi, cum eo vero, si sunt adeo magni, vt fructuum æstimationem excedant, Bar. vbi supra, nu. 22. Illud cōstat, quòd si sumptus non erant ad eadem bona necessarij, nec in perpetuam vtilitatem eorum, sed solum in fructuū, quos pater in vita percipiebat, redundabāt, filius mortuo patre illos in legitima sua computare nō tenetur, quia omnia onera & sumptus in fructuum vtilitatē redundātes ad patrem, qui vsumfructum habet, pertinent, iuxta Bar. 164 recep. d. nu 22. Idem dicēdum de filio, qui mortuo patre non vult computare in sua legitima bona patris, quæ insumpsit in ludos, & vius malos & vanos, in quos frequenter filij scholastici pecunias à patre ad emendum libros acceptas insumūt, cum obligatione restituendi, secundum mentem glo. l. illud. C. de colla. & communem super ea scriben-
165 tium. Idem de filio cōmittente aliquod delictum, ob quod pater pœnam soluit cōpellente ad id statuto regionis: secus tamē esset, si pater sponte nullo cogente ad id statuto ex pietate illam soluit, arg. l. liber captus. C. de cap. Bar. in d. tract. nu. 31. Idem etiam de filio, qui in sua legitima computare non vult sumptus, quos pater animo in ea computandi in eius nuptijs fecit: secus tamen si absque tali animo id fecit, quod in dubio præsumitur, l. 4. §. fi. ff. de mune. & hono. Bar. vbi supra, num. 30 facit l. ex parte. §. filius. cum gl. ff. famil. herciſc.

166 Quinquagesimoseptimò, qui genet vestes pretiosas, & ad festa celebrāda & alia ornamēta, vt margaritas, anulos, lapides pretiosos data suæ vxori à socero etiamnum extāntia, mortuo socero in vxoris legi-

tima computare non vult, cum obligatione restituendi, si aliud in vltima voluntate, non declarauit d.l.ex parte.cum glo.Bal. in addi. Bar. in d. tract.de duobus fratrib. Non enim præsti dicetoru donatio morte soceri confirmata, cum non constet, nec præsumatur donatio: sed cõcessio vsus eorum, arg. l. id vestimentũ.ff.de pecul.& l mortis. in fi.ff. de donat.inter vir.& vxor.& Bar.vbi supra, nume.22.sed necessaria in vsum quotidianum non tenetur computare, nec pretiosa eo pretio, quo cõstiterunt: sed quo valent tempore collationis, neque in hoc si opes aut dignitas personarum adeo sunt magnæ, vt illarum donatio præsumatur, l.filius ff. de donat.Ang.verb.peculium.§.24.Silue.eo.verb.q.12.Nec vestes lugubres, quia vxoris sunt, per gl.in l.ex re domini.ff. de stipul. ser. & Angel. verb. peculium §.11. Idem de genero, qui donata vxori suæ à consanguineis eius sibi retinet, quia quod consanguinei mariti ipsi offerunt, pertinet ad eum, & ad vxorem quod consanguinei vxoris eidem dant, Bar.l.sed si plures.§. in arrogato.ff.de vulg.& pupil.

De peccatis falsariorum.

SVMMARIVM.

167 Falsarius, qui nummos in substantia falsauit, cui restituet.

167 qui circũcidit, aut attenuat nummos.

168 qui scripturam, põdera, mensuras, aut sigillum.169.

169 Falsarij bullarum qui excommunicati.

169 Reliquiæ, vel miraculis falsis, vel vtis in malum finem vtens.

169 Quæstus turpis reliquiarum quis est.

167 QVinquagesimooctauo peccat, qui nummos i substãtia, pondere, aut forma falsificauit, aut falsis sciens tales esse vsus est, iuxta mentem omnium in c. quanto. de iureiur. cum obligatione restituendi damnum, quod contingit quando falsitas sit circa substãtiam? scilicet substituendo, aut permiscendo vnum metallum pro altero. l. Paulus. ff. de solu aut circa pondus minorem pro maiori cudendo, l.1.ff. de contrahen. empt. non autem ita contingit damnum, cum solum falsificat formam cudendo sine potestate id faciendi, aut imprimendo characterem & formam alienã absque consensu eius, cuius erat, l. sine nomine. & l. qui nomine. ff.ad leg. Corne.de fals. Quia primis duobus modis proximum damnificauit, & non tertio: restitutio autem fiet dãnum passo, si scitur: sin autem pauperibus, arg.cap.cum tu.de vsur. & dictorum supra eo.nu.92.& 93. Neque excusatur, quòd talem ab alio accepit, quia eius error alteri nocere non debet. Si tamen ignorabat falsum esse, durante ignorantia excusatur: sed postea ea excussa damnificato satisfacere tenetur, & saltẽ si ipse fuit in culpa accipiendo falsum pro vero. Et non cui dedit si ipse pro vero impendierit, & damnum erat notabile: aliàs non. per supradicta eo.cap.nu.3.

168 Quinquagesimononò peccat, qui auctoritate priuata, forficibus aut alijs instrumentis circumcidit, aut aquis acribus attenuat nummos cum obligatione restituendi, iuxta g. recepr.in d.cap.quanto. Dixi: Priuata, quia secus est si hoc fecit publica

publica eius, qui eos cudi iussit, vt iusto maiores ad æqualitatem pretij aliorum redigerentur. Dixi: Publica, quia priuata non liceret reducere ad illam æqualitatem: immo qui id faceret, teneretur restituere id, quod corraderet ei, qui cudi iussit, aut monetario, qui eos cudit si illud plus perit ipsi monetario, & non iubenti cudere.

169 Sexagesimò, qui aliquam scripturam in damnum alterius falsat, aut ea sciens falsam esse vtitur, aut malitiosè abscondit, aut pecuniam dedit, aut rogauit scribam, vt sibi testamentum aut aliã quamlibet scripturam falsam faceret, toto tit.ff.& C.ad leg.Corn.de fals. cum obligatione restituendi omne damnum, quod inde sequetur. Et si sunt litteræ, Papæ, est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata, iuxta cap.ad falsariorum. de crimine falsi. licet solam vnam litteram, aut vnum apicem, qui non mutaret illarum sententiam demeret, iuxta communem in c.dura.de crimi. fals. Quod nõ credimus esse verum, saltem quo ad forum conscientiæ, vt post Io. Gerson, tradidimus in cap. ad audientiam.t. de rescrip.& trademus infra c.17.nu.62. Vt etiam non incurrit, qui hoc fecit in litteris, quę iam nõ valent, quæque iam euanuerunt. secundũ Richard. in 4.lib. sent. dist.18.art.12.q.3.

Sexagesimoprimò, qui falsat pondera, stateras, mẽsuras, aut illis falsis scienter vtitur, cum obligatione restituendi, c.1.de empt.& vend. Idem de illo, qui falsat subscriptionem, vel inscriptionem, aut sigillum prælati, aut aliorum quorumlibet, cum obligatione restituendi damnum, si quod sequatur, secundum S.Anton. 2.par.tit.2.c.18.§.7.

Sexagesimo secundò, qui vtitur falsis reliquijs, aut veris causa turpis quæstus, vel ebrietatum, & comessationum mortalium, aut miraculis, & reliquijs nouis ab episcopo non approbatis.c.2.de reliq.& l.nemo.C. de sacrosan.eccle.& clarius Concil. Trid.sess.25.de inuocat. &c. Turpis autem quęstus dicitur, qui quæritur ex venditione, locatione, traditione vel ostensione reliquiarum & aliorum sacrorum, cum pacto vel fine principali ob id aliquid recipiendi: non tamen, qui minus principaliter intenditur: vt cum fit principaliter ob honorem & reuerentiam eorum, sicut vt plurimum fieri solet, per ea quę late tradidimus in repet.c. inter verba.11.q.3.concl.4.& in Enchiridio de Orat.cap 6.nu.15.& seq.& nuper in Comment.cap.cum ministeri. 23.quæst.5.

De peccatis circa inuenta.

SVMMARIVM.

170 Inueniens aurum vt peccat si non restituit, aut non quærit.

170 Bona quæ nullius & quæ derelicta, nu.176.

171 Pauper pauperi restituendum, an possit sibi restituere.

172 Thesaurus quid, & inuentus cuius sit, & nu.173.

174 Dominium directum & vtile definiuntur.

175 Thesauri restitutio etiam ante sententiam facienda.

175 Thesaurus non est omnis pecunia abscondita.

175 *Thesaurum prædii empti non reddit emptor etiam sciens.*

176 *Inueniens aliquid vi fluminis in suũ fundum tractum.*

176 *Animal laqueo captum inuentum cuius sit.*

170 SExagesimoterriò peccat, qui aliquod notabile alienũ inuenit, & sibi retinet, vel quam cito & commode potest non reddit perdenti, si eum cognoscit, aut si non fecit, quę oportet, vt eũ noscat, iuxta Scotum receptum in 4. lib. senten. distin. 15.

Diximus: Notabile, quia minus eo non inducit mortale, per supradicta in cap. 11. nu. 4. & specialius supra eo. cap. nu. 5 Dixi: Alienum, quia non est peccatum etiam veniale accipere sibi, quod nullius est, cuiusmodi sunt aues & feræ & lapides pretiosi litoris maris, quę inuenientium & capientium fiunt, §. item lapilli. Instit. de rer. diuis. qualia sunt etiam, quæ aliquãdo fuerũt aliquorum: sed desierunt esse illorum, quorum fuerunt, nec sunt effecta aliorum, vt thesauri, de quibus plura statim. Quales item quæ à suis dominis pro derelictis habentur, l. falsus. §. si factum. ff. de fur. & l. interdum. ff. de acqui. poss. & §. fin. Instit. de rerum diuis. Pro derelicta autem quis habere suam rem perditam præsumitur ex coniecturis, de quibus est, quod tacet, & non quærit per se vel per alium in quod allegatur Feder. Senen. in consi. 107. sed ipse ibi aliquid vltra, mea sententia, requirit. quod infra, nu. 176. ponitur. Aut iacit librum apertũ in mare, vel fluuium, gl. in d. §. si iactum. quamuis id faciat tempore tempestatis. Non tamen idem esset, si iaceret eum clausum, saltem illo tempore. l. qui leuandæ. ff. ad l. Rhod. de iact. & minus id quod vi fluminis fertur. arg. l. nauigia. C. de furt. c. excommunicationis. de rapto. Quod si per debitam inquisitionem non appareret, quis perdidit, vel cuius est, pauperibus restituendum est, arg. c. cum tu. & ei aduoc. de vsur. Et si inuentor est pauper, potest sibi totũ, aut partem illius retinere tamquam vnus ex eis, saltem ex consilio cõfessarij, per ea, quæ diximus in Enchirid. de Orat. c. 7. nu. 34. & supra eodem c. nu. 93. & in Apolog. de reditib. quæst. 1. nu. 77. Caueat tamen, ne à sua ipsius cupiditate falsus debitam inquisitionem omittat, & pauperiorem, quam sit se sibi persuadeat, arg. cap. quattuor. 4. q. 3. Ioan. Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 8.

171 Sexagesimoquartò peccat, qui casu thesaurum aliquem occultum in loco alieno inuenit, & dimidium domino non reddit, aut si data opera absque facultate domini effodiẽs inuenit, & totum non reddit, saltem sui laboris mercede deducta, iuxta mentem gl. dicti c. si quid. 14. q. 5. Pro cuius declaratione dicimus, quod thesaurus est pecunia sub terram, vel alibi abscondita vetustiore tempore, cuius dominus ignoratur, & de cuius occultatione nulla est memoria l. numquam. §. thesaurus. ff. de acqui. rer. dom. & melius in §. thesauros Instit. de rer. diuis. & melius in l. 1. C. de thesau. lib. 10. qui secundum ius cõmune totus est eius, qui inuenit illũ in eo, quod plene suum est, quo ad dominium directum & vtile: & si casu inuenit in alieno, dimidium est eius, & dimidium domini loci vbi est inuentus. Sed si data opera inueniat in alieno, distinguendum videtur, an de consensu domini loci fuerit quæsitus, an sine illo, & priore casu totus cedet inuẽtori: posteriore vero totus domino loci, vt probat prædicta l. 1. & recte resoluit Sylu. in aurea Rosa cas. 19.

173 Ex quo sequitur. Primo, quod creditor, qui thesaurum in domo, quam pignori habet inuenit, & maritus qui inuenit in terra dotali vxoris, diuidere debet eum cum debitore, aut cum vxore, & etiam, qui in agro, aut domo ad modicũ tempus cõductis: immo & ad longum, nẽpe ad vitam, aut vitas, aut in emphyteusim perpetuam, vel ad decem annos, qui etiam longum tempus constituunt, vt mox dicitur. Quia nullus horum est integer dominus, l. 2. ff. si ager vel emphyt. petat. & sic dimidium directi domino dare debet. Et econtrario, si inuentor habet dominium directum, dimidium dare debet habenti vtile, vt colligitur ex Bart. in l. si is. §. fi. ff. de acquiren. rer. domi. & in l. in causæ. ff. de procul. & §. thesauros. Instit. de rer. diuis.

174 Dominium autem directum tantum dicitur habere is, qui proprietatem rei sine vsufructu habet, vt qui in emphyteusim perpetuam, aut ad vitam dedit, aut ad decem annos locauit. Dominium vero vtile tantum dicitur habere, qui sine proprietate habet ius fruẽdi re perpetuò vel pro sua vita, aut plus, aut saltem pro decem annis, iuxta gloss. clem. 1. de reb. eccles. non alie. & allata per Dec. consil. 104. & alios alibi.

175 Sequitur secundò, cum, qui thesaurum in loco publico, aut sacro siue religioso inuenit, partiri debere cum fisco, aut ciuitate, aut prælato ecclesiæ, cuius est ille locus, vbi est inuentus. Dixi supra: Secundum ius cõmune, quoniam vbi aliæ sunt de hoc leges, aut de aliis rebus inuentis illæ seruandæ sunt: sed nõ est expectanda sententia iudicis, vt recte monuit Caietan. 2. 2. q. 66. artic. 3. Quia, licet ille non dicat, hęc restitutio non sit in pœnam, cuius solũdæ obligatio exigat sententiam, iuxta gl. illam sing. c. fraternitas. 12. q. 2.

Sequitur tertiò, quòd aliquam pecuniam dispersam per agrum, aut in sæculo retro aliquem parietem, aut in aliquo eius foramine inueniens, restituere tenetur, quia non est thesaurus, per supradicta, & trad. Bald. in rubr. de rerum diuis. Idem est de illo, qui aliquam pecuniam metu belli occultatam, aut quo melius seruaretur, repositam inuenit, quia proprie non est thesaurus, de quo loquimur. Quare nullum ius sibi adquirit, qui eam inuenit, immo tenetur restituere illi, qui abscondit, aut eius hæredibus. l. auctore. ff. de rei vend. aut pauperibus, quod si non facit, mortifere peccat, vt sensit gloss. dicti §. thesaurus. Instit. de rerum diuis. si ex coniecturis apparet, non multum temporis fluxisse, ex quo posita fuit. Qui vero emit aliquod prædium, siue vrbanum, siue rusticum, in quo postea thesaurum inuenit, nil tenetur restituere venditori, d. l. à tutore. vbi supra: quamuis sciẽs in eis thesaurum esse emerit ab eo, qui id ignorabat, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 66. art 5. qui quid Ang. dicat.

Sexagesimoquartò peccat, qui thesau

thesaurum arte magica, aut aliis diuinationibus, & modis illicitis quærit, quamuis id efficiat in suo, & quod inuenit fit fisci, l.vnic. C.de thesaur.libr.10. Videtur tamen, eum retinere posse illum, quousque condemnetur, quia pœna est, argu. gloss. fing.c.fraternitas.12.q.2.

176 Sexagesimoquintò, qui trabem, aut aliquid aliud fluminis vi delatum inuenit, & sibi accipit, nisi esset tale vt iure præsumeretur pro derelicto esse habitum, argum.l.qui leuãdæ.ff.ad leg.Rhod.de iact.Gab. in 4.lib.sent.dist.15.q.8.sub fin.& l.in suo id inueniens, dominum requireret, vt illud inde auferret, aut pro derelicto haberet: aut peteret à iudice, vt constitueret ei terminum, intra quem illud faciat, & dominus nil horum curet, satis præsumi potest, eum id pro derelicto habere, quò sibi retinendo non peccet, argu. d.l.qui leuandæ.cum ei adnot.

Auis autẽ & fera in laqueo etiam alieno inuenta, acquirentis fit l.in laqueum.ff.de acquir.rer.domi.§.illud quæsitum. Instit.de rer.diuis.nisi vbi contraria cõsuetudo ei, qui laqueum parauit adiudicet, Ioan.Maior.in 4. lib.sent.dist.15.q.10.

De peccatis circa contractus, & primo circa depositum.

SVMMARIVM.

177 *Fraus species doli.*
177 *Culpa quid & quotuplex.*
177 *Dolus quid, & quotuplex.*
177 *Falla. in species doli.*
178 *Casus fortuitus quid, & idem vni casus alteri non.*
179 *De quo nemo nisi in tribus casibus tenetur.*
179 *Contractus magis obligat eum, cuius gratia fit.*
180 *Contractus per quosdam transit in dominium, & per quosdam non.*
180 *Deponens mutuabile cum facultate vtendi, &c.*
181 *Depositarius vt peccat non reddendo vel vtendo.*
181 *Depositarius se offerens non ad plus tenetur, nisi &c.*
181 *Depositarius ne de dolo teneatur pactum non valet.*

177 AD cognoscendum peccata, quæ circa depositа, cõmodata, mutuata, pignorata & locata committuntur, præsupponimus primũ, quòd plurimũ interest, an quid dolo, an culpa, an casu pereat, vel peius fiat & an culpa lata, leui, vel leuissima, ideoque, definiẽdum esse, quid sit vnumquodque illorum. Definiuntur autem à Panorm.in c.1.de commod.& c.fi.de depos.post Bart. in l.quod Neru. ff.depo.cum not. ibi & alibi sæpe per nostros doctores, & S.Thom.1.par.q.48.art.5.& 6. & 1.2.q.21.art.2.& 2.2.q.118.art.8.

Secundò, quòd ex mẽte omnium prædictorum dici potest breuiter, quòd culpa, generaliter sumpta, est voluntaria inordinatio actus, vt loquitur sanctus Thom.aut deuiatio à bono, vt Bar. Et quia inordinatio, siue deuiatio voluntaria, aliquando fit studiosè, siue de industria, & aliquando inconsiderate, ideo culpa diuiditur in dolum, & culpam simplicem. Dolus autem est machinatio, seu circumuentio, ad decipiendum seu fallendum alium adhibita,

l.1 ff.

l.1.ff.de dolo.gl.in reg.scienti.libr.6. Dolus autem est duplex. Alter qui fit verbis, & vocatur fallacia. Alter qui factis tantum, & vocatur fraus, vt ait sanctus Thom.in dicto arti.8. Iterum dolus diuiditur in verum, & præsumptum, vt aiunt Bartol.& Panormitan. Nam licet dolus non possit probari, nisi per confessionem partis, vel cõiecturas, quo ad forum exterius, iuxta gl.c.2.de renunciat. libro sexto, & in l.dolum.C.de dolo. tamen quando signa sunt manifesta, dicimus dolum verum, quando secus, dicimus dolum præsumptum. Verbi gratia, librum commodatum reliquisti noctu in platea furibus frequentata, & est perditus, diceris apud homines, vero dolo, eo fine vt perderetur ibi posuisse: si autem eundem librum reliquisti in platea interdiu, diceris dolo presumpto reliquisse apud eosdem: licet fieri possit, vt neutro casu coram Deo dolo feceris, vel quod in posteriore casu dolose feceris, & non in priore. Et dolum verum appellauit Bart.latissimam culpam: dolum præsumptum latiorem culpam.

178 Ex quibus infertur primo, frequentissime fieri, quòd qui vere coram Deo non est in dolo, præsumatur esse in eo corã hominibus, arg. cap.tua.de sponsi.cum ei adnot. Secundò, fraudem esse speciem doli generaliter sumpti, iuxta, l.ius gentium. §.sed si fraudandi. adiuncta gloss. ff. de pactis. Tertiò, quòd omnis dolus est culpa, & ita quòd promittens indemnitatem alicui de culpa commissa per famulum, tenetur de furto ab eo dolose admisso, vt aiunt Bart.& Panor. communiter recepti vbi supra. Culpa vero simplex differe à dolo, quod ille sciẽter & studiose fit: hæc vero ignoranter, vel negligenter: & ita est triplex, lata, leuis, & leuissima. Lata est, quam regulariter omnes communiter vitant, qualis est eius, qui extra domũ, aut in scamno librum sibi commodatum relinquit. Leuis vero, quam regulariter homines diligentes suæ professionis euitant, qualis est eius, qui librum aliquem in suo cubiculo, ostio tamen aperto, relinquit. Leuissima, quam homines diligentissimi vitare solent, qualis est eius, qui librum commodatum intra cubiculum relinquit, quod claue obseruauit, non tamen manu, an bene obseratum esset tentauit, iuxta communem opinionem in prædicto c.& casus fortuitus est inopinatæ rei euentus, qui præuideri non potest, etiam per diligentissimum. Casu autẽ fortuito fit, quod sine vllo dolo & culpa eius, de quo agitur, contingit, qualia sunt, quæ contingunt per bellum inopinatum, furtum latronum, terræ motum, gelu, grandines, fulmina, & alia similia.l.quæ fortuitis.C.de pign.act. Monemus autem, quod alij non monent, quòd aliquis euentus dici potest casus fortuitus respectu vnius, & non respectu alterius, vt incendium domus respectu eius, qui incendit dolo aut culpa dicetur factũ: & respectu passi damnum suorum bonorum aut alienorum per illud, qui nullatenus fuit eius conscius, casus fortuitus.

179 Tertiò, quòd regulariter nemo tenetur de dãno, quod casu fortuito contingit, nisi in tribus casibus. Primus, quando culpa præcedit, vt qui

equum

equum sibi vicinæ ad Bononiam cõmodatum duxit ad Mediolanum: & post Bononiæ transitum, incidit in latrones, qui ei rapiunt illum. Secundus, cum mora præcedit, & fit deterioratũ, perit aliter, quã periisset apud commodantem, per supradicta à nu. 44. Tertius cum sit pactũ quod quamuis casu fortuito amitteretur, ei qui recepit, pereat d.c.1.& l. in rebus. ff. eod. & l.1. C. eod. & l.1. §.is. ff. de act. & oblig.

Quartò præsupponimus, qđ quando aliquis cõtractus in fauorem, & vtilitatẽ solùm alterius contrahentium fit, ille regulariter tenetur de dolo, & lata, leui, & leuissima, alter autem nõ nisi de dolo, & lata culpa. Et si in fauorẽ, & vtilitatem vtriusq; fit, vterque tenetur de dolo, lata & leui culpa & nõ de leuissima, nec de casu fortuito, l. contractus. ff. de reg. iur. cum late adnot. ibi per Decium.

180 Quintò præsupponimus, quòd aliqui sunt contractus, per quos dominium rei de vno in alium non trãsfertur, & aliqui per quos transfertur. De numero non transferentiũ est cõtractus depositi, per quem sola custodia rei alteri cõmittitur, l. 1. & l. licet. ff. depos. & regulariter fit in fauorem eius, qui deponit, & commendat. Et contractus commodati, per quem cõceditur vsus alicuius rei, quæ vsu non consumitur, cap. 1. cum ei adnot. de commod. & toto tit. ff. commod. vt commodatio gratuita mulæ, libri, vestis, & id genus aliorum: & regulariter fit in fauorẽ accipientis: & contractus locati & cõducti, per quem vsus alicuius rei, quæ vsu non consumitur, pretio cõceditur, toto tit. ff. & C. locat. & in Decreta. eo. tit. qualis est concessio non gratuita vsus domus, prædij, mulæ, equi, & id genus aliorum. Et contractus pignoris, per quem debitor creditoris aliquid in cautionem pign. l. 1. & C. de pign. & eod. tit. in Decret. De numero vero transferẽtium dominium sunt emptio, & vẽditio ff. & C. de contrah. empt. permutatio, donatio, & mutuũ, per quod gratis creduntur res, quæ in numero, pondere & mensura consistunt, & vsu consumuntur, l. 2. §. appellata. ff. de reb. cred. qualia sunt pecunia numerata, panis, vinum, & oleum.

Sextò, quòd depositum prædictarum rerum in numero, pondere, & mensura consistentium, facta facultate depositario, vt eis vratur, incipit esse mutuum, simul ac depositarius incipit eis vti, l. Quintus. ff. depos. & clarius in l. certi condictio. §. fi. cum l. seq. ff. de reb. cred.

181 Sexagesimoseptimò peccat, qui deponit rem in numero, põdere, vel mensura consistentem, cum facultate, vt ea vtatur, pacto facto, aut intẽtione principali, vt aliquid lucri inde ei redeat: quia per proxime dicta in effectu mutuat & sperans inde principaliter lucrum: quod esse peccatum, infra nu. 207. patebit. Idẽ de depositario, qui depositũ deponenti petenti reddere non vult. c. bona fides. de depos. nisi cum deponens in suum damnũ, aut alienũ repeteret: vt quum furens deponens arma, ea ad se, vel aliũ lædẽdum repetit. c. ne quis. 22. q. 2. Et nisi quando bona deponentis publicata, siue confiscata sunt: quia tunc depositum fisco reddendum

dendum est. d. l. bona fides. nisi quãdo latro, apud eum, à quo furatus erat, deponeret, per eandem. l.

Sexagesimooctauo, qui depositarius depositum amissum dolo, vel lata culpa eius, de quibus supra eo cap. num. 177. reddere non vult. l. 1. §. vlt. ff. depos. quamuis non, si culpa leui sit amissum. Quia regulariter depositum gratia solius deponẽtis fit, & per contractum alterius tantum partis gratia factum, altera pars de culpa leui non tenetur, per supradicta eod. cap. nu. præced. Vnde si ob custodiam aliquam mercedem accipit, tenebitur si sua culpa, quãuis leui amittatur: non autem si leuissima, vel casu fortuito, nisi præcesserit mora in restituendo, vel pactum, quod ad id eum obligaret, per prædicta nu. 79. licet non valeret pactũ, ne depositarius de dolo teneatur: quia id materiam & occasionem peccandi præberet, quod non licet, cap. ex parte. de consuet. & l. conuenire. ff. de pact. dotal. Etiam quando gratia depositarij depositũ factum est, tenetur de culpa leui. Et etiam quando ipse se obtulit custodem, ob quod qui deposuit alteri diligentiori cõmittere omisit, iuxta cõmu. Cuius contrarium tenuimus supra capit. 4 nume. 9. & sequent. sequuti Decium in dicta regula contractus. nisi quando se ob suam vtilitatem obtulit, & non quo gratificaretur deponenti, aut operam suam ei nauaret.

Sexagesimononò, qui depositarius deposito contra voluntatem deponentis vitur: vt de vtente pignore. infra eodem capit. num. 213. dicemus.

De peccatis circa cõmodatum.

SVMMARIVM.

182 *Commodans vt peccat ante tempus repetens.*

183 *Commodatarius vt peccet non reddẽs, aut vtens, &c. &c. nu. 184.*

185 *Commodatarius remittens per nuntiũ non reddentem. & 186.*

186 *Impensæ quæ, & quomodo commodatario soluendæ.*

186 *Commodatum à mutuo in eius redditione longe differt. & seq.*

182 Septuagesimo peccat, qui cõmodans cõmodatum ante rẽpus constituti à cõmodatario cõtra eius voluntatẽ, & cum eius damno notabili repetit, cum obligatione restituendi, l. in commodato. § sicut. ff. commod. & cap. 1. de commod. nisi commodans tantundem damni pateretur, si non repeteret, secundum Angel. verb. commodatum. §. 4. quod fallat quo ad forum conscientiæ. Silicet quando commodatario alio remedio sibi, quo illud damnum vitaret, prospicere potuisset: quamuis illud commodatum sibi non fuisset, sed nostro iudicio in vtroque foro peccat qui commodat, & ante tempus reuocat, quia textus indistincte loquuntur in d. c. 1. de commod. & in dicta l. in rebus. Nec vlla ratio in vno foro potius, quàm in alio concludit. Et quia licet quis (ceteris paribus) sibi magis, quàm alteri obligetur, cap. si non licet. 23. q. 5 & l. præses. C. de seruit. in proposito cetera non sunt paria. Quia cõmodans sua voluntate propriæ rei vsum alteri concedit, & suã fidem

fidem seruare tenetur,l.1. ff. de pact. c.qualiter.eod.tit. Sed si res ad certum vsum,& ad certũ tempus commodata non fuit,sed quousq; commodanti placeret,(quod precarium vocatur) cum libuerit, repetere potest: nisi quando absque causa, & cum damno alterius repeteret: quia tunc dolo id facere videtur, Silu. verb precarium.q.1.

183 Septuagesimoprimo, qui commodatarius ad præfinitum tempus non reddit, aut deterius factum sua culpa, etiam leuissima reddit, quo cõmodans non fuit contentus, arg. c.1. de commod.cum ei adnot. Idem si commodatarius in alium vsum, quam concessum,cõmodato vtitur: aut diutius quam conuenissent,cum damno notabili cõmodantis, & est obligatus ad restituendum illud, & rem:quãuis deterior fieret casu fortuito: quia furtum committit,l.qui inuenta. ff.de furt.& §. placuit.Insti. de oblig.quæ ex delict.l. si vt certo. ff. commod.& omnis fur est in mora. l. in re furtiua ff. de condi. fur. & casus fortuitus ei, qui est in mora,nocet, vt supra eo.cap. nu.179.dictum est. Non est tamẽ fur,nec peccat,si probabiliter credit eum, qui commodauit, contentum fore eo, quod ipse fecisset,& ideo illud fecit. l.qui rem. ff.de furt. Nec tenetur de damno commodatarius, sine cuius culpa res commodata periit, aut deterior est effecta solo vsu, ad quem commodata fuit l.si commodauero. ff. commo. Immo saltem in foro conscientiæ, restituere non tenetur commodatum, quod periit, aut deterius effectum est alio vsu, si certum est eodem modo periturum, aut deterius effectum iri,si tempore competenti commodãti restitutum fuisset, nisi id, quod commodantis ob moram interfuit.Ang.verb.commodatum.§.14.

184 Ex quo sequitur,peccare commodatariũ,qui rem sibi commodatam, cum domini damno notabili alteri commodat, l.qui vas. §. si ergo. ff. de fur. Et qui commodatum sui tantum gratia accipit, vt regulariter accipi solet, & sua culpa etiam leuissima amittatur,restituere tenetur.Sed si accipit ob causam & vtilitatem eius,qui commodat: quẽadmodum vxor ornamenta & vestes, quas maritus,aut amicus cõmodat, recipit, quò ornatior ad eum accedat, non nisi ad damnum dolo, aut culpa lata darũ tenetur. Et si vtriusque gratia commodatur: vt commodantur vasa argentea,& alia similia ad splendide aliquem dominum,vel amicum communem excipiendum, tenetur ad damnum dolo, aut lata, & leui culpa datum: sed non ad id quod leuissima datum est,l. contractus.de reg. iur.cap.1.cum ei adnot. per Panorm. & alios de commod. Quamquam Sotus lib. 5. quæst. 7. articulo 2. de iustitia & iur. recenter contra omnes dicit, se credere commodatarium non teneri de damno dato culpa eius leui, quæ ad mortalem in foro conscientiæ non peruenit. Sed communis tenenda est, quia hæc obligatio non tam descendit ex peccato, quam ex natura contractus.

185 Septuagesimotertiò, qui misit commodatum,pignus, depositum, aut locatum per nuntium non habitum pro fideli,& amittitur dolo,aut culpa

culpa eius,& nõ vult soluere, arg. c. significante.de pigno.Bar.in l. eum, qui ff.commod.Sed non, si misit per nuntium communiter pro fideli habitum,l.qui argentum.ff.commo. & Bar.vbi supra.Quia ea,quæ pereunt, regulariter suo domino pereunt, & quæ commodantur, pignorantur, deponuntur,locãtur: vt sunt domus, bestiæ & similia, quorum dominiũ non transiit in accipientem,manent & sunt eorum, qui commodant,pignorant,deponunt,aut locant; & ita quomodocunque pereant, eisdem pereũt,nisi dolus,pactum,culpa, aut mora præcedat; quorum nihil interuenit in missione rei commodatæ per nuntium communiter ad illam ferendam pro fideli habitum.

186 Quamuis contrariũ sit dicendũ de rebus mutuatis; puta pecunia numerata,pane,vino,oleo, & id genus aliis, quæ vsu consumuntur: quia dominium eorum transit in accipientem: & ideo licet per nuntium fidelem & diligentem mittantur: si actu non peruenerint ad eos quibus mittuntur, & nuntius non fuit electus per eos, non liberatur mittens, iuxta communem. in l. incendium. C. si cert. pet.& l quod te. ff.eod.& d.c.significante.

Septuagesimoquarto, qui commodatarius rem sibi commodatam non vult restituere,nisi solutis prius impensis, quas ipse iure facere tenetur; quales sunt victus,& curationes exigui pretij.l. in rebus. §. possunt. ff. commod. Bart.in l. diuortia. §. impendia. ff. solu.matri. quamuis pro compensatione alterius debiti liquidi retinere posset, iuxta cõmu. arg.a contrario.l.fi. C. de compensa. & c. 2. de depos. & etiam in pignus magnarum impensarum in eius curationem ab aliquo morbo, aut inuestigationem, aut alia similia factarum.d.§ possunt,& Bar. vbi supr.

De peccatis circa locata & conducta.

SVMMARIVM.

187 *Locator non reddens pensionem pro re locata perdita.& seqq.*

195 *Locans domum in malos vsus, vel dolium vitiosum & nu.196.*

195 *Castitati seruandæ hæc vera remedia.*

195 *Meretricum permissio vt licita, & domus eis vt locandæ, & an id expediat.*

195 *Permissio peccati nulla cum participatione lucri licita.*

195 *Locare domum meretrici, aut alij peccaturo in ea vt liceat.*

195 *Tributum meretricum tamquam fœdum ab Anastasio sublatum.*

196 *Dolia & alia vasa vitiosa sciens vendens aut locans.*

196 *Opuarius, qui non laborat iuste conductori & 197.*

198 *Conductor non soluens, vel damnificans nu.199.*

199 *Conductor partiarius non partiens domino locanti arbores.*

198 *Sterilitas quæ: & quando minuit pensionem & seq.*

198 *Sterilitas non dat remissionem hic casibus.*

190 *Pensio emphiteusis duplex, & quæ minuitur.*

193 *Emphiteusis quæ perditur biennio nõ soluendo.*

193 *Locator quatuor casibus potest auferre rem locatam.& nu 194.*

187 Septuagesimoquinto, qui locat aliquid & pensione accepta ob crimē commissum sua bona perdit, & non vult reddere pensionem taltem pro rata temporis conductionis, cui eo nō potuit, vt conuenit vti, l. si fundus. ff. loca. quæ vna cum gl. & communi sententia probat locatorem teneri ad reddēdam conductori totam pensionē, vel pro rata temporis, siue fundus publicetur ob maleficium, siue detur militibus: licet non teneatur soluere illi interesse damni emergentis, aut lucri cessantis; eo quod non fuit vsus toto illo tempore, ad quod cōduxit. Idem de locatore, qui compellit ad soluēdam integram pensionem domus locatæ cōductorem eam relinquere coactum ob pestem, & aliam iustam causam superuenientem ante definitum tempus. Quia solum pro tempore, quo ea vti potuit soluere tenetur, c. propter sterilitatem. cum ei adnot. de loca. Idem de locatore, qui non vult deducere partem agricolæ debitam, propter sterilitatem fortuitam, quam nec fertilitas anni præcedentis, nec sequentis compensare potest, d. c. propter. de loca. l. ex conducto. §. si vis. ff. loca. quamuis ad id nō teneatur eo solo, quod fructus iā percepti damnificentur, furripiantur, aut pereant; quia id sterilitas dici non potest. l. damnum. C. de loca. Idem, de quolibet locatore, & conductore, qui non seruat, vel non vult seruare leges locationis, & conductionis expressas vel tacitas, quæ colliguntur ex infrascriptis sex notabilibus. Primo, quòd iuxta leges Lusitaniæ Catholicæ fidei propagatricis consultissimas, præfatæ remissioni locus non est: quia per illas ad tollendas mille difficultates circa hoc occurrentes sapienter statutum est, lib. 4. ordin. tit. 61. quòd agricola nullam pensionem soluat, quando nulli fructus extiterint, & quando alicui fuerint, quamuis pauci sint, integram soluat, aut omnes fructus domino relinquat, de illis semente deducta, si est prædium ab eodem satum, aliàs nihil. Diximus: Remissioni, quia compensationi anni fertilis cum sterili ibi etiam vt in aliis Regnis iure communi locus est, vt eo. tit. 61. cauetur.

188 Secūdò, quòd sterilitas fortuita est quæ cōtingit ex insolito calore, frigore, tēpestate, terræmotu, magna alluuione, locustis, brucis & id genus aliis, quæ absque aliqua culpa agricolæ eueniunt, prædicto. §. si vis.

Et quamquā multæ sunt opiniones circa definitionē sterilitatis prædictæ, omnibus tamen perpensis, ea vero propior videtur, quæ definit esse illam, quam eōuentio partium, aut consuetudo, vel communis opinio regionis probat: & quòd cessantibus his eligatur illa Bart. in dict. §. si vis. & Ioan. And. in c. propter. scilicet, quæ est tanta, vt ex tribus partibus, quæ communiter colligi solent, vix duæ tantum colligantur, vt si solent colligi quindecim modij frumenti, & non colliguntur nisi decem, quo casu si prædium erat conductum tribus seuris, duo soluātur.

189 Quanquā item aliqui dicant, q; tunc sterilitas vnius anni compensanda est cum fertilitate alterius cū in præcedēti anno, aut sequenti duplo plus solito colligatur. Verius tamen videtur sufficere, vt colligatur tantum, quantum pacto, aut consuetudine ad id constitutum est, aut plus solito tertia parte, quia ad sterilitatem sufficit, vt tertia parte minus solito colligatur. Et in hoc nulla est differētia, an pensio sit soluenda in pecunia numerata, an alia quauis re, arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. & cap. 2. de transl. prælat.

190 Tertiò, quòd hæc remissio locum nō habet, cum locator & conductor sunt socij partiarij tam lucri, quàm damni, iuxta glos. receptam. in d. c propter. Nec quando sterilitas ex vitio, aut tenuitate agri, in quo multa herba, vel zizaniæ sementem suffocant: quia hoc negligentiæ agricolæ imputatur, qui eas non extirpat. Quod etiam Sylvest. verb. locatio q. 13. rectè adnotat. Nequo in pensionibus rerum, quæ in longum tempus, scilicet, in decem vel plures annos, aut in vnam vel plures vitas, aut in perpetuum conducuntur, & locātur, etiam si maior pars rei sic ad longum tempus locatæ pereat, etiam casu fortuito, modo non tota, l. 1. C. de iure emphiteuti. quod verum est, quando exigua pensio exsoluitur potius ad recognitionem dominij directi, quàm ad solutionem fructuum; secus autem, quando ita fructibus respondet, quòd tantum aut parum minus soluitur, quàm si ad modicū tēpus cōduceretur. tunc enim prædicta remissio faciēda est, quia emphiteuta, siue cōductor non soluit pensionē tam ad recognitionem dominij directi, quàm in fructuū cōpensationē: quæ communis opinio est, quam refert & sequitur Ias. in l. 1. C. de iure emphit. num. 20.

191 Quartò, quòd pēsio prouentus, aut merces locationis non sunt augēda propter fertilitatē, quæ euenit ex eo, quod fructus per conductoris industriam excreuerint: quia sua industria eidē non debet esse damno: nec etiā quando ex fœcūditate prædij euenit. Sed sic quando casu fortuito contingit, vt si res locata fuit aut molendinum, ex quo conductor cōmuniter percipere quinquaginta solet: & quia reliqua molēdina vicina destructa sunt, hoc anno centum percipit, pro rata pensio augeri debet, sicut ob sterilitatem casu fortuito euenientē diminui solet. Panor. in d. c propter. & Sylu. ver. locatio. q. 14 quia contrarium eadem est disciplina, c. hospitiolum, 32. dist. l. 1. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur.

192 Quintò, quòd qui aliquā rem propriam ecclesiæ in emphiteusim temporariā, aut perpetuā habet, & per duos annos pensionem soluere cessat, ipso facto eā perdit, c. potuit. de locat. nisi celeritate solutionis mora purgetur, quę purgatur, si ante citationem, vel statim post eam sine alia dilatione soluit, iuxta Innoc. & Ioan. And. in d. cap. potuit, & Bald. & Spec. tit. de locat. quamuis gl. & Cardin. in d. c. potuit. arbitrio iudicis relinquāt, quod verius videtur. Sed si prædiū est alterius personę priuatæ, non amittitur ob non solutionē antē triū annorū lapsum, sed moram purgare non potest propter maius tēporis spatiū, quod ad eam faciendā datur, l. fin. C. de iure emph. Sed si dominus prædij debet emphiteutæ tantum, quantū sibi debetur, non

perdit propter cõpensationem, quæ solutionis vim habet, arg. cap. fin. de depos. vbi Panor. & alij.

193 Sexto, quod qui domum suã in certũ tempus locauit, ante præfinitum tempus ab ea colonum, vel inquilinũ amouere potest in quattuor casibus, c. propter. §. 1. cum gl. de locat. Primus, quando in longum tempus; scilicet, in decem, aut ad minimum in quinq; annos locatum fuit, & in duobus primis annis pensionẽ nõ soluit: aut quando in minus tempus locauit, & die præstituto nõ soluit, nec celeriter satisfacit, l. ædẽ. C. de locat. & d. c. propter. §. 1. Secundus cum ad suam habitationem propter aliquam necessitatem superuenientem ea opus habet, d. l. ædem. & d. c. propter. §. 1. si tamen commode aliter sibi prouidere potest, non dicetur necessitatẽ habere. Quæ tamen superuenire potest locanti, qui aliam domum non habet, quando locat, quidquid dicat Silu. verb. locatio. q. 9. vt si tunc cum alio degebat, & postea vxorem duxit, & cum ea separatim ipsi viuendum est.

194 Tertius quando domus indiget refectione, qua tempore locationis non indigebat, d. c propter. Sed in hoc & præcedenti casu pensionem pro rata temporis, pro qua auferrur deducere debet, d. c. propter. §. 1. Quartus, quando cõductor abutitur ea, etiam absq; damno illius recipiendo meretrices, desides quosque, & lenones, & id genus nihili homines, & tunc nihil ei de pensione remittere tenetur, aut male ea vtitur, & cum damno illius, in cubicula sues introducendo, arbores cædendo, agrum idoneo tempore non colendo, quo casu de pensione remittere pro rata debet, potest in iudicio damna petere, Panor. & Ioan. de Imol. in d. c. propter.

195 Septuagesimoquinto peccat, qui suam domum, aut aliam rem locauit ei, quem putabat ad peccatum mortale abusurum: vt qui arma locat ei quem putat interficere, aut iniuste alium percutere velle: aut locat domum suam ad vsuras in ea exercendas: quia auxilium ad peccandum mortaliter præbet, arg. c. fi. de iniur. & c. 1. de offi. deleg.

Ad noue hoc in loco quæsita, respondimus multa, quorũ summa est. Primo, quod licet potestati publicæ permittere, vt in aliqua ciuitatis parte sint meretrices, secũdum Augu. in lib. de ordine, relatum a S. Tho. communiter recepto 2. 2. q. 10. art. 11. dicẽte, quòd vt Deus permittit aliqua mala, quo maiora vitentur, vel maiora bona sequãtur, ita potestas humana imitans eum id facere potest.

Respõdimus secundo quod nõ licet permittere lupanaria eo modo, quo alicubi permittuntur, videlicet constituendo eis patronos, & locãdo domos carius, quã locarentur honestis, eo q; magis lucrãtur, quã illæ, & recipiendo aliquã turpis lucri partẽ: quia hic modus cõtinet participationẽ lucri obuenientis ex peccato, & vt erudire dixit Caiet. supradicto arg. 11. nulla permissio peccati est licita, cũ participatione lucri præcedentis.

Tertio, quod nõ licet locare meretricibus domos in ea parte ciuitatis, in qua illa non permittit eas habitare; quia legem & consuetudinem iustam transgreditur contra c. quæ contra mores. 8. dist.

Respon

Respõdimus quarto, difficile defendi posse, quod non peccet mortaliter, qui facit vel locat domum meretrici ad meretricandum, etiam in ea parte ciuitatis, in qua permittitur habitare. Tum quia non licet locare domum vsurario ad exercendum fœnus, c. 1. de vsur. lib. 6. Tum quia nullatenus licet dare occasionem peccandi iuuando. per solutionem positam supra eo. cap. 14. nu. 3. Tum quia quamuis possit potestas publica permittere meretrices, consultores, & adiutores earũ, & accedentes ad eas: non tamen potest efficere, quod illæ & hi non peccent: & negari non potest, cum, qui facit vel locat domum meretrici ad meretricandum iuuare ipsam ad illud. Tum quia fundamenta, quibus contrariũ in d. c. 28. defendimus, soluuntur concedendo. Primo, quod licet cuiq; vti iure rem suam locandi licite: non tamen illicite. Secundo, quod quamuis liceat locare domum ei, quem credit aliquo modo in ea peccaturum ad alium finem, quam peccandi, & ad exercendam artem, cuius exercitium non habet peccatũ inseparabiliter admixtum: non tamen ad finem peccandi, nec consequenter ad exercendam artem, cuius exercitium habet in se peccatum admixtum: & ita quamuis liceat locare domũ peccatoribus; puta concubinario, aleatori, peieranti, & id genus aliis non excõmunicatis, ad viuendum honeste etiam si credantur peccaturi: non tamen ex eo consequitur, quod liceat locare meretrici domum ad videndum meretricando, & exercendo artem cuius exercitiũ inseparabiliter habet peccatum admixtum. Quia id nulla humana potestate potest fieri licitum, cum sit contra legem naturalem & diuinam, cap. sunt quidam. 25. q. 1. licet iusta de causã permitti possit. Contrarium tamẽ sine scrupulo affirmat Ioan. Maior in 4 lib. senten. distin. 15. q. 35. Pro quo facit, quod id seruat consuetudo totius fere orbis Christiani. Et quod prædictum dictum Augustini, ab omnibus receptum, vix potest exequi sine domuum locatione. Et quod in hac vrbe, sciente & patiente Papa, locantur, & semper consueuerunt locari domus meretricibus. Et confessarij absoluunt, & semper absoluerunt locatores earum sine proposito abstinendi a tali locatione. Et quod ad contraria, quæ vrgentissima sunt, responderi potest procedere in eis, qui locant eo fine principali, vel minus principali, vt meretricentur; non autem in eis, qui locant illis ad viuendum tantum, cum displicentia coram Deo vera meretricij & artis meretricandi. Et quod hoc significare videtur dict. cap. 1. de vsur. quatenus vetat locari domos vsurariis ad fœnus exercendum, & quatenus non vetat locari indigenis, sed tantum alienigenis: quamuis replicari possit, probari quidem ibi, quod permittitur locatio vsurariis indigenis ad fœnus exercendum in foro exteriori, non tamen quod liceat in interiori, de quo agimus.

Quinto, quod magis expediret non permittere. Primo, quidẽ quod difficile est defendere, quod liceat eis facere vel locare domus, in quibus meretricentur, vt dictum est, & quod raro locantur ad tam putũ

finem viuendi, quòd non misceatur aliquis finis, saltem minus principalis meretricandi vel de lucro participandi. Secundò, quòd multi pueri incipiunt hac occasione prius peccare, quàm alioquin inciperent. Tertiò, quòd libido non extinguitur nec refrenatur, immo accenditur eius vsu secundum Magistrum lib. 2. dist. 24. addito malæ inclinationi sensualitatis malo habitu: quia duo vincula fortiora sunt vno. cap. 1. de treug. & pac. Quartò, quòd castitatis habitu resistendi illi malæ inclinationi refrenatur illa, & non lupanari resistētiæ illi resistenti. Quintò, quòd finis per eā prætensus, puta ne honestę sollicitentur, nō attingitur: viri enim prudentes aiūt, eos, qui ad eas sollicitādas sunt apti, non adire meretrices, immo postquam male sunt eis assueti, tāto magis honestas sollicitant, quo maiore impetu naturæ & vitij ferūtur. Sextò, quòd ipsemet noui pueros castissimos venientes ad academias ex terris, vbi non est huiusmodi occasio fornicandi, ob eam, quæ in illis se offerebat, animas, studia, & corpora ipsa contagio infecta perdere. Septimò, quòd meretrices ipsæ, posteaquam desinunt esse ad illud turpe lucrum aptæ, mille malorum instrumenta fiunt. Octauò, quod mares maiore vigore sunt ad resistendum libidini, quàm feminæ, cap. indignantur. 32. q. 6. Et feminis nusquā hac permissione succurritur. Nonò, quòd verum remedium contra libidinem est ardens amor castitatis, vi ratio eius perdendæ occasionis, vigilantia ad resistendum coniuncta cum abstinentia, sobrietate, & labore assiduo, & super omnia gratia Diuina, quorum omnium contraria lupanaria requirunt.

Ex his sequitur. Primò, pessimam esse permissionem, qua Caupones intra domos suas, vel in tuguriolis contiguis, permittunt meretrices, quo plures eo diuertant: quia nō fit auctoritate publica, & est ei mixta participatio.

Secundò, esse peccatum mortale quærere lucrum, vel tributū ex meretricio, & fœdis meretricum opera & lucro. quare non immerito Nicephorus, lib. 16. cap. 10. Histor. eccle. huiusmodi lucrum & tributum appellat vectigal & portorium impurum, detestabile, absurdum, Deoque inuisum, feris quibusque barbaris indignum, & execrandum piaculū: summisque laudibus effert Anastasium, quòd imperiali magnificentia illud omnino sustulit. Cuius rei memisthæc recognoscentem, admonuit præcellēs Doctor Cæsar Costa, non solum vtriusque iuris petitia, sed & historiæ atque politioris litteraturæ cognitione præclarus, nuper à Sanctissimo D.N. Gregorio XIII. in Referendariorū numerū cooptatus. Cum antea fuisset Sapientię Romanæ Gymnasta percelebris, & post hæc scripta, fereque dimidium huius operis typis excusum, antequam hic locus excuderetur, ad amplissimum amplissimę Capuę Vrbis olim æmulæ, ab eodem Gregorio, vt eruditissimo, ita in eruditissimos quosque propensissimo, Archiepiscopatum euectus. Quod autem Nicephorus tribuit Anastatio, Platina in vita Pontiani tribuit Alexandro.

196 Septuagesimosextò, qui dolia vel

vel alia vasa vitiosa scienter nō patefacta vitio, locat, aut ignorans eorum vitium, pro integris vendit, ob quod vinum effusum est, aut damnificatum, & damnum vini & interesse soluere non vult, l. sed addes. §. si quis. ff. loca. Quamuis secus sit, saltem quod ad forum conscientiæ, si ignorās vitium, simpliciter locauit, dicens conductori, nescire se illa esse vitiosa, & ideo displiceret, an essent talia. Ang. verb. locatio. §. 24. & Siluest. eodem verb. quæst. 18. Quod ipsum est dicendum de omnibus alijs vitiosis, ex quibus damnum sequi potest, qualis est equus qui aquā ingressus in eam procidit, & vestiū iacturam adfert, Silu. vbi supra.

197 Septuagesimoseptimò peccat operarius, qui cōductus salario diario, fideliter nō laborat, ob quod cōductos notabiliter dānificarur, cum obligatione damnum ad arbitrium boni viri satisfaciēdi, l. 1. ff. locat. Idē si promisit, se diario pro altero laboraturū, & dolo, aut sua culpa, id non vult conductori damnum ob id acceptum satisfacere, cum obligatione restituendi, arg l. si. ff. ad l. Rhod. de iact. & d. l. sed addes. §. cum quidam. secus tamen si eum casus fortuitus impedit. l. si vno. §. cum quidam. ff. loca. & si est paratus ad præstandum, sed culpa conductoris non præstat, diarium ei persoluendum est: & etiā si præstare omisit ob casum fortuitum ex persona conductoris contingentem, quando conductus diarium in alio loco, si ille non conduxisset, reperiisset. Siluest. verb. locatio. q. 12. aliàs non in foro conscientiæ: quæ tamen limitatio nobis non videtur iure probari.

198 Septuagesimooctauò, qui pensionem rei conductæ eius domino non soluit, eo quod ea non vtitur quia non vult, aut quia ob aliquem casum fortuitum ex parte ipsius cōtingentem non potest, cum obligatione restituendi. gl. in d. l. si vno. §. item cum quidā. quod limitāt Ang. verb. locatio. §. 15. & Silue. vbi supra, procedere quādo dominus, eo quod eam illi locauit, alteri locare omisit, aliàs non, saltem in foro cōscientiæ. Sed nec hęc limitatio, nostro iudicio, iure probatur. & aduertēdum, quòd in illa quæstione, An merces locationis, & quęlibet alia pensio sit soluenda in principio, vel fine anni, resolutio glossarum in §. pen. Insti. de inut. stipul. & in l. 1. C. quando dies lega. ced. ponitur in illis duobus senarijs.

Anno si debes, tunc inspicies caput anni.

Anno si debes in fine tenebris anni.

Circa quod varij varie loquūtur, sed tenendū est, quod in primis cōuentio partiū est attendenda, & ea deficiēte, consuetudo regionis, & eis deficiētibus, regulariter soluēda est in fine anni, quādo vnica solutio est faciēda, & tēpus ponitur causa differendæ solutionis, vt resoluit Ias post alios in l. qui hoc ann. ff. de ver. obl.

Dixi: Regulariter, quia aliud est faciendum, quādo ex causa propter quam datur, & ex persona, cui datur & alijs circumstantijs aliud coniicitur, vt Pan. cum communi tenet in d. cap. propter. de loca. & satis in c. peruenit. de arbit.

199 Septuagesimononò, qui dolū, latam culpam, vel leui, sua, vel suorū, infert notabile damnū rei conductæ,

& non vult illud satisfacere, glo. in l. si quis fundus. §. Celsus. & l. si merces. §. qui colonum. ff. locat. secus tamen est, si inferatur ab alio, cui ipse resistere non potest: aut nõ tenetur, aut casu fortuito, quẽ nec culpa, nec mora eius præcessit, perdicta supra eo. cap. nu. 179.

Octuagesimò, qui colonus partiarius locauit alicui prædiũ rusticum, aut certam eius partem, nulla arborũ mentione facta, & omnes fructus earũ percipit, aut eas cædit, aut alius odio exorto ipsius dolo, vel culpa, eas cædit, aut earum fructꝰ dissipat, & non vult restituere domino suam partem vel damnum, iuxta l. fructus. ff. de vsufruct. d. l. si merces. §. culpæ. ff. locat.

De peccatis circa iura & tributa Regia & publica.

SVMMARIVM.

200 *Tributa & iura regia qui non soluit vt peccat.*

201 *Tributa sine auctoritate imponens, aut exigens vt peccat.*

201 *Iurium illicite impositorum exactor vt peccat.*

201 *Clericos qui grauantes gabellis excõmunicantur.*

212 *Episcopi inquirant, an clerici gabellis grauentur.*

201 *Gabellæ rerum quas homines ad suã necessitatem ferunt.*

202 *Gabellas ob merces debens sic rerum pandat.*

200 OCtuagesimoprimo peccat, qui tributa & iura iuste auctoritate Pontificia, Regia, aut alia publica. cõsuetudine immemorabili imposita, non soluit, cum obligatione restituendi, iuxta Ostien. in summa de pœnit. & remiss. & communem. quod plane procedit in iuribus debitis ob prædia, aut alia ad eorum statum pertinentia, aut alia via iusta impositis, cum intentione obligandi ad mortale, aut per iustos contractus locationis, aut alios cum illis initos. Etiã quando per aliam legem vel iussionem iustam imponuntur nisi habuerint intentionem tacitam, vel expressam impediendi obligationem ad pœnam æternam per impositionem alterius temporalis, vt infra c. 23. à nu. 36. dicetur, & in rubr. de pœn olim diximus, & nu. per Iarius in comment. cap. fraternitas. 12 q. 2.

201 Octuagesimosecundo peccat, qui absque auctoritate Põtificia, aut Regia aliquod tributũ subditis imponit, cum obligatione restituendi: quędam enim rapina est, Pan. in cap. super quibusdam. de verb. signifi. & excommunicatur per bullam cenæ, cuius tenor ponetur infra cap. 27. à. nu 58. Idem de illo, qui exigit tributa aliqua aperte illicita, aut sciens talia esse, cum obligatione restituẽdi, arg. cap. 1. ad Rom. & cap. 1. de offic. deleg. & per dicta supra cap. 11. nu. 12. & etiam si dubitat, an sint licita vel non, & sua spõte iniussus ad id se offert: secus tamen si iussu superioris facit, quia obedientia in dubio excusat, cap. quia culpatur. 23. q. 1. modo virtuter obedientię prius dubietatem illam ex animo pellat, & licitum esse credat, eo quod pro tali à superiore habetur, vt in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. nu. 114. noue declaramus.

Octuagesimotertio, qui gabellas, & vectigalia licite laicis, imposita, quæ nec ecclesia, nec ecclesiasticæ personæ debent, exigit ab eis: & est excõmunicatus ipso facto, c. quamquam. de censib. lib. 6. non obstante contraria consuetudine: nisi quando inueherent, aut emerent ad negotiandum & mercaturam exercẽdam, aut haberent facultatem à Papa ad illa ab eis exigendum. Gab. in 4. lib. sent. dist. 15.

202 Rogatus à multis, vt hanc decisionem amplificem, facta mentione Gubernatorum laicorum, qui frequentissime imponunt superindicta extraordinaria super pane, vino, carnibus, panno & alijs id genus ad victum & vestitum spectantibus, quæ Itali vocant Gabellas, Hispani Sisas, Galli Tallias & Gabellas, & ea perinde petunt, aut peti iubent, vel permittunt ab ecclesiasticis personis, quæ ad ea soluenda non obligantur, ac a laicis. Eorum item, qui vectigalia, & gabellas imponũt pro facultate vehendi, exportãdi & importandi currus, mulos, & alia iumenta, vacua, vel onusta, & perinde petunt, iubent, aut permittunt peti ab ecclesiasticis atque à laicis: quãuis id, quod vehunt, important, vel asportant, sit de eorum patrimoniis, aut prouentibus ecclesiasticis, & in suos vsus conuertendum. Rogatus, inquam, hoc, plurima possem hic addere, quæ gratia breuitatis omitto, contentus admõnere. Primò, eos grauissime in his peccare, Deum, immunitatemque ecclesiasticam offendere, censuraſque horrendas etiam Bullæ cenæ Domini incurrere, multos canones famosos infringendo, in quibus sunt c. bene quidem. 96. dist. cap. ecclesia. de consti c. aduersus. de immu. eccl. cap. nouerint. de sent. excom c. quamquam de censi. lib. 6. Secundò, quòd glo. sing. clem. præsenti. de censib. dixit, quod iudicio sui auctoris, tota Italia ob hæc est interdicta, & quod de aliis prouinciis, qui earum facta norunt, testificẽtur: quod profecto auditu horrendum est. Tertio, quod atteſtamur sæpius à nobis & nostris famulis, satis multa huiusmodi vectigalia in multis Regnis exacta fuisse. Ideoque iure vereri, ne Deus omnipotens indies magis & magis iratus, consultores Principum, & rerumpub. de prædictis canonibus parum curãtes, & Principes ac respub. nimium illis credentes, & exactores soli auaritiæ inhiantes grauissime tandem castiget. Quarto, demirari me, quod cum tot has censuras incurrant, tam pauci tamen confessarii locorum, vbi hæc aguntur, eas pro dignitate æstiment, & eas incurrentibus absolutionem denegent, & tam pauci episcopi, qui excommunicatas & interdictas personas, & terras vbi hęc fiunt, iubentur, & permittuntur, denuntient: cũ præceptum eis sit a concil. Viennensi, dicta cle. præsenti. vt sub pœna peccati mortalis id faciant, postquam de eo ipsis constiterit, quod tamen facile constare potest: quamuis parte vocata & audita id fieri debeat, per gl. memorabilem eiusdem cle. verb. cõstiterit. Quamquam etiã testor, multos populos Italiæ & gubernatores, & exactores eorum annis, quibus ego Sacræ Pœnitentiariæ seruio à Summo Pœnitentiario Sanctissimi D.N. petiisse absolutiones à censuris

ob hæc incursis, restitutione promissa, parata, vel facta: quos vtinã aliorum Regnorum populi & rectores imitarentur. Amen.

An autem iure illa, quæ Hispani vocant cochlearia, & sedilia, quæ soluuntur ex granis in forum importatis, & in aliqua eius parte ad vendendum depositis, & aliæ in genus Gabellæ, quæ in multis Regni Castellæ locis tam à clericis, quàm laicis, vt audio, persoluuntur, licite à clericis exigãtur. iis qui earum conditiones melius, quàm nos norunt, delegamus. Addo, quod portoria & alia tributa regia & publica non sunt soluenda de iis, quæ quis ad suam, & suæ familiæ necessitatem secum portat, iuxta ius commune. Nec consuetudo contraria valet, secundum Ang. verb. pedagium. §. 3. Sed contra tenet S. Anto. in. 2. part. c. 14. quod verius est, & quottidianus vsus comprobat: & bene, quia consuetudo potest inducere id omne, quod lex cap. fi. de consuet. & l. 2. C. quæ sit longa consuet & certum est, hoc lege statui posse, vt etiam idem S. Anton. ait.

Octuagesimoquartò, qui debitor Gabellæ, cui publicanus, siue conductor gabellarum defert iuramentũ, aut remittit eius conscientiæ, vt veritatem pretij, aut quantitatis mercium, quas defert dicat: & acceptat, & non plene eam manifestat, cum obligatione restituendi, Medina. C. de resti. q. 13. sub fi. quod est verum, etiam retẽta opinione, de qua infra c. 23. a nu. 36. quæ habet, quod regulariter, qui fraudat legem temporali pœna munitam, non incidit in spiritualem æternam. Nõ tenetur autem id iurare, & in onus suę conscientiæ recipere: qui satisfacit dicendo, se paratum soluere, quæcumque se debere publicanus monstrabit.

De peccatis circa pignora.

SVMMARIVM.

203 *Pignoris qualis vsus peccatum.*
203 *Pignoris fructus capere quando vsura.*
204 *Pignus cum pacto commissario capere an liceat.*
204 *Pignus vendere an liceat, & quo ordine.*
205 *Pignore venditio minoris, vel maioris debito &c.*

203 Octuagesimoquinto, qui creditor vtitur, pignore cum notabili dãno debitoris absque eius voluntate expressa, vel tacita, & nullam habens causam verisimiliter credendi dominum, id æquo animo laturum. & est furtum. l. si pignore. ff. de fur. Panor. in c. 1. de depos. & si cum eius voluntate expressa, aut tacita vtatur, vsuram admittit, de quo infra, nu. 217. nisi sit vsus, qui gratis inter amicos concedi solet: qualis est libri, iuxta S. Tho. 2. 2. quæstio. 78. art. 1. ad 6. Idẽ de creditore, qui dolo, aut lata culpa, aut leui pignus perire, aut notabiliter dãnificari consentit, vel non vult resarcire damnum. gl. in l. si creditor. C. de pigno. actio. secus autem, si culpa leuissima id cõtigit, & secus si casu fortuito, mo-
204 do mora non præcedat. Nec pactũ, quo pignus quocũque modo periret, debitori periret, §. fin. Instit. quib. mod. re contrahat. oblig. & l. quæ fortuitus. C. de pign. actio. Idẽ de creditore paciscente cum debitore, quòd non soluente ad certum tempus,

tẽpus, pignus sibi cedat, aut ne post certum diem redimi possit. l. fin. C. de pact. pign. & cap. significante. de pig. nisi quando non in lucrum creditoris, sed in pœnam debitoris fit pactum, vt pro vendito iusto pretio habeatur, quod sentit Panor. in d. c. significante. & S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 7. & Silvest. in aurea Rosa, cas. 28. Idem de creditore, qui expresse paciscitur, vt pignus venderetur, non soluto intra certum tẽpus debito, & priusquam venderet, debitori non notificat, l. si conuenerit. ff. de pign. act. Aug. verb. pignus. §. 7. nisi etiam conuenerit, ne notificatio esset necessaria, gloss. in cad. l. si cõuenerit. Et licet de pignore non vendendo pactum sit, trina tamen monitione facta, vt luat illud, vendi potest: modo inter monitiones, seu denuntiationes ipsas, triduum interiiciatur. Si autẽ nulla facta fuit mẽtio de vendẽdo, vel non vendendo, vnica denunciatio sufficit, quo trãsactis duobus annis, propria auctoritate vendere possit l. fin. C. de iure dom. impetrant. & Ang. vbi supra Silvest. verb. pignus. q. 10. non autem prius sine auctoritate iudicis. Et si creditor bona fide pignus, minoris, quàm
205 sibi deberetur vendit, reliquum a debitore petere potest: quemadmodum etiamsi pluris vendit, restituere tenetur. Angel. vbi supra. §. 8. Et quandiu debitor aliquid etiam solum quadrantem debet, creditor totum pignus retinere potest, quoad ille solutus fuerit. l. quandiu. C. de distract. pign.

Potest etiam creditor pignus a debitore ad tempus præfinitum nõ soluente alteri pignorare l. 1. & 2. C. si pig. pign. det. Potest etiam impensas iustas bona fide in pignus factas repetere: vt si erat ager, in eius cultum: si erat animal, in pastum factas. l. seruos. ff. de pign. actio. tenetur tamen ad computandum in sortem fructus ex pignore perceptos, deductis impensis, quas in eorum collectionem, aut conseruationem fecit B. Anton. 2. part. tit. 1. c. 15. §. 3.

Octuagesimo sextò, qui vasa sacra, libros, vestimenta & ornamẽta ecclesiastica pignorat. l. sancimus. C. de sacro eccles. c. 1. de pig: nisi fecerit id ex magna necessitate, puta redemptionis captiuorum, subuentionis pauperũ, & aliorũ operum ecclesię multum necessariorum. arg. d. c. 1. de pign. & c. aurum. 12. q. 2.

De peccato vsuræ circa mutua.

SVMMARIVM.

206 *Vsura quid: duplex, vera, & palliata.*
206 *Mutuum duplex verum, & palliatum, & differt a commodato.*
207 *Vsura vtraque pagina speciatim vetita, eam probans hæreticus.*
208 *Peccatum vsuræ duplex, sed neutrũ vsura mentalis.*
208 *Vsura lege ciuili vetita, sed valde etiam exercita.*
208 *Vsura centesima quæ, &c.*
208 *Vsuram quæ intentio sine facto faciat.*
209 *Intentio secundaria nec vsuram nec simoniam facit.*
210 *Vsura est lucrum ob dilationem solutionis.*
211 *Interesse quid, quotuplex, & quod peti potest.*
212 *Interesse lucri cessantis petitur sine his conditionibus,*

212 *Vendere*

212 *Vendere pluris ob dilationem, aut minoris ob anticipationem. & 218.*

213 *Montes pietatis liciti.*

213 *Datio ob solutionem dilatam quid lucri capere liceat.*

206 Dicturus de peccato vsuræ circa mutua, huic loco ad id opportuno, iuxta promissionem in præfatione factam, inseram summam eorum, quæ in Comment. de vsur. cap. 1. 14. q. 4. scripseram, ad scrutandum fundamenta, quibus soluerentur dubia quædam, quæ anno 1554. soluere iusserant mihi Vlyssipone Serenissimus ille maximus Cardinalis tituli Sanctorum quatuor Coronatorum omnium virtutum heroicarum panægyri rerum diuinarum & humanarum eximia cognitione comitata, & inclytus Infans Portugalliæ, Henricus, tunc frater glorioſæ memoriæ Regis Ioannis eius nominis III. & postmodum Regni Lusitani moderator grauissimus, patruus obseruantissimus, & obseruatissimus Regis Don Sebastiani huius nominis primi, iuuenis quidem, sed pacis, & belli gestis pro ætate Christianissimi, glorioſissimi, & gerendorum spe admirabilis. De quibus nũc lachrymis obortis nihil aliud dicere licet, quam quod ipse rex dicitur cecidisse fortissimus, pugnans contra Sarracenos in Africa, quamuis sint, qui dicant adhuc esse in viuis: quia corpus eius omnium, qui prælio aderant magnitudine insignissimus numquam inuentum est. Et quod Cardinalis præfatus eius patruus in regem assumptus, & Regia Cardinalitiaque dignitate glorioſissimus pro regno terreno, & temporali quod non dimittebat omnino pacatum susceptus fuit in regnum pacatissimum, æternumque cælorum.

Summa ergo illius Commentarij est, quòd continet vigintiduo notabilia. In quorum quattuor primis habetur, quod quamuis hoc verbũ, vsura, prima sui significatione significet vsum cuiuslibet rei, iuxta illud Marci Tullij pro Rabirio: *Vsuram huius lucis, &c.* tamen iuxta significationem, quam in hac materia communiter habet, significat lucrum prouenieus ex contractu mutui, & Græcis dicitur Τόκος, id est, paruus, quasi à mutuo partum, & Hebræis appellatur נשך, id est, morsus, quo mutuans mutuatarium mordet, vt quidam recentiores scripserunt. Et quòd contractus mutui differt à cõtractu commodati, quia per hunc non transfertur dominiũ rei commodatæ: per illum autem sic rei mutuo datæ, vt dictum est supra, num. 180. Licet conueniant in hoc, quòd vterque debet esse gratuitus, iuxta gloss. recept. in cap. 1. de commodat. & quòd mutuum verum reperitur in solis rebus, quæ vsu consumuntur, & in pondere, numero & mensura consistunt: puta, pecunia numerata, vino, oleo, pane, tritico, & id genus aliis, quæ vsu cõsumuntur. Instit. quibus modis. re contr. oblig. in princ.

Dixi: Verum mutuum: quia velatum siue palliatum, etiam in aliis rebus & cõtractibus inuenitur. Mutuum enim palliatum est, quod secundum suam formam apertam & verba contrahentium est alius contractus, quàm mutui: secũdum vero formam latentem, & mentem contrahentium

trahentium veram vel præsumptam est mutuum, quale est omnis contractus alius à mutuo, in quo quis minoris iusto pretio infimo, siue medio, quærit aliquid propter anticipatam solutionem: & contra, quo quis vendit alij pretio maiore iusto supremo propter dilatam solutionem. c. in ciuitate de vsur. & cap. ad audientiam. de empt. & c. illo vos. de pign. cum eis adnot. qui enim emit 10. rem ad minus pretio infimo valentem 12. ob anticipatam solutionẽ, in effectu videtur mutuare pretium, quod dat, & illud minus iusto pretio quod dare deberet, accipere pro vsura: qui vero contra vendit rem valẽtem ad summum & pretio rigoroso 10. pro 12. ob dilatam solutionem, videtur mutuare pretium rei, quam vendit accipiendo illud plus iusto pretio, quo res vẽdita valet pro vsuris, vt in prædictis iuribus probatur. Quod autem pretium sit infimum, quod medium & quod supremum traditur infra, c. 23. nu. 78. Vnde licet omnis vsura in solo contractu mutui versetur: quia tamen contractus mutui est duplex, verus & palliatus, ita duplex est vsura; vera, quæ in vero mutuo, & velata, seu palliata, quæ in palliato versatur.

207 In quinto, & sexto notab. habetur. Primo, quod aliud est peccatum vsuræ, & aliud vsura: quia peccatum vsuræ est accipere, vel velle lucrum vsurarium. Vsura vero est lucrum pecunia æstimabile suapte natura, quod principaliter vi mutui veri, vel palliati quæritur. Dixi: Lucrum, pro genere, & Pecunia æstimabile, ad differentiam lucri non æstimabilis pecunia: quale est spirituale meriti, & gratiæ, quod fit, quãdo, & quomodo, & cur oporteat apud Deum, iuxta illud Psal. 3. *Beatus vir qui miseretur, & commodat, siue mutuat,* & illud Euangelij, Matth. 19. *Centuplum accipietis, &c.* Quod proprie non est vsura, licet aliquando metaphoricũs sic dicatur, Luc 19. S. Tho. 2. 2. q. 78 art. 1. Et ita mutuare quem, vt præsentetur, vt eligatur ad beneficium, vel vt illud sibi cõferatur, non est proprie peccatum vsuræ, licet sit peccatum simoniæ, quæ est grauior vsura. Dixi: Suapte natura, ad differentiã lucri quasi spiritualis virtutis, & amicitiæ, quod mutuando quæritur, & non est vsura: quia suapte natura non est pecunia æstimabile: licet multi pluris æstimarẽt amicitiam, quam mutuando aliquibus quærunt, quàm pecuniam, quæ ex eo ab vsurario quæritur. Dixi: Principaliter: quia licita est intentio minus principalis quærendi aliquid pecunia æstimabile, vt infra dicetur. Dixi: Vi mutui, ad differentiam eius, quòd ratione veri interesse lucri cessante, vel damni emergentis accipitur: quia illud nõ est vsura, iuxta gloss. fin. & receptam. cap. conquestus. de vsur. facit cap. 2. & cap. salubriter eo. tit. Dixi: Veri vel palliati, ad includendum lucrum, quod quæritur ex mutuo palliato, de quo supra, nu. proximo.

Habetur secundo, quòd vsura est illicitum lucrum, & velle, vel accipere illam peccatum mortale: adeo quidem, vt contrarium asserere sit hæresis, cle. 1. de vsur. & non solum iure humano: sed etiam naturali & diuino veteris & noui testamenti, cap. quia. & c. super eo. de vsur. Nam

prohibetur

prohibetur hac septimo præcepto Decalogi: *Non furtum facies*, Exod. 20. quo omnis rei illicita vsurpatio, qualis vsura, prohibetur. c. pœnale. 14. q. 5. quod est præceptū vtriusque testamenti, & quod specialiter prohibetur in nouo, per illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, contra impium Molinæum, & pium Sotum ex Vrbano in c. consuluit. eod. tit. & conc. Lateranens. sub Leon. X. & ex aliis, per quæ etiam ratio eorū confutatur. Et quòd ius Diuinum noui testamenti specialiter prohibet non solum mutuationem cum pacto expresso, aut tacito reddendi plus aliquid mutuato: sed etiam mutuationem sine pacto aliquo cū intētione principali, vt plus aliquid re mutuata restituatur, per cap. 1. 14. quæst. 6. & alia in dicto Notab. 6. adducta.

208 In septimo notabili, & duobus sequentibus habetur, q̄ sicut omne peccatum aliud ab vsuræ peccato est duplex, mentale tātum, quod est voluntas peccādi absque verbo, vel opere: & mentale, & reale, quod est voluntas peccandi verbo, vel opere sequuto: ita peccatum vsuræ est duplex, mentale tātum, q̄ est voluntas lucrādi vsuram opere non sequuto: & mentale & reale, quod est voluntas eam lucrandi opere subsequuto. Et quòd vsura mentalis differt à peccato mentali vsuræ, quia non est voluntas quærendi lucrum ipsum ex mutuo dato intentione principali quærendi illud sine vllo pacto expresso vel tacito, de qua intelligēdi sunt disputantes, An vsura mentalis obliget ad restitutionem. Nam de peccato vsuræ mētali tantum nulla est dubitatio, quia sicut nullū aliud peccatum mentale tantum obligat ad restitutionem: ita nec peccatum vsuræ mentale tantum. Sed disputanti: An lucrū quæsitum ex mutuo intentione principali ob illud dato obliget ad illam? ita quod præter peccatum vsuræ mentale tantum & vsuræ mentale & reale est vsura mētalis definita supra esse lucrum, &c. quæ non dicitur mētalis, quia lucrū non sit sequutū: sed quia sola intentio mentalis fuit causa principalis quærendi illud, quæ hactenus (quod sciam) nullibi sunt ita declarata. Et quod nunc etiā legibus sæcularibus Regum Christianorum est expresse prohibita vsura, & implicite à tēpore Iustiniani Imperatoris, secūdum communem. De qua Ioan. Andr. in Mercur. reg. peccatū. de reg. iur. lib. 6. Et ita nullus Christianus eā clare exercere: sed verēdum, ne aliqui velate, siue palliate, maiorem, quam vnquam exerceant. Nam maxima, quę olim permittebatur, erat centesima, quæ centum mensibus ipsam sortem exæquat, ita vt quoquo mense sors vnum pariat, & duodecim in anno, vt copiosè ostendit Bart. Soc. in l. si heres. l. item. ff. ad l. Falcid. cui concordant Budæus & Alciatus in locis ibi citatis, & alij alibi, & ea tātum in pecunia traiectitia sortis periculum in se suscipiente: in alia verò mercatoribus, duæ partes centesimæ, hoc est, octo pro centum in anno: & aliis non negotiantibus dimidia centesimæ, hoc est, sex pro centum in anno: & nobilibus tertia pars, id est, quattuor in anno pro centum. Et nunc aliqui velate, siue palliate accipiunt tam grandes,

vt

vt interdum sors pariat decem, & amplius pro centum ab vnis nundinis in alias: quæ tamē tres, aut quattuor in anno occurrūt: & ita triginta & amplius in anno pro centum. Item antea ex vsuris, vsuræ non capiebantur. l. vt nullo. C. de vsur. & l. placuit. ff. eod. at nunc cambiorum cambia corraduntur.

209 In decimo, & vndecimo notabilibus habetur, qnòd intentio principalis lucrandi ex mutuo sufficit ad constituendam vsuram, etiam sine pacto expresso, vel tacito, contra impium Molinæum, non autem minus principalis contra Sotum lib. 6. quæst. art. 2. de iust. & iur. tum quia id tenent gl. & Innoc. in d. cap. consuluit. de vsur. à plerisque omnibus Theologis & Canonistis recepti. Tum quia cap. si officia. 59. dist. & c. quid proderit. 61. dist. cum suis glos. probant, licitum esse ecclesiæ & prælato seruire cum spe secundaria, licet non principali aliquod beneficium obtinendi. Tum quia quamplurima sunt, in quæ quamuis non liceat intendere principaliter, licet tamen minus principaliter: Verbi gratia nō licet dicere missas & diuina officia audire principaliter propter distributiones quotidianas, minus principaliter tamen sic, iuxta gl. sing. & recep. in c. 1. de cler. nō resid. lib. 6. Non licet etiam principaliter seruire Deo intuitu remunerationis terrenæ, sed minus principaliter sic, iuxta illud Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Adeo quod Concil. Trid. sess. 6. can. 31. definiuit, cōtrarium esse hæreticum. Tum per alia ibi latius adducta: ita quod licet nullum, neque principale, neque minus principale lucrum tanquam iure debitum ex mutuo expectari possit, potest tamen tamquam antidorale, & remuneratorium de gratia, & non de iustitia debitum. Ibi etiam cum communi asseruimus, quòd tam principaliter, quàm secūdario possumus sperare lucrum amicitiæ & gratitudinis ex mutuo: & tam principaliter, quàm secundario lucrum pecuniarium ex illa amicicitia & gratitudine: sed non nisi minus principaliter, & secundario lucrum pecuniæ ratione mutui. Et consequenter, quòd qui postquam principaliter propter lucrum mutauit, suum peccatum agnoscens, illam intentionem mutat in intentionem minus principaliter accipiēdi, si postea gratis datum accipiat, nō est vsurarius, vt rectè dicit Ang. verb. vsura. Et ita non sunt vsurarij omnes, qui cū spe lucri mutuāt, sine qua nō mutuarent: quia potest esse finis eorum principalis amicitia, vel amor Dei, & virtutis, & lucrum minus principalis. Nam, vt aliquis finis eorum principalis alicuius actus, nō sufficit quòd ille nō fieret sine illo: sed oportet, quòd plutis vel tanti æstimetur, ac alius finis propter quē ille fit, vt late probamus in d. c. cum minister. a num. 37. & supra proxime tetigimus. Neque etiam peccat. qui nō mutuat principaliter ob lucrum, bona fide aliquid accipiendo a mutuatario, existimans id sibi amanter & gratis ab eo dari, licet id non det tam ob gratitudinem, quàm ob timorem, ne pecunia a se repetatur vel sibi alia vice mutuum denegetur: quāuis si postea id intelligeret,

teneretur

teneretur ad restitutionē illius, secundum S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 7. §. 6. & Caiet. 2. 2. q. 78. art. 1. Contra vero, si dum sibi dabatur, existimabat nō dari sibi libera volūtate, sed coacta, accipiendo quidem peccat, etiamsi à principio sola charitate mutuasset, Laurent. in c. salubriter. de vsur. & S. Anton. vbi supra.

Addidimus & ibidē, quod ex qualitate rei datæ ex lucro vel iactura dantis, & ex eo, quod in tali casu virtus gratitudinis poscit, probus pœnitens, & prudens confessarius cōiicere possunt, an datum vltra sortem dicatur datum libera, an coacta voluntate. Diximus etiam, illum, qui eo quod à suo debitore debitum recuperare commode non potest, mutuat illi pecuniam, vt sibi hac via alterum tantum, quantum sibi debetur recipiat, non peccare, quia nihil ab eo accipit vi mutui. Ioan. Maior in 4. lib. sent. distin. 15. q. 29. in princ. Adiecimus tamen, hoc casu cauendum esse debitori per chirographū debiti redditionem, vel per schedulam solutionis eius; ne postea ipse, vel eius heres iterum illud petant, vel accipiant sponte solutum, per ea quæ dicta sunt in simili supra eo. c. nu. 113. Non peccat etiā, qui accipit aliquid ob iustam mercedem laboris sui, vel famuli numerandi magnam pecuniæ summam: quia non vi mutui, sed laboris numerandi accipit. neq; qui capit aliquid pro sumptu & labore mittendi pecuniā mutuatam longe absenti. Idem Ioā. Maior vbi supra.

210 In duodecimo nota. & duobus seq. cōtinetur, quòd qui vendit, permutat, aut locat minoris iusto pretio ob anticipatam solutionē, est vsurarius. Et è cōtrario omnis, qui vēdit, permutat, aut locat maioris iusto pretio maximo, siue rigoroso ob dilationē solutionis, per rationē supra positam, nu. 206. Et quèd in hoc sæpe videtur peccare, qui emūt, vel locant reditus episcopatuū & beneficiorū, Magistratuum, Prouinciarū, Dominiorum, oppidorum, tributorum, vendibiliū exactiones, & alios census Regū, episcoporū, beneficiariorū, & aliorum priuatorū necessitate pressorum, multo minori iusto pretio infimo ob solutionē anticipatam vnius anni, & minori ob duorum, & multo minori ob trium. Et contra, qui vendunt, aut locant aromata, cinnamomū, & piper, &c. pannum sericum, lanas, aulæa, libros, papyrum & alia similia, boues, vaccas, equas, oues & alia pecora iis, qui eorum indigent, ad se sustentandum, vel quærendum præsentem pecuniam ex eis protinus reuēdendis minoris iusto pretio. Vendunt, inquam, vel locant maioris iusto pretio rigido, & summo propter dilationem solutionis, & tanto plus addunt pretio, quanto solutionis dies longior fuerit. Monemus item ibidem cauere sibi debere ecclesiasticos, & seculares prædiuites, qui agros suos colonis suis pluris iusto pretio rigido locant propter dilationem solutionis suorum debitorum, aut propter mutuationem tritici ad serendum, & victus, aut pecuniæ ad alia necessaria cum lōga solutionis dilatione: quibus rebus fatigant eos supra modum, adigentes ad viuēdum miserius, qnàm si eorū essent mācipia, & eos etiam qui reditus

ditus suos, quàm maximo possunt pretio locant in auctionibus publicis, allicientes ad augenda pretia pollicitationibus & donariis incrementorum, quæ Hispani vocant Pujas. & dilationibus solutionū, cogentes illos facere renunciationes ab omni iure alienas; quales ante nostram ætatē paucissima Hispania vidit: nulla habita ratione, quòd per huiusmodi submissiones, & ad casus fortuitos obligationes minuitur iustum alioqui pretiū, conductionis: nec habita ratione, quòd locantes tam excessiuo pretio sunt in causa, vt conductores vtantur mendaciis, & malis artibus in vendendis eis, vt pretium, quod soluunt, ex eis corradant, quibus, ni vtantur, impossibile est illud corradere.

211 In decimoquinto habetur, quòd interesse generaliter dicitur esse dānum emergēs, & lucrum cessans: eo quod aliquid fieri cessatur. secūdum glo. in verb. possibile. C. de sent. quæ pro eo quod inter. prof. In qua definitione coniunctio, Et, accipitur pro, Vel. & verbū, Fieri, prout comprehendit, Non fieri: eo quod nō facere, sit facere, l. si mora. ff. solu. mat. & glo. l. 2. recepta in prin. ff. de ver. obli. Et quod est duplex: scilicet damni emergentis, & lucri cessantis, secundū eandem glos. d. l. 1. Exemplum damni emergentis: Habeo pecunias ad reficiendū domū, vel emendum æstate triticū, aut fœnū, & eas mutuo tibi: quas quia ad præstitutum diē non soluisti, domus corruit, triticū duplo carius emi, pecora fame interiere, aut aliquod simile damnū accepi. Exemplum interesse lucri cessantis: Sum mercator, habeo pecunias, quibus merces emere volo ad negotiandum, eas tibi mutuo, & die præfixo non restituis, lucrum, quod ob id facere cesso, est meum interesse lucri cessantis.

Et quòd inter omnes conuenit, vtrumque horū contingens ob mutuum peti posse tribus casibus. Primò, quando mora in soluendo præcessit, glos. celebris in c. conquestus de vsur. & alia multa ibi citata. Secundò, cum id ante, aut post moram contingit, mutuū tamen datum fuit per aliquā vim Regis, Ciuitatis, aut cuiusuis alius. De quo tamen acrius tractatur infra eo. num 502. Tertiò, cum a principio cōuenit de soluendo dāno quibus tribus casibus non solum licet accipere, & exigere, sed etiam à principio cōuenire de summa, quæ vltra sortē sibi rependenda est ex verisimili illo interesse damni, aut lucri: vt late prædictus Sotus scripsit lib. 6. q. 1. art. 3. de iust. & iur. quamuis magis quam alij, hanc materiam restringere sit conatus. quod postremum hodie non procedit in materia cambiorū, per extrauag. Pij V. transcriptam infra eo. c. nu. 299. vt ibi dicā. Et quòd tota difficultas sita est in casu, quo quis sponte, sine vi mutuat pecunias expositas negotiationi, aut rerum frugiferarum emptioni; ob quarū mutuationē cesset à negotiatione & frugiferorū emptione, possit capere licite interesse lucri cessantis cōtingentis ante moram, & culpam. Nam Innoc. tenet, quod nō in c. fin. de vsur. quem prædictus Sotus laudat, & sequitur; protestatus tamen, quòd contrariā quæ communis est opinionē non damnat: quam etiam laudandam esse &

firmiter tenendam in prædicto not. 15. probauimus 14 rationibus refellendo quas ipse pro sua adduxit. Quæ tamen conclusio intelligenda est, dumodo omnis dolus, & fraus pallatio sublata absit, & modo nō tanquā res adquisita, sed tāquam res in spe posita, & quæ impediri multis modis potest, æstimetur, etiā in contractibus, in quibus etiā hodie licet à principio cōuenire. In cābiis enim hodie, vt proxime dixi, nō licet: maxime si mutuetur res cū pacto de resarciēdo illo: quoniā interesse lucri cessantis nō debetur magis, quā interesse extra rem dāni emergētis, secundū Bar. & commu. in d.l 1. At hoc regulariter non debetur, nisi pacto præcedente, l. si sterilis. §. cū per venditorem ff. de acti. emp. Ergo neque illud, arg. l. illud ff. ad leg. Aquil.

Et quod pecunia mercatoris negotiationi exposita, vel alterius emptioni frugiferæ rei destinata: pluris valet, quā altera tanta aliorū, & etiā ipsius, illi nō ita exposita, arg. l. 3. sub fin. ff. de eo quod certo loco. & trad. Caiet. 2.2. q. 78. ar. 2. quod antea sensit Scot. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 6. Et ita etiam tritici satum, vel sationi destinatū, valet pluris, quam alterum tantum absolute consideratum. Et quod quānis facultas, quæ pecuniæ ad lucrandū ineſt, absolute considerata, eius pretium non plus augeat, quam sine illa: considerata tamen in eo, qui scit, & vult vti ea ad iuste lucrandum, facit vt pluris valeat: sicut facultas generandi, quæ est in tritico, absolute considerata, non efficit vt plus valeat: considerata tamen in eo, qui illud iam satū habet, aut sationi præparatum, aliud simile ad seminandum non habens facit vt pluris æstimetur ad effectū, vt vendere & etiam mutuare carius possit: & qui furto illud sustulerit, plus quam alteri restituere tenetur.

Et quod qui habet aliquid, quod communiter, neq; sibi, nec aliis pluris quam 10. valet, pluris illud alteri vendere non potest, quamuis illi multo plus valeat: tamen si sibi pluris valet, recte id vendere potest eo pretio, quo sibi valet accipiendo pro eo tanto plus, quanto sibi plus valet, iuxta S. Tho. 2.2. q. 77. artic. 1. & Scot. in 4. lib. sent. distin. 15. q. 2. receptos. Et quod sicut operarius potest accipere pretium operarum suarum, quas omisit ad preces alterius, qui eas soluere promisit, sic & mercator lucrum, quo ad preces mutuatarij omisit propter promissionem de resarciendo interesse.

212 In decimosexto notabili, & tribus sequen. continetur quod non sunt necessariæ tot conditiones ad iuste capiendum interesse lucri cessantis ex mutuo, quod Conrad. in q. 5. de contract. & quidam alij alibi requirunt: licet aliquot earum sic. Prima enim est, vt hic lucrandi modus non tantum sibi placeat, quantum negotiationis: quod tenet etiā Sylvest. verb. vsura. q. 19. quæ tamen non est necessaria. Nam iustum & iniustum nō in bonitate, aut prauitate animorum & intentionū, sed in rerum & operū externorum æqualitate & inæqualitate cōsistit. Arist. 2. & 5. Ethic. & Diuus Tho. 2. 2. q. 58. art. 10. & q. 59 art. 2. Vnde & recte ait idem Sotus lib. 6. q. 1. art. 3. de iust. & iur. nihil referre, an mutuans sit rogatus & quæsitus à mutuatario, an vtro

vtro mutuet, modo, quod ad iustitiam cōmutatiuam pertinet, seruetur. Secunda, quod interesse sit verum, quæ necessaria est iuxta mentem glossæ & omnium d. c. conquestus. Tertia, quod mutuario, vel non solutio sit causa amissionis lucri, secundum omnes; qualis nō est secundū Caie. & Medinā vbi supra, quando mutuans pecuniam habet aliam, qua negotietur. Quæ tamen limitatio non procedit, si aliam pecuniam ad alios fines, veluti ad fortuitas necessitates destinasset, neq; negotiationi cōmittere vellet, quod prudētiæ est. Quarta, vt dandis vsuris non sit assuetus; quia ex tali consuetudine præsumeretur voluntas exercendi vsuram: quæ tamen conditio non procedit in foro cōscientiæ, in quo veritas præualet præsumptioni c. tua. de spon. & fieri potest, vt quis in aliis vsurarius sit, & in hoc non. Quinta, vt non recipiat interesse priusquā constet, quod verisimiliter lucratus fuisset. Quod in materia cambiorū videtur hodie statutum per extrauag. Pij V. transcripram in fin. nu. 299. Sexta, vt mutuatarius nō egeat extreme. quæ nō videtur necessaria: quia non tenetur ex præcepto subuenire illi gratis, immo satisfacit mutuādo; vt cū poterit soluat, per dict. supra eo. c. nu. 60. & mutuare sine interesse, esset donare. Septima, vt mutuans ob hoc nō incurrat infamiam vsurarij apud simplices, æstimantes illud interesse esse vsuram ob similitudinē, cum omnis species mali fugienda sit. 1. ad Thes. 5. & & c. cum ab omni. de vita & honest. cler. quæ conditio quamuis ad euitandum peccatum scandali necessaria sit: non tamen ad euitandā vsuram, & obligationem restituendi, quæ ex sola iniustitia nascitur, per dicta supra eo. num. 6. quale non est peccatum scandali, quod est contra charitatem. S. Tho. 2.2. q 43 in prin. Octaua, quod causa principalis mutuandi sit subsidium necessitatis vitæ, salutis, honoris, aut bonorū proximi: quæ tamen non est magis necessaria, quā prima per dicta in ea, licet sit honestissima. Non, vt non capiat, neque paciscatur totum interesse, quod verisimiliter expectatur, sed solum tantum, quantum valet illa verisimilis expectatio: immo quod nec hoc nunc in cambiis fieri possit, videtur probari per prædictam extrauag. vt ibi dicam. Et quod consequenter, qui cogit soluere pœnam, vel interesse creditori suo eo quod mutuatarius suus non soluit ei mutuum stato die, licite potest ab eo recipere illud, quod sic soluit: & etiam compensationem damni accepti ob venditionem rerum suarum minoris, quam valerent, aut emptionem tritici, & vini cariori pretio; eo quod stato die debitum ei non soluit. Quia non accipit ratione mutui, sed ratione interesse damni emergentis, secundum omnes, etiā si promissio de soluendo eiusmodi damno non præcesserit, arg. l. nummis. ff. de in lit. iur. & l. Iulianus. in prine. ff. de actio. empt. Ibidem etiam continetur, quod non possint quidquā capere iuste ratione interesse lucri cessantis ij, qui nolunt vel non possunt negotiari, nec res frugiferas emere, & mutuat ad interesse: neque illi mercatores, qui certa pecuniæ summa negotiantur,

& non maiori, & aliam quam habent ad interesse mutuãr; neque qui multas pecunias in nundinas important, & emptis mercibus suo proprio, sufficientibus reliquas pro illis mutuant; quia nullum interesse mutuãtis pretendere possunt per prædicta. An autẽ qui suas, vel aliorum grandes pecuniarum summas aliis, atque aliis tradũt in vnis nundinis soluendas in aliis cum aliquo lucro, aliqua ratione defẽdi possunt? dicetur infra. nu. 199.

213 In notabili vigesimo, & duobus seqq. continetur, quod montes pietatis erecti modo infra dicto, sunt liciti, quod contra Caietanum Tomo 1. Opusculorum, Tractatu 6. de monte pietatis. & Sotum lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 6. probatur efficacissimis argumentis, dilutis eorum rationibus. Modus vero est hic: Aliquis opulẽtus deputat aliquã quantitatem tritici, vel pecuniarum ad mutuandum quotannis paupertibus pignoribus ab eis acceptis; quo pro quantitate accepta, & pro tempore, quo eam nõ soluerint exiguum aliquid singulis mensibus soluant pro victu & salario eorũ, qui habebunt curam dictum triticum, aut pecuniam custodiendi, mutuãdi, recuperandi, & restituẽdi pignora tempore opportuno. Et quòd genet licite recipit fructus pignoris fructiferi traditi sibi à socero in securitatem soluendæ dotis, per c. salubriter. de vsur. & l. pater. ff. de dol. mal. quia non capit eos vi mutui veri vel palliati, sed alia ratione, quæ à variis varia redditur, vt mõstrat prædictus Couarruuias in c. 1. lib. 3. Variarum Resolut. sed nulla satisfacit per ea, quibus breuissime confutamus ibidem communem, & aliam Anan. & aliam Soti, & aliam Fortunij, olim à nobis probatam, subdentes aliam genuinam fundatam in donatione tacita dotantis, & tradentis pignus, quæ colligitur ex multis in dotatione concurrentibus, quæ ibi insinuantur.

Ex qua intulimus quattuor. Primum quemlibet maritum, quamuis non sit gener eius, qui tale pignus dedit posse fructus eius percipere, non computando eos in dotem promissam: nisi contrarium exprimatur, quamlibet longum tempus solutioni dotis præfigatur, modo obligatio dotem soluendi esset ad præsens tempus, licet solutio differretur accepto pignore. Secundum, posse maritum pacisci cum eo, qui dotem promisit, & non soluit, & quoad soluatur in singulos annos pro subsidio onerum matrimonij pẽdat tantũ, quantũ aliquis mediocriter industrius ex illa dote, ipsa salua, capere posset. Quod Pan. dicto c. salubriter. & alij multi relati per Couarr. vbi supra, & etiam Sotus tenent, quidquid Inan. Lup. in repet. cap. per vestras nor. 6. de dona. inter vir. & vxo. dicat. Tertium, verum esse quod insinuauit Sotus lib. 6. q. 1. art. 2. de iust. & iur. maritum scilicet, qui dotem recipit, & heredes eius in casu diuortij teneri vxori viduæ, aut separatæ ad alimenta prębenda, quæ salua manente dote, dati possunt, quoad illi ea persoluatur. Quartum, quòd iuste obseruari possũt statuta terrarum, vt qui dotem promittit, quoad soluat, & maritus, & ipsius heredes quoad dotem viduæ, aut separatæ

separatæ reddat certum quid ex centum in singulos annos pendant.

Qui peccant peccatum vsuræ, circa mutua.

SVMMARIVM.

214 *Mutuum qui non soluit æque bonum, & statо die, vt peccat.*
214 *Vsuram qui credit non esse peccatum mortale hæreticus.*
214 *Vsura circumspectè definita, & declarata.*
214 *Vsurarius confiteatur quoties voluit fœnerari.*
215 *Vsura quando mutuare: proposita pœna, &c.*
216 *Pignoris industrius culti fructum retinere an vsura.*
217 *Pignoris fructus quando bene capiantur.*
217 *Fundi pignorati fructus qui bene capiantur, & seqq.*
219 *Vsura an sit mutuare rem, vt reddatur cum pluris valebit.*
220 *Vsura vt sit mutuare vt molat in suo molendino. & seqq.*
222 *Donare licet, vt reddat duplum, si moriatur intra tale tempus.*
223 *Medico mutuare vt medeatur gratis an liceat.*
225 *Mutuare, aut vendere granum pro grano vt liceat.*
225 *Debitum granum qui non petit donec pluris valeat*
226 *Mutuans pecuniam argenteam pro aurea, vel è contrario.*
227 *Emens triticum, vinum, aut oleum quod elegerit.*
228 *Pretium iustum triplex; imum, medium, summum.*
228 *Vendere quis teneatur minus quam emit.*
230 *Emens minus debita lege post soluenda & 231.*
232 *Mutians mutuo accepta pro vsura ob illa promissa.*
234 *Census vt restituendus.*
234 *Extrauagantis Pij V. edita super censibus tenet, & seqq.*
238 *Mutuans sub vsura pro re pauperi danda, vel pro iniuria remittenda.*
239 *Vendere vt plus Mario valebit, sic contentus medio eius, quod toto valebit. & seq.*
241 *Vendens alicui quod reuendendum est, & emens illud.*
242 *Deponens pecuniam cum pacto, aut intentione lucrandi.*
242 *Vsura in deponendo, & à depositario accipiendo.*
243 *Vendens equum maioris, quàm valet, licet post tantum valeat.*
244 *Vsura est soluere famulis alicuius, vt post auctarium capiat.*
245 *Vsura est soluere ante diem statutum ob lucrum.*
246 *Vsuram iuratam non soluere quando peccatum.*
247 *Actio & passio eiusdem rei dantur contrariæ, bona & mala.*

214 Octuagesimosextò peccat mortaliter, qui res mutuatas nõ soluit statо die in rebus eiusdem generis & bonitatis: nisi impotentia, vel consensus expressus, vel tacitus creditoris excuset: aut ulia supradicta, nu. 54. Peccat præterea, qui mutuat aliquid ob lucrum notabile pecunia æstimabile, consentum expresse, aut tacite, aut principaliter separatum cum obligatione restituendi: nisi antequam recipiat pœniteat, per dicta supra eodem nu. 210. Et notandum vsurario non sufficere, vt confiteatur, quoties ad

vsuram dedisse, quia oportet vt dicat, si scit, quoties secum animo deliberato dare constituit. Et si distincte ignorat numerum verum, dicat verisimilem, plus minusve: vt fieri debet in omnibus peccatis mortalibus, quorum numerus certus ignoratur, vt dictum est in cap. 6. nu. 15. supra eo. & in specie Ioannes Maior in 4. lib. sent. dist. 15. quæst. 29. Idem si à principio fine spe principali lucri mutuauit ex sola charitate: & postea illam concepit, & popposcit illud, peribidem dicta. Idem de illo, qui non vult proferre diem solutionis debiti absque aliquo lucro: nisi pro suo vero interesse accipiat, per prædicta.

215 Octuagesimoseptimo peccat, qui mutuat apposita pœna, nisi intra diem statum soluerit ei, quem iam à principio credebat ad eam diē soluere non posse, cum obligatione restituendi, secundum Scotum & communem in 4. lib. sent. dist. 15. Idem si pœnā exigit ab eo, qui sine sua culpa per impotentiam eam nō soluit, quia regulariter vbi non est culpa, pœna esse non debet. c. 2. de constit. Idem si soluta parte debiti totam pœnam exigit, saltem quando obligatio est diuisibilis. cap. suam. cum gl. & communi de pœnis. Sed non si pœnam posuit, et timore eam incurrendi soluat, præsertim optando potius solutionem, quàm pœnæ incursionem, dicto capite suam. l. si pacto quo pœnam. C. de pact.

216 Octuagesimooctauò, qui creditor vtitur fructu, vel vsu pignoris sibi traditi cum pacto non computandi illū in sortē, in quam est computanda omnis cōmoditas, quam ex eo percipit deductis impensis legitimis, vt supra eo. cap. nu. 25. & 26. dictum est. Quæ deductio est in causa, quòd vsuram non cōmittat, qui tantum in pignore impendit, quantum vtilitatis ex eo percipit. Nec consequenter, qui equum paruæ vtilitatis in pignus accipit cum onere alendi eum. Neque qui domum egentem tanta, vel maiori impensa refectionis, quàm pensio eius valeat. Nō tamen putamus esse turum illud Soti lib. 6. q. 1. art. 2. de iusti. & iure. quod nō tenetur in partē solutionis accipere fructus collectos ex pignore, quos debitor nō colligebat, nec colligere cogitabat. Tū quia sufficit esse fructus bonorū debitoris, & eos nullo iusto titulo à creditore retineri posse. Tū quia alioquin dicendum esset, creditorem, qui sua solerti industria ter tātos fructus collegerat, quàm debitor cogitabat, eum ad restituendum quod amplius collegisset teneri, quod palam est absurdum.

217 Octuagesimonò, qui mutuator accipit pignus cum pacto legis cōmissoriæ, scilicet, vt nisi ad præfixum diem redimatur, sit venditum, addendo quod omnes fructus, aut pars eorum, qui vsque ad eum diem caperentur, essent sui. cap. significante. cum ei adnotat. de pigno. Secus tamen si prædicti fructus manerent debitoris, vel in sortem, vel in interesse computarentur. Quia pactum legis commissoriæ appositum in pœnam sine fraude vsurarum valet, & etiam appositum, vt lapso die luendi pignus esset venditum iusto pretio, l. fundus. §. fi. ff. de pigno. quæ sunt de mente Panor. in d. c. significante,

cante. & S. Ant. tit. 1. cap. 7. & Siluest. in Rosa aurea, cas. 18. Secus item est, si dominus directus in pignus accipiat prædium feudale. c. conquestus. cap. 1. de vsur. adiuncta glo. fi. Quod ipsum dixit de domino directo accipiente in pignus prædium emphiteuticum Imo. in c. 1. de feud. quem sequimur: quamuis dubitet Ioan. Anan. in c. 1. de vsur. & eisdem Barbat. in d. cap. 1. de feud. contradicat: modo tria concurrant, quæ etiam in feudo concurrere debent.

218 Primum, quod nihil aliud debitum ex contractu emphiteutico præter fructus accipiat. Secūdum, vt illud prædium non sit effectum melius, seu melioratum ab emphiteuta, iuxta S. Iu. verb. feudū. q. 30. Quod verum est quoad partem fructuum, qui ex melioratione capiuntur, & non quo ad alios, qui sine illa percipierentur. Tertium, quod emphiteuta dominium vtile emphiteusis gratis, aut fere gratis obtinuerit, vt cōmuniter feudatarius solet obtinere. Nā siue ille, siue feudatarius ad obtinenda sua vtilia dominia magnam summam pecuniæ soluit, non potest capere fructus sibi, saltem quando pensio, siue responsio pro eis soluenda longe minor est fructuum valore, iuxta communem, quam sequuntur Ang. verb. feudatarius §. 33. Silu. eo. §. 10. Ioan. Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 31. Sed tanto plus ex fructibus retinere poterit, quanto minus pretium iusto, dominus vtilis directo dedit, arg. l. quæ de tora. ff. de rei vend. cap. pastoralis. §. item cum cotum. de offi. de offi. deleg.

219. Nonagesimo peccat, qui mutuat triticum, aut aliquid mutuabile, eo pacto vt sibi reddatur tempore, quo verisimiliter creditur eius pretium auctum iri, & ipse vsque ad illud non erat seruaturus, cum obligatione restituendi cap. in ciuitate. cap. nauiganti. de vsuris, quia lucratur aliquid ex mutuo: secus si verisimiliter dubitabat, an tunc pluris, aut minoris esset valiturum. Secus item si ad illud vsque tempus seruaturus erat, & libertatem soluendi intra illud tēpus debitori non adimit. Ang. verb vsura. 1. § 36.

220 Nonagesimoprimo, qui mutuat aliquid mutuabile cū pacto, vel intentione principali, vt in suo molendino molat: aut in sua taberna emat: aut ad suam scholam veniat: in suo prædio laboret, iuxta mentem Panor. in c. fin. de vsur. & debet eum ab illa obligatione liberare, & pro illa iudicio boni viri satisfacere, Caieta. in summa, verb. vsura exterior. cas. 8. quamuis Silu. verb. vsura. 1. q. 7. dicat, vt pauperibus tribuat. Quod procedit, etiā si mutuatarius, nil aliud ob hoc perdat, nec mutuatori aliud commodum adquiratur, quàm quod ille sit obligatus in suo molendino molere, aut in sua taberna emere, &c. quidquid dicant Ang. Rosel. & Adrian. in 4. de restit. Gab. in 4. lib. senten. distin. 15. q. 11. art. 3. in prin. Ioan. Maior. in 4. lib. sent. dist. 15. quæst. 15. Quia illa obligatio molendi, aut laborandi in tali loco est lucrum pecunia æstimabile: & ideo quamuis non teneatur quidquam ex pretio, aut vtilitate iusta, quam ob illud cepit restituere, tenetur tamen eum ab illa obligatione in futurum liberare: & pro pretio, iudicio boni viri, satisfacere. Idem di-

cendum est de mutuãte cum pacto, vt sibi vendat suum triticum, vinũ, 221 aut lanam iusto pretio. Dixi: Cum pacto vel intentione principali: quia mutuare cum pacto cum intentione minus principali, quod mutuatarius illa ex gratitudine faciet, nõ est vsura, per dicta supra eo. nu. 206. & in specie dixit Silue. verb. vsura 1 q. 7.

Nonagesimosecundò, qui mutuat in Flãdriam, aut in aliam regionem proficiscenti, cum pacto, vt sic dixerim, vt assecuraret illud per ipsum dato ei assecurationis pretio, etiam iusto cap. nauiganti. de vsur. quia ex mutuo lucratur obligationem securandi eam ab ipso, secundum, cõmunem in dicto cap. nauiganti. Secus si libere mutuauit, & postea conuenerint, vt mutuator securaret certo aliquo pretio, quia id nõ ex mutuo, sed ex assecuratione lucratur. Caiet. in summa verb. vsura exterior, cap. 12. & Ioan. Maior in dicto 4. lib. sent. dist. 15. q. 14. arg. 3. & sanctus Anton. 2 par. tit. 1. cap. 6. §. 46. qui contractus securitatis est licitus, & reip. vtilis, secundum S. Anton. receptum, vt dicetur infra eodem cap. nu. 282.

222 Nonagesimotertiò, qui mutuat aliquid cũ pacto, vt si mutuatarius intra certum tempus moreretur, liber esset: & si viueret duplum redderet. Quia ex mutuo lucratur illã obligationem soluendi duplũ, quãtis dubiam. Siluest. verb. vsura 1. q. 36. secus si donaret gratis absque fraude, quò donatarius, si vsque ad tale tempus vixerit duplum reddat: quia nullum ibi mutuum interuenit, sed est contractus innominatus, do, vt mihi des. l. naturalis. ff. de prescrip. verb.

223 Nonagesimoquarto peccat, qui Regi, vel magnati mutuat cum pacto, vel intentione principali, vt sibi conferat aliquod officiũ pecunia æstimabile, licet id, quod tali officio lucratus est restituere non teneatur: secus si principaliter mutuat, vt eius amicitiam sibi comparet cũ spe secundaria, & minus principali, quòd sibi illud officium conferet, per dicta supra eodem à num. 215. Idem de eo, qui alicui mutuat cum pacto, vt eum iuuet, pro se deprecetur, vt doceat, vt scribat, aut aliud quid simile pecunia æstimabile faciat. Idem de eo, qui medico mutuat cum pacto, vt sibi medeatur: siue sit alius medicus, qui sibi possit mederi: siue non quidquid distinguat Med. in Cod. de rest. Idem de illo, qui mutuat alteri cum pacto, vt ille sibi mutuet alia vice alterum tantum, secundum glo sing. quæ est secunda cap. 114. q. 3. quidquid dicat Adrian. in 4. de restit. nisi quando solum obligat per pactum ad id, ad quod iure naturali gratitudinis obligatur, secundum aliam gl. quæ est 1. eiusdem cap.

224 Nonagesimoquintò peccat, qui mutuat alicui triticum vetus cum pacto, vt alterum tantum recens sibi restituat, sciens recens melius & maioris pretij fore, quàm suũ tempore mutui & solutionis, per supradicta, & per dictum Silue. verb. vsura 1. q. 17. maxime si libertatem soluendi, quando libuerit, adimit, & obligationem restituendi recens imponit. Secus tamen si principaliter mutuat, ne suum corrumpatur, & valet, aut valebit tanti, vel pluris

ris tempore mutui, vel solutionis, quàm recens sibi soluendo: siue quia est maior penuria eiusmodi tritici, quando mutuo datur: siue quia siccius est recenti, & ideo ex hoc plus, quàm ex altero capit mensura: siue quia eius substantia est melior. Immo non peccaret qui faceret pactum, vt plus tritici recentis quam datum est reddatur: modo verisimiliter non valeat pluris illud plus recens restituẽdum, quàm vetus, cum mutuatur, vel cum mutuans illud est venditurus: quia in hoc nihil lucratur ex mutuo, qui mutuat: nec qui accipit, perdit quidquam, iuxta communem, in d. cap. nauiganti. & c. in ciuitate. de vsur. quamuis mutuator vitet damnum, quod ei ex corruptione tritici euenire posset, quod iuste velle potest absque damno mutuatarij, vt recte Siluest. verb. vsura 1. q. 15. insinuat.

225 Quia non etiam est vsura tempore caritatis annonę triticum æstimarum pretio, quo tunc venditur mutuare cum pacto, vt tempore solutionis reddatur triticum pretio, quo tunc valebit. quia in effectu est vendere triticum, & dilationem solutionis concedere, iuxta omnium mẽtem in d. cap. in ciuitate. de vsur. S. Anton. 2. par c. 7. §. 13. nisi per leges iustas esset prohibita eiusmodi tritici anticipata emptio, vt est prohibita per leges Castellæ tritici anticipata emptio ad reuendendum, & etiam pro sua domo: nisi pretio, quo viginti dies ante, viginti post sacrũ diem Sanctæ Marię Septembris valebit in Metropoli loci, vbi emit, l. 15. & l. 14. legum Madritij anno 1528. editarum.

Nonagesimosextò, qui quod sibi debetur, non vult recipere vsque ad tempus, quo eius pretium crescat, cum debitor illud tempus expectare non teneatur: quia vult lucrari impensam, quam in custodiendo faceret, & periculum amissionis vitare. Idem de illo, qui alteri mutuat cum pacto, vt tali tempore & non ante restituat: aut in alio loco extra illum, in quo iure tenetur, reddat. Anton. vbi supra: quia illam obligationem, quæ pecunia æstimabilis est, vltro sortem lucratur. Non tamen peccat, qui non petit triticum, quod sibi debetur vsque ad annum, aut tempus, in quo carius erit: nisi directe, aut indirecte, debitoris solutionem impediat, vt (nostro iudicio) impedit diues, qui nolens, vt pauper Augusto anni fertilis soluat, prædicit ei, vt illo tritico ad suam vtilitatem vtatur, & nullo pudore afficiatur: eo quod non soluit. Ad quas fraudes vitandas prudenter statutum est in Lusitania, vt qui triticum mutuum datum ante diem Sanctæ Mariæ Augusti non petierit, non possit petere vsque ad sequentem annum.

226 Nonagesimoseptimò peccat, qui pecuniam argenteam mutuat, vt aurea ei soluatur, si ideo hoc faciat vt in æstimatione lucretur. Ostien. in summa de vsur. §. an aliquo. sub finem. quamuis bene possit pecuniam argenteam aurea: & auream argentea emere & vendere: & etiam lucrum aliquod moderatum accipere. Caiet. in summa, verb. vsura. not. 2. cas. 12. quia non lucratur ex mutuo: sed ex permutatione, emptione, vel venditione, sicut etiam

ex commodatione pecuniæ, vt pignori detur, aut ad ostentationem diuitiarum, quo aptius vxorem ducat, aut ob alium similem finē: quia ad huiusmodi fines etiam pecunia numerata commodari potest, l. 3. §. fi & l. seq. ff. commod. & trad. Scot. receptus in 4. lib. sent. dist. 15.

227 Nonagesimooctauo, qui triticum, vinum, aut oleū alicuius prędij ante messem, vel vindemiā minoris ob anticipatā solutionē emit, quàm collecta sunt valitura. Pan. in c. nauiganti. nu. 6. per illū tex. de vsur. Seeus tamē si æquo pretio, licet minori ob periculū, si cui subiiciuntur, emeret, l. fistulas. §. frumenta. ff. de contrah. Nec interest, an ematur definite triticum talis agri, aut vinū talis vineę: aut cum facultate deligēdi triticum talis agri, aut vinum talis vineæ, vt libuerit, modo quod æquum fuerit plus ob illam optionem soluat, & sic intelligendū est quod Gab. in 4. lib. sent. dist. 15 q. 11. art. 1 & alij scribunt.

228 Idem de eo, qui aliquid minoris iusto pretio ob anticipatam solutionē emit, aut carius iusto pretio ob eandē dilatam vendit, vt dictum est supra, nu. 206. Iustū pretium intelligo, siue sit infimū, siue mediū, siue supremum: quia non constat in indiuisibili, habet enim latitudinē, vt traditur infra c. 23. à nu. 78. Vnde quis iuste pannum, cuius pretiū infimum est decem, & medium decem cum medio, & supremum vndecim, emit decem, ob anticipatam vel præsentem solutionem, qui non venderetur ei, nisi vndecim dilata solutione: & contra iuste vendit quis eundem vndecim dilata solutione, quē libenter venderet, decem præsentibus. Qui vero emeret minoris anticipata solutione, vel maioris venderet dilata, peccaret cum vinculo restituendi per supradicta, num. 206. per quæ conciliandi sunt doctores qui sibi contrarij videntur.

226 Notandum tamen vnum, non solum decipi existimantem, se iusto pretio suas merces vendere, quoties non pluris, quàm emit sumptibus & moderato lucro numeratis vendit, vt recte Sotus insinuauit lib. 6. q. 3. de iust. & iur. Quia fieri potest, vt sumptus eius sit immoderatus, aut quod deceptus fuerit carius emendo, aut quia abundantia eiusmodi merciū, quæ confluxerint, illarum pretium diminuerit. Quære aliquando vēdere debebit minoris, quàm emit, quāuis dilata solutione vendat, si tunc vendere voluerit, & aliquando eum maiori lucro, quam solet etiā præsenti pecunia vendere poterit, qui a parum impendit, aut quia contingit emere minori pretio eiusmodi merces vbi emit, quàm quò detulit, immo ob inopiam augetur, arg. not. in l. pretia rerum. ff. ad l. Falcid. & per Caiet. 2. 2. q. 77 art. 1.

230 Nonagesimononò peccat, is qui pecora, vel prædia emit ab eo, quem credit ea non habere: & statim certa pensione ea eidem locat, cum obligatione restituēdi pensionem, quam ex re, quæ non erat, cepe rit. arg. l. 1. & totius tit. ff. de condict. sine causa. Seeus si probabiliter credebat, illa eum habere, & bona fide emit: nec tenetur restituere, etiam post cognitam veritatem id, quod ex ea insumpsit bona fide: immo neque id, quod non insumpsit, & quo factus est ditior, si quando ea emit, volebat

volebat emere talia & emit ab illo, eò quod ea obtulit vēdenda: & ideo non emit alia ab alio: & ita pro suo interesse potest retinere, iuxta dicta supra eod. c. nu. 211. Aug. verb. vsura 2. §. 71. Siluest. verb. vsura. 2. q. 6. Ioan. Maior in 4. lib. sent. dist. 15. q. 46.

231 Centesimò peccat, qui centum soluenda à se, vel ab alio alteri in fine anni emit, vel redimit, soluēdo in principio eius aliquid minus, puta 10. vel 30. ob anticipatam solutionem: & tenetur restituere, Gabr. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 4. Caiet. in summa, verb. vsura. notab. 2. & latius Anton 2. part. tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4. nisi id faceret quòd debitū non est liquidum, aut quia labor, impensæ, aut periculum subeunda sunt in eis recuperandis, vel illa, quibus emit habet destinata negotiationi, aut frugiferorum emptioni, ex qua veri similiter illud minus, quod alteri soluit, lucraretur, præsertim si id facit rogatu venditoris, Medin. in C. de rest. q. 38. in fin.

232 Nobis tamen videtur verum id, quod Caietanus dixit verb. vsura. sub fin. & ante illum, & alios Innoc. cui nemo ibi contradicit, in cap. in ciuitate, de vsur. videlicet. iuste minoris emi posse debita, quæ non sunt soluenda vsque ad annum secundum, vel tertium, vel decennium, &c. quàm si præsenti die soluenda forent. Tum quia minus est habere actionem, quàm rem, l. minus ff. de reg. iur. & alia, quæ congerit Dec. in reg. qui actionem. ff. eod. Tum quia hoc non est mutuare, sed emere, & non emere nummos sibi soluendos, sed ius, eos ab hinc ad aliquod tempus recuperandi. Tum quia hoc ius, quod vno anno est inutile, minoris valet, quàm si esset statim vtile. Per quod periclitatur id, quod ipsemet Caie. dixit in dicto notab. 2. scilicet eum, qui debet centum aureos in fine anni, non posse eorundem remissionem in principio anni minoris centum emere. Nam qua ratione potest tertius illam actionem emere, eadem poterit ipsemet, cōtra quem datur, redimere. quidquid in hoc Sotus dicat. Cuius tamen & Caietani opinio saluari potest, intelligendo de redemptione facta minoris ob solam solutionis anticipationem: vt in principio huius casus insinuauimus: & supradicta procedunt quando ob alios præcedētes respectus minoris emūtur, cessante omni fraude vsurarum. Et ad hanc concordiam reduci debet S. Tho. ad lectorem Florētinum, relatus & probatus a S. Anton. 2. par. tit. 1. c. 8. §. 4. & late Aug. verb. vsura. 1, §. 64. & latius Silvest. verb. vsura. 2. q. 34. qui idem quod Caiet. & Sotus sentire videntur, quæ tāquam quotidiana, & iuridica notanda sunt.

Non obstat, quòd hæc consequeretur, diuitem posse dare alteri centum soluenda post annum cum aliquanto auctario: quia respondetur negando sequelam. Tum quia, vt dictum est, hæc intelliguntur cessante fraude vsuraria, quæ in eo nō cessat. Tum quia actio, de qua loquimur, iuste vēditur, l. 2. cum seq. ff. de hered. vel act. vend. qualem non habet vendendam is, cui dues dat illa.

233 Centesimoprimò peccat, qui cētum mutuo ab aliquo pro lucro decem accipit, & eadem alteri precanti pro lucro aliorum decem ratione mutui

mutui soluendorum mutuat, Ioannes maior in 4. lib. senten. distinct. 15. quæst. 9. artic. 7. Secus tamen, si illa decem accipit ratione interesse damni, quod alias pateretur, per supradicta, num. 211.

234 Centesimo secundò, qui emit censum perpetuum, vel tẽporarium, redimibilem vel irredimibilem sine cõditionibus ad id requisitis,, super quarum numero & veritate remittimus lectorem in Hispano ad not. 22. Comm. c. 1. 14. q 3. Cuius summã supra, nu. 213. retulimus in hoc latino, excepto illo notabili, cuius summa hic ex parte relata fuit, quoru loco subiicimus extranagant. quam ille nũquam satis laudarus Pius V. post nostrũ in vrbem appulsum, in hac verba promulgauit.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CVm onus Apostolicæ seruitutis obeuntes recognouerimus innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuũ contractus, qui nedum non contineantur intra limites a nostris antecessoribus eisdem cõtractibus statutos: verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propter ardentem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarum manifestum contemptum præseferunt, non potuimus, animarum, prout tenemur, saluti consulentes & piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo letiferoque veneno salutari 235 *antidoto non mederi. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum, seu annuum reditum creari constitui ve nullo modo possenisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.*

Rursum, nisi vere in pecunia numerata præsentibus testibus ac notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque pretio.

Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conuentiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum qui alias ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censu suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei tam inter viuos quàm in vltima uolantate alienari.

Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, etiam per mensem expectari.

206 *Pacta continentia meros census debitorem tenere ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui solicitam, seu aliquam eius partem amittere, aut aliud uel ex eodem contractu, siue alunde adquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere ex toto irrita sint & nulla. Immo & censum augeri, & nouum creari super eadem vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta*

continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem ea iàm de iure, & ex natura contractus non spectarent.

Postremò, censibus omnes in futurum creandos non solum rei in totum vel pro parte perempta, aut usufructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire: sed etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabilis: immo centum & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis aut clausulis concepta sint.

Cum vero traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari cui pretium dandum erit, & post denuntiam intra annum tamen etiam ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur. Volumus nihilominus quandocunque reditum extingui posse, præuia tamen semper denuntia, de qua supra, & non obstantibus hic, de quibus supra, idque obseruari mandamus etiam quod pluries ac pluries denunciatum fuisset, nec vnquam effectus sequutus fuisset.

Pacta etiam continentia pretiũ census extra casum prædictum, ab inuito aut ad pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus, contractusque sub alia forma post hac celebrando fœneraticios iudicamus. Et ita (illis propterea non obstantibus) quicquid, vel expresse, vel tacite contra hac nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vendicari.

237 *Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu nouiter creando: verum etiam in creato quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit perpetuo & in omnibus seruari volumus. Declarantes pretium semel censui constitutum nunquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem seu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minuis, vel augeri. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus: illos tamen omnes, in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in domino, vt singulos contractus censurę honorum religiosorum subiiciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ anno 1568. 14. Kal. Febr.*

Cui adnotamus aliqua in prædicto Commen. cap. 1 14. quæst. 3. noue recognito, quæ, ne Manuale nimiũ crescat, prætermittimus.

238 Centesimotertiò, qui mutuat cũ pacto, vt mutuatarius vltra sortem sibi reddendam det aliquid notabile alicui tertio, vel pauperibus. Quia nõ licet vsuram luctari etiam ad redimendos captiuos capit. super eo. de vsuris. Secus tamen de mutuante, vt ei remittatur iniuria, non quidem per rationem, quam sanctus Anton. & Siluest. verb. vsura. 1. quæst. 11. reddunt, scilicet, quòd vnicuique licet suam vexationem redimere, capit. dilectus 2. de simon. Quia illud de vexatione iniusta intelligitur: & vexatio, qua iniuria affectus iniuriantem in iudicio vexat, non est iniusta, iuxta gloss. sing. receptam, capit. si quis contristatus. 90. distinct. Quare nos hic nouam addimus, scilicet, quòd pœna iniuriæ non debetur in foro conscientiæ,

riæ, iuxta gloss. singul. cap. fraternitas. 12. quæst. 2. Et quod speciale est, vt pacto nudo tollatur ipso iure actio iniuriarum, l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. & quod non videtur tam quærere, quod requirit capit. quoniam. 14. quæst. 4. quam a damno pœnæ, quæ non est ante sententiam alteri in conscientia debita, liberari, Quo fit, quòd mutuare cum pacto, vt non solum iniuria remittatur: sed etiam damnum, quod effectus iniuria passus est, quodque sibi in conscientia debetur, est peccatum vsuræ. Non peccat etiam, qui pecuniam, qua vult emere aliquid frugiferum mutuat alteri, cum pacto, vt soluat tantum quotannis, quātum fructus rei frugiferę, quam emisset deductis impensis quotannis valerent, per dicta supra, num. 211. Non obstat, quòd quidam dicitur dixisse, quod illud pœnæ debitum est legale: quia non est tale ante sententiam & ante fit mutuum.

239 Centesimoquartò, qui vendit triticum, vel aliquid aliud vno mense pro pretio maiore, quo valiturum est alio, ad quem vsque non est seruaturus, & tenetur ad restitutionem eius, quod vltra pretium temporis venditionis acceperit. capit hn. de vsur. & vbi per omnes. Angel. verb. vsura. §. 34. quamuis posset illud mutuare vno mense vsque ad alium, in quo verisimiliter plus valebit, vt reddatur æque bonum in illo, vel ante illum, vt recte Sotus adnotat. Dixi: Non est seruaturus, &c. alioqui enim secus, tribus concurrentibus. Primum, ne summum quo illo mense valiturum est pretium accipiat: sed medium. Ita quod si in vna parte eius valuit decem, & in alia quindecim. & in alia viginti, non nisi quindecim capiat, iuxta Alexand. in l. quod te. ff. si cert. petatur. Secundum, vt de pretio deducat tantum, quantum seruando diminutum fuisset iuxta expertorum iudicium. Tertium, vt deducat impensas, quas in seruando in illud vsque tempus facturus erat, Maior vbi supra quæst. 32. Nec obstat distinctio Caietan. 2. 2. quæst. 78. attic. 1. magis difficilis, quàm animabus vtilis, quia quidquid ille dicat, æquius est dicere, quod capitulum finale de vsuris. moderatur caput in ciuitate, quàm quod ille asserit.

Male autem ex hoc loco infert quidam dicere me non posse quem vendere rigoroso pretio iusto, soluendo tempore ad quod vsque seruaturus erat: sed tantum moderato, quod ipse nullatenus sentio: sed longe aliud scilicet, quod qui vendit rem pretio, quo valitura est aliquo tempore ad quod vsque seruaturus erat, puta mense Maio, non potest iuste accipere pretium maximum rigorosum, quo valebit aliquo die illius mensis: sed medio illius, quod valebit toto mense, collatis pretiis quibus valuit diuersis diebus illius. Ita quod, si aliquo die valuit decem, alio 15. alio 20. debet esse contentus 15. Et si seruaturus erat vsque ad certam hebdomadam, & in eius diebus valuit multis pretiis accipiet medium illorum. Et si vendidit pretio, quo valeret certo die vsque ad quem seruaturus erat, & in eius variis horis valuit variis pretiis, accipiet medium eorum.

240 Centesimoquintò, qui vendit aliquid dilata solutione in aliud tempus pretio maximo, quo valebit vsque ad illud. Ostien. in summa de vsur. §. an aliquo. vers. quid si vendas & nos copiosè super caput in ciuitate. de vsur. diximus. Vbi tamen concluimus non esse vsurariū pactum, vt sibi soluatur pretium mediū minimi & maximi, quo ab emptionis tempore, vsque ad tempus in quod ille seruaturus erat, valeret, siue eius pretium creſceret, siue decresceret.

241 Centesimosextò, qui aliquid ei, qui pecunia indigebat, vendidit cum pacto, aut voluntate principali, vt statim sibi minoris iustò pretio reuendat, iuxta titul. 43. Ordinat. Florentissimi Regni Lusitaniæ: secus si simpliciter vendidit pretio iusto, quamuis summo: & postea, quia emptor vult illud reuendere, & non inuenit alium, qui emat, idem venditor iterum pretio iusto, quamuis infimo & pio accipit. Ang. verb. vsura. §. 60. De qua diuisione pretiorum, & aliquod aliis huc pertinentibus, infra capit. 23. num. 78. & sequent. dicetur. Vsus tamen huius determinationis licet iustæ, lædere posset famam mercatoris, nisi fuerit cautus: & laudarem valde mercatorem, qui id faceret, quando videret neminem alium velle dare pretium iustum etiam infimum, maxime si daret mediocre. Notandum etiam, quòd vsuram admittit qui suas merces, quò lucraturum se sperabat, deportat, & dilata solutione pluris iusto pretio etiam summo vendit, eo quod aliarum aduentu, adeo pretium decreuit, quod nō solum non lucraretur: sed etiam perderet, si præsenti pecunia etiam summo pretio venderet, per supra dicta.

242 Centesimoseptimo, qui vel deponit pecuniam apud aliquem mercatorem, aut nummularium, cum intentione principali, vt aliquod lucrum menstruum, vel annuum ei soluatur saluo sorte: & tenetur acceptum restituere, quamuis non interueniat pactum, & quamuis appelletur depositum capite consuluit. cum ei adnot. de vsur. Nec ignorantis excusat gl. in cap plerique. 14. q. 3. Nec periculum perdendi illam, eo quòd mercator, aut fugere, aut decoquere potest. Tum quia illud lucrum non ob periculum, sed ob mutuum deposito palliatum accipitur. Tum quia illud periculum non est considerabile per notata in dicto capit. nauiganti & cap. si fœneraueris. 14. quæst. 3. Secus tamen est, si absque pacto & intentione principali prædictis præfatum depositum faceret, & acciperet a depositario gratis donante aliquid ob gratitudinem, eo quod ex pecunia deposita fuerit lucratus: etiam si libentius suam pecuniam penes hūc gratum, quàm penes alium depositam habeat. Et etiam depositarius illud det sperans, quod ob huiusmodi largitionem ab ipso pecuniam suam non auferet, quia omnia hęc sunt gratuita. Caietanus 2. 2. quæstio. 78. attic. 2. Vsura tamen esset, si mercator illud daret, tanquam ad id ob pretium, & vsum illius pecuniæ obligatus, & dominus ob hanc eandem rationem acciperet: aut speraret, etiam

& etiam si principaliter ob hæc deponeret.

243 Centesimooctauò, qui equum, aut aliam rem omnium iudicio non maioris pretij, quam quindecim aureorum ob dilatam solutionem viginti aureis vendit cum obligatione restituendi quinque: licet postea propter mortuos alios equos 20. æstimetur, Ioan. Maior in 4 lib. sent. 244 dist. 15. quæst. 11. Idem de eo, qui cum Rege vel alio, qui suis militibus, aut famulis mercedes & stipendia persoluere intra certũ tempus tenetur, intra quod ob nummorum inopiam, illis soluere non potest, paciscitur se illis soluturum, si à domino sibi plus aliquid, eo quod soluerit, detur, vt decem pro cẽtum, arg. cap. in ciuitate. de vsur. nisi ratione veri interesse excusaretur. Quamuis Rex, vel ille alius in suis litteris dicat, se gratuitam donationem illius pluris facere. Tum quia hoc in effectu est mutuare pecuniam, vt ad certum tempus eadem cum aliquo auctario soluatur.

245 Tum, quia illa donatio non est vera, cum non ex liberalitate, sed ex necessitate quærendi pecuniam mutuã fiat. Med. de restitutione. in quibus casibus licitum mutuanti vltra sortem recipere, cas. 3. Idem etiã de Præfecto ratiociniorum, Quæstore ærario, aut soluẽdis stipẽdiis, & mercedibus, &c. obligato, si aliquid ab his, quibus soluere debebat, accipit, vt anticipet solutionem, per prædicta in §. præcedenti: nisi verũ esset interesse, aut iusta actionis empt. excuset.

246 Centesimonono, qui mutui accepti vsuras soluere iurauit, & intra diem statutum nõ soluit, nec impetrauit absolutionem à iudice, vel à parte. Nam licet promissio soluẽdi vsuras non valeat: iuramentum tamen soluendi suas obligat, c. debitores, de iureiur. quamuis à iudice potest absolui, cap. 1. eo. tit. & solutas repetere d. c. debitores.

247 Non obstat, quod solnẽs vsuras videtur peccare consentiendo peccato Vsurarij: quia non iurat, nec promittit soluere illas, quatenus earum acceptio est peccatum: sed quatenus est actus de se indifferens: qui bono fine fieri potest virtuosus, iuxta doctrinam sancti Thom. 1. 2. quæst. 18. artic. 7. 8. & 9. qua eadem ratitione acceptio sub vsuris a nolente mutuare, est licita: nam actio eiusdem rei potest esse bona, & passio mala, & contra passio bona & actio mala, iuxta illud glo. cap. 1. de consec. eccl. vel alt. lib. 6. verb. sanguinis. de Christi passione, *Actio displicuit, passio grata fuit.*

De vsuris in pactis de retrouendendo.

SVMMARIVM.

248 *Pactum de retrouendendo quid, quod iustum, & quod vsurarium, & minuit de pretio, sed fructus nõ admittit ementi, &* 149.

250 *Pœnitẽti pro se, & contra se in foro conscientiæ creditur.*

248 CEntesimodecimò peccat mortaliter, qui emit aliquid cum pacto de retrouendendo simulate, animo magis mutandi, quam emendi, & vsuram committit. Quia autem minoris iusto pretio, etiam

ẽtiam dempta parte, qua illud pactum præfatũ diminuit, peccat quidem peccatũ iniustitiæ: sed nõ vsuræ coram Deo, licet aliquando coram hominibus præsumatur vsura, secũdum omnes. Pro quo notãdum primo, quod pactum de retrouendendo est pactum quo emptor promittit reuendere rem emptã venditori, quandocunq; voluerit, vel intra certum tempus, quod licitum est, & diminuit de pretio, c. cum Ioannes. de fide instru. & l. fundi partem. ff. de contrah. empt. & l. si fundum. l. si à te. C. de pact. inter empt. & vend. & Leuit. 25. secundum Inno. Ostien. Io. And. Panor. & communem Canonistarum in c. ad nostram. de empt. & legistarum in d. l. si fundũ. & Cepol. de simul. contr. cas. 2. & omnes Theologos in 4. lib. sent. dist. 15. Secundo, quod emptor non tenetur restituere fructus interim perceptos, nisi à tempore moræ, quam committit simul ac pretium illius loco & tẽpore congruis oblatum non accipit, l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. & gl. recep. & c. illo vos. verb. percepti. de pigno. Tertio, quod iuste potest etiã statim locare venditori honesta pensione d. l. fundi partem. ff. de cõtrah. empt. & d. c. cum Ioannes. de fide instru. Quarto, quod ad iustitiam huius pacti concurrere debent aliqua. Primum, vt simulatio, saltem ex parte emptoris, absit, ita vt emptor vere & principaliter intendat emere. Secundũ, ne fiat pactum, vt redemptio fiat maiori pretio, quã emptio facta est. cap. illos vos de pigno.

249 Tertium, quod emptor faciat illud eo solo, vt placeat venditori, & quod malit, ne redimatur: & quod non emeret, nisi putaret esse redimendum: quod tamen non est iuridicum: tum quia nullo iure, vel ratione probatur: tum quia sæpe contingit, aliquem posse vere rem aliquam emere cum pacto retrouendendi, quod minuit pretium eius, & non absque illo. Quia non habet satis pecuniæ ad eã iusto pretio emendam sine illo pacto, sine quo pluris valet, d. l. fundi partem. ff. de cõtrah. empt. & d. c. cum Ioannes, cum eis adnotat. Tum quia multi nollẽt res aliquas emere, quas tamen rogatu amicorum, quos oportet eas vendere, emunt quidem vere cum prædicto pacto, sed sperantes eas redimendas, quas alioqui non emerent. Nec etiam est necesse regulariter, quod alij dicunt, ne pactum fiat, quod vltra certum tempus id redimi non possit. Quia perspicuum est posse fieri pactum de retrouendendo intra solum vnum annum, duos, tres, aut plures: quod in effectu est pactum, ne vltra illa tempora præfinita redimatur.

Dixi: Regulariter: quia post extrauag. Pij V. super censibus relatam supra, nu. 234. in emptione census non liceret illud, quod est nouũ & singulariter notandum. Non est etiam necesse, quod alij dicũt, ne emptor vsuræ dare solitus sit, eo quod præsumeretur solitũ facere, arg. l. quod si nolit. §. qui assidua. ff. de ædil. edic.

250 Quia licet ad sic præsumendum in foro exterioti iurare posset: non tamen in foro conscientiæ, in quo cessat omnis præsumptio. c. tua de sponsa. nec etiam est necesse, ne fiat pactum, vt ante duos, vel tres annos venditor redimere nõ possit,

& postea sic: quia huiusmodi pactum est licitum, licet pluris valeat, quod venditur cũ hoc pacto, quam quod cum pacto quando libuerit redimendi: quamuis non quanti si absque aliquo pacto vẽderetur. Nec videtur verum illud Ioan. Maior. in 4. lib. sent. dist. 15. q 43. quod venditor grauat emptorem pacto quando libuerit redimendi, nisi consentiat, vt emptor aliquid capiat ratione sui interesse: quia qui suo iure vtitur, nemini iniuriam facit c. cum ecclesia. de elect. & l. iniuriarum §. 1. ff. de iniur. Quamuis contra fraudatores, qui vendunt prædia non sata, & vineas vindemiatas cum pacto redimendi intra annum, solent redimere paulo ante messem, vel vindemiam, solutis impensis, lege Nauarræ cautum est, vt qui non redemerit ante Pascha, nõ possit redimere nisi post messem, vel vindemiam. Quinto, quod hic non agimus de coniecturis ad præsumendũ in foro contentioso eiusmodi emptorem habuisse intentionem magis mutuandi, quam emendi, & eiusmodi venditorem magis pignorandi, quam vendendi: siquidem de solo foro conscientiæ tractamus, in quo pœnitenti pro se, & contra se creditur.

De vsura in societate.

SVMMARIVM.

251 *Societas quid, & quæ licita, & vt incunda. nu. 252.*

254 *Assecuratur vt sors & lucrum in societate. & 255.*

254 *Assecuratur vt capitale cum lucro. & 255.*

256 *Intell. nouus cap. per vestras. de donat. probans lucrum sine periculo.*

257 *Sorte salua qui lucratur in Gallia, & Italia.*

257 *Legare nummos, vt de reditu missæ dicantur. an liceat*

257 *Vsus fructus nummorum legatur, & vt sit perpetuus.*

258 *Vsura est dare ad lucrum salua sorte, vel non negotiatuto*

259 *Deponens pecuniæ in scriptura mutui, vel depositi peccat & 260.*

260 *Societas in animalibus, & locatio eorum quæ licita, & 261.*

251 CEntesimoundecimò peccat mortaliter: contra hoc septimum præceptum, qui accipit notabile lucrum ex pecunia in societatem iniustam collata: vel maius, quàm debet ex collata in eam, quæ iusta est, secundum omnes. Societas autem est conuentio plurium suam pecuniam, industriam, vel laborem conferentium ad lucrandum, d. l. 1. & toto tit. ff. pro socio. & Inst. & C. eod. tit. c. per vestras. de dona. Et ratio, qua lucrum ex pecunia ex societate collata accipi potest, & non ex mutuata est, secundum S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. quod dominiũ rei mutuatæ cum periculo in mutuatariũ transfertur: non autem rei in societatem collatæ, immo manet periculo conferentis, sicut industria & labor periculo ea conferentium, l. si tibi areæ meæ. ff. de præscri. verb.

Ad hoc autẽ vt societas iusta sit, tria requiruntur. Primũ, vt negotiatio licita sit. c. per vestras. de donat. inter vir. & vxo. Secundũ, vt pecunia subiaceat periculo eam conferentis, hoc est, vt si pereat tota illi pereat, gloss. cap. plerique. 14. quæst. 3. Tertium, vt in omnibus iudicio prudentis æqualitas seruetur, & pro quantit

quantitate partium collatarum lucrum diuidatur, l. si non fuerit. ff. pro socio. & post alios Caiet. 2. 2. q. 78. artic. 2. hoc exemplo declarauit: Vnus confert mille aureos, alius laborem suæ personæ eisdem æstimatum: alius suam industriã quingentis æstimatam, vt hæc societas licita & sancta sit, ex his omnibus vna summa facienda est, & ex lucro & iactura pro rata eius, quod confert quisque capere debet, vt si isti tres quingentos aureos inerarentur, duo singulos ducentos aureos caperent, & tertius centum. Sotus tamen lib. 6. q. 6. art. 1. de iust. & iur. dixit, non esse habendam rationem quantitatis pecuniæ, quã quis in societatem confert: sed periculi, cui exponitur. Iustius tamen videtur contrarium. Tum quia id habetur in l. si nõ fuerit. ff. pro socio. & §. de illa. Inst. de societ. Tum quia hoc est nouum inuentum, quo adhuc nulli negotiatores vsi sunt. Tum quia longe clarius & securius est dicere, societatem ex æquandam esse iudicio peritorum, qui æstiment pretium pecuniæ collatæ cum conditione expressa aut tacita, vt in primis conferenti restituatur, si nulla eius iactura facta fuerit, & pretium industriæ & laboris ea conferentium absque aliqua spe quidquam pro illis referendis, nisi lucrum adfit: quique simul considerent, nullam vsuræ, nec iniustitiæ suspicionẽ esse ex eo quod ei, qui pecuniam cõfert de consensu eius minus lucri, quam par sit detur, si est persona, quę donare potest. Per quod multæ societates iustificantur, quas aliquot prædiuites cum suis famulis, amicis, aut cognatis exiguæ industriæ contrahunt, quo eis fidem, honorem, & diuitias concilient, & conferendo in societatem magnas summas pecuniæ, solum ad dimidiam, aut tertiam, aut quartam lucri partem eos obligant: quamuis etiam defendi possent, dicendo, potius esse locationes cum salario incerto, quam societates.

252 At si vnus pecuniã, & alius pecuniã, & operam confert, vterq; pecuniam, quã contulit accipiet, & ex lucro, qui pecuniam & operam contulit, plusquã alius arbitrio mercatorũ percipiet, Ange. & Sylue. verb. societas. Quando autem alius pecuniam, alius operam, aut industriam in societatem confert, tota iactura pecuniæ erit eam conferentis, & tota laboris eius qui eũ subiit, & industriæ eius, qui eã adhibuit, siue iactura in principio, siue in medio, siue in fine negotiationis fiat, iuxta Bar. & Bal. in l. 1. C. pro socio. & S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 5. quæ vera opinio est, maxime in foro conscientiæ, iuxta Ang. & Sylu. verb. societatis. Tũ quia alioquin pars pecuniæ, ad quam soluendam alius teneretur, à periculo libera esset, quo ad eum qui contulit, & consequenter, quo ad illã partem, esset mutuum & non societas.

253 Tum quia si in fine societatis lucrum esset, antequam diuidatur, qui pecuniam contulit, eam in primis accipere deberet. Tum quia nõ liceret paciscì, vt dimidiam, aut tertiam, aut quartam partem pecuniæ perditæ alius, qui laborem aut industriam posuit, persoluat: quia nullam ex illa partem sumit, si nullũ inueniatur lucrũ finita societate: immo tota eam conferenti restituitur.

Tum quia, vt qui pecuniam contulit eam perdit: sic in laborem aut industriã adhibuit, ea perdit, quæ interdum tanti & pluris æstimantur, quam pecunia collata. Nam tantus potest esse labor, & tanta industria vt licitum sit pacisci, vt qui ea confert, duas partes ex lucro, & dominus pecuniæ vnã solam accipiat. Verũ tamẽ est, quod si pecunia conferretur cum pacto, vt cõmunis esset, & cõmuniter inter illos, sicut lucrum diuideretur, iustũ esset vt pecunia perdita, omnibus periret, secundũ omnes vbi supra. Notandum autẽ, quod periculum pecuniæ collatæ vitare potest eam conferens, facta cum socio conuentione, vt se faciat securum, siue (vt aiunt) assecuret suscipiendo in se periculum eius, constituto ei pretio illo securitatis, quo eum tertius assecuraret, aut vt tanto minus de lucro communi accipiat. Nam qua ratione tertius potest eum assecurare, eadem potest & socius, vt recte Sylue. verb. societas. 1. q. 2. dixit. Quæ confirmantur ex eis, quæ pridem respondimus Vlyssippone contra quandam maximi ponderis societatem iniquam, oblata alia iusta, quæ colligi poterat ex Maiore in 4. lib. sent. dist. 15. q. 49. & Caiet in Tomo 1. Opusc. Tractatu 31. responsione 11. & Syluest. verb. societas. 1. q. 1. videlicet, quod fierent tres contractus. Primus societatis, in quam alius pecuniam, alius operã & industriam, conferat. Secundus, quo qui operam confert, assecuret alterius sortẽ iusto pretio accepto, aut altero tanto ex lucro remisso. Tertius, vt ad tollendas suspiciones & molestias rationũ, qui operã præstat, lucrũ incertũ lucro aliquo certo redimat, aut ex lucro verisimili, sed incerto tantundẽ certi retineat. Pro quo facit efficaciter, quòd nemo negat, eum, qui cõfert aliquam pecuniam in societatem posse assecurari de sorte, & de aliqua certa parte lucri ineundo suos contractus assecurationis sortis & lucri cũ tertio: & qua ratione potest inire eum tertio, eadẽ etiam cum socio potest, cessãte omni fraude, & simulatione.

Addo, quòd possunt fieri eodem tempore, vt monstrat præcitatus Ioan. Maior dicto 4. lib. sent. dist. 15. q. 49. & non solum formaliter & explicite: sed etiam æquiualenter & implicite. Vt si quis negotiator publice protestaretur, se paratum ad accipiendam pecuniã à quocunque volente illi conferre illã in societatem, cũ pacto de assecuratione sortis ad rationem 4. pro cẽtum & lucri certi 4. pro duodecim incerti lucri. Ita quòd ex lucro incerto verisimili 12. ex centum accipiat quatuor pro assecuratione sortis, & qua tuor pro certificando lucro duodecim, & consequenter non teneatur reddere, nisi quatuor. Et postea alius sciens, hanc protestationem, confert ei centum, dicens: Ego confero tibi centum in societatem negotiationis cum securitate sortis, & redẽptione lucri incerti, iuxta protestationem tuam.

256 Pro quo, præter prædicta vrget cap. per vestras. de dona. inter vir & vxo. sic noue inductum: Ibi Papa iubet, vt marito vergente ad ignopiam, dos deponatur apud aliquem mercatorẽ, quo ex parte lucri honesti, onera matrimonij sustẽtet, & ita

ita intentio eius fuit, vt dos salua seruaretur; siquidẽ ob hoc iubebat illam à marito auferri: & ita videtur noluisse, vt ad lucrũ & dãnum mercatori traderetur, quod erat eã periculo obiicere: voluit item, certum aliquod lucrum inde prouenire, ad matrimonij onera sustinenda. At hæc duo fieri non possunt sine assecuratione & lucri incerti pro certa redemptione. Ergo Papa tacite voluit illa fieri.

Facit etiã, quod in multis Galliæ locis, quando in ea prælegebamus, audiuimus, & nunc audimus in aliquod Italiæ partibus & mõtibus idẽ seruari, q; Eccleſię & viduę & pupilli more antiquo cõferebant suas pecunias mercatoribus, quo quattuor secura pro centum in suam sustentationem lucrarentur. quæ cõsuetudo defendi nullo modo potest, per intellectũ, quem Io. And. & nonnulli alij d. c. per vestras. assignant, scilicet quod in fauorem ecclesiarũ, viduarum, & pupillorũ, cum illo lucro mutuari poterat: quia esset vsura, quæ neq; etiam ad redimendos captiuos admitti potest, c. super eo. de vsur. Nec vllo alio modo defendi potest, quàm dicendo, quòd exordiũ cœpit ab hoc societatis modo, quo fit cum securitate & redemptione prædictis, & continuata fuit vsq; ad illud tẽpus. Ad quod coniiciendum facit, quod vix tertiam partem lucri dubij verisimilis, quod sibi pro sua rata regulariter obuenire posset, accipiebãt. Nam verisimile lucrum centum ad minus erat 12. vel 15. & non recipiebant, nisi quattuor pro c entũ: quod significat, illos reliquas duas partes pro securitate eiusmodi, & redemptione dubij pro certo relinquere. Pro quo facit etiã, quod Caiet. scripsit in dicto Tomo 1. Opusculorum, Tractatu 31. respons. 11. Intelligimus tamen hoc, cessante omni fraude & simulatione, & vt coram Deo formaliter, aut æquiualenter prædicti tres contractus verifiant. De quibus omnibus copiosius scripsimus in prædicto Comment. c. 1. 14. q. 5. respondendo ad quædam Soti argumenta. Et quidem optarem, vt episcopi, vel saltem Pontifex Max. declararet, prædictam consuetudinem esse iustam; eo quod præsumẽdum sit, quod in tertis, in quibus à tempore immemoriali illa inoleuit, habuit originẽ huiusmodi licitam, & ita bona conscientia seruari posse, monitis præsertim deponentibus, & depositariis, vt tres prædictos contractus faciant, vel habeãt pro factis. Pro quo facit, quod cõsuetudo immemorialis facit præsumi titulum requisitum ad eius valorem. c. super quibusdam. de verb. sign. & l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æsti. Licitum est etiam pactum, in quo qui pecuniã aliena negotiatur, omne lucrũ domino illius tradat, & ei à domino certũ quid & ab omni periculo liberũ pro labore, & industria soluatur. Quia huiusmodi cõtractus non est societatis: sed locationis. & ideo si iactura, eius dolo vel culpa, aut illius ministrorum contingeret, satisfacere domino teneretur, quia gratia vtriusq; fit, per dicta supra eo. c. nu. 179. Ange. & Sylue. vbi supra.

257 Ad quæsita hic de pecunia legata parocho, & beneficiario alicuius ecclesiæ, vt perpetuo singulis

mensibus, tot missæ pro legante dicantur, quod & lucro illius, ad rationem quinque pro centum quot annis duci poterunt? Respondeo, legatum esse licitum. quia licet legato vsumfructum pecuniæ, l. 1. & 3. ff. de usufruct. ear. rer. quæ vsu consu- & quia tale onus licite adiicitur, arg. cap. significatum. cum eis, quæ illic adiicimus, de præben. Et quòd expediret, vt legatarij emerent ea censum perpetuum irredimibilem ad rationē vnius pro viginti, si inuenirent, & si irredimibilem non inuenirent, aliqua prædia reditus annui quinque, vel plurium pro centū: & si nec ea, censum redimibilem: & si neque illum, conferant illam alicui mercatori in iustam societatem, & quærant aliquem opulentum, qui sortem & aliquod lucrum certum, quāto maius poterunt, assecuret eis pro parte lucri verisimilis, & incerti ad eos ex illa societate prouenitura: & si nō inuenerint tertium, qui hoc faciat, curent id fieri ab eodē socio, cui illā in societatē contulerunt, per tres cōtractus initos modo supradicto nu. 256. & dicant tot missas annuas, quot diēdis illud sufficiat arbitrio episcopi. arg. c. nos quidem. de esta. & l. legatum. ff. de admi. rer. ad ciui. perti. & l. legatū. ff. de vsufr. leg.

258 Centesimoduodecimo peccat, qui dat pecuniam in societatem ei, quem scit ea nō esse negotiaturum: vt militi, vel clerico indigentibus, in certum lucrum: quāuis tres prędicti contractus societatis, securitatis, & redemptionis concurrerent. Quia non est vera: sed simulata societas, quæ mutuū velat, siue palliat.

259 Centesimodecimotertiò, qui vere coram Deo pecuniam in societatem contulit in lucrum & damnum: sed à socio publicam mutui, aut depositi scripturā accepit: quia mentitus est in periculum notabile suæ famæ, & bonorū proximi: quoniam posset voluntate mutata suam pecuniam depositam, vel mutuatam repetere, quāuis periret. Quare, eiusmodi scripturam, si lucrum participare vult, rescindere debet: quamquam respondimus, hoc locum non habere in eo negotiatore, qui contra intentionem pecuniā conferentis pro honore suo scripturam mutui, aut depositi loco societatis concessit, modo illam cōferens scripturam prædictam, quam cito commode potest rescindi faceret, & aliam societatis, si vellet capere potest, & etiam pignora accipere pro securitate restituendæ sibi suæ pecuniæ, nisi amittatur: & etiam pacisci, ne tali, aut tali mercimonio: nec in tali, aut tali loco, aut tempore: cū tali, aut tali homine negotietur: & si mercator rebus, aut loco, aut tempore, aut persona pacto exclusis negotiatus fuerit, iactura eius periculo erit, qui contra pactum fecit, iuxta S. Anton 2. part. tit. 1. c. 7. §. 38. Idem de eo, qui confert pecuniam in piscatum nauticū, modo posito infra eo. cap. nu. 282. & 283.

260 Centesimodecimoquarto peccat, qui locat boues, mulas, aut alia animalia pensione iniusta notabiliter, aut cogit agricolā ad soluendam iustam pro tempore, quo desinit laborare sine culpa sua ob culpā domini, vel casum fortuitum contingentem circa eū, vel animalia, iuxta ea, quæ supra, nu. 199. diximus. & glo. l. si vno.

si vno. § item cum quidam. ff. locat. aut cogit ad æstimationem eorum post mortem, aut damnum naturale, vel fortuitū sine dolo, aut culpa leui eius euenies: quia hæc domini periculo subsunt, Gab. in 4 lib. sentent. dist. 15. q. 11. ar. 3. dub. 2. & Rosel. verb. vsura 3. §. 13. nisi agricola paciscatur, vt periculum quocūque modo eueniret, esset cōmune vtrique, dato ei ob hoc iusto pretio, vel facta debita diminutione pēsionis, quæ sine hoc pacto esset iusta. Quin & si absque intentione petendi aliquid vltra debitū ab agricola, si absque eius culpa damnum contingeret, ne durius boues exerceat, paciscitur, vt dimidium damni quoquō modo contingentis ad eum spectet non facta ob id aliqua pensionis diminutione, mortaliter peccat. Tū quia qui eius voluntatem nescit, scandalizat, vt inquit S. Bernard. in suis contract. Tum quia mori potest sine illius intentionis declaratione, aut mutare intētionem, & postea ipse, aut ipsius heredes miserum agricolam vexare.

261 Licitum item est tradere animalia in societatem alteri, ea lege, vt lucrum sit commune: sed qui ea recipit nil ex eo capiat, donec pretium eorum domino persoluatur: & postea sint cōmunia, modo ea, quæ ante sortem recuperatā interierint, domino intereant, & nō recipienti, iuxta S. Anto. 2. par. tit. 1. c. 7. §. 39. qui alios contraria tenentes conciliat. Circa quæ in fine illius §. ponit regulam, per quam omnes casus decidūntur, scilicet, quod omnis societas circa animalia, in qua ponuntur pacta, quibus alicui sociorum, iudicio boni viri, notabile damnum infertur, est illicita. & recte quidem quia etiam omnis alia, in qua commoditatum partes non respondent ex æquo partibus in societatem collatis est illicita, per dicta supra eod. ca. nu. 251.

De vsuræ participantibus, & eam non restituentibus.

SVMMARIVM.

262 *Vsuram qui suadet, aut sub ea petit, vt peccat.* & 263.

262 *Vsurario à non volente restituere, qui accepit solutionem crediti in malos fines, vel impedit, ne gratis mutuetur* & nu. 264.

263 *Peccatum non est ad minus peccandum inducere.*

265 *Pignus ab vsurario emptum, restituendum.*

265 *Vsurarij bona non sunt obligata,* & *sunt emenda.*

265 *Vsuras pro alio exercens, etiam famulus obligatur* & 267.

265 *Dominium rei quæsitæ per vsuras quærit vsurarius.*

265 *Dominium rei emptæ ab vsurario quærit emptor.*

265 *Vsurario rem datam vt vendicat qui dedit.*

266 *Proxenata vsuratum qui peccat.*

268 *Vsurarij vxor quæ peccat vsuendo de bonis sui mariti* & 271.

270 *Vsuriorū filij, & famuli qui peccāt de bonis eorum vsuendo.*

271 *Vsurarij gener recipiens ab eo dotem, vt peccat.*

272 *Dotem ob vsurario datā retinendi vsuradium.*

273 *Vsura non est marito vsus pignoris pro dote dati.* & 274.

275 *Vsuras qui iudex tulit sibi, aut non*

restituit, & aduocatus, procurator, & testis, qui ad id auxilium præstant, restituere tenentur.

276 *Vsurarium instrumentum faciens, vt peccat.*

277 *Vsurarius vsuras & fructus pignoris restituat.*

278 *Vsurarius quis manifestus, & à quo absoluendus.*

279 *Vsurario manifesto nullum detur sacramentum, nisi.* & 281.

279 *Vsurarij testamentum nullum nisi hæc præcedent.*

281 *Piscatorum ac diuitum eiusmodi societas vsuraria* & 283.

283 *Socius industriam adhibens, quid de suo impendere debeat.*

262 CEntesimodecimoquinto peccat mortaliter qui inducit aliquem vt sibi, aut alteri tertio det ad vsurã: quia peccato mortali consentire peccatum mortale est, c.1. ad Rom. cap notum. 2. quæst. 1. quanto magis ad illud inducere. Qui autem accipit ad vsurã ab eo, qui ad id est paratus, aut petit ab aliquo mutuũ simpliciter: & quia alius non vult gratis mutuare, accipit sub vsuris, non peccat mortaliter, nisi ob finem mortalem accipiat: nec etiam venialiter, si ob causãm iust am accipit: sed sic si absque ea accipit, aut ob finem venialem, scilicet ob vanitatẽ & ludos veniales, aut vt eius negotiatione diuitias accumulet, cum aliãs habeat vnde honeste viuat, iuxta mentem S. Tho. 2.2. q. 78. art. 4. & nostrorum doctorum in cap. super eo. de vsuris, quos Caiet. in summa verb. vsura. & 2.2. q. 78. artic. explicat. Quamuis igitur accipere ad vsuram licitum sit: non tamen petere, vt sibi ad vsuram detur, quia est petere aliquid, quod alius sine peccato facere non potest, quod numquam licitum fuit, iuxta S. Anton. 2. par tit. 1. cap. 9. §. 14. & Caieta. 2.2. q. 78. arti. 4. & Tomo 1. Opuscu. Tract. 31. responsione 13. sed sic ab eo mutuum petere. At si rogatus petat vsuras sibi promitti, nec vellet sine illis mutuare, potest sub iis licite ac
263 cipere. Constitutus tamen in extrema necessitate, non peccat inducendo ad mutuandum sibi sub vsuris eum, qui sine illis mutuare non vult, iuxta Innoc. recept. in d. cap. super eo. Quia hoc non est proximum ad peccandum inducere: sed consulere, vt minus peccet, hoc est, potius peccatum vsuræ, quàm homicidij committat: quod licitum est cap. si quod verius. 33. q. 2. Ang. verbo vsura 2. §. 2. Siluest. eo. verb. vsura 2. q. 1. & Caiet. 2.2. q. 78. artic. 4. in dicta responsione 13. Verum etiam videtur S. Anton. vbi supra, nõ peccaturum, qui mutuum ad vsuram ob ignorantiam, aut inconsiderationem peteret, aut, quia scit frustra se rogaturum eum, vt gratis mutuet: quod tamen nobis securum non videtur, propter rationes, quas modo tetigimus.

264 Centesimodecimosexto peccat, qui ad vsurã capit aliquas merces ad res vanas, graue æs alienum contrahendo, & vxorem & liberos notabiliter damnificãdo, vt insinuat Sotus lib. 6. q. 1. artic. 5. de iust. & iur. quãuis non loquatur ille de capiente ad interesse, nec de emente (habita fide de pretio) merces, quas præsenti pecunia vendit, quod Hispani Mohatram vocant, idem tamen est dicendum de illo, arg. Lillud. ff. ad l. Aquil.

Aquil. & cap. dudum 2. de elect. Et notandum, quòd qui mutuat ei, quẽ scit vsurarium in fines malos, aut vanos, non potest licite capere ab eo solutionem, si facta ea, vsuras restituere non posset: quia, qui mutuat in malos fines, non habenti vnde sua debita soluat, dignus est cui nõ soluatur, si aliis debitoribus non potest soluere. Gab. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 11. Siluest. verb. vsura. 8. q. 7. quod ad forum conscientiæ videtur restringendum, vel ad casum, quo debita essent æque priuilegiata, per dicta supra eo. cap. à nu. 52.

265 Centesimodecimoseptimo peccat, qui suadet volenti mutuare gratis, vt nõ mutuet, nisi ad vsuram, aut volenti contrahere, vt contractum vsurarium faciat, cum obligatione restituendi in solidum, Siluc. verb. vsura 7. q. 2. De emẽte autem pignus ab vsurario amissum ob nõ solutionem vsurarum, perinde iudicãdum, ac de emente rem alienam, secundũ mentem Scoti in 4. lib. sent. dist. 15. Quia nec vsurarius videtur quærere dominium, nec dominus pignotis perdere illud, iuxta dicta supra eo. cap. à nu. 203.

Alia vero, quæ hoc in loco in Hispano scripsimus, declarãdo, dico primo verius esse, quòd bona vsurarij non sunt obligata pro vsuris extortis: quia nullo iure probatur huiusmodi obligatio: & ita tenent Ioan. And. Pan. & communis in c. cum tu. & in c. tua. per illum textum inductum ibi à Pan. de vsur contra gl. in vtroque c. & in c. 2. eo. tit. lib. 6. quam etiam ibi Domin. & Fran. reprobãt.

Secundò, quòd dominium rei per vsuras luctifactę transit in vsuriũ, secundum gl. cap. si quis vsuram. 14. q. 4. respondendo illi capitulo cõtrarium significanti, quæ communiter ibi recipitur.

Tertiò, quòd dominium rei vẽditę per vsurarium transit in emptorẽ, ita, quòd non potest auferri ab eo, qui soluit vsuras pro earum restitutione, vt Pan. cum communi Moderatorum tenet in d. cap. cum tu.

Quartò, quòd debitor potest reperare rem, quam pro vsuris soluit vsurario si penes eum est, immo & si penes alium titulo gratuito, saltem, quum desunt vsurario bona ad restituẽdum, per l. & si me, & Titium. ff. de reb. cred.

266 Ex quo infertur, quòd qui aliquid notabile accipit gratis ab vsurario, in eadem specie, qua fuit datũ illi, vel etiam in alia, si sciebat eius bona non sufficere ad vsuras restituendas, aut probabiliter dubitabat, peccat mortaliter, si non vult restituere iis, quib⁹ vsurarius tenebatur, iuxta S. Bernar. in suis contractibus.

267 Centesimodecimooctauo peccat, qui institor, negotiorum gestor, tutor, aut curator, habẽs potestatem ad negotiandum, & dandum sub vsuris & recuperãdum eas, & etiam qui nomine suorum principalium dedit ad vsuras, vel recuperauit eas, cum obligatione restituendi, eis nõ restituentibus, arg. cap. sicut nõ suo. 46. dist. & cap. fin. de iniur. Siluest. qui alios refert, verb. vsura. 7. qu. 4. etiã si merus executor illius fuit, aut famulus, qui solum pecuniam dedit, & piguora, aut solutionem vsurarum accepit, quãuis nulla vtilitas ex eo ipsi obueniret, per supradicta eo. c. nu. 18. & per determinata

à Caiet.in summa,& 2.2.q.62.art. 7. quidquid alij dicant, & etiam Silue. in dicta q.4.Quod tamē est restringendum ad famulos, qui sciunt pecuniam, quam ferunt mutuam ad usuram matri,& quam recipiunt pro solutione vsuræ recipi , & non extendendum ad alios,qui id ignoranter faciunt:quamuis sciant suos principales aliquando vsuræ dare solitos.arg.cap.quid culpatur.23. q. 5. & c.de constit.

Quibus addo,quòd nunc interrogatus.An prædicti ministri teneantur restituere ante excussionē principalium?Respondi,quòd sic : quia non censentur accessorij,vt fideiussores.sed vt principales delinquentes:& ita magis obligati, quàm iubentes,per dicta supra eo.à num. 17. Idem de eo,qui est internūtius vsuræ ex parte vsurarij principaliter, vt lucrum illi,& sibi vtilitatem comparet:quales sunt communiter proxenetæ,quos Itali Sensales, Hispani Corredores vocant. Quod est restringendum ad eos , qui rogarunt, vt daretur ad vsuram:non autem ad eos,qui simpliciter rogarunt vt daretur mutuum.B.Anton. 2. par.tit.1. c.9.§.13. Dixi principaliter ex parte vsurarij : quia si principaliter intercessit ex parte indigentis rogans vsurarium paratum ex se ad mutuādum ad vsuram,vt illi mutuaret, nō peccaret.

168 Centesimodecimonono peccat vxor vsurarij,quæ sciens maritū non habere amplius quam ad restituēdas vsuras extortas,viuit ex eius bonis.cū ex suis,aut consanguineorum bonis,aut ex suo labore honestè viuere possit,iuxta Card. in cle.1. q.8.de vsur.& Imo.in ea.cle.num. 55. Quod,nostro iudicio, restringēdum est ad eam,quæ viuit de eisdem bonis vsura adquisitis , quorum dominium in vsurarium nō transiit, qualia sunt pignora frugifera: & ad eā, quæ sumptuosius,quàm eius statum dececat,viuit:non tamē ad eam, quæ solum impendit ea,quæ in eam , eo quòd vxor eius est , & ob dotem allatam impendere tenetur maritus: quia tanto& plus obligatur maritus ad eam sustentandam,quàm ad vsuras restituendum,arg.l. assiduis. qui pot.in pigno.hab. quidquid Silvest. verb.vsura 8.q. 2. & alij dicant. Neque ad hoc necessarium est, quāuis sanctum,eam maritū tempore opportuno ad eas restituendum inducere,& Deum,vt eū conuertat precari.Neque amplius,quàm alia vxor tenetur in prædictorum bonorum custodiam,conseruationem, & amplificationem incūbere. Neque , vt vsurarius res incertas restitutioni obnoxias retineat,& episcopus cum ea, vt de illis tāquam pauper viuere possit dispenset, neque vt sit in extrema necessitate,quidquid Silvest. vbi supra,& alij dicant:quia nullo iure neque vlla ratione,ea esse de necessitate iustitiæ probari potest.Quod ipsum fere dicendum est de vxore alterius cuiuslibet non habētis vltra ea, quæ tenetur soluere, vel restituere , arg.l. illud. ff. ad leg. Aquil.c.dudum 2.de elect. Idē quoque de liberis,qui aliter viuere non possunt:sed non de illis,qui aliis inseruiendo victum quærere possunt, nisi seruitia patri facta id mereātur. quia ad hos sustentādos pater nō tenetur.l.fi qui à liberis. §. sed si filius. ff. de

ff. de lib. agnos. Idem etiam de famulis , qui victus impensam lucrantur,& de filiis, & famulis ignorantibus bona , quibus sustentatur, 170 vsura parta fuisse. Et de merentibus tanta,quanta expendunt,& iustum stipendium adferendo vtilitatem rei famulari,laborando, effodiendo , aut aliquid domi efficiēdo, aut eam administrando , modo ne eandem rem pro vsura solutam in stipendium accipiant. Gab. in 4.lib. sent.dist.15.q.3. Sed non est idem de his, siue filiis,siue famulis, quorum opera,quamuis sit licita,non tamen adfert tātum vtilitatis rei familiari, quantum impensæ. Qualis est corū, qui nō nisi ad comitatum,aut mensam , aut alias res similes seruiunt, iuxta sanctum Bernardinū. Et multo minus, si ad res inutiles, & ad alendos canes,accipitres , &c. Ang. verb.restitutio.1.§.21.

171 Cētesimovigesimo peccat,qui capit dotem a socero vsurario,cuius bona soluendis vsuris, quas debet non sufficiunt , sciens id aut debens scire,quod nostra sententia, intelligitur non solum quando res ipsæ vsura adquisitæ in dotem dantur,& quando dos est extra modum : sed etiam quādo in pecunia, aut in aliis rebus, quarum dominium ad vsurarium trāsfertur moderata , & necessaria datur,quia capit ab eo,qui nec donare, nec dotare sine peccato potest : & quia vxor sine marito illam dotem restituere non potest , si illa vult & maritus repugnat , maritus peccat & non illa , modo statuat mortuo marito,aut quam citius poterit,restituere.Et si maritus vult, & illa non , vxor peccat & non maritus , qui tamen de tali dote participare non debet Et si inter verumque conuenit de non restituendo, vterque in statu damnationis versatur, 172 c.peccatū.de reg.iur.li. 6. Hoc tamen remedio vti possunt, si socer satis habet ad restituendum res certas,& multas incertas debet. Possūt enim petere ab episcopo, vt adiudicet eis non habentibus,quò se sustētent,illa bona dotalia,quæ pauperibus essent restituēda:iuxta dicta supra eo.nu 92. Ang.verb. restitutio.1. §.20.& Silu. verb.vsura.8.q.5.Quod autem diximus,vxorem absque consensu & licētia mariti sui vsuras restituere non posse, intelligitur quādo ex illarum restitutione scādalum sequitur,& nō quando secreto absq; eiusmodi scandalo id faceret, per supradicta eod.cap.num.218.

173 Cētesimo vigesimoprimo peccat socer qui genero suo, cui dederat prædium frugiferū in pignus soluēdæ dotis; mutuat tantum, quantum decet ei pro dote , vt ei relinquat illud ad percipiendum ex eo fructus, quos ille potest percipere. Quia ratio, qua cap.salubriter. de vsur. quo 174 hoc conceditur genero, aut alteri matrimonio coniuncto, non habet locum in eo qui tārundem mutuat ei , eo prædio in pignus accepto:quāuis gener bene possit socero,vel alij qui liberaliter mutuauit, omne ius, quod in pignus habet liberaliter concedere , modo non faciat id principaliter ratione mutui: sed alia iusta , per dicta supra eod. c. nu.203. & quia id nullo iure prohiberur , quod etiam Silvest. ait verb. vsur.3.q.4. Quæ autē sit illa ratio,& ad quas personas extendatur, tradimus

mus noue supra eod.cap. num. 213.

275 Centesimovigesimo secundo peccat iudex, qui vsurario vsuras adiudicat, aut eũ ad eas restituẽdas non cogit, arg. c. post miserabilem. &c. Michael. de vsur. Idem procuratore, & aduocato, qui iuuãt in hoc vsurarium, aut obuiãt restitutionem earum petenti, cum obligatione restituẽdi in solidum, per dicta supra eo.c. a nu.17. Neq; excusantur, quòd scripturæ in superficie iustæ viderentur, si conscientia dictabat, esse factas pro vsuris, iuxta Ostien. in d. c. Michael. vbi hoc nõ ait Innoc. licet eum ad id citer Siluest. Idem de notario publico faciente instrumẽtum simulatum, quod licet formaliter licitum contractum contineat, vere tamen continet vsurarium: vt cũ vere res pignoretur, scribit quod venditur, vel pro centum decem datis, scripsit centum, vel e contrario, ita vt pro contractu iniusto, iustum describat, cum obligatione restituẽdi: nisi principalis restituat, per supra dicta eod.c nu.11. & 12. cum efficaciter socius dãni inferendi fuerit.

276 Quamuis si hoc in fauorem eius, qui mutuum accepit, fecit, quia indigebat; & vsurarius gratis mutua re nolebat, neq; sub vsura cũ scriptura cõtinente apperte illam, restituere non teneretur: licet mortaliter peccaret, & esset excommunicatus, vbi excommunicantur tales contractus simulatos facientes. Sicut nec esset ob scripturã: apertam vsuram continẽtem, quia per eam nec damnum intulit, nec eius causa sufficiẽs fuit, cũ ea & qui accipit, & qui mutuũ dedit æque vti possint: nisi eam faciat in locis vbi ex statuto iniusto, aut iniqua consuetudine, qui mutuũ ad vsuram accipiunt, ad eam soluẽdam compelluntur: quia tunc restituere tenetur per dicta supra & per Siluest. verb. vsura. 7.q.7. Certum est etiam notariũ ad mercedem, quam pro labore scripturæ contractuum vsuriorum accipit restituendam non teneri, quamuis in eo peccet: quia suam mercedem accipiendo non peccat contra iustitiam, quæ solũ imponit necessitatẽ restituẽdi.

277 per dicta supra eo.nu.12. idem de testibus eiusmodi instrumentorũ vsuriorum: quia eiusmodi contractus absque testibus, non valent, Siluest. vbi supra.q.9. Quæ procedũt non solum in teste, & notario sciente, contractum esse vsurarium: sed etiam in dubitante, qui antequam dubietatem exuerit, testificetur, vel facit instrumentum vsurarium, arg. c.3.eccl. & c. dubius. de hæret. & c. si quis mutẽ. de pœn. dist.7. cum late ibi a nobis traditis: quamuis aliquanto minus peccaret, per ea, quæ ibidem nu. 86. scripsimus. Dixi: antequam dubietatem exueret: quia si per opinionem alicuius doctoris sollemnis fulcitam ratione, illam exueret, posse id bona conscientia facere, per dicta ibidem nu.85.

278 Cẽtesimovigesimotertio peccat, qui vsurarius non restituit quod vltra sortem accipit, vel fructus pignoris ei dati perceptos, vel quos percipere potuit. Nec excusat eum, quòd mutuatarius multum eius pecunia lucrifaciat: contra impium Molinæum: quia non ratione lucri mutuarij, sed mutui eas recipit. Quòd si ipse non restituerit, heres eius tenebitur restituere: & si fuerint

rint multi, quisque pro sua parte tenebitur. Et si quis eorum non habet vnde restituat, alius ad id pro suæ hæreditatis parte, quantum feret, obligabitur, c. tua nos. de vsur. Immo & legatarij, & donatarij, & qui gratuito acceperunt aliqua ab vsurario, tenebuntur restituere, si quæ obuenerunt ad heredes nõ sufficiãt, quatenus facti sunt locupletiores, per supradicta. Ad restituendum tamen quod suo nomine pecunia vsuraria emit, non tenetur, iuxta Ioan. Maior. in 4. lib. sent. dist.15. quæst 38. & comm. in c. cum tu. de vsur.

279 Cẽtesimovigesimo quarto peccat sacerdos qui vsurarij manifesti confessionem audit, vel eum absoluit, vel aliquod aliud sacramentum ei ministrat, antequã vsuras quoad potuerit restituat: aut præstet cautionem de restituẽdo cum pignoribus vel fideiussoribus, iis a quibus eas extorsit, si præsentes sunt: alioqui iis, qui eis adquirere possunt. Et si nõ sint tales, Episcopo, aut eius Vicario, aut ipsius proprio parocho, corã personis fide dignis, aut aliquo notario ex ordinarij mandato, ita vt in cautione exprimat veram summam debiti, si scitur: sin autem, arbitrio recipientis moderando. Qui si sciẽter obligationem minorem debito receperit, ad restituẽdum residuum tenebitur. Et vsurario nolenti hoc facere, nemo debet esse testis in testamẽto, nec confessionem eius audire, nec ipse debet in loco sacro sepeliri, & eius testamentum ipso iure est nullum. Si vero pignora, vel fideiussores dare non potest iuret se dare non posse. quæ omnia continet c. quãquam. de vsur. lib. 7. quin etiã

280 is, qui eum in loco sacro sepeliret, nisi prius prædictis præstitis, excommunicatur per cle.1. de sepul. vt infra dicetur. Quòd si vsurarius in periculo mortis est, & vult prædicta præstare: sed non potest a quolibet sacerdote eius cõfessio audiri potest & absolui: & obtenta ab eo facultate episcopo eius promissionẽ declarabit, vt si conualuerit, ipsum: & si moriatur, eius heredes ad restitutionem compellat. arg. c. si quis suadente.17.q.4. & asserit Sila. verb. restitutio.6.q.1. Porro vsurarius manifestus dicitur, qui palã & notorie ad vsuram mutuat: aut suas res ob dilatam solutionẽ carius iusto pretio rigido manifeste vendit. Et non est necesse, vt quibusuis petentibus tribuat, sicut aliqui dicunt: sed quod eius mutuatio, quando fit, sit manifesta. Pan. & Ant. Burgos. in c. ad nostram. de empt. & vend. Neque hoc requiritur: sed satis est postea per sententiam, aut aliàs, illud palam & notorium fiat secundum prædictum Ant. & citatos ab eo, quod iustius

281 videtur. Per sacerdotem vero hoc casu intelligimus non solũ parochum, sed etiam quem confessarium potestatem audiendi sacram confessionem eius legitimam habẽtem. arg. cle. dudum. de sepult. Cetera, qui aliis adquirunt, sunt liberi in patris potestate cõstituti, & serui proprij, aut bona fide possess. §. 1. & 2. inst. per quas perso. nobis adquir. Notarius autem in hoc casu extraneo non adquirit: nisi illud mãdato ordinarij faciat, secundum glos. d.c. quamquam. verb. mandatum. quod intellige, quo ad effectum satisfaciẽdi præcepto ecclesiæ in hoc casu.

nam,

Nam quo adoptios adquireret iis, quibus stipulatur, vt Perus. in d. cap. quamquam. recte declarat.

282 Ctesimouigesimoquinto peccat, qui confert aliquam pecuniam in societatem nauarum volentium ire piscatum in mare longinquum, & non habentium commeatum, & alia in id necessaria, eo pacto, vt tanta sibi lucri pars obueniret, quãta cuius alij nauarum, & vt euentus nauigationis sit illorum periculo: & quòd ex lucro futuro primum prædicta pecunia ei soluatur: & si nullum fieret, vel adeo exiguum, vt non sufficeret ei soluẽdæ, quisque pro sua rata illam soluat. Nautæ vero vacui maneant. arg. gl. memorabilis, & quæ latius ibi Bald. in l. 1. C. pro socio. nu. 6. quem sequitur Ias. in §. sequens. Instit. de actio. num. 46. & eorum, quæ ait vterque Tho. 2. 2. q. 78. art. 4. ad 5. Tum quia, vt ait Bald. in dicto nu. 6. socius qui non est particeps pecuniæ in societatem collatæ, non debet soluere aliquam partem eius in negotiatione perditæ. Et is non communicauit suam pecuniã nautis, cuius iacturæ participes esse voluit. Tũ quia vult esse socius omnium lucri cuẽtuum, at iacturæ non nisi vnius. Tum quia vult, vt tota sua sors principalis sit sibi salua, contra gloss. receptam in l. si fuerit. ff. pro socio.

283 Credimus tamen, cum hanc conditionem adiicere posse, vt casu, quo tota pecunia, siue sors ab eo collata, aut eius pars amitteretur, nautæ soluerent eam partem, quam de ea impenderent in impẽsas, quas domi facerent. Quia quum alius in societatem suã pecuniam, alius suã industriam & laborem confert, qui laborem & industriam confert, non debet de lucro deducere totas sui victus impensas: sed eas solas, quas vltra domesticas faceret, iuxta Bald. in d. l. 1. nu. 9. & licet contrarium vi deatur verius Saliceto, in d. l. 1. & esset verum quando tale pactum non interueniret: non tamẽ esset, quãdo interueniret, quia pactum illud non est iniustum, cum illi nõ obligentur ad sortem soluendam, nisi pro ea parte, quam impendissent in impensas, quas domi fecissent, in quo nulla inæqualitas in hac materia reprobata inuenitur arg. l. sed & si §. quod autem 2. ff. de petit. here. & l. cũ duobus. §. quidã Sagariã, ff. de pro socio.

De vsura circa cambia.

SVMMARIVM.

284 *Mutuum quouis cum pacto, vt mutuans assecuret vsura.*
285 *Mutuum pecuniæ ab vno numerata assecurando eum absque pacto,*
285 *Assecuratio licita & vtilis.*
285 *Vsuras nauticas esse nunc vetitas quo sensu.*
286 *Vsura non est aliquid pro fideiussione accepere.*
286 *Cambium quid, & quid sit siccum: est septuplex.*
286 *Pecunia eadem numerata plus alij valet.*
287 *Permutatio antiquior emptione, & licita etiam in pecunia.*
287 *Pecuniæ finis peculiaris quis: & qui alij septem in quos locari potest pretio, licet non mutuari vel commodari.*
287 *Commutatio omnis æqualem valerem commutaterum requirit.*

287 *Cambium*

287 *Cambium etiam pecuniæ pro pecunia, vtriusque valorem æqualem requirit.*
287 *Permutatur id, quod est, pro eo quod nondum est.*
288 *Cambium primum per officium mutuandi licet, sed non est in vsu.*
288 *Cambium secundum per minutum licet etiam primatiũ, etiam in Hispania.*
288 *Pecunia cur maiori pretio præfixo exponi potest.*
289 *Cambium tertium per litteras licet, quatuor seruatis: & quod merces cambientis incerta.*
290 *Cambium tertium de vno loco ad alium valet, sed non de tempore ad tempus.*
291 *Cambium quartum translationis realis licet.*
291 *Pecunia vt merx est vendibilis, sed non vt est pretium.*
292 *Cambium quintum ratione interesse veri, sed non falsi lucri.*
293 *Cambium sextum per custodiam pecuniarum licet.*
293 *Campsor capit & reddit pecuniam dupliciter re, & chirographo.*
293 *Deponens qui apud campsorem gratis custodientem vsurarius.*
294 *Cambium septimum præsenti pecunia pro absẽte licet, hoc seruato.*
294 *Contractus nominati, & innominati in hoc pares.*
294 *Pecunia vna ellio de causis plus valet quàm alia.*
295 *Pecuniæ pretium auctoritate priuata vt mutuari potest.*
295 *Mutuans pecuniam alicubi, quando plus recipere potest alibi.*
295 *Pecunia præsens tanto plus valet absẽte quãto distãtior, & nu. 296.*
297 *Cãbia vsitata pecuniæ minoris pro maiore vt licea. nu. 298. & 299.*
300 *Bulla Pij V. de Cambiis, & 301.*
302 *Mutuare Regibus sub vsuris vt licitum.*

CEntesimouigesimosexto peccat mortaliter cõtra hoc septimum præceptum, qui quærit lucrum notabile ex cambiis siccis, vel realibus cõtra iura naturalia, diuina, vel humana iusta, exercitis. Pro cuius & aliorum intellectu, inseremus huic ad id opportuno loco summam Cõmentarij c. fin. de vsur. quod est vnũ de quinque prædicto Manuali adiũctis, quorum summam huc pertinentium huius latini opportunis locis inserere in eius præfatione promisimus.

284 Summa igitur prædicti Commentarij huic loco opportuno inserenda est, quòd in primis quinque numeris habetur, quòd principium illius capituli aliter intelligitur a gloss. Ostien. Ioan Andr. & aliis in illud Commentãtibus, aliter a Ioan. Maior. Caiet. Siluest. Med. & Soto in locis ibi citatis, quos ipsemet olim sequutus fueram: & quòd eorũ intellectus nullatenus quadret contextui eius, multis rationibus perspicue monstratur, licet sit verus in se, videlicet, quod mutuare alicui pecuniam traiiciendam per loca periculosa, eo pacto, vt mutuatarius faciat eam assecurare a mutuante, accepto in id aliquo pretio, est pretiũ vsuræ: quia vltra sortẽ quæritur mutuãti obligatio, vt assecuretur ab eo pretio aliquo accepto. Et quòd secũdus intellectus est, quòd mutuãs pecuniam traiiciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretiũ, est cẽsendus vsurarius. Cuius statuendi ratio nona,

&

& germana redditur, per quã monstratur, non fuisse Gregorio animũ reprehendendi assecurationes, quas quottidie in magnam Reipub. vtilitatem fieri videmus: sed neque declarare, quod mutuare cum pacto, vt mutuatarius teneatur facere assecurari per mutuantem, sit vsura: quia hoc indubium erat, & indignum, vt tanta opera declararetur, neque fuisse animum decernendi esse vere peccatum vsuræ, mutuare suscipiendo periculum in se, & assecurãdo pretio iusto ei, qui vere vult pecuniam per loca periculosa traijcere, & vere vult eam sibi assecurari iusto pretio. Quia hoc coram Deo, & in foro conscientiæ licitum est, vt ibidem monstratur: sed fuit animus obuiandi quamplurimis vsuris palliatis, quæ fiebant mutuando cum assecuratione, suscepto pro ea pretio, quamplurimis, qui volentes sibi mutuari, & non inuenientes qui gratis mutuarent, fingebant se velle traiicere pecuniam in alias terras, & velle sibi eam assecurari, addito pretio iusto, quo inuenirent mutuatores. Obuiauit autem inducendo præsumptionẽ iuris, & de iure, qua qui hoc faceret præsumeretur vsurarius: & ita non dixit, eum, qui hoc faceret, esse vsurarium: sed censendũ, hoc est præsumendum esse vsuriũ Quæ prouisio digna fuit sanctitate & eruditione Gregorij IX. & firmatur ratione prædicta, per quam soluũtur argumẽta, per quæ prædicti, & etiam nos olim intellectum communem reliquimus.

285 In num. 6. 7. & 8. habetur, quod confiteri se mutuasse pecunias alteri, earum securitatem deposcenti, quo eas mari, aut aliis periculosis locis transferret: & sine fraude ipse eidem securitatem præstitit pretio, quo ab alio eam accepturus erat, nulla restitutio est prçcipiẽda a confessario. Et quod principio illius c. solum est locus in mutuante pecuniam numeratam, quod multis fundamentis probatur. Et quod illud communiter receptum, vsuras nauticas esse prohibitas per ius Pontificium prædicti cap. intelligendum esse illas veritas quo ad forum exterius, si ob mutuum pecuniç numeratæ accipiãtur: & etiam quo ad interius, si propter pecuniæ aut alterius rei mutuationem sumuntur: sed non si, & quatenus ob solam securitatem præstitam recipiũtur (nulla ratione habita saltẽ principali mutuationis certæ quantitatis) modo non accipiantur maiores, quàm ab alio tertio pro eadem securitate reciperẽtur. quæ est noua, & singularis resolutio. Et quòd errat impius Molinæus in locis ibi citatis, asserens licere mutuanti accipere vsuras à diuite. Quia prædictum c. nanigãti. habet, non licere vsuras accipere ab his, qui traiciunt pecunias in partes vltra marinas causa negotiãdi, quod palam est non fieri à pauperibus. Et quod, quidquid Laurentius dubitet in loco ibi citato, fideiussor potest accipere aliquid pro fideiussione, l. hoc iure. §. 1. ff. de donat. vbi hoc notat Bar. receptus, quũ per supradicta assecurans possit pro securitate aliquid accipere, & fideiussor sit in effectu assecurator, & non capit vi mutui: sed vi fideiussionis, modo cesset fraus, qualis esset, si nollem tibi mutuare, nisi mihi fideiussorem N. præstes, quo cum cõueni, vt pro eo certum quid accipiat inter nos partiẽdum, aut quod liberatus à me à fideiussione, illud mihi tradat: aut nolẽs sine lucro mutare, mitto ad te fratrẽ meũ, aut aliũ, cui pecunias misi, qui tibi eas mutuet, cũ pacto, vt ego pro te fideiubeã, & postea nolo fideiubere, nisi certa aliqua re mihi abs te data, quãuis teneri etiã posset his casibus, non inesse vsura, cũ nihil vi mutui taciti, vel expressi accipiatur: sed solũ vi alterius cõtractus longe differentis ab illo iuste illi appositi.

286 In 9. & 10. nu. continetur, quod cambium proprie est commutatio vnius rei pro alia, & quod diuiditur in cambium pecuniæ numeratæ, & cambium aliarum rerum: quia multis de causis infra expressis, alia pecunia, plus valet vni, quam alia alteri, & è contrario. Et quod cambium, vt à vulgo vsurpatur, est omnis contractus pecuniæ pro pecunia non gratuitus, siue sit permutatio, siue emptio, siue depositũ, siue quiuis alius. Et diuiditur in reale, & siccum. Et quod cambium siccum, iuxta S. Anto. & alios Theologos, ibi citatos est cambium fictum & non verum; & sic accipitur in Extrauag. Pij V. infra ad verbum, nu. 299. relata. Sed Laurentius in dicto Comment. citatus, qui ante omnes de hoc meminit, dicit, cambiũ siccum esse, quo campsor prius dat, quàm accipiat. quod ipsum etiã Sylue. ait in verb. vsura 4. Et quia dat antequam accipiat, dicitur siccum. Reale vero contra, quo campsor prius accipit pecuniam, quã det. Et quod aliæ diuisiones Caiet. Medin. Soti & aliorũ non videntur vtiles. Et quod ex mente omnium potest vtiliter dici, septem esse genera cambiorum. Primum, ratione officij mutuandi, quod non est in vsu. Secundum, per minutum, quo præsens pecunia pro præsenti cõmutatur. Tertium, per litteras. Quartum, per translationem. Quintum, ob interesse. Sextum, pro custodia. Septimum, per commutationem pecuniæ præsentis pro absente.

287 In nu. 11. & tribus seqq. cõtinetur, quòd permutatio est antiquior emptione, quæ cœpit post inuentam pecuniam numeratam, & quod pecunia fuit inuenta, vt esset pretium, quo necessaria vitæ emerentur, & vt rerum venalium esset mẽsura quædam publica. Et quod postea sequuta est permutatio pecuniæ pro pecunia, & ars cambiendi, quæ est ars negotiandi pecuniis vltro citroque dandis, & accipiendis: & quod licet Arist. non sit visa licita: tamen ordinata ad quærendam sustẽtationem, vel alium finem honestum, etiam Christianis, licet, ex mente S. Tho. ibi citati & recepti. Et quod licet primus finis pecuniæ sit emptio & venditio, sunt tamen alij septem secundarij, in quos ea licite vtimur, cambiendo, permutãdo, opes ostentando, ornando, aspectu eius delectando, & iure siue succo eius medicando. Et quod excepto mutuo, & cõmodato, licite præbens eam potest capere pretium pro eius vsu: qui autem mutuat, & fingit se locare in aliquem vsum prædictorum, in quo pro vsu eius aliquid accipiat, peccat coram Deo cordium scrutatore. Et quod in omnibus commertiis, & contractibus iustitiæ commutatiuæ

est seruãda æqualitas, ita quod tanti valeat acceptam, quanti datum: & è contrario, secundum omnes ibi citatos, præsertim Scotum in 4. lib. sent. dist. 15. q. 2. art. 2. Et ita sicut in emptione iusta tanti debet valere merx, quanti pretium pro ea datum, & tanti vsus rei locatæ, quanti pensio pro ea soluenda, & tanti equus dandus pro mula, quanti mula pro equo danda. Et cõsequenter in commutatione & cambio pecuniæ, tanti debet valere danda, quãri accipienda: & quod huic consequens est, quod nullo cambio, in quo pecunia pro pecunia datur, potest accipi aliquid vltra iustum valorem pecuniæ, quam dat ratione cambij, quatenus est permutatio, nisi adiungatur alia iusta ratio accipiendi. Quia si cambium aliarum rerum, quod est naturalius, antiquius, & magis necessarium, non est iustum, nisi seruata æqualitate valoris vtriusq; rei campsæ, à fortiori cambium pecuniæ pro pecunia non erit iustum, non seruata æqualitate valoris, vtriusque pecuniæ. Et quod qui dat nunc pecuniam pro alia maiore post vnum, vel duos, vel plures menses reddenda, iniuste facit per prædicta, quia vult accipere rem maioris valoris pro re minoris, via permutationis. Immo secundum Ostien. ibi citarum admittit vsuram pessimam. & quod non est necesse ad iustitiam permutationis, quod Sylvest. & Sotus ibi citati aiunt, quod res accipienda per permutationem, iam sit in rerum natura, & in dominio eius, cum quo res alia permutatur: quia nullo iure id cauetur: neque vlla ratione probatur: immo contrariũ ostenditur, eo quod res nondum nata emi, vendi, & promitti potest, per ibi citata.

288 In 15. nu. & tribus seqq. continetur, quod prædictum primum cambium per officium licitum est: nam, quidquid aliqui ibi citati dicant, posset constitui à repub. officium mutuandi egentibus cum salario de publico cõstituto: immo & præstituto aliquo paruo lucro reddendo à mutuatariis vltra sortẽ pro labore officiarij instar montiũ pietatis, quod ibi copiosè probatur.

In 19. & 20. nu. continetur, quod iustum est secundum cambium, vocatum vulgo per minutũ, quo quis cambit præsentẽ pecuniam pro præsenti; puta, nummos minoris valoris, pro nummis maioris: vel contra; puta quadrantes pro Iuliis, vel Iulios pro scutis: aut contra, modo fiat ex eo officio à repub. in hoc cum moderato lucro instituto, secundum plerosque omnes. Et quod credimus etiam priuatis licere accipere aliquid exiguũ, minus quam quod campsori assignatur, non sola ratione cambij: sed alicuius interesse singularis, laboris, tædij, impedimenti, & aliorum incommoditatum. Et quod licet legibus Hispaniæ veritum sit, ne quis officium campsoris sibi auctoritate propria sumat, non est tamen speciatim vetitum priuatis, ne cambiant priuatim occurrente occasione sine officij campsoris specie, licet iuste vetari possit ex causis ibi expressis. Et quod habens aliquam monetã, quæ ratione materiæ, vel alicuius singularis interesse pluris saltem sibi valeat, quam publica lege æstimetur, potest illam permut

permutare pro alia, recepto illo pluri, præsertim in foro conscientiæ. Quia quidquid dicat Medina, quãuis illa moneta æstimata sit à republica certo pretio, ad vsum suum principalem, qui est esse pretium, & licet nemo cogi possit ad dandum pro illa maius pretium quam constitutum: propter tamen alium secundarium vsum, & singulare interesse, iuste potest aliquid amplius accipere. quod etiam Sotus affirmat. Et quod hoc cambiũ est iniustum, quoties campsor plus lucri quam sit lege, vel consuetudine statutum recipit, & quoties pecuniam adulterinam, prauam, fractam, aut vsu non receptam compermutanti tradit, aut eum in pretio decipit.

289 In nu. 21. & aliis decem seqq. cõtinetur, quod tertium cambium, vocatum per litteras est iniustum, & reipub. necessariũ: quia per illud virtualiter transfertur pecunia de vno loco in alium, quamlibet remotum, virtute litterarũ, quibus efficit campsor, vt tradatur tãta pecunia in alio loco, quãta ei datur, in quo ipse dat litteras, & aliquid amplius pro iusta mercede. Et quod dicitur cambium per litteras, quia cõmuniter fit per eas: quamuis etiam fieri possit per nuntium, vel per ipsum campsorem. Et quod ad iustitiam requiritur. Primò, vt seruetur æqualitas valoris inter pecuniam datam, & accipiendam. Quia in omnibus cõtractibus tam nominatis, quàm innominatis, seruanda est æqualitas rerum commutatarum, iuxta prædictam omnium, præsertim Scoti, sententiam.

Secundò, quòd campsor nõ accipiat plus iusta mercede: & quod illa non crescit ex eo solo, quod tardius sit accipienda pecunia virtute litterarum, vel eo quod à principio, nõ traditur ei pecunia, vel pars eius sed expectat solutionem vsque ad tempus, quo certum fiat litteris satisfactum esse: neq; decrescit ex eo, quod tota pecunia statim soluatur, vel intra breuius tẽpus solito, quia per dicta supra eo. cap. nu. 228. propter anticipationem, vel dilationem solutionis, iustum rei pretium nec augetur, nec minuitur.

290 Quare qui minoris cambiũt, accepta præsenti pecunia per litteras, quas vocant cambij, quam dilata solutione per litteras, quas vocãt crediti, non possunt excusari, si iustum summum pretiũ mercedis excedant, quamuis intra latitudinem iusti pretij pluris cambire possint, dilata solutione, quam statim facta, per dicta eod. num. 259. & infra c. 23. nu. 78. Excusari, inquam, nõ possunt ratione mercedis huiusmodi cambij, licet ratione interesse veri aliquando forte excusari possint, iuxta infra dicenda. Et quod tertio requiritur, quod campsor, qui dat pecunias soluẽdas in aliis quamlibet remotis locis, sciat vel probabiliter credat, quod persona, cui eas dat habeat pecunias, vel fidem, & voluntatem satisfaciendi litteris, quas de soluendis illis sibi tradit, quod satis probat prædicta Extrauag. relata infra, nu. 299. Et quod alioqui vsuram iniquam admittit, & iniquiorem si eas tradit cum pacto, quod si non soluantur intra tres mẽses ibi campsori ab eis, ad quos remittitur solutio, soluatur intra sex menses Romæ cum lucro cambij, quo ibi erat

soluendo, & luco recambij Romæ soluēdo. Addo nunc quarto esse necessariū, vt locus in quo est soluenda pecunia, longe differt à loco, in quo dantur litteræ. Alioqui enim esset cambium de tempore ad tempus, quod non licet, & non de loco ad locum, quod licet, vt ex eo Comment. nu. 67. colligitur, & satis probatur prædicta Extrauag.

Et quod attento solo iure naturali & diuino, æque iuste potest fieri hoc cambium per litteras de ciuitate vnius Regni ad aliam eiusdem, sicut ad aliam alterius Regni: quod & Sotus sibi contrarius in locis ibi citatis tenet: quamuis in aliquot Regnis iure humano id prohibeatur ad tollendas palliatas vsuras, inducendo præsumptionem earum: quod tamen cessante fraude & fictione nō ligaret in foro cōscientiæ. arg. c. tua. & c. is qui. desponſ. & ibi notat. modo tanto minus lucri acciperet campsor, quanto minus interuallum inter vtramque ciuitatē interiaceret, quod multis rationibus ibi probatur. Immo & concluditur, quod iura illa particularia humana quantum prosunt vno respectu, tantū obsunt altero. Et quod prædicta iura particularia deberent restringi ad cambia, in quibus campsor dat pecuniam in vno loco, & accipit litteras de soluendo ei illam in alio: & non extendi ad illa, in quibus campsor prius recipit: quia per illa solet frequenter vsura palliari: per hæc autem non; immo multum cōmodari habentibus necessitatem transferendi pecuniam suam secure in aliū locum. Et quod laudanda fuit lex bo. me. Caroli V. qui prescripsit pretium moderatum, quo campsores suorum Regnorum cambirēt: quæ tamen, iuxta id, quod ibi præsagiuimus, non fuit vsu recepta: quamquam nihil aliud per eam fi bat, quā reductio mercedis cambientium ad quantitatem, in qua nos eam cognouimus etiam post annum 1530. quando trāslatio vnius ducati Salmantica Romam fiebat minoris grosso siue dimidiato Regali: quæ tamen nunc constat tribus fere Iuliis, siue Regalibus: & contra, Roma Salmanticam fiebat vno Carolino, siue tribus quartis Iulij siue Regalis, & nunc constat fere quattuor Iuliis. quæ caristia nescio qua iustitia coram Deo defendi possit.

291 In nu. 31. & duobus seqq. continetur, quod licitum est quartum cambium, per trāslationem realem, quod fit prius emendo, vendendo, permutando, aut per alium contractum innominatum, quærendo pecuniam valētem minoris in aliqua prouincia, quàm in alia: eo quòd ibi non recipitur, vel eius materia non tanti ibi, quanti alibi æstimatur: aut quia est deformata, fracta, rasa, resecta, aut iniusti ponderis, & postea realiter transferendo in alium, vbi aliquo respectu pluris valet. Et quod pecunia emi, & vendi potest, quidquid aliqui dicant cum Soto, qui licet neget, eam emi posse, concedit tamen posse permutari, non solum tamquam simplex metallum, sed etiam tamquam monetam, quæ octo rationibus, pluris, vel minoris iusto pretio lege & statuto valere potest. Quæque considerata, vt quædam merx, est res vendibilis, &, vt Sotus ait, campsibilis, licet non considerata vt pretium.

292 In nu. 34. & seqq. continetur, quod licitum est quintū cambium, quo campsor recipit aliquid vltra sortem veri interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, quod incurrit campsor cessando ob id ab alio iusto cambio, vel mercimonio, vt proximi necessitati cambiendo succurrat eum pacto soluēdi ei, tantum, quantum fuisset aliter lucraturus: quia & mutuare sic liceret per dicta supra eod. cap. num. 239. Dixi: Cessando: quia secus esset, si non cessaret, vt mercator, qui quamuis mutuauerit vnam pecuniam, mercatur alia tantum, quantum mercaretur, si non mutuasset illam. Quibus addo nūc, Pium V. per extrauag. infra transcriptam statuisse, ne à principio certum interesse præfigi possit in cambiis.

293 In nu. 36. & quattuor seqq. continetur, quod licitum est etiā sextū cambium, quo quis lucratur ob custodiam pecuniarum, vt lucrantur argentarij, siue bancharij auctoritate publica constituti ad custodiendas pecunias, quas iudices iubent apud eos deponi; quæque alij singuli deponunt, ea lege, vt habeant eas paratas ad reddendum, simul ac petitæ fuerint, habeantque librum rationum depositarū & redditarum, salua iusta mercede pro tempore, quo penes eos fuerint: quia huiusmodi officium est vtile reipub. & dignum salario publico, ve priuato. Et quod etiam auctoritate priuata fieri potest, vt aliquis habeat custodiam pecuniarum taliū, vel talium personarū volentium prædicta lege, siue pacto apud eos suas pecunias deponere: quia id in effectu est contractus locationis ex parte campsoris, vel depositarij, & conductionis ex parte deponentium, quæ iustum esse clamant omnes tituli, de locat. & conduct. Et quod duobus modis fit depositio pecuniæ apud campsorem; scilicet numeratione, & traditione chirographorū acceptatorum ab eis pro pecunia numerata. Et q duobus etiam modis fit redditio; scilicet numerādo, & tradendo chirographos, quibus rogat aliū campsorem, vt pro eo numeret. Et quod non est verum id, quod Sotus, & aliqui mercatores dicunt, in Hispania campsori deberi quinque de mille cum redditur in numero, cuicumq; reddatur, & cum per chirographum nihil. Tum quia nulla talis lex est. Tum quia contra omnia iura est, q alius à deponente ei teneatur soluere præfata quinque, que deponens debet ob custodiam & prædictas rationes campsorū. Quæ quidem allegatio licet esset iustissima, mihi tamen aliquādo capienti pecuniam virtute chirographi è lōginquo remissam parū profuit. Et quod nulla certa merces videtur esse præstituta prædictis campsoribus pro prædicta custodia, & opera iure cōmuni, neq; particulari saltem Hispano: & ideo, cessante cōuentione, definienda est boni viri arbitrio, pēsatis pensandis. Quamquā video, quod in vrbe non solū non soluitur propter hoc bancharis: sed etiam habetur & agitur ab eis gratia deponentibus eo quod lucrantur vtendo pecunia depositā in cambiendo & negotiādo. Immo in aliquibus partibus Hispaniarum

& Galliarum, etiam gratia refertur reddendo 6. vel 7 pro centum in anno. Licet certum sit, hos postremos vsuram committere, si ex pacto expresso, vel tacito ea accipiũt, & illos primos, si ex pacto custodiunt gratis pecunias depositas, & facultatem vtendi pecunia accipiunt pro salario custodiæ sibi aliàs debito, ea lege vt parati sint eas reddere simul ac petuntur, & vtrosque obligatos esse soluere iustam mercedem, nisi post custoditam pecuniam, gratis ea condonetur. Quia, vt dictum est supra eo. cap. nu. 180. pecunia deposita facta facultate depositario illa vtendi, mutuata censetur. Et ideo quidquid ob eius vsum vltra sortem ex pacto expresso, vel tacito accipitur, vsura est. Dixi: Post custodiam: quia donatio antea facta vim pacti vsurarij haberet, vt ex se patet.

294 In nu. 41. & 11. seqq. continetur, quòd etiam est licitum septimum cambium, quod fit per commutationem præsentis pecuniæ pro absente: & quòd nil refert quo ad hoc, an commutatio fiat per emptionẽ, quæ est contractus nominatus: aut per permutationem, vel per contractus, do, vt des, vel facio, vt des, &c. qui sunt innominati: quia licet contractus nominati ab innominatis differant quo ad aliqua: quo ad hoc tamen non differunt, vt dictum est supra eo. nu. 287. Quia sicut emptio & venditio redduntur iniustæ ex inæqualitate valoris mercis & pretij, & ex augmento pretij ob dilationẽ solutionis, & diminutionẽ eiusdem propter anticipationem solutionis, ita etiam permutatio & contractus do, vt des, & alij innominati. Et quòd ex hoc infertur nil referre, an contractus quo campsor dat, vel accipit pecuniam in vno loco, vt det, vel accipiat eandem cum lucro in alio, appelletur emptio, vel venditio, vt Caiet. ait, aut permutatio, vt Sotus & aliquot alij, aut do vt des, aut do, vt facias dare, vel facio dare, vt des &c. quod iuri propius videtur. eadem enim mensura iustitia eius, quocunque nomine appelletur, metiẽda est. Et quòd, vt dictum est, secundum sanctum Tho. & receptam sententiam, pecunia etiam, quatenus pecunia est, commutari potest, & ex eius commutatione negotiando lucrum quæri. Et quòd octo possunt esse in causa, quare vna moneta potest valere pluris, vel minoris, quàm alia. Primum diuersitas metalli. Secundum, diuersitas bonitatis eiusdem metalli. Tertiũ, diuersitas formæ, & ponderis. Quartum, diuersitas locorum. Quintum, reprobatio totalis, vel partialis. Sextũ, temporis diuersitas. Septimũ, copia, vel defectus. Octauũ, absentia vel præsentia. Et quòd vna pecunia numquam valet pluris vel minoris ex eo, quod citius vel tardius danda, vel accipienda sit: in quo grauiter multi mercatores & mutuantes errasse videntur. Et quòd qui centum ducatos mutuat ad annum, si intra illud crescat eorum valor auctoritate publica, debent solui eidem totidem in fine anni, si eos eousque erat seruaturus, vel mutuauit cum pacto, vt redderẽtur ei centum alij, eiusdem metalli, & formæ, siue maioris siue minoris in fine anni valerent, quidquid Sotus, cui respondetur ibi, scribat. Immo, & si non erat seruaturus eos, neque fecit prædi

prædictum pactum, sed simpliciter mutuauit illos aureos in auro, secũdum Bar. communiter receptum. Et quòd sicut quælibet alia merx plus valet, vbi est inopia eius, quã copia ita nummus aureus pluris valet, vbi est magna inopia auri: & argenteus vbi est magna inopia argenti: quia pecunia, vt prędiximus, quædã merx est. Pro quo vltra alia citamus legẽ in hoc singularem, quæ 4. est. ff. de eo quod certo loco.

295 In nu. 63. & 14. seqq. continetur, quòd non obstat prędictis, quòd auctoritate publica constitutũ est pretium monetæ publicæ, quòd non potest mutari priuata, nequequòd aurei non valeant plures Iulios, vel Regales tempore inopiæ eorum, quàm copiæ: quia id est verum eo respectu, quo est pretium, & quo ad effectum cogẽdi quem ad accipiendum eos pro pluri: non tamen eo respectu, quo sunt merx, & cãpsibiles, siue cõmutabiles, & quo ad effectũ vendendi volenti eos quærere, præsertim data eorum penuria. quod in vrbe passim factitatur. Nam, vt audio à fide dignis, licet pretium scuti aurei statutum expresse à Principe sint vndecim Iulij, & tacite per consuetudinem ascenderit ad vndecim cum dimidiato, tamẽ propter penuriam solet commutari cũ quærente scuta aurea in auro, addito vno duobus, vel tribus obolis, siue baiochis: licet nemo cogatur illo pretio accipere. Et quòd pretium pecuniæ in nundinis augetur ob multitudinem volentium accipere per viam cãbij, & ob paucitatem volentium cambire: & e cõtrario, minuitur ob paucitatem volentium capere, & multitudinem volentium dare. Idem tamen limitandum esse ad multitudinem volentiũ dare, vel accipere per viam cambij liciti, sicuti aliarũ mercium valor crescit per multitudinem volentium eas iuste emere, non autem per multitudinem volentium eas rapere vel furari. Et quòd ducatus pluris valet in Lusitania, quam in Castella, & quod Marapetini Castellæ æquantur Reais Lusitaniæ. Et consequenter, quòd mutuans centũ ducatos in Lusitania iuste capere potest aliquid vltra centũ in Castella; & e contrario mutuans centum in Castella, iniuste accipit centum integros in Lusitania, si alia ratio accipiendi, quàm mutui non interueniat. Et idem dicendum de aliis locis, in quorum altero minoris, vel pluris valet, quam in altero. Et sic qui mutuat centum ducatos in Hispania noua, non potest capere totidem integros in veteri, nec in Italia, & minus in Gallia, & Flandria: & quòd pecunia præsens pluris valet ex se, quàm absens præsenti ceteris paribus, eo quòd ex se requirit laborem, impensam, & periculum in traducendo, secundum Cald. quod auctoritate Caiet. Siluc. & Med. & rationibus firmis contra Sotum probamus, licet per accidens cõtingat, vt sine labore & impensa ementis possit deferri absens: quia satis est, quod ex se sine illis fieri non possit. Et cõsequenter, quòd recte cõsuluit Cald. in cõs. 11. de vsur. iusta fuisse emptionem, qua quidam Genuæ centũ ducatis præsentibus emit centum, & sex existentes in Alexãdria. Et quòd eadẽ ratione sola lege naturali, & diuina attenta, posset quis iuste emere

centum ducatis præsentibus Medinæ, centum & unum existentes Hispali, quamuis sint ciuitates eiusdem Regni Castellæ. Et quòd tato minoris potest emi absens, quanto maior est distantia. Et consequenter, quod aliquando absentia efficit, quod ducatus absens valens pluris in loco suo, quã præsens in loco suo, æqualis pretij sit in loco præsenti minoris valoris, & aliquando minoris, & aliquando maioris, iuxta distantiam locorum maiorem vel minorem vtriusque, & iuxta differentiam maiorem valoris vnius, & valoris alterius: cuius exempla ibi ponũtur. An autem sicut absentia pecuniæ minuit eius valorem, ita & præstatio eius absentis, & futura post annũ, vel aliud tempus maius, vel minus futura minuat valorem eius, ita quod præstatio eius presens valeat plus, quàm illa, magnæ quæstionis videtur. Ad quam faciunt adducta supra ad probandum quod debitum post aliquot tẽpus potest emi iuste pretio minore præsenti supra eo. cap. nu. 230.

296 In nu. 68. & seqq. quod in principalibus emporiis Hispaniæ, Galliæ, & Belgij habẽtur tres, vel quatuor nundinæ certis temporis interuallis distinctæ. Et quod sunt aliqui, qui habent magnam quantitatem pecuniarum, quibus nullas merces emunt: sed in fine prædictarum nundinarum tradunt eas iisdem, quibus antea, vel aliis volentibus eas accipere soluendas in nundinis in aliis ciuitatibus eiusdem, vel aliorum Regnorum proxime futuris, cum aliquo certo, vel incerto lucro, & in fine aliarum nundinarum recipiunt illam quantitatem cum illo lucro per se, vel per suos institores siue auctores: & statim tradunt eas aliis, vel eisdem soluendas in nundinis, vel aliis terminis statis alterius ciuitatis, & in fine illorum faciunt, quod in proxime præteritis. Et ita non solum conseruant suam pecuniam, sed etiam eius lucro viuunt & ditantur. Et quòd non absre dubitatur, an hoc genus cambij liceat. Quibus nunc addo, esse huic dubio simile illud in cuius solutione substituimus ante aliquot menses D. Emanuel à Sa. Doctor doctissimus iuxta ac piissimus, magnũ Illustrissimi ordinis Societatis Iesu ornamentum & ego, interrogati à quodam Reuerendissimo animarum salutis suæ gentis sitienti episcopo, An sit licitum illud genus cambiendi, quo tota Italia hodie formaliter, & reliquum orbis virtualiter vtitur, vti dicitur? Nempe quòd multi habentes pecuniam numeratam, & nolentes, vel non potentes vti arte mercandi, nec emere prædia, quorum reditu se sustentẽt, vruntur arte campsoria in hunc modum. Quod Genuæ, vel alio in loco Italiæ, dant pro scuto Marchæ, quod valet Lugduni 67. .... soluendæ ibi in proximis, nundinis 65. vel 66. plus vel minus, prout fuerit prolixius, vel breuius tempus inter dationem & solutionem: nũquam tamen dant 67. quia tunc nihil lucrarentur, & accipiunt ab his, quibus dant pecuniam, litteras, ad quosdam tertios, qui illa scuta in illis soluant sibi, vel actoribus suis, qui rursus dant illa scuta sibi soluta eisdem, vel aliis, soluẽda Genuæ, vel alibi in terminis ad id solitis, cum auctario certo, vel incerto determinando à deputatis in id: & mox illa scuta soluta cum auctario prædicto, dant eisdem, vel aliis soluenda in aliis nundinis proximis Lugduni, dando, vt prædictum est 65. vel 66. &c. pro scuto Marchæ: & ita continuo tua cambia renouãtes suas pecunias augent. Vtriusque dubij similitudo colligitur ex eo, quod in vtroque genere cambij campsor dat pecuniam alibi, & alio tempore soluẽdam cum aliquo auctario certo, vel incerto. Et quia vtriusque resolutio est perneccssaria omnibus omnium fere negotiatorum totius orbis Christ. cõfessariis eam faciam diuina ope, quàm breuissimam.

Pro parte negatiua facit, quod hi videntur in effectu mutuare, & accipere aliquid vltra sortẽ propter dilationem temporis, quod est vsura, cap. in ciuitate. de vsur. cum ciuitatis supra eo. nu. 210.

Pro affirmatiua vero facit, quòd infinitus est numerus Christianorũ honestorum, qui hac arte viuũt. Nã non solum mercatores & campsores, qui eam palã exercent: sed quãplurimi alij diuites, infimates, mediocres, & summates, etiam ecclesiastici, vruntur ea, deponendo, seu commendando suas pecunias campsoribus, vel mercatoribus prædicto modo negotiantibus cum pacto, vel intentione principali, vt eis cedant partes incertæ vel certæ lucri incerti pro quantitatibus à se commẽdatis: qui omnes cõfitentur, absoluuntur, & communicant quotannis: & temerarium videtur, eos omnes, & eorum confessarios damnare. Facit item, quòd vt ait Cald. in d. consi. sine huiusmodi cambiis omnia cõmercia cum extraneis Regnis cessarent, & propria pauperiora fierent.

297 Pro resolutione igitur eorum dico. Primo, non posse illa defendi, nisi per reductionem adaliquam septem specierum cambij supradictarum, & quod non possunt reduci ad primam, neque ad secundam, neque ad quartam, neque ad sextam, vt palam est id perpendere volenti. Secundo, quod nullatenus possunt illa defendi, quatenus eo maius auctarium accipiunt, quo plus temporis interiacet inter dationem & solutionem, nisi ratione veri interesse: quia id lucrifit ratione dilationis tẽporis ad soluendum, quod nullatenus licet, vt prædictum est supra eo. cap. nu. 210. Tertio, dico quod possunt saluari reducendo ad tertium & quintum, modo pecunia, quæ datur in cambium alibi soluenda sit destinata mercaturæ, vel rebus frugiferis emendis, ita quod causa principalis, quare cessatur ab illis, sit illius datio ad cambium: modo item seruentur illa, quæ in illis seruanda esse supra diximus, & prædicta Extrauagans requirit. Quarto, dico quod etiam defendi possunt, quatenus reduci possunt ad septimũ, quo pecunia absens maior emitur, vel commutatur præsenti minori, vel datur pro ea. Quia vt supra, nu. 292. dictum est, pecunia absens suapte natura minus valet, quàm presens eam vendenti cõmutanti, vel aliàs danti. Oportet autem, quod in eis seruentur illa, quæ in illa specie cambij seruanda esse diximus, & consequẽter aduertant, an eadem pecunia in eo loco distanti valeat pluris, quàm in præsenti, & collato illo pluri cum

minori, quo propter absentiam valet, reducant ad æqualitatem, quæ, vt prædictum est supra eo nu. 277. in omni commutatione, quocunque nomine censeatur, lege ipsa naturali & diuina requiritur. Quare si eadem pecunia pluris valet Lugduni, quàm Metinæ, carius debet emi Metinæ, quàm eadem pecunia existens Metinæ emenda esset Lugduni, & è contrario. Quo forte iustificantur cambia illa, quæ passim fiunt à Metina Vlyssipponem, & Vlyssippone Metinam: licet enim tam distet Vlyssippo à Metina, quàm Metina ab Vlyssippone: longe tamen minoris emitur Metinæ ducatus existens Vlyssippone, quàm ducatus existēs Metinæ ematur Vlyssippone: quia idem ducatus pluris valet Vlyssippone, quàm Metinę.

298 Aduertant item, quod sicut necessarium est ad iustificandum emptionem, commutationem, vel dationem, vt sit actualiter, vel virtualiter vera merx venditoris, quæ ematur vel commutetur, vt præsupponunt l. 1. & 2 ff. de contrahen. emptio. & §. pretium. cum seq. Insti. eo. ita etiam oportet ad iustificationem huiusmodi cambij per reductionem ad septimum, vt accipiēs pecuniam præsentem, & vendens, vel commutans pro illa absentem, habeat illam in loco solutionis saltem virtualiter, & quod dans præsentem, vere velit illam absentem emere, vel cum illa commutare: alioqui esset ficta emptio & mutuum palliatum, & consequenter vsurarium & illicitum per dicta supra eod. cap. nume. 219.

289 Dixi: Saltem virtualiter, quia sufficit quod habeat eam sub credito, ita quod certo sciat, vel saltem probabiliter credat, quod tradet eā is, ad quam destinantur litteræ. Aduertant etiam, quod sicut emens rem aliam absentem minoris, quàm valeat communi æstimatione notabiliter, etiam detracto eo quo minus valet propter absentiam, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ illius partis notabilis, quæ ad iustum pretium requiritur. Ita etiam campsor, qui præsenti pecunia emit absentem, notabiliter minoris, quàm valeat communi æstimatione propter illam absentiam, etiam detracto quo minoris valet propter absentiam, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem illius partis notabilis, quæ ad iustum pretium requiritur. Et consequenter, qui cambiens dat pecuniam minoris valoris, pro pecunia maioris valoris soluenda alio loco ei, qui nec realiter, nec credito eam ibi habet, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, quia virtualiter vsuram committit. Nec ad excusationem sufficit, quod ignoret, eum illam habere, vel non habere: sed oportet, vt sciat, probabiliter credat eam habere: quia ignorantia etiam facti eius, quod oportet scire non excusat. l. quæst. 4. §. notandum. qualis est hæc. arg. cap. innotuit. cum gloss. de elect.

Quinto, quod tam in his duobus generibus cambiendi, quam in aliis debent seruari contenta in extrauagante Pij V. quæ sic habet.

Pius

Pius Episcopus seruus seruorū Dei, ad perpetuam rei memoriam.

300 *IN eā pro nostro pastorali officio curam diligēter incumbimus, & infra. Primū igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca, ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem suas cambij tradunt: sed non mittuntur, vel ita mittuntur vt transacto tempore vnde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi literis traditis pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes & recipientes vsque a principio ita conuenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis aut locis supradictis huiusmodi literis receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ sine depositi, sine alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea eedem in loco vel alibi cum lucro restituantur, sed, & in ipsis cambiis, quæ re alia appellantur, interdum (vt ad nos perfertur,) campsores præstitutum solutionis terminum lucro exacta, vel expressa conditione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus.*

Porro, ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, siue a principio, siue alias, certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci, neque realia cambia, aliter quàm pro primis nundinis vbi illa celebrantur. Vbi vero non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorum vsum exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis siue terminis exercendis. Curandum autem erit, in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne, dum longiores præsiguntur quàm loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnat. Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo Kal. Feb. Pont. nostrō anno sexto.

301 Nota primò ex hac Extrauag. id, quod dixi supra nu. 286. scilicet, sola & omnia cābia ficta & simulata hic appellari sicca: & omnia & sola vera realia, quod colligitur ex verb. sicca, adiuncto verbo, & ita fiūgūtur, & verb. realia, & toto orationis contextu: & ita nō dānat omnia cambia, in quibus cāpsor dat prius, quàm accipiat, licet omnia illa appellentur sicca, secundum Laurentium supra relatum in nu. 294.

Nota secundò ex verbo vt contrahentes, &c. ad iustitiam cambij per litteras requiri illud tertium, & quartum quæ supra, nu. 285. & 297. diximus esse necessaria, videlicet, quod campsor sciat, vel probabiliter credat, eum cui dat pecunias posse soluere vbi promittit, & quòd litteræ dentur ad alium locum distantem.

Nota tertiò, quòd est vsura nomine cambij personata illud lucrum quod capiunt campsores nomine cambij, vel recambij a debitoribus propter dilationem, quā concedunt eis vsque ad proximas nundinas, quod

quod etiam probat cap. consuluit. de vsur. Sed non adeo clare, quod est limitandum saltem quo ad forum conscientiæ, quando pro vero interesse id caperet, per proxime dicta, num. 297. & prius supra eod. cap num. 259.

Nota quartò, quod licet iure communi licuisset ante hanc Extrauag. conuenire a principio, vel postea ante terminum solutionis super interesse verisimili, vt certum quid solueretur, adeo quod dixit Med. in C. de restitut. fol. 132. soluendum esse interesse virisimile, conuentum a principio, licet in fine appareat nullum futurum fuisse. Cui consentit Sotus lib. 6. quæst. 1. artic. 3. de iust. & iur. Post eam tamen non licet in hac materia cambiorum, licet in aliis sic, quum a iure antiquo non recedatur plusquam exprimitur. l. præcipimus. C. de appel. quod tamen limitandum est quo ad forum conscientiæ, quando certificatio esset æqua coram Deo: quia hęc lex, vt ex ea patet, fundatur quo ad hoc in præsumptione. cui non est locus in illo foro. cap tua. & cap. is qui. de sponsi. cum eis adnotat. An autem idem sit in mutuo, quod in cambiis, dubitari posset, & disputando vtraque pars defendi. Sed quia hæc lex in hoc est exorbitans a iure communi, iustior videtur pars negatiua.

Nota quintò, quòd non possunt exerceri cambia, nisi quo ad proximas nundinas, vel proximos terminos ad soluendum cambia præfigi consuetos: quod tamen arbitror limitandum esse quo ad effectum carius cambiendi ad secundas, vel tertias nundinas, quàm ad proximas. Non enim videtur Pius prohibere, ne maior dilatio detur debitori sine vllo maiori campsoris lucro arg. l. quod fauore. C. de leg. & cap. quod ob gratiam de reg iur. lib 6.

Nota sextò, quòd per hæc solui potest quæstio quotidiana, quam sæpe in vrbe fuimus interrogati: An liceat vni Hispano dare alteri Romæ centum scuta pro centũ soluendis ab eo in Hispania cum aliquo augmento? Ad quam breuiter respondemus, primò, quod non per viam interesse lucri cessantis, si non habebat illa destinata ad mercandum, vel ad emendum aliquid frugiferum: quia nullum verum tale interesse prætendere potest, per proxime dicta, num. 297. Secundo, quòd non potest etiam per viam emptionis, & commutationis rei præsentis cum re absente, si ille nec formaliter nec virtualiter habet illa in Hispania, per supradicta eod. nu. 297. Tertiò, quòd potest per viam emptionis vel commutationis rei præsentis cum absente, si alter vere habet illa scuta, quæ vendit in Hispania formaliter, vel virtualiter in reditibus beneficij, vel aliorum bonorum, vel in tali credito, quod probabiliter creditur per litteras eius destinatas ad aliquem cognatum, vel amicum tradenda esse ea ibi, per supradicta, eodem num. 297. Idque duplici ratione. Prima ratione absentiæ, ob quam valet minus. Secunda ratione valoris: quia plus valent hic centum, quàm ibi totidem. Quartò, quòd licet etiam per viam mutui, præsupposito quòd eadem pecunia valet hic plus, quàm ibi, immo & si non valeret plus facta facultate

facultate mutuatario soluendi in vrbe, aut si malit in partibus cum cambio, quo traductio illorum in vrbem constabit, quia hoc casu nil videtur capi vltra sortem, nisi ad summum interesse damni emergentis, præsertim, si qui dat, eget illis, vel putatur eis opus habiturus in vrbe.

Non obstat decisio illa S. Anton. 2 part. tit. 1. cap. 7. §. 30. quòd vsuram committit, qui campsor Romæ dat alteri centum ad agendum sua negotia soluenda Parisiis intra octo menses cum auctario quinque vel octo, quem sequitur Silvestr. verb. vsura. 4. quæst. 13. & Gregorius Lopez l. 31. 5. part. tit. 11. Tum quia loquitur de mutuante, vel de illo, qui sola ratione dilationis datæ ad soluẽdum accipit aliquid vltra sortem, quod colligitur ex dilatione octo mensium, & ex eo, quod eadem pecunia plus valet Parisiis, quàm Romæ, quòd numquam licet per c. in ciuitate. de vsur. & cap. ad nostrã audientiam. de empt. Supradicta verò procedunt in illis, qui alia ratione, quàm mutui, vel dilationis accipiunt plus: puta ratione emptionis rei, quæ minus valet ob absentiam, vel ob locum, in quo est, vel ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.

Nota octauò quòd id, quòd vulgo dicitur, scuta & ducatos, quibus vtuntur mercatores & campsores in nundinis cambiendo, esse maioris pretij & diuersos ab illis, quibus vtuntur in emendis rebus necessariis & mercibus, non est intelligendum, quod ipsi mercatores augent, vel minuunt pretium eorum, vel quod apud eos pluris valent: sed quòd ducatus vel scutum cum auctario, quod soluendum est pro eo alio remittẽdo, vel aliunde remisso valet pluris: & quòd quantum debeat esse illud auctarium arbitrantur ipsi tamquam boni viri, & in arte periti, attenta varia variorum locorum distãtia, & maiore copia vel penuria pecuniæ campsibilis & merito: quia res indifinitæ arbitrio boni viri sunt finiendæ, l. 1. ff. de iure delib. cap. de causis. de offic. deleg. Vnde non omnes ducati cum auctario suo, quibus vtuntur in cambiendo sunt eiusdem pretij, sed varij, & maioris, & minoris iuxta varietatem locorum, ac quæ, vel vnde remittuntur soluendi: & ita non sunt damnandi, tãquam fictitij, vt aliqui, quos in prædicto Comment. sequuti fuimus, damnant.

303 Defendere autem illos, qui mutuant sub vsuris regibus, &c. aliquo modo eos cogentibus, non videtur facile. Tum quia id iure naturali est peccatum, vt dictum est supra, num. 211 quale ob nulla mala vitanda admittẽdum est, c. itane. &c. tolerabilius. 32. q. 5. Tum quia pro nulla re licet mentiri. gloss. iuncto textu recepto in cap. si aliquid. 22. q. 4 & mentiri. & ad vsuram dare pari ficari videntur in cap. super eod. de vsur. Tum quia saltem multi eorum ratione interesse non possunt illas accipere: quia pecuniam, quam mutuant non habent paratam ad exercendam mercaturam, nec ad predia, & census emendos, vt satis definit Sotus lib. 6. quæst. 1. artic. 3. de iust. & iure. Tum quia ratione cambij non videtur posse accipere: quia non

est

est licitum cambire cum lucro in loco ad eundem, neque in nundinas secundas, vel tertias per prædicta: & Reges capiunt mutuum non soluendũ vere in locis extra sua dominia sitis, licet fingant illud in suis litteris: & omnia cambia ficta reprobãtur. Tum quia, vt audio, capiunt illas pecunias cum promissione soluendi auctarium ad rationem 5. 8. aut 10. pro 100. in anno, quod ad nullum genus cambij liciti reducitur. Tum denique quia difficile est reducere huiusmodi lucrum ad lucrum cambij septimæ speciei, & ad nullum aliud iustum potest reduci. Quare consulendum videtur viris pecuniosis non exercẽtibus mercaturam, neque intendentibus emere prædia, vel census etiam, si non mutuarent, vt sine vllo temporali auctario gratis principaliter mutuent suas pecunias prædictis Regibus pro spirituali virtutis & meriti, sperãtes minus principaliter aliquam remunerationem antidora lem: aut certe emant ad eis census iusto pretio cum pacto redimendi constitutos super reditibus publicis illarũ, vel illarum ciuitatum, vel statuũ: habentibus vero pecunias destinatas ad lucra prædicta mutuẽt sub interesse verisimili lucri cessantis.

De octauo præcepto Decalogi,
Non sis falsus testis.
Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum octauũ quid principaliter, & quod secundariò prohibeat.*
2 *Testans ignoriũ esse verum, vt peccat.*
3 *Peccatum verborum sex tuplex, & præcipue ex intentione indicandi. & num. 4.*
3 *Mendacium quod? quotuplex, & quod mortale, etiam in iudicio.*
5 *Miracula falsa, & vitam sanctorum fictam prædicans.*
6 *Promissio quæ obligat ad mortale, late.*
7 *Deliberatio quæ ad obligationem sufficit.*
8 *Simulatio & Hypocrisis mendaciæ factorum, & quæ mortales.*
9 *Iudicium temerarium quid, & crebro parit mendacium.*
10 *Contumelia, conuitium, & improperium quid.*
11 *Honor quid, & quæ inhonoratio mortalis.*
12 *Correctio iusta contumelia quæ carere debet.*
13 *Susurratio quid, quæ mortalis, & differt a detractione & contumelia, & nu. 14.*
15 *Derisio quid, & quæ blasfemia, & quæ mortalis.*

1 PRo fundamento dicẽdorum in hoc capite præsupponimus. Primò ex mẽte S. Th. recepta 2.2.q.122. art.5.ad 2.& latius Alex. Halen. in 3. part.q.1.quòd hoc præcepto principaliter prohibetur latio falsi testimonij iudicialis, & veri celatio: & secundariò omnis significatio inordinata verborum, signorum, & factorum, quæ fit mentiendo, inhonorando, susurrando, derimendo, maledicendo, detrahendo. De quibus omnibus quo ordine proposita sunt, dicetur.

Secundò præsupponimus, quòd omnis significatio huiusmodi est, saltem peccatum veniale, per tradita supra Prælud. 7. Tũ quia est iniuria verborum, & quæcunque talis est saltem venialis. Mortalis autem est omnis & sola illa, quæ fit animo notabiliter iniuste nocendi in bonis spiritualibus, aut tẽporariis, quãuis non noceat: & illa, quæ fit nocendo notabiliter aut dando causam ita nocendi sine tali animo: aduertendo tamen aut aduertere debendo per illam notabiliter noceri, aut causam notabilis nocumenti dari, aliàs non: quamuis iniuria grauissima sit, iuxta mentem S. Thom. vbi supra, & quæst. 73.art.2. declaratam vtrobique per Caiet.

Primò igitur peccat mortaliter contra hoc præceptum testis, qui facit aliquid ex septem positis infra, cap.25.nu.39 Nam falsum testimonium ob tria est peccatum mortale, iuxta S. Thom.2.2.quæst.78.artic.4. quod probatur per capit.1. de crimi. falsi. puta ob iuramẽti violationem, quæ fere semper est mortalis: per supradicta in cap.12.Ob iniustitiam, quæ etiam est mortalis, quum est notabilis, aliàs non per supradicta in cap. 11. num. 1. & ob perniciem mendacij.

2 Ad noue autem hic quæsitum, An testis testatus aliquid esse verũ, nesciens esse tale, sed credens cuipiam illud affirmanti, teneatur restituere illud, quod ob id condemnatus soluit? Respondeo, non teneri (licet peccet grauiter) si affirmans esset tãtæ probitatis, vt ei confitẽti, communicanti, & Christianè viuenti meritò credi posset, quia iuste credere potest, se nemini iniustitiam feciſſe, arg glos. sing l. Titio fundus. ff. de cond. & demon. ornatæ a Fel. in c. cum contingat, de rescrip. alioqui sic: & etiã si contrariũ rescierit, quia cõtrarium credere debet, quia in claris non est locus coniecturis, l. cõtinuis. §. cum ita. ff. de verb. obl.

Secundò peccat qui mentitur notabiliter nocendo, iuxta illud Sap.1. *Os, quod mentitur, occidit animã.* Dixi: Notabiliter: quia alioqui solum venialiter peccaret per supradicta. Mendacium autem est significatio falsi, vel putari falsi pro vero, secundũ Aug. in c homines. 22.q. 2. Nam illud ꝙ additur in §. ille. sub c. beatus eod. caus. & q. de animo fallẽdi, non est necessariũ ad essentiã mendacij: sed ad maiorem eius grauitatem secundum mentẽ eiusdem ibidem & omniũ, & ita est actus cõtrarius virtuti, quæ appellatur veritas, quę dirigit ita nos ad conformandũ dicta & facta nostra, vt vera dicamus, & fidẽ seruemus, iuxta S. Tho. 2.2.q 110.art.3.ad 5. Narratio autem fabularum Aesopi, aut aliarum similium significando expresse, aut tacite eas non esse veras, non est mẽdacium, vt recte Caiet. in dicta q. 100. art.1. infinuauit: quia non significatur per eam falsum pro vero.

3 Diuiditur autem mendacium, primo in formale tãtum, quo significatur verum putatum falsum, materiale tantum, quo significatur falsum putatũ verum, & mixtum, quo significatur falsum putatũ falsum, vt declarat S. Tho. vbi supra art. 1.

Secundò diuiditur in iocosum, quo tãtum delectatio quæritur. Officiosum, quod nemini nocet, & alicui prodest, quæ duo non sunt mortalia, etiam si a religioso, aut ab alio cuiusuis status perfectionis dicãtur: nisi iuramento firmentur, aut cum magno

magno scandalo dicantur, aut animo non abstinendi ab eis: quamuis essent mortalia, aut cõtra conscientiam, quæ illa esse peccata mortalia dictaret secundum vtrumque Tho. in 2.ad.2.2.q.100.art.3.& 4.Perniciosum, quod alicui in rebus spiritualibus,corporalibus, aut temporariis nocet.& est mortale, quãdo dicitur cum intentione notabiliter nocendi, aut notabiliter nocet. Ad quas tres species reducuntur illæ octo, quas S. August. posuit in capit. primum.2.2.q.2. quarum quælibet suo genere est mala, etiam secundum Aristot. in 4. Ethic. quia est inordinatus actus, vt supra dictum est, & ita non potest dici absque peccato, saltem veniali,etiã pro vita, vel anima alicuius seruanda,c. super eo. de vsur.& in d.c primum.& S. Tho.vbi supra. art.3. qui in q. 69. art.1. sensit. omne mendacium iudiciale, etiam leue esse mortale: quod verum esse de mendacio rei ad iudicium pertinentis, & non alterius dixit ibi Caieta. & sentit in dicta quæst. 110. art.4.Nos tamen asseruimus in cap. fratres.nu.27.de pœnit.dist.1. quod mendacium de re leui, etiam pertinente ad iudicium non est mortale, consentiente doctissimo,nec minus Christiano doctore Magistro Fratre Martino à Ledesma professore huius nostræ academiæ Conymbricensis celeberrimo,qui gloria,& magnum decus est Illustrissimi Ordinis Dominicani. quod ipsum fecim⁹ in rep.cap.inter verba 11.q 3.postquam legimus Sotum de ratione regendi secreti.vbi membro 2.q. 7. idem tenet, concludendo nullum mendacium esse,mortale, eo solo quod in iudicio exteriori vel interiori dicatur,quod extra illud dictum,tale nõ esset:nec per consequens quãdo nõ est notabiliter damnosum,nec iuratum:sed tantùm esse veniale,vt etiã infra c.21.nu.37.repetemus.Itaquod per solam circumstantiam iudicij, nisi alia concurrant non fit mortale.Per quod cessat oppositio cuiusdam docti fundata in alio nostro dicto infra eodem nu.57.scilicet reum mortaliter peccare,negãdo veritatem iudici competenti iuste interroganti:qui tamen nõ peccaret negando extra iudicium alteri. Quia ibi præter circunstantiam iudicij concurrunt saltem duę alię. Scilicet iuramentũ,sub quo respondet reus: & quod lex diuina, & humana obligant dicere verum, quando iudex competens iuste interrogat,iuxta S. Tho.receptum in 2.2.q. 9. artic. 1.& 70.art 1. & probatur tit. de interrogat.actio.

4. Tertiò,peccat qui mẽtitur in materia fidei, sacręscripturę, vel morũ: quia de sua natura est notabiliter pernicioſum, iuxta S Tho. in dicta q.110.ar.quòd ibi limitat Caiet. non procedere quando id fit per solum multiloquium, vel aliàs sine animo & periculo nocendi notabiliter, & persuadendi aliquod falsum alicui. Vnde infertur,non esse mortale allegare falsè in pulpito, vel in cathedra,dicẽdo tale quid esse in illo, vel illo cap.vel lege,quod est in alio,aut tribuere August.Hier.Bar. vel aliis, quod alius dicit.

5 Quarto peccat qui concionando,falsum miraculum, sciẽs tale esse,narrat:aut data opera vitam alicuius sancti aliter quàm sit fingit, iuxta

iuxta Caieta.vbi supra; quia est pernicioſum notabiliter; quoniam ex parte dicentis fides & existimatio miraculis Christi & eius sanctorum adimitur.

Quinto peccat qui promissionem obligantem ad mortale non adimplet eo modo,quod debet, cap. iuramenti. 22.q.5. & cap. 1. de pact. quia species mendacij notabiliter pernicioſi est talem fidem & promissionem non adimplere.

6 Porro promissio,quæ obligat ad mortale,est omnis vera, deliberata, & voluntaria,etiam nuda,rei licitæ, possibilis,& notabilis, quam mutatio rerum status non eneruauit. Dixi: Omnis, vt non solum comprehenderet promissionẽ factam Deo; quale est votum, de quo supra cap. 12.nu. 24. sed etiam homini, etiam hosti.cap. noli.23. quæst.1. & non solum expressam: sed etiam tacitam, l. Labeo. & l.item quia. ff. de pact. Dixi:Vera, ad excludendam fictam, quæ sit animo non obligandi, vt sentit Thom. 2. 2. quæst.110. artic.3. ad 5. & facit cap. humanæ. 22. quæstione 5. & l. obligationum. 1. ff. de actio. Quamuis peccet significando animum, se obligandi, quem non habet, etiam mortaliter, si alicui notabiliter noceat, vel intendat nocere per prædicta.

Ex quo infertur, non obligare promissionẽ, cuius causa principalis non est vera,si ei,qui promisit, non erat animus se obligandi absq; ea: nec refert quo ad forum conscientiæ,vtrum causa exprimatur, aut taceatur. Quia opinio Collect. & Pan. in c. 1. de donat. & in c. si cautio. de fide instru. qui expressionem causæ requirunt, intelligitur in foro exteriori,in quo absque ea animus obligandi non præsumitur, vt rectè insinuauit Sylu. verb.pactum.q 4.non autem in foro conscientiæ, in quo soli veritati standum est, c. humanæ aures.22.q.5.& c.tua. de spons.

7 Dixi:Deliberata,quia facta absque deliberatione ad id necessaria non obligat per ea, quæ supra cap. 12.nu.24.& 26.de voto dicta sunt.Ex quo colligi potest, quod illa deliberatio sufficit,& requiritur,quæ sufficit,& requiritur ad votum.Dixi:Voluntaria:quia metu, aut dolo extorta non sufficit in conscientia: nisi adsit iuramentum, iuxta S.Tho.2.2. q.89.ar.7.nec etiam in foro exteriori: quia quamuis regulariter actori actio detur: reo tamẽ exceptio conceditur.l.1. C.de inuti. stipul. & l. ad inuidiam.C. de his quæ vi.Dixi etiã: Nuda;quia iure naturali, diuino, & canonico etiam illa obligat. cap. 1. de pact. & l.1.ff. eod. tradit Innoc. in cap.nouit.de iud. & Fel. in proœmio Gregoriano,nu.25. & in cap. quæ in ecclesiarum. de constit. num.55. post Bart. in extrauag. ad reprimendam. verbo denunciationem. Dixi: Rei licitæ, quia illicitæ non obligat.cap. in malis.22.q.4. Dixi:Possibilis;quia promissio rei impossibilis non obligat.l. impossibilium. ff. de regul. iuris. cap. nemo ad impossibile. eod. titu.lib.6.Dixi: Notabilis;quia cum furtum rei non notabilis non sit peccatum mortale, licet veniale sit, vt supra dictum est.cap.17. nume 3. à fortiori nec violatio promissi rei exiguæ erit mortalis: quamuis venialis sit. quæ autem res sit notabilis supra dictum est,cap.17.nu.4. Per

quod à mortali excusantur, qui promittunt alicuius nomine salutem alicui se dicturos, aut alia mandata parui momenti ad aliquem perlaturos, & postea non perferunt. Et qui precationem Angelicam, & alia similia parua pollicentur, etiam si iuramento, aut voto id ipsum confirmassent, secundum eos, quos in hac traductione sequimur in dicto cap.12.nu 10 & 40.

Dixi: Quam mutatio rerum status non enerauit: quia tali mutatione superueniente, nõ obligat iuxta Senecam lib. de Benefic. approbatum per S.Tho.2.2.q.110 art.3. ad 5. vt si is, cui promisi ensem, insanierit, c. ne quis. 22.q 2. Vel si quam promisi ducere, fornicata fuerit.c. quemadmodum.de iureiur. vbi glo. notab. Vel si quod tempore promissionis erat licitum, fiat illic tum. argu.cap. Quintauallis. de iureiur. Vel si altera pars eam remittat, vel pro sua parte non impleat id, cuius causa promissio facta est,l. cum proponas.2.C. de pact. c. peruenit. 2. de iureiur Dixi:Cuius causa &c.quia si alicui absolute aliquid promiseris, sine respectu rei ab eo promissæ: contra, ille aliquid tibi promiserit sine respectu rei à te illi promissæ, nõ liberaberis ab obligatione ex eo, quod tibi non satisfaciat:nec cõtra, ille ex eo, quod tu illi non satisfacias,iuxta notata in d.cap. peruenit, & dicta l. cum proponas. Quæ non sunt intelligenda de qualibet mutatione, sed de illa, quam si promittens præcogitasset, non promisisset, cui fides habenda est in foro conscientiæ, iuxta gl. singu. c. significasti.1.de homicid. & etiã exteriori, si iudicio prudentis viri consideratis negotij circumstantiis nequaquam promisisset, si illud præcogitasset. qua de re copiosius super glo. d. c. quemadmodum scripsimus.

8 Sexto peccat mortaliter, qui factis rem aliquam falsam pro vera in damnũ notabile alterius significat: vt qui vult apparere bonus,aut facit quo appareat talis, nolens esse talis: quia est mendacium pernicioſum. Nam mendacium dicitur etiam in factis; qualis est simulatio, qua significamus esse,quod non est:& hypocrisis, quia significat bonus, qui non est talis, iuxta mentem S. Aug. & S.Isidori explicatam per S. Tho. 2. 2 111. asserentem, paria esse factis, aut verbis mentiri. Facere autem aliquid, quo quis appareat bonus, quum non sit sine notabili alterius damno solum est veniale: sed facere opera, quibus bonus appareat,cũ non sit, sine intẽtione ostendendi se bonũ, non est etiam veniale,iuxta mẽtem omnium, quam recte Caieta.explicat in Summa verb. Hypocrisis. nisi collimetur illud in aliquem finem malum; puta, vt aliquas hæreses doceat, aut aliquã dignitatem ecclesiasticam,aut temporariam,qua indignus est, consequatur, aut nisi in tali simulatione suũ vltimũ finem constituat.iuxta Alex. 2.par.de Hyppocrif & Caiet. vbi supra.Peccat etiam, saltem venialiter, qui vult bonus videri, cum non sit, etiam si id ad ædificationem proximi referat. Quia non sunt facienda mala,vt inde bona eueniãt,Roma.3. c.neque.c.denique. 14. q 5. Ad noue hic quæsitũ; scilicet:An peccet, qui fingit se talem genere, conditione, radu

gradu &c. qualem requirit optio ad collegia, vel alia munera? Respondemus,quod sic, per dicta supra cap. 17.nu.107.

9 Septimò,qui per leuia,& minus idonea indicia,aut signa, in iudicio, aut extra illud, firmiter iudicat de proximo aliquid mali in eius damnum notabile,vel quod peccat mortaliter, aut est in peccato mortali: quia est mendacium mentale pernicioſum contra illud 1.ad Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare*, secundum mentẽ S.Tho.2.2.q 66.art.6. Qualis est,qui damnat peccati mortalis aliquem bonæ existimationis, aut incognitũ, eo solo, quod videat eum cum muliere secreto loquentem: vel eo quod videt aliquem comedere magne, aut sæpe in die ieiunij ex præceptoiquia forte causam non ieiunandi habet:aut eo quod vidit aliquem, non ita familiariter atque soleba: cum aliquo versari, aut leuem aliquam iram ostendere. Quia non omne odium, & omnis indignatio mortifera est, vt supra c. 24. num.19.diximus, & alij similes, qui firmiter facile iudicant alios occidisse, vel furatos fuisse.

10 Octauo peccat,qui alicuius honorem notabiliter intendit lædere, vel lædit, aut causam dat lædẽdi per contumeliam cõuitium, vel improperium, secundum sanctum Tho.2. 2.q.72.art.2. iuxta cuius mentẽ contumelia est significatio alicuius mali culpæ facta præsenti; vt appellando furem,pro quo facit l. 1. ff. de iniur.Conuitium vero,significatio facta præsenti alicuius mali culpæ,vel pœnæ,vel defectus naturæ,vt appellando furem vel cæcum.l. si nõ conuitij. C. de iniur. Improperium autem est significatio beneficij tẽpore necessitatis ei collati, quamuis hæc nomina frequenter confundantur.

11 Quæ tria sunt contraria honori: quoniam honor est exhibitio reuerentiæ, in testimonium alicuius excellentiæ,maxime virtutis,secundũ Tho.1.2.q.2. ar.2. & melius 2.2q. 63.ar.3. de quo nos latius in reper. c. inter verba,11.q.3.concl.3. & seq.

Dixi:Lædere intendit &c. quia si huiusmodi significatio fieret causa iustæ castigationis, aut correctionis, non esset peccatum. Nam Christus appellauit discipulos stultos, Luc.vlt. & Apostolus Galatas insensatos,& ad Galat.3.

12 Dixi:Iuste,& ita cũ causa principalis eius est correctio,& non ira: quia si hæc esset causa principalis, graue peccatum foret, & frequẽter mortale, vt ait Sylu.verb. contumelia.cui addo. Primò, Thomã dicere in eo.art.2. quod quamuis hoc absq; peccato fieri possit: fit tamen rarissime,vbi ait Caiet. numquam id fieri posse, nisi quando specialiter Spiritus sanctus inspirat, dicente Cice. 1. offic. *Omnis animaduersio & castigatio contumeliæ vacare debet.* Secundò, quòd vt absque peccato fiat, etiam propter correctionem, oportet vt solum significetur vitium cuius correctio prætenditur; alioqui enim esset mentiri,& sic peccaretur cap.primum.22.q 2.Tertiò,cum,qui contumeliam alteri facit, animo eum infamandi, præter peccatum contumeliæ, etiã detractionis committere, & non sufficere confiteri, quod alteri dixerit contumeliam: sed oportet confiteri, quod eam

dixit, & intentione eum infamandi, vt vbi supra nu. 456. diximus.

13 Nono peccat, qui bonam amicitiam aliquorum intendit notabiliter lædere, vel lædit, aut dat causam lædendi per susurrationem, animaduertens, vel animaduertere debens, se id facere, per dicta supra, nu. 2. Susurratio autem est significatio inordinata mali culpæ alienæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ, alteri facta, per quam seritur discordia, vel causa discordandi inter eos, secundum S. Tho. 2.2.q. 74 art. 1. secundum quem ibidem, eo differt à contumelia, quæ lædit honorem, & à detractione, quæ famam, quod hæc lædit amicitiam. Et est grauissimum peccatum secundū eundem ibidem, & non debet absolui donec, quo ad eius fieri poterit, illos inter se reconciliet: aut si id præstare non potest, dānis inde sequutis iudicio boni viri satisfaciat, iuxta summam Rosel. verb. inuidia. §. 6. nostro tamē iudicio absoluendus est, modo firmiter hoc facere proponat, per dicta supra c. proximo, nu. 59.

14 Dixi: Bonam amicitiam: quia sanctum est (iuxta illud Matth. 10. *Non veni mittere pacem, sed gladium,*) tollere malam; qualis est concubinariorum; qualis erat Iudæorum contra S. Paulum Acto. 23. Dixi: Notabiliter; quia exigua læsio non est mortalis per supradicta eod. num. 2. Dixi: Per susurrationem; quia si fieret per ordinatam significationem, nō esset peccatum, per ea quæ dicta sunt de bona amicitia: & de tali necessario est intelligendum id, quod ait Sot. lib. 5. q. 5. de iust. & iur. dicens licitum esse vni minuere de amicitia duorum, quo cum eorum altero amicitiam contrahat cum quo absque illa diminutione non potest: & id quod subdit, non esse scilicet plusquam veniale minuere amicitiam aliquorum, nulla inter eos inimicitia inducta, necessario etiam est intelligendum de diminutione, quæ nō ledit notabiliter: quia neminem excusat à mortali lædentem alium notabiliter propter vtilitatem suam, vel alienam, c. forte. & c. denique. 14. q. 5. &, c. non est putanda. 1. q. 1.

15 Decimo peccat, qui notabilem erubescentiam, vel animi perturbationem, per derisionē intendit inijcere alicui, vel iniicit, aut dat causam illius, aduertens, vel aduertere debens se id facere, per prædicta nu. 2. Derisio autem est significatio inordinata mali culpæ, aut pœnæ, vel defectus naturæ ad iniiciendā erubescentiam, secundum sanctū Tho. receptum 2.2.q. 73. art. 1. & 2. secundum quem eundem, eo maior derisio est, quo maior est, qui deridetur, & minus debet derideri. Quare maxima est Dei, Sanctorum, & rerum ei sacrarum. Isai. 27. sed hæc etiam est blasphemia, vt ait Caiet. in dicto art. 2. Proxima huic est derisio parētum, Prouerb. 30. Et huic proxima, bonorum & iustorū, Ioan. 12. Derisio etiam aliorum qualificata, vt supra est mortalis, secundum omnes.

16 In quam sæpe Aulici incidunt, qui sine vlla miseratione eo magis aliquem derident, quo magis erubescit. Dixi: Inordinata, quia ordinata, vt iocosa de exiguo aliquo malo alterius, vt paruo rubore suffundatur, est actus virtutis Eutrapeliæ, quem Thom. 2.2.q. 168. art. 2. iu-

cunditatem vertit, & inclinat ad recte vtendum ludicris. Venialis autem quando parum exceditur modus. Mortalis verò, quando inducit magnam & notabilem perturbationem, iuxta omnium sententiā. Differt autem ab aliis verborum peccatis: quia eius finis est, vt quis turbetur & erubescat, secundum sanctum Tho. in d. q. 73. art. 1.

Vndecimò peccat, qui maledicit, &c. vt supra in secundo præcepto, cap. 12. num. 86. & infra cap. 23. nu. 118. cum seqq. dictum est, hoc addito, quod maledictio non accipitur hic pro maledicto, sed pro imprecatione mali, iuxta S. Thom. vbi supra, q. 76.

De detractatione siue murmuratione.

SVMMARIVM.

17 *Benè in quinque honorariis nocens vt peccat.*
17 *Detractio quid? quotuplex & quæ mortalis. & 18.*
19 *Famæ quid? vt hic accipitur & quotuplex.*
20 *Famæ damnum notabile quid. & 21. & nu. 22. 23.*
21 *Detractor quod falsum imponēs peccat mortaliter. 24. & 25.*
26 *Detractor, qui secretum detegit, peccat mortaliter. & 27.*
28 *Prodigalitas etiam famæ regulariter non est mortalis.*
29 *Detractor, qui sonum crimen detegit etiam tortus.*
30 *Detractor non est accusator, aut aliàs iuste crimen detegēs, & 31. & seqq.*
34 *Detrahit qui inuentor libelli famosi illum legens nn. 34. & 35.*
36 *Detractor quis audiens vel referens mala, vel bona tacens. n. 37. & 38.*
38 *Detractor quis iudex inquirens, interrogans, vel iubens denuntiari, vel visitatis, aut procurans occulta scire, nu. 39. 40. & 41.*
42 *Restituere famā, vel aliàs compensare læsor & heres tenentur. & seqq.*
44 *Famam non læsam tentans eam lædere non restituat, etiamsi &c.*
45 *Fama læsæ mendacio aliter quàm læsa vero restituenda.*
46 *Famæ restitutio condonari etiam iuste potest, nisi &c.*
46 *Debitum condonatis, cui principaliter debetur.*
46 *Famæ ablatio an cōpensetur ablatione reciproca.*
47 *Famæ debitum non tam facile tollitur, ac actio iniuriarum.*
47 *Famæ restitutio excusatur vitæ, vel salutis periculo, & oblitione, num. 48. & seqq.*
49 *Rem negans quis non infamat accusantem.*
50 *Famam qualis relator mali non restituit.*

17 DVodecimò, peccat mortaliter, qui alicuius aliquod quinque bonorum honorabilium, scilicet laudis, honoris, famæ, gloriæ, & reuerentiæ, quæ infra, cap. 23. nu. 9. definientur, notabiliter intendit lædere, vel lædit, aut dat causam lædendi. quod quia frequenter fit per detractionem, secundum S. Tho. 2.2.q. 73. arti. 2. secundum quem ibidem, & latius tradita per nos in reper. cap. inter verba. 11. quæst. 3. concluf. 6. Detractio siue murmuratio, vel infamatio, quæ pro eadem re hic sumuntur, definiri potest esse significatio alicuius mali cuiuspiam

hominis nō canonizati inordinata, expressa, vel tacita, qua læditur, vel periclitatur eius fama, vel gloria.

18 Dixi: Significatio, pro genere, in quo conuenit cum mendacio, & cū omnibus aliis verborum peccatis supradictis. Dixi: Alicuius mali, ad comprehendendum omne malum culpæ, pœnæ, & defectus naturæ, & etiam diminutionem boni. Dixi: Cuiuspiam & non alterius, per statim dicenda. Dixi: Hominis non canonizati: quia infamatio famæ, & gloriæ Dei, Angelorum, & Sanctorum, immo & creaturæ irrationalis, quatenus est creatura Dei, quo ad eius naturam, nō est detractio: sed blasphemia, siue id fiat ad inhonorandum, siue infamandum, siue iocandum & deridendum, secundum mentem S. Tho. 2.2. q. 73. art. 3. & q. 13. art. 1. licet Angeli & Canonizati nostri proximi sint, iuxta S. Augustī. de Doct. Christiana. relatum à S. Tho. 2.2. q. 25. art. 10.

Dixi: Inordinata, quia non est mala, immo bona significatio iuridica, vt dicit S. Anton. 2 part. tit. 8. c. 4. in prin. Dixi: Expressa vel tacita, ad includendum significationem, qua expresse significatur bonum, & tacite denotatur malum. qualis est illa, qua significatur monachus esse robustus, rubicundus, pinguis artis venādi & equitandi valde peritus: per illa enim significatur tacite, quod carni magis, quàm spiritui seruit. Dixi: Læditur, & non, Tollitur, ad includendam læsionem partis famæ. Dixi: Aut periclitatur, ad includendam significationem mali, qua non læditur fama: sed est causa sufficiens lædendi ex parte significātis: vt quum significatur malum alicui non credenti illud propter suam virtutem vel vtilitatem dicentis, vel auctoritatem fide dignioris ei cōtradicentis. Dixi: Fama vel gloria, quia significatio mali, quatenus tollit honorē, non est detractio, sed contumelia, vt supra eo. nu. 1. Non addidi tamen, vt sancti Thomas & Antoninus, & cōmunis verbum, Aliena: quia non solum est detractor, qui alium: sed etiam qui se ipsum infamat, vt idem S. Anton. dixit 3. part. tit. 8. cap. 4. §. 1. versi. primo modo: & sentit Caiet. 2. 2. q. 73. artic. 2. dicentes, peccare eos, qui seipsos infamant: quamuis metu tormentorum id faciant. quod tamen vbi supra, & infra nu. 19. moderamus. Non etiam addidi, Secreto, vt prædicti: quia quamuis regulariter detractio in absentia fiat, potest tamen fieri in præsentia, vt sæpe fit. Nam qui alteri præsenti malum significat, quo eum infamet, quamuis id (vt communis dicit) sit contumelia, quatenus tollit honorem, est tamen etiam detractio, quatenus famam tollit, vt idem S. Anton. vbi supra explicauit, & probatur per illud Ethic. 5. *Qui furatur, vt adulteretur*, per se loquēdo, *magis adulter est, quàm fur.*

19 Porro fama, vt hîc accipitur pro bona tantū est existimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, vel habilis in aliquem bonum vsum. Dixi: Existimatio pro genere, vt non solum cōprehendat opinionem communem sed etiam particularē & singularem vnius vel alterius per infra dicenda. Dixi: qua putatur, ad includendā existimationem, qua quis putatur habere aliquod bonum, quod non habet, vel non tantum, quātum putatur habere. Dixi? Bonus, propter existimationem, qua putatur habere virtutes Theologales, vel Morales. Dixi: Vel habilis, &c. ad includendum existimationem, qua quis putatur habere prudentiā, & alias virtutes intellectuales, & litteras, artes, sagacitatem, industriam, habitudinem, vires, vel alias dotes animi, vel corporis inditas, vel quæsitas.

20 Vnde sequitur, quòd fama est duplex. Altera qua quis putatur esse bonus moraliter. Altera, qua putatur vtilis ad aliquē finem. Licet autem præfata quinque honorabilia differant inter se, quoad alia, vt traditur in d. c. 23. nu. 9. quoad materiā tamen pœnitendi, & confitendi parum differunt: & ideo quidquid hîc de lædente famā dicitur, intellegi potest de lædente alia. Famę vero, & aliorū quattuor bonorum honorabilium damnū est duplex. Leue, & Notabile. Leue est, quod non est notabile. Notabile autē damnū, quod est causa, vt infamato aliquod bonū notabile animę, corporis, vel pecuniarū auferatur, aut putetur tali bono indignus, quod aperte sentit Caie. 2.2. q. 73. art. 2. quamuis non ita explicet. Bonum autem notabile animæ, corporis, honoris, aut pecuniarum dicitur, quod viro prudenti & bono tale videbitur, consideratis circōstantiis personæ, loci, temporis, & aliis. arg. l. 1. ff de iure delib. &c. de causis. de offi. deleg. quāuis supra c. proximo, nu. 3 nisi fuerimus determinare quātitatem damni notabilis pecuniarij.

21 Detractio porro diuiditur. Primò in septem species secundū Alex. Alen. 1. part. q. 146. mēb. 1. sub finem, & S. Tho. 2.2. q. 73. art. 3. ad 3. Et tres secundum Scotum in 4. lib. sent. distin. 15. q. 4. Sed, vt vbi supra diximus, reducuntur ad duas, quæ sunt: significatio mali falsi, & mali veri secreti. Secundò diuiditur in formalem tantum, & materialem tantū, & formalem & materialem simul, vt supra eo. nu. 2. mendacium diuisimus: Formalis tātum est, qua significatur bonum putatum malum. Materialis tantum est, qua significatur malum, putatum bonum. Formalis verò & materialis est, qua significatur malum putatum malum. Porro quælibet detractio suo genere est peccatum mortale: quia lōge maius bonum est talis fama, quàm pecunia, Prouerb. 22. & Eccle. 41. Et læsio pecuniæ, qualis est furtum, est suo genere mortale, vt dictum est supra eo. nu. 2. & seq. ergo & detractio. Dixi: Famæ morum, quia secus est de detractione famæ aliorū donorum, vt mox dicetur. Est autem mortale, quoties sit animo famam proximi notabiliter lędendi: aut absque tali animo, eam notabiliter lædit: aut dat causam eiusmodi læsionis; aduertens aut aduertere debēs probabiliter, ex suo dicto aut facto tale damnum inferri. Veniale tātum est, quoties sit animo lædendi parum, aut sine malo animo parum nocet, aut notabilior, sed ignoranter: vel sciens, sed inaduertenter, quum non teneretur aduertere, argum. cap. 24 de const. §. notandum. 1. q. 4. sub capturbatur.

24 Decimotertiò peccat mortaliter, qui peccatum falsum mortale alteri imponit: quia per hoc bona fama morum alicuius notabiliter læ-

ditur, nisi per aliquam circumstantiam damnum famę notabile & periculum eius probabile excusetur. Dixi: Peccatū, quia detegere falsos defectus naturales, puta, quòd est luscus, claudus, mancus, gibbosus, ignauus & alia huiusmodi, quæ non pertinet ad bonam famam morum, non est suo genere, nec regulariter mortale, vt prædictum est: quia id de se non infert damnum notabile famæ, nec dat illi causam, vt vbi supra probamus. Dixi: Mortale, quia imponere, vel detegere veniale non est de se mortale: quia de se non infert dānum famæ notabile per proxime dicta. Dixi: De se, quia per accidens potest esse mortale: vt cum ex impositione, vel detectione venialium cuiuspiam fama notabiliter lęditur. Vnde, quidquid aliqui dicant, inter impositionem & detectionem venialium & mortalium hoc interest, quòd horum detectio non infert de se damnum notabile illorum vero sic: & ita nonnumquam hæc est mortalis, & illa venialis. Et consequenter non est vsquequaque verum illud S. Anton. in 2. parr. tit. 8. c. 4. in princ. & Siluc. verb. detractio. §. 2. scilicet, detractionem, quæ generalibus verbis sua natura tam mortalia, quàm venialia comprehendentibus fit, nō esse mortalem: quia immo est, quando cum damno notabili, aut magno eius periculo fit, aut coram eiusmodi personis, de quibus credi potest, eos tam maculas mortales, quàm veniales concepturos esse: nisi expresse aut tacite non nisi de solis venialibus verba fieri admoneātur. Dixi: Falsum, quia lōge rarius excusatur à mortali, qui imponit falsum mortale, quam qui detegit verum mortale, vt mox dicā. Per falsum autem intelligo etiam verum, putatum falsum, quæ est detractio formalis tātum, quæ quo ad detegentem est perinde malum, ac si falsum esset, arg. c. homines. 22. q. 2. Dixi: Alteri quia imponere sibi nō est mortale regulariter, & de se, vt infra, nu. 27. dicetur.

25 Decimoquartò peccat, qui impo nit peccata venialia falsa, aut defectus naturales, vel pœnę falsos cum talibus circumstantiis, quòd inferūt damnum famæ notabile, vt ex proxime dictis colligitur. Noui quendā virum insigniter eruditum, & probum, ab adipiscendo egregio quodā munere impeditū per culpas veniales vanitatis & iracundiæ falsas, & quendam alium per defectus generis, visus & virium naturalium falsos, ab amicitia valde vtili, & honorabili repulsum, per quod proxime dicta confirmantur.

26 Decimoquintò peccat, qui peccatum verum mortale secretum alterius detegit inordinate: nisi aliqua circumstātia excuset à mortali: quia licet longe grauius peccet ratione falsitatis, qui falsum imponit, quàm qui verum secretum detegit: ex parte tamen nocumenti famæ pares sunt, quod sufficit ad hoc, vt detractio sit mortalis, per dicta supra eo. cap. nu. 2. Dixi: Secretum, quia detegere notoria facti, vel iuris, vel famosa sine mala intensione nocēdi, non est peccatum saltem mortale: quamuis illi, quibus deteguntur, ea ignorent: nec in regione vbi detegūtur, scirētur, vt si quis in Lusitania dicere, illum, vel illum in Castella fu-

stibus ictum fuisse, etiam si ille sit in Lusitania præsens, & ab iis, quibus dicitur cognoscatur: vt copiose in d. repe. probauimus quattuor fundamentis, & trium contrariorum solutionibus muniuimus, & sentit Caiet. Tomo 2. Opusc. Tracta. 31. responsi. 9. & ante illum Io. Maior dist. 21. q. 2. Addidi: Notoria iuris, quia quæ contra ordinem iuris diuulgata fuerunt, propter infamiam diuulgari nō possunt in eo loco, ad quem illa non peruenit. Sot. lib. 5. q. 10. art. 2. de iust. & iur. Et idem dicendum de detectione illorum, quæ cito diuulganda sunt, facta ei, qui ea cito cogniturus est, iuxta S. Tho. in 4. lib. sent. distin. 19. q. 6. art. 3. ad 1. & 2.
27 quem ibi retulimus. Dixi: Alterius, quia detegere propria peccata vera, & secreta & imponere sibi falsa suo genere, & regulariter non est nisi veniale: quamuis per illud notabiliter fama lędatur, aut omnino amittatur, vt magister Sotus lib. de ratione tegendi, vel detegendi, memb. 1. q. 3. explicuit, & multo ante Adrian. in 4. de restit. q. 35. Quol. 11. pag. 17. sentit, quem ille non citat. Quia prodigalitas regulariter non est peccatū mortale, vt sentit S. Tho. 2. 2. q. 120. art. 2. & 3. & detectio proprij peccati, non est iniustitia, sed prodigalitas famæ, iuxta gl. memo-
28 rabilem in Procemio Gregoriano verb. prodiga. & per alia, quę adduximus vbi supra, vbi conciliando cum hac opinione cōtrariam Caietani diximus, illam defendi posse, quando ex ipsius infamia damnum animæ, aut vitæ propriæ, aut alienę, aut honoris, aut bonorū alienorum sequuntur. Animę propriæ, vt quādo indigens notabiliter fama ad se honeste cōtinendum eam prodigit. Animæ alienæ, vt qui pro iusto habitus hęreses, aut alia turpissima sua delicta detegit, quod probabile est fore causam, vt alij in eadem incidant. Vitæ propriæ, vt qui crimē aliquod detegit, ob quod eiusdem, aut alicuius membri iacturā mereatur. Infamiæ alienæ, vt qui monachus, aut monialis, seipsum infamāt peccatis, quæ ipsorum ordini, aut monasterio notabilem infamiā inferunt. Bonorum alienorum, vt quum is, cuius opera ad sui gubernationem Resp. indiget ob illam, se facit ad id ineptum. In quibus quātuor casibus nemo neget, esse peccatum mortale se ipsum infamare: quia præiudicat alteri, vel sibi in his, quæ iure renuntiare non potest, qualis est salus animæ, & ad illam necessaria, cap. iurauit. cum ei adnotat. per alios, & etiam per nos, de probat. c. tenor. de re iud. Qualis est etiā vita & amissio membri & corporis, l. non tantū. ff. de appel. l. liber homo. ff. ad leg. Aquil. c. contingit. 1. de sent. excom. glo. sing. l. pactum inter hæredem. ff. de pact. Aliorum vero præfatorum cōmunis & nostra opinio procedat regulariter extra hos quattuor casus. quamquam hęc conciliatio omnino vtrorūque mentibus non congruit. quæ omnia limitantur procedere quum non peieratur: quia omne periurium suo genere est mortale, vt dictum est supra, c. 12.

29 Ex quibus sequitur à fortiori, regulariter non esse mortale de se confiteri crimina falsa, aut vera occulta ob metum tormentorum, cum facere illud sponte non sit tale. Est

tamen mortale in quattuor casibus proxime dictis, nisi cum aliquod tale detegit per falsus torquendū esse, donec confiteatur, aut vitam amittat, vt singulariter & noue dixit Sotus lib. de ratione teg. & deteg. mēb. 3. quæst. fin. Quia eo casu, vt ille ait, non tam mortis suæ dat causam, quam vna morte multas redimit, quem vbi supra sequuti fuimus, quā uis nunc displiceat: nisi quando certus esset per alias coniecturas, quàm per minas iudicis, quod vsq; ad mortem torquebitur, vt quia solitus est iudex sæuire ita torquendo. Tum quia negare non possumus, hoc esse causam suæ occisioni prębere, quod nemini licet cap. si non licet. 23. q. 5. Tum quia scire non potest veram iudicis voluntatem esse adeo firmatam: quamuis eam verbis iratis explicet. Interdum enim iudices fingere solent.

30 Dixi: Inordinate, quia qui iuridice id facit, non peccat, vt qui iuste accusat, immo meretur, aliis circustantiis in id necessariis concurrentibus, S. Anton. 2. part. tit. 8. cap. 4. ante. §. tenet, & nos vbi supra copiosè probamus, quamuis priuatæ vtilitatis causa accuset, nec secreta monitio præcedat, vt ibidem probauimus post Adrian. in 4. de Correct. frater. col. 17. versic. ad 1. & Sotum in dicto lib. de ratio. teg. memb. 2. quæstio. 5. pag. 10. quidquid Siluc. verb. accusatio. q. 3. & Caiet. 2. 2. q. 73. art. 7. dicant, quia iuste detegit. nisi odio, aut vindictæ immoderatæ appetitu id fiat.

31 Idem dicendum de eo, qui sine accusatione, absque tamen mortifera intentione, detegit peccata, vera aliorum secreta quando, & quomodo sua detectio reipub. cōueniat quò ea puniat, aut caueat, ne proximus damnum spirituale, aut temporarium accipiat. Vt qui denunciat hæreticum, ne corrumpat: proditorem, ne prodat: lepra, aut peste laborantem, aut alio morbo contagioso, ne suo morbo alios inficiat: inhabilem ne ordinetur, aut et beneficium conferatur, aut ne indignus ad hæc dignitatem admittantur: latronem, ne furetur: periurum ne suo falso testimonio noceat: aut adulterum, & homicidam, vt ab aliis caueantur, & alios similes assuetos, & ad nocendū præparatos. De quibus vbi supra nu. 854. vsque ad nume. 855. diximus. Quia hoc non fit inordinate: quoniam iure conceditur, l. si quidem. C. de iniur. l. si quis. & l. cum qui. ff. eo. cum additis vbi supra nu. 848. & consequenter potest quis latronem, & furta eius occulta detegere ad euitanda damna reipub. & priuatorum, etiā sine correctione fraterna, si per eam non speratur correctio, aliàs non, nisi præuia illa si de illis specialiter & iuridice interrogatus non fuerit, iuxta Io. Maiorem in 4. lib. sent. dist. 21. q. 2.

32 Vnde non peccat, qui causa vitandi damnum corporale, aut spirituale innocentis crimen alterius detegit. Nam Paulus sciens, Ioannem equum furatum fuisse, cuius Petrus falsò accusatur & iniuste condemnabitur, nisi Paulus peccatum secretum Ioannis detegat, si ob id Petrus liberandus fuerit, detegere tenetur, S. Tho. 22 q. 70. art. 1. & latius tradimus vbi supra nu. 702 per illud Prouerb. *Eruе eos, qui ad mortem ducuntur, &* alia, quod postea tenuit Sot. lib. 5.

lib. 5. quæst. 7. art. 1. de iust. & iur. Sic etiam non peccat, qui vt testis coram suo iudice & superiore delicta & defectus proximi detegit: quia hoc non detegit inordinate, vt late vbi supra, nu. 698. probauimus. Nec qui sua delicta, culpas, & defectus suo iudici & superiori confitetur, quādo, cur, & quomodo iure diuino & humano potest, aut debet. Quia hoc non est detegere inordinate, vt vbi supra copiosè probo, multa peculiaria de hac re attingendo.

33 Dixi: Nisi aliqua circumstantia excuset a mortali, tunc enim non esset peccatum, aut non nisi veniale. Vt cum quis peccata mortalia eius qui se de illis iactare solet absque intentione cum lædendi detegit? quia eius fama saltem notabiliter non lædit, vbi supra, diximus: & qui absque intentione lædendi detegit personæ, quæ non oberit, & forte prodetit, qualis est is, cui dicere perinde est, ac nulli dicere, quales etiam parentes & alij, qui creduntur nullatenus nocituri, nec publicaturi. ea hoc videtur. 22. quæst. 5. Quare illud Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. detectio mali parenti facta non est peccatum, limitādum, est nisi huiusmodi peccatum esset, & eiusmodi parens, vt detectio facta ei plus, vel æque noceret filio, quàm facta aliis.

34 Decimosextò peccat qui inuenit scriptum, in quo aliquis sua peccata ad memoriam suę confessionis scripserat, & ea diuulgat: nisi essent talia peccata, quorum euulgatio parum famæ noceret. Idem de illo, qui legit, etiā si non diuulget schedulam, in cuius principio scriptum erat Memoriale meorum peccatorum, aut aliud simile, quo scire teneretur eius auctorem nolle ea ab alio legi, vt in cap. sacerdos. de pœn. dist. 7. nu. 8. & 9. diximus. Quia licet forte non inueniat notabiliter lædentia: dat tamen iustam lędendi causam, quod sufficit per prædicta.

35 Decimoseptimò peccat, qui libellum famosum componit, in illo peccata aliena falsa, aut vera occulta scribens, & in publicum proiicit, quod legatur, aut talem libellum inuenit, & non rupit, sed diuulgauit, 5. quæst. 1. cap. 1. & 2. l. 1. Cod. de libel. famos.

36 Decimooctauo, qui peccata aliena vera, vel falsa audita ab aliis aliter quàm audiuit, augendo illa, vel certitudinem illorum notabiliter aliis refert: quia perinde facit ac si tanquam a se visa referret: & ita idem est iudicandum de vtroque, arg. cap. dudum. 2. de elect. Dixi Aliter, &c. quia alioqui non peccaret, saltem mortaliter, si alias non intendit famam eius notabiliter lædere, nec lædit, nec dat causam iustam læsioni, & nō affirmat illud verū esse, nec scire: sed solum audisse, nec aliquid aliud, quod esset iusta causa credendi interueniat, puta auctoritas personæ cum additione aliorum rem certiorem facientium, quibus probabilis causa credendi audientibus præbeatur, vt in d. repet. nu. 450 dictum est. Diximus: Absque animo notabiliter lædendi, quia ille non solum hoc: sed quodlibet aliud colloquium facit mortale per dicta supra eo. cap. num. 1. quamuis adderet se non credere.

37 Decimononò peccat, qui audit detrahentem mortaliter. assentiendo,

do, vel non resistendo, quum id facere deberet. Nam qui audit detrahentem, plus & minus æque atque ille peccare potest: & etiam mereri, qui enim audit incitando alium, & interrogando, quò diceret, potest plus, quam qui dicit peccare, iuxta Adrian. Quolib. 11. q. 2. per decretum Vrbani cap. qui aliorũ. 24. q. 3. quod tamen non loquitur de eo, qui audit & est causa mali: sed de eo, qui malum non esse defendit: & ob id melius probant duo capitula S. Augustini, cap. ille. cap. qui exigit. 22. q. 5. vt vbi supra diximus: qui autem audit, nec præbendo ad id causam, nec impediendo eo se delectans, tantum, quantum qui dixit, cęteris paribus, peccat, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 73. art. 4. Qui tamen audit sine assensu & delectatione, quòd ita detrahatur, licet non contradicat ob verecundiam, aut aliam non prauam rationem humanam, non peccat mortaliter, nisi tribus casibus, iuxta S. Tho. in d. quæst. 73. art. 4. Primus, si est superior, puta iudex, parens, aut magister, qui resistere tenentur. Secundus, si aduertit ex eo magnum damnum dicenti, vel alteri euenturum vltra infamiam, & quod contradicendo vitare poterat. Tertius, quando fama eius, cui detrahitur notabiliter læditur, vt vbi supra, nu. 548. & 549. post S. Anton. & Caiet. verb. detractio. probauimus, qui vero resistit verbis, aut gestu tristi, aut aliis signis ad illud idoneis, regulariter meretur, vt ibidem addimus.

Vigesimò peccat, qui interrogatus de vita, & moribus alicuius, vel aliàs cum teneretur ad notificandas virtutes illius, tacet eas cum eius notabili damno boni quæsiti, vel quærendi per supradicta.

38 Vigesimoprimò peccat, qui iudex inquirit specialiter, vel per viã inquisitionis procedit contra aliquem, nulla præcedente infamia: quia intendit lædere famam illius, aut lædit, aut dat causam læsioni inordinatæ contra iura, quæ prohibent specialiter procedi per viam inquisitionis contra aliquem, iusta infamia non præuia, cap. super his. & cap. qualiter & quãdo. 2. de accus. Nec sufficit, quòd sciat esse duos, aut tres testes, quibus eius delictum probari possit per cap. inquisitionis. eod. titul. & a fortiori minus, quòd sint aliqua indicia, vt vbi supra euidenter probauimus, num. 580. quod Sot. de ratio. reg. membr. 1. quæst. 6. vers. at vero. & clarius paulo post, vers. tertium dubium, & Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 1. non satis diligenter hoc aduerterunt propter dictum quoddam S. Thom. non bene intellectum, vt ibi declarauimus. Dixi. Specialiter, quia generaliter inquirere potest, nulla persona, nec vllo delicto expresso l cõgruit ff. de offi. præfid. & cap. 1. de offic. ordin. Dixi etiam: Per viam inquisitionis, quia per viam accusationis legitimæ potest, vt supra dictum est. Sufficit autem, quod delictum sit notorium, licet delinquẽs sit occultus, ad hoc, vt quæri de eo possit generaliter: sed non vt quæratur nominatim, an ille, aut ille id fecerit, vt ibi contra prædictos eum Innocen. communiter recepto diximus.

39 Vigesimosecundò, qui iudex interrogat reum post confessum delictum de socio, aut auxilium præbente,

præbente, si adhuc erat occultus extra casus infrascriptos, in quibus id facere licet. eadem ratione, qua supra. Idem eadem ratione de reo, qui socios occultos indicat extra casus prædictos, vt vbi supra, nu. 585. diximus.

40 Vigesimotertiò peccat, qui Prouisor, Vicarius, aut Officialis generaliter omnibus subditis præcipit, vt qui viderunt, aut audierunt talem delinquentem, denuntient, secũdum Sotum vbi supra, pag. fin. ratione supradicta, quia id est contra ius, per quod subditi nõ tenentur denunciare delinquentem, vt eum puniat: sed vt damnũ, quod fecit restituat, quod potest restitui absque eius denunciatione. Oppositum tamen melius visum fuit in d. repet. cõcl. 6. & idem nunc videtur: tum quia talia mãdata generalia intelligenda sunt secundum ius. l. si procurator. ff. de cond. indeb. c. causam quæ. de resc. & ita intelligenda sunt, salua fraterna correctione, & consequenter, quando ea est necessaria, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 1. ad 1. communiter receptum, hoc est, si fur, aut læsor secreto admonitus noluerit restituere. Tum quia vsum ferẽdi eiusmodi mãdata recepisse videtur ecclesia. Tum quia Caie. Tomo 1 Opusculorũ, Tractatu 31. respons. 5. ad 1. dixit nõ peccare iudicem interrogando reũ, iam confessum suum delictum de sociis generaliter, quando sunt tales, de quorum aliis potest interrogare, de aliis non, si eius intentio non sit interrogare, nisi de illis, de quibus iure potest, & debet. Tum quia illic affatim eius fundamẽtis respõdimus, quãuis fateamur, melius fore, vt iubeãt sola illa, quæ sunt notoria, vel publica per famam, denunciari, iuxta c. qualiter & quando. 1. cum ei adnot. de accusat.

41 Vigesimoquartò peccat, qui Prælatus, Iudex, Visitator, aut quiuis alius priuatus procurat, aut vult nescere peccata secreta alicuius, a quo, quando, cur, & vbi nõ debet, aut qui compellit carcere detentum ad statim iurandum se dicturum verum in omnibus, de quibus interrogatus fuerit, & interrogat particula riter de omnibus & singulis casus partibus, ob quem carcere detinetur ratione supradicta, & hi plus peccant, quàm qui audiunt simpliciter detractionem mortalem, cum assensu. Quoniam illi sunt tanta, vel maior causa detractionis, quam qui cum simplici assensu audiut detractionẽ mortalem, & supra dictum est, peccare morraliter eum, qui cum assensu detractionem mortalem audit.

Fama quomodo restituatur, aut condonetur.

42 Vigesimoquintò peccat, qui nõ vult restituere damnum famæ notabile datum iniuste a se, vel ab eo, hęres est, alteri illud non conclonãti, si nulla causa excusat. Quia damnum famę necessariò restituendum est, vt late in repet. cap. inter verba. 11. quæst. 3. concl. 4. probamus. Tum per text. memorab. in cap. qui suis, 5. quæst. 1. Tum quia bonum famæ maius est, quàm bonum pecuniariũ. Prouerb. 22. & Eccles. 41. cum aliis relatis vbi supra, nu. 218. & damnum boni pecuniarij necessariò est restituendum cap. peccatum. de reg. iur. libr. 6. cap. si res aliena. 14. quæst. 6.

Ego

Ergo & damnum famæ, vt tenent S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. S. Anton. 2 par. tit. 2. cap. 2. §. 3. & communis, S. Tho. Richar. & alij in 4. lib. sent. dist. 15. & Ostien. in summa de pœnit. Versic. quid de accusatore. Vnde licet abundantia boni pecuniarij ei, cui debetur interdum debitorem a restituēdo, saltem statim, excuset: abundantia tamen bonę famæ non item: immo ad restituendam eam magis obligat, vt recte Ioan. Maior in dicta dist. 15. q. 16. probat. Quinetiam sicut, qui notabiliter famam læsit per vnum peccatum habentem alia notoria peccata mortaliter peccat, sic ad restitutionem damni tenetur, vt recte Adrian. Quolib. 11. probat, & S. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 1. sentit, perpendente id Caiet. quidquid in 43 hoc Palud. in 4. distin. 19. in fine senserit. Immo, & qui ob vitæ periculum, aut alias rationes famam restituere non potest, eam compensare tenetur, vt qui alium percutit aut manum abscindit, quam restituere non potest, iuxta legem diuinam Exod. 21. renouatam per c. 1. de iniur. & declaratam ibi per doctores & l. ex hac ff. si quadr. paup. S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. & in 4 receptus ab aliis disti n. 15 quæst. 1. ar. 6. Nec infamans excusatur saltem quando mētiendo infamauit, eo quòd in aliis duplo, vel triplo magis eiusdem famam augeat, iuxta eundem in 4. lib. senten. de restit. q 34. vt vbi supra diximus. Nec etiam excusatur, eo quod infamatus se ab infamia liberauerit suis optimis factis falsiratem eius, quod sibi impositum fuit docens aut abolita eorū apud quos infamatus fuit mala, quam ipsi cōceperunt opinione, eo quod vanitatem detrahentis intellexissent, iuxta Adrian. in d. qu. 34. Quod quamuis vbi supra sequuti fuimus: nunc tamen non sequimur: quia eius rationes solum probant teneri ad restituendum damnum, quod infamatus accepit, quamdiu infamatus manserit sed non ad famæ iam recuperatæ restitutionem.

Porro addo primo, quòd infamatus, quando ex sua infamia respublica damnum capit, tenetur ad procurandam restitutionem famæ suæ, quando, est persona publica, iuxta S. Greg Homil. 9. Super Ezechiel. & S. Tho. 2. 2. q. 72. art. 3. & declarationem cuiusdam dicti S. Aug. in cap. nolo. 12. q. 1. & c non sunt audiendi. 11. q. 3. positam vbi supra.

Addo secundo, quòd damnum acceptum a malè infamato durante infamia non est integre restituendum: sed tantum, quantum prudenti & bono viro vsum fuerit, secundum Sotum lib. 4. q. 6. art. 3. de iust. & iur. quod nostro iudicio intelligendum est de damno boni quærendi, & non de damno boni iam quæsiti, arg. cap. fin. de iniur.

44 Dixi: Damnum datum, quia volitum, & non datum, eo quod dari non potuit, vel pœnituit, non est restituendum: quia volent nocere, noxa non sequuta peccat quidem: sed non tenetur restituere, per sæpe dicta in c. præced. & vbi supra. Vnde qui detrahit alicui apud aliquos animo infamandi eum, etiam per inuidiam, odium, vindictam, quæstū, aut aliam rationem iniustam, si illi ob id malam opinionem non conceperunt, nec bonam amiserunt, nō tenetur restituere famam, quia eam non abstulit, licet in eo peccet, vt Adrian. Quolib. 11. littera R. determinauit, quem sequimur vbi supra.

Addo tertiò, quòd tenetur restituere, qui immodice laudando aliū, alterius famā notabiliter extenuat, secundum eundem in dict. Quolib. col penult. quales multos in Curiis, aulis, scholis, immo & religionibus reperias.

45 Addo quartò, quòd qui famam alienam mentiendo læsit, debet eam restituere, asserendo se fuisse mentitum, aut saltem dixisse falsum. Immo & testes adducere, si opus fuerit, quò eis dissuadeat, quibus contrarium persuasit, secūdum Sotum lib. 4. qu. 6. art. 3. de iust. & iur. Quorum postremum durum videtur nobis putantibus satis esse iurare, si aliàs ei non crederetur. Tum quia maiorem causam dat credendi reuocationem iurando eam, quam dederat credendi falsum, quod eis sine iuramēto dixerat. Tum quia numquam fuit in vsu. Tum quia testibus tunc demum ad summum esset opus, quum esset suspitio illum ad reuocationem precibus vel pretio, & nō conscientia inductum.

Addo quinto, quòd etiam infamās detegendo delictum verum occultum restituere tenetur, iuxta S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. & in 4 lib. sent. dist. 15. q. 2. art. 5. ad 2. communiter receptū, non quidem asserendo se falsum dixisse, sed male loquutum fuisse: quod non sufficere dixit Ostien. in d. vers. quid de accusatione. Et ideo Ioan. Maior in dicta dist. 15. q. 16. asserit, oportere, & satis esse ita dicere, quando tale delictum de tali, dixi illud verum existimabam, sed adhibita postea diligentia, inueni me praue loquutum. Qui modus licet aptior sit quia nullum mendacium continet, neque ex eo tam facile atque ex communi colligi potest verum esse, id quod male dictum fuit: non tamen videtur tutus quoad viros prudentes & doctos, apud quos præstaret restituere laudādo sæpius virtutes, quas habet, eis persuadēdo, vt pro tali habeant, nulla mentione facta mali antea per eum derecti licèt verè, iuxta Caiet. 2. 2. q. 72. art. 3.

46 Addo sextò, dicere Sotum lib. 4. q. 7. art. 3. de iust. & iur. eum, qui verum dicendo infamat, non teneri ad tantam restitutionem, ad quantam, qui mentiendo id facit. Quod non videtur nobis tutum, quia licet plus peccet, non tamen plus nocet. At restitutio, cum actus sit iustitiæ, vt supra cap. 7. nu. 6. dictum fuit, potius respicit nocumētum quam modum nocendi. Dixi: Ab eo cuius hęres est: quia hęres detractoris, non solum iudicio exteriori, sed etiam interiori tenetur restituere, secundum Adr. Quolib. 11. id efficaciter probātem & asserentē, ita moraliter peccare hęredē, qui prædictam compēsationem pro defuncto non facit: ac si non solueret alia debita. Dixi: Cōdonanti, quia obligatio restituendæ famæ ab infamato cōdonari potest, vt sentit S. Anton 2. partit. 2. c. 1. §. 3. & eum nō referens illud exprimit Adria. in 4 de rest. q. 33. Quolib. 11. & hunc Sotus de ratione tegend. vel detegendi secret. memb 1. q. 3. Tum quia potest quis damnum suorum bonorum cōdonare regulariter, secundū gl. receptam verb. restituatur. c. peccatum. de reg. iur. li. 6. & fama est de bonis

bonis nostris. Tum quia potest quis remittere, quod sibi debetur in casibus à iure non prohibitis, ex quibus hic non est, cap. statutum. § si quid. adiuncta glo. de rescript. lib. 6. c. exigit. de cens. eo lib. per locum ab specialia. Contrariũ tamen tenet Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. & in Summa verb. detractio. Ioan. Maior, in dicta dist. 15. q. 16. Ad quorũ fundamenta respondeti potest. Primò, concedendo peccatum esse, se ipsum sine causa infamare, & etiam interdum infamiam condonare: sed negando ex hoc casu sequi, eius remissionem nõ valere: quia etiam interdum peccat qui amittit sua bona, aut debitum remittit. c. quid dicam. 4. q. 4. Archid. in c. sicut hi. 47. dist. eius tamen remissio valet, si aliud non obstat. Secundò, quòd damnũ infamiæ principaliter tangit infamatũ, & minus principaliter bonum publicum, & sufficit condonatio eius, ad quem damnum principaliter pertinet cap. quamuis pactum. iuncta gl. de pact. lib. 6. & gl. l. de vno. de re iudic. cum adductis ibi late per Hippol. Nam si mile modij tritici mihi ab aliquo comburantur, non solum mihi: sed etiam ciuitati damnum fit, & pauperibus, qui sibi de eo prouidere emptione, aut eleemosyna potuissent: sed quia ad me solum principaliter pertinet, & ad ciuitatem & pauperes minus principaliter, mea sola condonatio comburentem illos liberat, vt copiosius vbi supra diximus. Opinio tamẽ Maioris & Caietani posset habere locum in illis quattuor casibus, in quibus supra eo num. 28. dictum est peccare mortaliter qui sese infamat. Per quæ respondetur ad noue quæsitum, quòd non solum potest condonari aliquando famæ restitutio, ad hoc vt cõdonatio valeat; sed etiam ad hoc vt condonatio sit iusta, & meritoria, quando scilicet fit iusta de causa, & aliis circumstantiis concurrentibus, cum quibus etiam alterius debiti remissio est meritoria, iuxta glo. cap. peccatum de reg. iur. lib. 6. Dixi: Alteri, quia nemo tenetur eam sibi restituere, nisi in prædictis quattuor casibus, in quibus remissio famæ non valet, & detractio est peccatum mortale.

47 Ad primum noue hic quæsitũ, An qui se mutuo infamarunt, per compensationem a restituendo excusentur? Respondeo negatiue. Tum quia non videtur esse locus in hoc compensationi per dicta, Panorm. post alios in c. bona fides. de depos. Tum quia damnum illi illatum, per reciprocam infamiam non tollitur, sicut debitum vnius per debitum reciprocum alterius. l. 1. ff. de comp. Ad secundum, quòd condonatio infamiæ factæ petenti generaliter veniam omnium detractionum excusat restitutionem earum, ad quas verisimilis intentio condonãtis extenditur. & non aliarum argum. l. cum Aquiliana. ff. de transac. Ad tertium, quòd infamatus conuersando familiariter cum infamante videtur quidem remittere iniuriam. l. non solum. §. 1. ff. de iniur. non tamẽ obligationem restituendi sibi famam quam abstulit, sicut nec alius creditor per conuersationẽ cum debitore remittit debitum. l. cum de indebito. ff. de probat. Dixi: Cessante causa, quia sunt aliquot causę ab hac restitutione

tutione excusantes, è quibus est iustus timor mortis & salutis: quamuis teneatur ad resarciendum damnũ alia via: Quia quattuor sunt bonorũ ordines; videlicet, animæ, corporis, famę, aut honoris, & pecuniæ: & bona primi ordinis sunt potiora bonis secundi, & secundi potiora tertij, & tertij potiora quarti, vt in d. repet. cõclus. 4. & seq. tractauimus: & nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum iactura bonorum superioris, quamuis sic cum iactura bonorũ eiusdem, aut inferioris ordinis, vt singulariter Caieta 2. 2. q. 62. art. 6. ad 3. & in paruis opusculis lib. 17. resp. 14. respon. determinauit. Cuius determinationem in hac traductione supra c. proximo. nu. 89. & seq. defendimus aduersum Sotum lib. 4. q. 6. art. 3. de iust. & iure.

Ad dubium autem quod videtur hoc consequi, eum, scilicet qui suo mendacio fuit causa, vt alius perderet maxima bona, excusaretur à restituendo, si restitutis eis perderet locum honoris, quem habebat in populo ratione diuitiarum? Respon. concedendo sequelam, quo ad talem restitutionem, quæ non posset fieri sine tantæ falsitatis detectione: non autem quo ad aliam, iuxta cap. officij. de pœnit. & remis. supra cap. 16. nu. 43. declaratum.

Porro ex eisdem causis est tanta obliuio dictæ infamatiõis, vt perinde sit, ac si nũquam dictum fuisset, secundum S. Anton. 2. part. tit. 2. c. 2. §. 3. ne pro restitutione famæ, reuocario infamiæ fiat: quamuis mea sententia, resarcire deberet iudicio boni viri, pecunia, beneficiis, aut laudibus damnum, si quod à tempore illatæ infamiæ vsque ad eiusdem obliuionem fuerit passus. Dixi; Ac si numquam dictum fuisset: quia si qua eius memoria restat, restitui debet. Tum quia singulariter Caiet. in 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. determinauit, eum, qui adolescens falsò apud æquales iactauit, se cum tali puella rem habuisse, & postea senex illius peccati & damni, quod proximo intulit recordatus est, apud eosdem mendacium reuocare teneri. Tum quia difficile est certo scire id in perpetuam obliuionẽ venisse, cum quod quis vno die non meminit, altero die recordetur. Tum quia interdũ tanto firmius credimus, quanto quis detractionem quam fecit post tot annos, & post tam frequentem confessionem ac cõmunionem non curat reuocare. Adde, quod Caiet. sentit huic moderationi non esse locum, nisi in detectore veri secreti. Nam secundũ ipsum impositor falsi, tenetur ad restitutionem non obstante obliuione. Quod durum nobis videtur; deberet enim sufficere saltem quærere ab eo, apud quem id imposuit, num alicuius delicti, quod de tali dixisset, meminisset? & si responderet negatiue, eum rogaret, ne ob aliquod suum delictum eum priorẽ putaret, testans sine aliqua expressione, falsum sibi dixisse.

48 Ex eisdem est etiam diuulgatio eius, quod male detectum fuit, facta alia via, quamuis teneretur restituere damnum interiecto tempore à tẽpore infamiæ vsque ad diuulgationem acceptum, vt singulariter sentit Adrian. in 4. de restit. q. 35. & nos probamus vbi supra à nu 659. & à num. 864. Dixi; *iuste*, ad significan-

dum, quod sicut nullus lædens iuste famam alterius, vel suam peccat, ita nec tenetur ad restitutionem, non autem ad significandum, quod omnis, qui detrahit iniuste ad id tenetur: excusatur enim ob prædictas causas; & quoties non dedit iustam causam credendi, vel non fuit ei adhibita fides, vel læsio fuit parua.

Vnde non obligatur accusatus de vero crimine secreto, ad restituendum famam, quã accusator amisit, eo quod illud non probauerit, si illud confiteri non tenebatur: quamuis negando peccaret. Nec etiam si confiteri tenebatur, si nõ respondet accusatorem calumniari, sed decipi. Nec quamuis respõdeat calumniari, si sibi non credatur, eo quod iudices & alij credunt, accedunt, accusatorem (quamuis intentum probare non potuerit) cõtra suam conscientiam non accusasse, vt pulchre hæc omnia Caietan. 2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 2. probauit.

49 Et contraria cõmunis, Richar. Scoti, & aliorum, dist. 15. art. 3. q. 1. & Scoti, q. 4. artic. 3. & aliorum in aliis quæstionibus ibidem, procedere potest in accusato, qui ad cõfitendum crimen obligatus, non solum illum negat: sed etiam affirmat suam accusationem calumniosam esse, & id persuadet, quidquid Caiet. vbi supra de hac re subtiliter magis, quam secure disputet. Ad noue hic quæsitum, respondeo, eum, qui ad pœnam debita minorem à iudice damnatur, eo quod negat veritatem quam tenebatur confiteri, non obligari in conscientiæ foro ad subeundã eam, ad quam damnatus fuisset confessa veritate: quia in eo non tenetur ad pœnam donec à iudice damnetur, iuxta glo. receptam in cap. fraternitas. 12. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. pro quibus tex. in §. in hac. sub cap. hue. 33. q. 2. Dixi: Ad pœnã, quia debitum & interesse citra condemnationem, immo & post iniquam absolutionem, debetur, Innocen. cum communi, in cap. quia plerique. de immu. eccles.

Nec item obligatur, qui delicta aliena à se audita otiose absque tamen affirmatione solum refert, quamuis audientes ea credant secundum Adrian. vbi supra eod. titu. sub fin. & Syl. ver. detractio. quæst. 4. Quia non dat eis iustam causam credendi, nisi circumstantia personæ, vel alia eam iustam efficeret: & nisi referẽs existimet, aut existimare debeat, quod audientes. ea ita credent perinde ac si affirmaret, per rationes positas in dicta conclu. 4.

50 Nec qui stulte refert delictum scientibus illud, quamuis tunc de illo non cogitent. Nec quando, qui dicit adeo leuis est, & qui audiunt adeo graues, vt eius dicto nihilo moueantur. Nec quando is, in quem dicitur, adeo vilis est, & absque aliqua fama in illa materia, vt nullam notabilem iacturam faciat, iuxta Adrian. in dicto Quolib. lib. 11. Nec qui peccatum alienum cum tali sui auctoris pœnitentia refert, vt absque aliqua infamia eum honoret. Nec qui solam occasionem remotam infamiæ præbuit: vt qui ioco quandam monialem interrogauit, Cur filium suum ad fores ecclesiæ aut xenodochij exponi fecisset? & illa apud Deum & homines valde queritans, apud aliquos in prauam suspicionem venit. Nec etiam iuxta Sotum lib. 4. q. 6. art. 3. de iust. & iur. detractor cõspicuus, & dignitate an recedens, restituere tenetur famam alicuius hominis infimiæ sortis; quia, vt ipse ait, eũ excusat pretiosæ famæ amissio: quam in eiusmodi restitutione faceret, vt à restituendo aliquo exiguo bono quis excusatur ob magnã iacturam suorum, quam ob id faceret. Quod vt nouum ita videtur durum in praxim deductũ, nisi alia iusta compensatio fieret, aut obtineretur condonatio.

De detectione, siue reuelatione secreti.

SVMMARIVM.

51 *Secretum cõfessionis non reuelandum, etiam metu mortis nisi vno casu.*
52 *Secretum quid & quotuplex, & cuius detectio mortalis.*
53 *Epistolæ clausæ quæ apertio mortalis.*
54 *Secreta pernitiosa reuelanda non autem alia.*
55 *Confessio, quæ multũ videtur & non est sacramentalis.*
56 *Correctio fraterna quando non necessaria.*
56 *Fama proximi seruanda quando aliter ipse potest seruari.*
57 *Reus quis confitendo crimen non peccat.*
58 *Reus quis consortes tegere, aut detegere debet.*
58 *Confessarius quos reos se & consortes reuelare iubebit.*
59 *Iudex qui reum de se & consortibus interrogando, & torquendo peccat.*
60 *Secretum nulli noxium etiam iudici iubenti non reuelandum.*
61 *Reuelatio mali proprij, & neglectus famæ quæ mortalis.*
62 *Secreti promissi detectio peior quàm non promissi.*

51 VIgesimosextò peccat confessarius, vel quiuis alius qui detegit aliquod peccatum, quod iuste, aut iniuste medio confessionis sacramentalis didicit (quamuis sit veniale (absque facultate iusta de causa à pœnitente facta. Et consequenter etiam interpres confitentis lingua confessario ignota. Et laicus cui aliquis in extrema necessitate confiteretur, & doctor, à quo consilium de confessis petitur. Et qui se confessarium finxit, quod alicuius peccata nosceret, etiam si tormentis adactus, & quamlibet maximo metu mortis id fecerit. Quia omnes isti obligantur ad subeundum potius mille mortes, quam id facere, vt prædictus Doctor, lib. de ratione tegen. memb. 3 q. fin. dixit, & nos ante ipsum copiose in cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. à nu. 116. vsque ad num. 163. & post ipsum in dict. repet. conclu. 6. scripsimus.

52 Pro cuius & aliorum declaratione dico primò, quòd secretum in genere definiri potest, esse id quod à nemine, vel à tam paucis scitur, quod neque est famosum, neq; notorium, ex mente S. Thom. 2. 2. q. 70. artic. 2. ad 2. & eiusdem & Scoti in 4. lib. sent. distin. 21. ibi receptorum. & Caieta. 2. 2. q. 11. art. 3.

Dico secundo, quod diuiditur in secretum quod de se ab vno solo sciri potest; quales sunt soli & omnes actus interiores animæ hominis: & in secretum quod de se à plurimis sciri potest; qualis est omnis

actus exterior, qui non est famosus, nec notorius. quod rursus diuiditur in tres species. Prima, quæ de se sine vlla promissione, scientem obligat ad se celandum regulariter; quale est omne occultum, cuius detectio noceret animæ, corpori, honori, vel famæ, vel fortunis alicuius. cap. si peccauerit. 2. q. 1. & notatur in cap. qualiter & quando. 1. de accusa. Secunda est, cuius celatio à sciente expresse, vel tacite promissa est. Tacite promittitur, cum id colligitur ex modo dicendi secreto, nulla de celando expressa promissione facta, vt doctor Subtilis vbi supra sentit. Tertia, ad quam celandum lex diuina positiua confessionis sacramentalis obligat, de qua supra c. 8. nu 2. Tale est omne peccatum sacramentali confessione detectum.

Dico tertiò, quòd prima species secreti præcipitur illa lege naturali generali de non nocendo proximi animæ, corpori, honori, vel famæ, aut fortunis; quæ decerpitur ex septem præceptis secundæ tabulæ Decalogi Exod. 20. quæ probãt nõ esse nocendũ proximo aliquo modo. Secundo vero prohibetur lege naturali de præstandis promissis. l. 1. ff. de pact. Tertia vero etiam per legem diuinam positiuam de seruando secreto confessionis, & ideo tam obligat, quam aliæ duæ: quia obligat quotquot illud directe, aut indirecte sciunt sub pœna peccati mortalis in omnibus casibus, vno solo excepto; scilicet quando pœnitens iusta de causa illius detegendi facultatem facit, vt in d. c. 8. diximus. & in d. c. sacerdos à nu. 30. late probauimus, vt secunda magis obligat, quam prima: quia obligat in omnibus casibus in quibus prima, & aliquot aliis. Quia qui promisit seruare secretum, ex quo seruato graue damnum alteri non infertur, non debet detegere illud, etiam præcipiente superiore. At prima species non æque obligat: quod enim quis scit aliter quam per secreti commissionẽ, tenetur reuelare superiore præcipiente, etiam si ex eo seruato nullus læderetur, secundum S. Tho. 2. 2. q. 70. ad 2. Verum est tamen, quod promissio seruãdi secreti parui momenti non obligat, nisi ad summum ad veniale, vt recte Caietan. dixit in dicto artic. 1. Sicut nec secretum de occultis parui momenti: & venialibus obligat ad maius. Nõ enim magis pecco detegẽdo risum tuum immoderatũ venialem secreto mihi dictum, quam si eũdem secreto à te fusum detegetẽ, secundum eundem.

Dico quartò, quòd omnis detectio peccati confessione sacramentali derecti, aut per eius medium sciti, est peccatum mortale, excepto casu prædicto, siue illud secretũ sit, siue publicum, siue graue, siue leue, secundum omnes. Quamuis interdum sit mortale triplici ratione; vt cum peccatum detectum est occultum & graue: quia eius celatio, est tacite promissa. Interdum duplici; vt cum est publicum & leue. Interdum vero vna tãtum; vt cum est leue per prædicta: veluti quando peccatum confessum est parui momenti, aut publicum: tunc enim non est peccatum mortale, nisi per legem diuinam & canonicam, quamuis sit veniale ob eius secretum tacite à confessario promissum. Vnde videtur, quod

quod cõfessarius, qui reuelaret peccatum graue, teneretur confiteri circumstantiam prædicti duplicis, vel duplicis vinculi, si adesset, per prædicta supra c. 6.

Dico quintò, quod detectio secreti aliarum duarum specierũ, est mortalis, nisi fiat in casu à iure permisso, aut res sit tam parui ponderis, quòd eius detectio nemini notabiliter noceat, & absque intentione notabiliter nocẽdi fiat: quia quamuis id obuiet legi naturali prædictæ de non nocendo, nec reuelando malo secreto, vt secreto commisso: propter tamen paruitatem damni definit esse mortalis, sicut mendacium etiam est contra illam, & non est mortale, nisi sit notabiliter nocens, vt dictum est supra eod. nu. 2. Et furtum paruæ rei contra legem quidẽ naturalem est leg. 1. ff. de furt. non est tamen mortale per prædicta supra c. proximo, nu. 2. Ratio autem, quare detectio peccati etiam leuis confessi sit mortalis, est, quia licet per eam parum lædatur proximus: plurimum tamen læditur sacramentum confessionis, & publica vtilitas, quatenus retrahit pœnitentes à confitendo, ne confessa peccata publicentur. quæ colligitur ex c. si diligenti. & notaris ibi de foro compet. Oportet autem, vt sciatur secretum esse parui ponderis, ad hoc vt eius detectio nõ sit mortalis: quia si probabiliter dubitetur, an sit grauis ponderis, mortalis esset. arg. c. si quis autem. de pœn. dist. 7. & eorum, quæ ibi late tradimus.

53 Vigesimoseptimò, peccat mortaliter qui referat, aut legit litteras obsignatas, aut scripturas alienas, quę in secreto obseruabũtur, animo lædendi aliquem notabiliter, vel lædendo, aut aduertens, vel aduertere debens, quod inde posset notabile damni sequi, per prædicta supra eo. c. nu. 2. nisi ex consensu expresso, aut tacito eius, à quo, vel cui mittuntur, id faciat, aut de auctoritate legitima. arg. l. iuste. ff. de acquir. poss. vt tempore belli Præfecti finitimis hostium locis eas referant. Prælatus item & prælata eas, quæ suis monachis, aut ab eis mittuntur c. non dicatis. 12. q. 1. Peccat autem, sed non nisi venialiter, qui aperit sine consensu, imprudenter, putans eas ad se missas, aut ob curiositatem, sine vlla intentione nocendi notabiliter, & sine vllo nocumẽto notabili, aut periculo probabili eius inferendi, sola causa sciendi noua, vel captandi risum ex barbara compositione, aut ex eleganti voluptate. Quia id non est contra charitatem Dei & proximi necessario habendam: peccaret tamen mortaliter, si id faceret cum prædicta intentione, vel prædicto nocumento, aut periculo certo vel probabiliter dubio nocendi: quia est falsarius, vt ait glo. approbata c. cum olim. de offi. del eg. & quia vtitur re aliena cõtra voluntatem domini, & ita admittit furtum, l. 1. ff. de furt §. placuit. Insti. de oblig. quæ ex delict. & per alias rationes, quas scripsimus in d. cap. sacerdos. Nec obstat, quòd hæc ratio videtur idẽ concludere in casu proxime præmisso: quia in illo paruitas, vel (vt ita dixerim) nullitas damni excusat à mortali, vt in quacunque alterius præcepti materia, iuxta dicta in c. 11. num. 7. Adde his illud quotti-

dianum S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 22. §. 5. singulariter asserentis, inimicum mittentis, vel eius cui mittitur, epistolam absque aliquo peccato referare posse, si per illam aliquod damnum sibi parari iuste timet. Quod videtur habere locũ etiam quando probabiliter timetur datum iri per eam aliquod damnum iniustum alteri, & quo illud impediat illam resignat, arg. cap. non in inferenda & eorum quæ ibi congerimus 23. q. 3. cauendo tamen, quoad eius fieri poterit, ne cui vllum damnum iniustum infera tur, arg cap. cum cessante. de appel.

54 Vigesimooctauo, qui secreta in iniustam aliorum pernicié non vergentia ciuitatis, concilij, aut exercitus ad eorum magnum damnum re uelat, etiam si metu tormentorum, aut amissionis vitę id faciat, per prędicta. Vnde sequitur Hispanum à Gallo in bello captum, quantalibet tormentorum vi torqueatur, non posse, salua conscientia secreta iusta exercitus Hispani, ad ipsius confertionem necessaria detegere: nec cõtra, Gallum Hispanis secreta exercitus Gallicani. Nec illum, qui delictum alienum secretum violenter sciuit, vt idem prędictus Doctor singulariter affirmat. Quamuis hoc, & quod de secretorum testium litigãtium detectione nullis tormentis facienda dixit, moderanda nobis videntur, vt solũ procedant, in damno irreparabili, vt quia mors, vel mutilatio membri sequeretur: non autem quando sola pœna pecuniaria, vel alia ex illis quæ facile à detegente reparari potest timetur, vt ibidem innuimus.

Dixi: In iniustam aliorum perniciem non vergentia: nam talia reuelari possunt, exemplo illius prudentissimi & fidelissimi Chussai qui cõsilia Absalonis pessima Dauidem admonuit 2. Reg. cap. 17. & Eliśei, qui iniqua secreta Regis Syriæ Israelis Regi denunciauit, 4. Reg. cap. 16. Non enim peccat, immo bono fungitur officio, qui denunciat cui, quando, & quomodo oportet, peccatores, peccata, & stratagemata dãnosa reipub. aut proximo, quia hoc iure potest & debet fieri, vt latius in d. cap. sacerdos. nu. 14. & seq. probauimus per cap. non in inferenda. 23. q. 3. & §. 1. dist. 83. cap. quantæ. de senten. excom. & cap. ipsa pietas. 23. q. 4. & alia, de quibus est cap. præterea. 2. de sponsa. quatenus habet, eum qui scit aliquem rem habuisse cum consanguinea eius, quam vult ducere, teneri denunciare, quo iniustũ matrimonium & peccata, quæ ex eo orirentur impediantur. Quæ etiam procedũt in presbytero: potest enim etiam ille proditiones, homicidia & alia delicta parata denunciare absque periculo irregularitatis ob id incurrendæ, modo protestetur, se id solum facere ad cauenda mala quæ imminent, vt sine sanguinis effusionis pœna impediantur, vt pulchre Caieta. 2. 2. q. 33 artic. 7. probat. Pro quo sunt cap. episcopus. ne cler. vel monach. lib. 6. & cap prælatis. de homicid. eo. lib. licet protestatio solum videatur necessaria quo ad forum exterius, per dicenda infra cap. 27. Presbytero, inquam etiam iurato seruare, & non detegere illa secreta secundum Innocen. recept. in cap. qualiter. 1. de accusa. Panor. in c. dilecta. de excess. præla. & alios alibi.

modo illa aliter quam per confessionem sacramentalem nouerit. Per eam enim solam cognita in nullo mundi casu detegi possunt, iuxta communem & veram opinionem, quam copiose in d. cap. sacerdos. à nu. 116. ad. 151. probauimus, excepto vno, de quo ibi, & supra proxime, nu. 51. & c. 8. nu. 17. diximus.

53 Dixi: Sacramẽtalem, quia oportet esse talem, per quam pœnitens vere confiteatur peccata sua, non enim sufficit dicere, Hoc tibi dico in confessione, iuxta Inno. Panor. & communem in cap. omnis de pœnit. & remis. etiam si genibus flexis, & signo crucis fronte signata, id fiat, absque proposito confitendi peccata, & absolutionem accipiendi. quia talis detectio non est sacramentalis, nec maiori secreti vinculo obligat, quàm aliud extra confessionem detectum, vt recte determinat Sotus vbi supra, memb. 2. q. 7. art. 1. & ante ipsum clarius & firmius Caieta. 2. 2. quæst. 70. artic. 1. quem ille non refert, cuius rei ignorantia multi grauiter errant, & eis, quibus detegunt, ingerunt scrupulos, an debeant illa detegere, dum super eis denunciãdis fertur excommunicatio, vel vt testes coram iudice sistuntur, vel vrgentur necessitate denunciandi, eo quòd sunt reipub. aut proximo pernicioſa.

56 Aduerrendum tamen, quòd detectio peccati occulti, etiam alteri pernicioſi, non licet, nisi fraterna correctione præmissa, iuxta illud Matth. 18. *Si peccauerit frater tuus.* relatum in cap. si peccauerit. 2. q. 1. & in cap. nouit. de iudic. præsertim si ea sciens probabiliter credit, suis preceibus, & admonitione secreta, illa impeditum iri, secundum S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 7. receptum communiter. Diximus: Probabiliter credit, alioqui enim posset & deberet statim iudici denuntiare. Ex quo sequitur in proditionibus contra rempub. paratis, & hæresibus ad docendum alios directis rarò fraternam admonitionem secreram necessariam esse. rarò enim quis probabiliter credere potest, proditionẽ, & hæresim sola monitione omnino cessaturas. Aduertendum item, quòd tunc demũ oportet denunciare personas & delicta, quando ad occurrendum imminentibus malis id esset necesse: quia si sufficeret generalis admonitio, quod aliqua mala parantur, non esset facienda declaratio specialis: & si sufficeret sola specialis delictorum, non esset facienda personarum, vt S. Tho. Quolib. 11. art. 12. determinauit, & nos latius in d. cap. sacerdos. nu. 14. & seq. scripsimus, vbi multis rationibus probauimus, seruandam esse famam proximi, quoties sine illius detrimento, eius animæ mederi possumus. Aduertẽdum itemquod sicut bene facit, qui fraterna correctione præmissa, bono animo crimen occultum ecclesiæ denunciat) quia quamuis sit qui defendat, correctionem fraternam non esse lege diuina speciali præceptam, nemo tamen fere est qui neget, eam lege generali charitatis præceptam:) ita qui malo animo id facit, verus coram Deo detractor est, secundum sanctum Tho. vbi supra art. 12.

57 Vigesimonono peccat qui rem secundum iuris ordinem interro-

gratus, sua delicta secreta grauia nõ confitetur, & contra qui confitetur illa contra iuris ordinem interroga tus, secundum mentem omnium. Dicitur autem interrogatus secundum iuris ordinem semper & solũ, quando tria concurrunt. Primum, quod iudex interrogans sit competens. Secundum, quod delictum sit probatum plene, vel saltẽ semiplene, hoc est saltem per vnum testem omni exceptione maiorem, vel per indicia illi æquipollentia, vel per infamiam plene probatã. Tertium, quod sit notificata illi huiusmodi probatio, vt sciat, in quo statu est, vt colligitur ex S. Tho. 2.2. q. 69. art. 1. & 2. & Caiet. ibidem eum pulchre declarante, quos vbi supra etiam latius muniuimus per cap. quando. versi. non tibi dico, vt te prodas. de pœni. dist. 1. & c. si omnia. 6. q. 1. &c. 2. de maior. & obed. & cap. 2. de confes. & alia, quibus probatur, neminem se debet prodere, & quemlibet scientem se iam proditum per semiplenam probationem debere iudici præcipienti, vt fateatur, parere.

58 Trigesimò qui reos consortes suos occultos nõ detegit in casibus, in quibus id facere debet, aut contrà detegit, in quibus non debet. Regulariter autem non debet, sed solum in casibus expressis, & notat. in c. 1. de cõfess. l. 1. C. de custod. & exhib. reor. l. fin. ff. ad exhib. l. latrones. l. diuus Adrianus. ff. de custod. & exhib. l. prouinciarum. C. de feriis. & l. 4. §. mandatis. ff. ad l. Iulia. pecu. de quibus est crimen falsæ monetæ, l. 1. C. de fals. mone. & maleficij. l. fin. C. de malef. & mathẽ. proditionis, l. pen. & fi. C. ad legem Iul. maiesta. & hæresis, cap. in fidei fauorem. de hæret. libro 6.

Quibus addo, quod rei, qui contra se confessi sunt, etiam non interrogati, debẽt declarare socios, quos iuste credunt præteritorum non pœnitere, immo paratos esse ad noua, cum magno damno publico, aut priuato committenda, nec per euangelicam correctionem correctum iri, quales sunt regulariter latrones, nummorũ falsarij, hæretici, stryges: fascinatores, & alij similes per dicta in d. repe. cap inter verba. conclu. 6. Quinimmo confessarij eiusmodi reos monere debent, vt tales socios denuncient, vt particulariter dixit Sot. de ratio. tegen. mẽb. 1. q. 6. pag. 17. quod si non fecerint, nostra sententia, ita peccant hi non admonendo, & soluendo, ac illi non denunciando: absoluunt enim impœnitẽtes contra ius diuinum, & humanum cap. pœnitẽtia. 1. & 2. de pœnit. dist. 3. cap. peccati venia. de reg. iur. lib. 6. & c. legatur. 24. q. 2.

59 Trigesimo primò peccat iudex, qui interrogat reum de se ipso, vel de consortibus suis præter iuris ordinem: quia iniuste dat causam notabilis infamiæ proximi, dum extra potestatem suam inquirit contra l. fi. ff. de iurisd. omn. iud. & c. 2. de consti. lib. 6 Idem si contra omittit interrogare, cum debet, secundũ eundem iuris ordinem: quia præiudicat notabiliter reipub. cuius interest delicta puniri, l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. & cap. vt famæ. de senten. excom. Quis autem ille sit iuris ordo, secundum quem debet, vel non debet interrogare reũ de se, in præcedenti modo peccandi dictum est.

De

De consortibus autem non debet interrogare, nisi in casibus à iure expressis: & in illis non nominatim, an sint illi, aut illi: sed generatim, an sint aliqui: & quòd doceat, reum, si videt eum nescire, aut faciat facultatem ei consulendi confessarium, an teneatur, & quos reuelare: alioquin enim non auderem excusare illum à peccato mortali, præsertim si id faciat persuasus, iustum esse per fas, aut nefas detegere crimina, & quocunque modo seueri iudicis atque executoris famam sibi comparare, contra l. respiciendum. ff. de pœnis, cogendo reos ad bene, vel male detegendũ omnes suos socios, etiam iam coram Deo emendatos, etiam si nulla fama, neque indicium sit contra illos. Et minus excusare auderẽ eum, qui tormentis cogit reos ad reuelandum socios, etiam in casibus, in quibus interrogare permittitur, quãdo nulla fama neque indicium, nec præsumptio legitima dictat, eos habere socios, vt recte Salic. in l. fi. q. 2. C. de accus. concludit. Neque eos, qui in Castella & Italia torquẽt reos de suis delictis conuictos testibus, vt confiteãtur, quò beneficium appellationis amittant, contra communem Theologorum & Iurisperitorum sententiam: nisi cum adeo clarè sunt conuicti, quòd in conscientia tenentur confiteri, & iuste Iudex præsumit ob solam malitiam differendi iustitiam eos pernegare, vt late in d. repet. cap. inter verba. concl. 6. scripsimus, limitando communem in hoc casu.

60 Trigesimo secundò, peccat qui peccatum sibi secretò communicatum, quod non vergit in graue damnum alterius, etiam iudice competenti præcipiente, reuelat secundũ S. Tho. 2.2. q. 69. art. 2. Immo etiam quando vergit in damnum alterius, si alia via potest illud excusari. quin & quando alia via excusari non potest, id solum est detegẽdum, quod remedio est necessarium. Nam dictum S. Bonau. qui contrarium videri potest alicui sentire, reducendum est ad prædicta.

61 Trigesimotertio peccat episcopus, aut alius prælatus, aut publica persona ad aliorum saluti prouidẽdum constituta, quæ se ipsam infamat, aut se notabiliter infamantibus non resistit; aut modeste suæ famæ restitutionem non petit, secundum S. Tho. Quolib. 10. ar. 13. Licet alij religiosi, quibus sola propriæ salutis cura est, iuste possint ferre patiẽter, quatenus eos tangit, nisi charitas Dei, aut proximi contrarium requirat. Magis enim quandoque prodest proximus alacris patientia falsæ infamiæ, quàm eius contradictio. Nec ob id propriam famam negligunt, cum eam Deo offerant, vt sentit. S. Tho. vbi supra, & explicat Caieta. in Summa verb. famam propriam. Dixi: Nisi charitas, &c. quia sicut quiuis religiosus licitè curam de sua fama habere potest, & eã tueri: ita si detegit inter personas ad se imitandum paratas, secus faciendo peccaret graiter, iuxta glo. receptam in cap. semel Christus. de consecra. dist. 2. per dictum cap. nolite. &c. non sunt audiendi. 11. q. 3. & à fortiori si se ipsum infamat. arg. cap. si non licet. 23. q. 5.

Trigesimoquarto peccat qui interrogatus iuridicè in visitationibus de peccatis publicis, aut satis gene-

raliter de peccatis nulla expreſſione facta de occultis, aut iniuſtè facta expreſſione de illis, reuelat occulta, ſiue ipſi fuerint ſecreta detecta, ſiue ipſe viderit ea in ſecreto fieri, ſi non erant præparationes ad aliis nocendum, aut ſi denunciat, quæ probare non poteſt, iuxta illud Prouer. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat amici commiſſum*, relatum in cap. qui ambulat. 5. q. 5. S. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 1. quod quatuor decretis, & aliis confirmamus in repet. cap inter verba. 11. q. 3. concluſ. 6. Tum quia quamuis iuret ſe dicturum, quod ſcit, vere reſpondere poteſt ſe illa neſcire abſque periurij metu, intelligendo intra ſe, illud ſe non ita ſcire, vt detegere teneatur, Henric. de Gandauo, Quolib. 9. in prin. Adria. in 4. de correct. frater. §. oſtenſis. col. 6. quidquid dicant Geneſius à Sepulueda & Sotus, quod neruoſius poſtea confirmaui in cap. humanę aures. 22. q. 5. Tum quia qui iurat dicere, quidquid ſcit, intelligitur iurare dicere, quod licite poteſt, & non amplius, arg. cap. 1. de iureiuran. lib. 6. & l. ſi procurator, ff. de condit. indebi.

62 Trigeſimoquintò peccat qui ſecretò ſibi commiſſum diuulgat, aduertens, aut aduertere debens inde ſequuturum alterius notabile damnum, aut notabilem diſcordiã: licet non ſit expreſſe rogatus, nec promiſerit ſecretum, etiã ſi eræ tale, quod prima facie eius detectio non videretur nocitura, rogatus tamen, eius ſecretum promiſit, & poterat ſubeſſe aliqua ratio, ob quam illud roganti notabiliter conueniebat celari. Quamuis ſolum ſit venialis detectio ſecreti, quam cõſtat nemini notabiliter nocituram, vt recte Caiet. 2. 2. q. 70. art. 1. reſoluit per ſupradicta, & in cap. ſacerdos. de pœn. diſt. 6. ad nu. 30.

De nono præcepto, Non concupiſces vxorem proximi tui.

Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Amari ſe velle amore mortali, mortale.*

1 CONtra hoc præceptum eiſdem modis peccatur, quibus contra ſextum, quia vtroque eadem explicite, vel implicite prohibentur. Quare modis peccandi contra ſextum, poſitis in cap. 16. ſolum addimus, quod peccat mortaliter, qui, vel quæ deliberate cupit, vel gaudet amari amore libidinoſo mortali ab alio, vel alia: quamuis non ſic amet, quia conſentit peccato mortali ſuo, vel alieno, iuxta dicta ſupra, cap. 11. nu. 11. vbi dictum eſt quando voluntas, vel conſenſus in proprium, vel alienũ peccatum, & delectatio moroſa ſint mortales.

De decimo præcepto, Non concupiſces rem proximi tui, & de conſiliis euangelicis.

Cap. XX.

SVMMARIVM.

1 *Concupiſcentia inordinata rei notabilis, & mortalis eſt.*

2 *Ludus quid, & duplex, & quis venialis, & quis mortalis.*

3 *Ludus cauſa principalis lucrandi negotiatio, & communiter mala, & nume. 4.*

5 *Ludens ludo vetito ſibi lege ad mortale obligante, & etiam licito ab imponente donare, vel coacto, vel dolo, mortaliter peccat, & 11.*

6 *Lex an nulla iuris communio ludi obliget ad mortale.*

7 *Ludus omnis aleæ, & principaliter ob lucrum prohibitus.*

7 *Ludus omnis etiam induſtriæ principaliter ob lucrum, ſaltem venialis. & 8.*

9 *Ludus aleæ rei notabilis clerico ſacrato, & monacho mortalis & 10.*

11 *Ludus de ſe nullus laico mortalis, & qui ciglorioſus.*

13 *Ludere quis dicatur coactus.*

14 *Ludi ſpectator clericus magis peccat quàm laicus.*

15 *Ludentium ſuſceptores, &c. vt peccent.*

16 *Peccantiũ miniſtri quando peccant.*

17 *Ludens diſſimulans peritiam, fallens, & non monens. vt peccat.*

17 *Ludens credito ni iuret, non ſoluat, & tunc. &c.*

17 *Iurans ſoluere perdita quid faciet.*

18 *Promiſſio reciproca, ſiue ſcommeſſa, vel apueſtra quæ licita.*

18 *Ludo quæſita non reſtituenda, niſi &c. & nu. 19.*

1 CONtra hoc decimum præceptum peccat mortaliter. Primo quicunque inordinatè contra iuſtitiam concupiſcit aliquid notabile. Dixi: Inordinate: quia qui concupiſcit ordinate per emptionem, permutationem, hereditatem, aut alium iuſtum titulum, non peccat. Dixi: Contra iuſtitiam, & notabile: quia qui concupiſcit inordinate contra ſolam liberalitatem, vel parum contra iuſtitiam, ſolum venialiter peccat per citata in addit. cap. quando. de conſecr. diſt. 1. & ſupra in cap. 11. nu. 4. & cap. 17. num. 1. iuxta mentem S. Tho. 2. 2. quæſt. 59. artic. 4. & quæſt. 168. art. 3. explicatam ibi per eius commentatorem. Et quia hic ſolum agimus de tranſgreſſione huius præcepti per ludum, & iocum, quia de aliis ſupra capit. 17. actum eſt, pauca de illis præmittimus.

2 Primò, quòd ludus & iocus eſt actus principaliter factus ad recreãdum animum per voluptatem ſecũdum Ariſt. 4. Ethic. & S. Tho. 2. 2. q. 168. artic. 2. Dixi: Principaliter: quia qui magis fit ob lucrum, vel alium finem, quàm ob animi recreationẽ non eſt proprie locus, nec ludus, ſed actus alterius virtutis, vel vitij, qui cum ſit factis, appellatur ludus, cum autem verbis, iocus. Et eſt duplex, bonus & malus. Bonus eſt, qui fit ad honeſtam animi recreationem ſine vlla mala circumſtantia, ex quo frequentato generatur habitus & conſuetudo honeſte ludendi, & iocandi, qui eſt virtus, quam Ariſt. vbi ſupra Eutrapeliam vocat. Et quia omnis virtus moralis inter duo vitia extrema exceſſus, & defectus interiacet, iuxta eundem & gloſſ. ſing. in §. hęc quæ. de pœnit. diſt. 1. ſub c. charitas 3. Ita hæc interiacet inter exceſſum inordinatũ ludendi, & inter defectũ inordinatum ab eo abſtinẽdi, vt in d. quæſt. 168. art. 3. & 4. probat S. Thom. longe tamen frequentius peccatur per exceſſum, quàm defectum: quia ludo & ioco æque parce condienda eſt vita, ac ſale cibi, iuxta Cicer. 1. Offic. receptum.

Secundò præmittimus, quòd ludus, & iocus malus eſt, qui lege vetatur.

tatur, vel circumſtantia mala veſtitus, vt plurimum autem, & ſuo genere eſt venialis, quis autem ſit mortalis, infra dicetur nu. 4.

3 Tertiò præmittimus, quòd ludus exercitus principaliter animo lucrandi potius eſt negotiatio, quam ludus, vt ex ſuprà dicta definitione colligitur, quæ negotiatio fere ſemper mala eſt. Tum quia per eam auferuntur amicis, quibus erat dandum, vt ait Ariſtotel. Tum quia per eam quis aſſueſcit bonis aleæ ſubiiciendis, & multum temporis terere. Tum quia eſt occaſio, vt coniuges, liberi & famuli paruifaciant damna bonorum, & cuſtodiam eorum, cum maritum, fratrem, aut herum vno aleæ iactu, tantum bonorum iacturam facere videãt. Tum quia paucissimi, aut nulli per eam diteſcunt, immo per eadem multa mala, & vitia imbibũtur, vt Oſtien. admonet in ſumma, de exceſ. prælat. Dixi: Fere, quia finis prouidendi neceſſitati cum probabili credulitate lucrandi à diuite, vel preces, aut iuſſus amici, aut ſuperioris diuitis, poſſent quandoque huiuſmodi ludum, & negotiationem honeſtare, argum. eorum, quæ ait S. Thom. de mercatura 2.2. quæſt 77. artic. 4.

Quartò præmittimus quòd ludus non ſit mortalis ex ſola circumſtantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiam notabile, ab eo, qui donare poteſt, vt probat Caiet. 2. 2. q. 168. art. 3. & in Summa, verb. ludus. Neque etiam ex nimio, & ardenti ludendi apperitu: niſi cum extenditur ad alicuius legis, quæ obligat ad mortale, violationem. Qualis eſt eorum, qui noctes in dies, & dies in noctes vertentes, miſſas præceptas omittunt, aut ſubeunt periculum amiſſionis bonorum, ſine quibus nequeunt ſuſtẽtare vxores, liberos, ac reliquam familiam ſuſtentãdam de præcepto, aut debita ſtatuto tempore ſoluere, aut putantur inepti ad munera bellica & ciuilia reipub. eis ad illa notabiliter egentis, & timentis, ne pecuniam ad ea neceſſarium eis datam ludo perdant, ſimul & deplorantis eorum vicem, quòd cum ſint aliàs rebus egregie agẽdis apti, ob hanc vnam rem ad id reputãtur inepti. Neque etiam ex circunſtantia loci ſacri: quia nullo id iure cauetur, niſi cum ſpecialiter talis in eo ludus prohibetur, qualis eſt comœdia rerum profanarum, capite cum decorem. de vita & hone. aut niſi fiat cum notabili ſcandalo, vel irreuerentia Dei, vel eccleſiæ. cap. decet. §. ceſſent. de immu. eccleſ. lib. 6. Immo ſine vllo peccato & cum merito poteſt quis in eo ob honeſtam cauſam ludere, puta, quò infirmus, qui illic eſt recreetur, quò otiũ pellatur, aut ſolatium capiant milites, qui eum tempore belli cuſtodiunt: quãuis ſine vlla iuſta cauſa id ibi facere ſit ſaltem veniale iuxta Caiet. in dicta quæſt. 168. art. 3. Neque ex circunſtantia perſonæ. Nam ſine vlla culpa, etiam veniali, clericus & monachus interdum etiam talis & chartis luſoriis ludere poteſt ob honeſtam cauſam, puta ad excitandũ vel recreãdum ſocium ægrotum ea re indigentem, modo non frangat legem vllam ad mortale obligantem, de qua infra, num. 6. Neque ex circunſtantia temporis quia quamuis peccatum ſit totum diem

diem feſtum in ludis præſertim operoſis conſumere, quales ſunt ludus pilæ, prælij vmbratilis, & ſimiles: mortale tamen non eſt, niſi miſſa, aut aliud diuinum officium præceptum, vel votum omittatur. Neque ex eo, quod potius fortuna & euentu, quàm induſtria nitatur, niſi alioqui lege prohibeatur: quia immo ludus, qui in quantum talis ad relaxationem animi fit, tanto aptior eſt, quanto magis fortunæ, quam arti & induſtriæ nititur: quia intentionem animi magis remittit: & ita contra vulgi opinionem, omnium ineptiſſimus eſt ludus latrunculorum, quem Itali Scacchorũ, Hiſpani vero Axedrez, & Galli Eſchez vocant: quia is minus, quàm alij animum relaxat: quamuis magis liceat, quàm aliquot alij, qui lege prohibentur, iuxta gloſſ. receptam in authent. interdicimus de epiſc. & cler. & gloſſ. cap. clerici. 2. vbi Panor. & alij, de vit. & honeſt. cler.

4 Secundò peccat mortaliter contra hoc præceptum, qui ludit cum irreuerentia notabili Dei, vel dictis & factis in ſe mortalibus, vel mortali circumſtantia veſtitis. Dixi: Irreuerentia Dei, ob c. cum decorem de vita & honeſt. cleric. & cap. decet. §. ceſſent. de immu. eccleſ. lib. 6. & concil. Triden. ſeſſ. 4. §. fin. quod grauiſſime in hæc fere verba prohibuit: *Mandat, & præcipit ſancta Synodus, ne de cetero quiſquam vllis ſacræ ſcripturæ locis vtatur ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libelles etiam famoſos.* Dixi: vel dictis, &c. ad includendos ludos impudicos, & alios de ſe mortiferos, argu. cap. nec ſolo. 33. quæſt 5. & trad. ſanctus Tho. 2.2. qu. 154. art. 4. Dixi, Vel mortali circumſtantia veſtitis, ad includendos ludos, qui fiunt cum notabili ſcandalo, aut cum notabili alterius nocumento, vel periculo eius probabili arg. cap. nihil. de præſcript. & cap. 1. de tornea. & cap. ad audientiam. de homic. & ad excludendos ludos, qui fiunt cum circunſtantiis animi principaliter lucrãdi, nimietatis, ardoris, & auiditatis ludendi, ſacri loci, temporis, vel perſonę ſine prædicto ſcandalo & nocumento & periculo, & trangreſſione alterius legis ad mortale obligãtis: hi enim licet, vt plurimum, ſint mali, non tamen ſunt ob hoc mortales per proxime dicta.

5 Tertiò peccat mortaliter quicunque ludit rem notabilem ludo prohibito ſibi lege obligante ad mortale: vel ludo licito cum eo, qui donare non poteſt, vel a potente donare ad id metu coacto, vel per dolum, & fraudem decepto: Dixi: Notabilem, quia paruitas excuſat à mortali, vt ſupra dictum eſt, cap. 11. num. 4. & alias ſæpe. Dixi: Ludo prohibito ſibi, quia multis prohibetur aliquis ludus, qui non prohibetur aliis, nam multis interdicuntur voto, iuramento, aut ſtatutis Collegiorum & cœnobiorum aliqua genera ludorum, quæ aliis non ita vetantur.

6 Dixi: Lege obligante, &c. qualis an ſit vlla humana iuris communis, quæ poteſt? & reſponderi primò, lege obligante, ſaltem ad veniale prohiberi communiter omnem ludum, qui magis nititur caſu & fortuna

ſuna, quàm induſtria & arte, quo luditur ob lucrum principaliter, cap. epiſcopus 35 diſt. & l. 1. ff. de aleæ luſu & aleat. & authent. alearum vſus. C. de relig. & ſump. funer. & c. clerici. 2. de vita & hon. cler. Quibus omnibus tam laicis, quàm clericis interdicitur ludus aleæ in vniuerſum, per quam ſignificatur omnis ludus, principalius nitens ſorte, aut caſu, quam induſtria & arte ex mente omnium, de quibus eſt ludus ad tabulas per d. auth. interdicimus. C. de epiſc. & cler. & §. interdicimus. auth. de epiſ. coll. 9. vnde illa ſumitur, qui licet multum nitatur induſtria, magis tamen fortuna, de quibus videntur etiam eſſe ludi chartarum luſoriarum, quorum aliqui magna quidem induſtria nituntur, ſed maiori fortuna. Dixi: Quod luditur ob lucrum principaliter, &c. ad excludendum eum, quo potius cauſa honeſtæ recreationis, quàm lucri paruo tempore luditur, vt quo a prandio, vel cena luditur cauſa ſolarij, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito, vel ſolum alicuius eſculenti, vel proculẽti, quod bis lucrifactum ſemel ſoluatur, vel ſpirituali lucro precum aliquarum pro vincente a victo dicendarum. Tum quia id permittitur per l. quod in conuiuio ff. de aleæ luſu. & aleat. iuncta gloſſ. eius, & gloſſ. d. cap. 1. 35. diſt. & gloſſ. l. ſi tibi. §. 1. ff. quarum rerum actio non dat. Tum quia ratio legis, quæ tales ludos vetat, eſt refrenare auaritiam, quæ ceſſat in prædictis, & conſequenter ipſa lex, iuxta l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patron. & cap. ſuggeſtum. &c. meminimus de appel. & theotiã Panor. ſuper eis poſitam & receptã.

8 Secundò dico, quòd ſimili lege prohiberur etiam ludus induſtria & arte potius, quàm fortuna nitens, quo æque, vel principalius, luditur cauſa lucrandi, quàm relaxandi animum. Tum quia eſt inordinatus lucrãdi actus, cum rei in vnum finem ordinatæ ſit vſus in alium fere ſemper contrarium: quia ludus ad honeſtam animi recreationem inuentus, vertitur in negotiationem turpem, eandemque intendentem & fatigantem ipſum contra cap. fin. de verb. ſignif. l. legata inutiliter. ff. de adim. legat. Tum quia dicta auth. alearum permittens quattuor genera ludorum induſtria & arte magis quàm fortuna nitentium, vetat ne præmium maius, quam vnius ſolidi proponatur vincenti, tacite prohibens, ne principaliter auaritiæ cauſa ludatur etiam ludo permiſſo, tacite etiam limitans. l. 2. ff. de aleæ luſu. quę permittit ludi pecunia ſaliendo, currendo, luctando, &c. qui ſunt ludi magis induſtria, quàm fortuna nitẽtes, ad pecuniam vnius tãtum ſolidi.

9 Tertiò dico, quod lege, etiam ad mortale obligante, prohibẽtur monachi & clerici beneficiarij, vel in ſacris ordinibus conſtituti ludere huiuſmodi ludis aleæ, ſiue fortunæ illicitis, notabilem quãtitatem, præſertim de fructibus beneficiorum eccleſiaſticorum. Tum quia prædictam iuſtam legem canonicam tranſgrediuntur. Cum quia præfatum cap. 35. diſt. & ca. inter dilectos. de exceſſ. prælat. iubent clericum ab aleæ luſum deponi ab officio, vel beneficio: quod mortalem culpã præſupponit, argu. c. non afferamus. 24. q. 1. Et ita hoc Ioann. Maior. Adr. &

& Caiet. vbi ſupra ſignificant. Tum quia in profanum & malum vſum reditibus in pium dicatis vtuntur, contra illa multa, quæ citauimus in Apolog. lib. de redit. eccl. q. 1. monit. 27. Tum quia conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. de reform. præcipit ſeruari iura ante illud per Papas, & alia concilia ſuper ludo, & luxu clericorum ſtatuta. Dixi: Præſertim de fructibus beneficiorum: quia idem puto quo ad peccatum, licet non quo ad reſtitutionem, de his, qui ludunt de bonis patrimonialibus, nam ratione ſolius ordinis & poſſeſſionis interdicuntur eis huiuſmodi ludi. Canones enim prædicti ſine vlla fructuum beneficiorum mentione prohibẽt eis huiuſmodi luſus, vt videre eſt in eis, fũdatis in illo dicto Apoſt. *Nemo militans Deo, &c.* Dixi: Beneficiarij, vel in ſacris ordinibus conſtituti, ad ſignificandum, quod de aliis idem, quod de laicis eſt cenſendum, per doctrinã Panor. Cõmuniter receptã in c. clerici. 1. de vit. & honeſt. cler. & in c. 1. & 2. de poſtul.

Quartò dico, quod non audeo dicere tam graui lege humana prohiberi laicis luſum, etiam principaliter ob lucrum, etiam magnum. Tũ quia prodigalitas eorum de ſe non eſt mortalis, vt S. Thom. receptus ait 2. 2. q. 185. artic. 7. & ſupra eodem, num. 1 ſignificatum. Tum quia non videntur in hoc ſubmitti prædictis canonibus. Tum quia leges prædictæ ſæculares ſuper hoc latæ non videntur obligare ad mortale: ſiue quia intentio legiſlatorum non fuit illa, iuxta dicenda infra cap. 23. ſiue quia quo ad hunc effectum non videntur receptæ, cum in omnibus mundi partibus cuiuſque ordinis laicos videamus magnam pecuniarum ſummam, & maximam eorum partem principaliter propter lucrũ ludere, & a confeſſariis ſine propoſito nunquam ita ludendi abſolui: quod facere nequirent, ſi in eo mortaliter peccarent, cap. pænitentia. 1. & 2. de pænit. diſt. 3. ſiue quia leges illæ non tractãt de materia iuſtitiæ, ſed temperantiæ, vel modeſtiæ, quæ vt plurimũ ſolũ ad veniale obligãt.

11 Dixi: Lege humana, quia ſecus eſſet, quotics ratione loci, temporis, perſonæ, vel modi ludendi prohiberetur eis lege naturali, vel diuina, de reuerendo Deum, & ſacra, vel de curãdis rebus publicis, vel priuatis ſuis, vel proximi, vel ſoluendis debitis, ad quæ de præcepto tenentur. Equidem licèt non auſim dicere, eos tam forti lege humana teneri audeo tamen orare omnes, præſertim illuſtres, vt ſecum reputent ſe grauiter, ſaltem venialiter, Peccare, turpẽque negotiationem exercere, per prędicta nu. 2. & 3. Lucrúmque quod in eis ſit, turpe ab omnibus appellari, & ſæpiſſime eſſe reſtituendum, vt infra dicetur. Et eo maiorem apud virtutis ſtudioſos infamiam incurrere, quò cum ſint maiores, maius ſcandalum præbent, cap. præcipue. 11. q. 3. Ideoque ſine propoſito ab eis perpetuò abſtinẽdi non poſſe ſine graui pudore ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum accedere, eoque maiorem gloriam apud Deũ, & homines adepturos, quò cum minore pecuniæ lucro ſola vel pene ſola vincendi gloria propoſita pro palmario in ſignum victoriæ ad iucundam pugnam pro magnitu

magnitudine ſua amicos allicerent.

Quintò dico, ad diſcernenda prædicta toties quem principaliter ob lucrum ludere, quoties tãti, aut pluris lucrum facit, quã animi recreationem. Dixi: Tanti, aut pluris: quia ſufficit, vt tanti faciat illud ad animi recreationẽ, per ea quæ pridem diximus in c. inter verba. 11. q. 3. in Enchirid. de orat. & hor. canonicis, c. 6. num. 14. & in eius addit. & nuper in Comment. cap. cum miniſter. 23. quæſt. 5. num. 73. Non autem dixi, vt Sylue. verb. ludus. q. 2. §. 6. Qui non luderet, niſi lucrum proponeretur: quia vt aliquid ſit finis principalis alicuius actus, nõ ſufficit, vt ſit cauſa, ſine qua ille non fieret, vt ibi dixi, propoſito euidenti exemplo de clerico, qui ad preces matutinas nõ ſurgeret, niſi lucrifaceret diſtributiones: neque miſſam faceret, niſi quam vocant pitantiam ſperaret: tamen maioris facit illa, quam quod propter illa datur. Et ita poteſt quis ludere principaliter recreatiõis cauſa, quamuis non luderet, niſi lucrum expectaret. Suam ergo quiſque in hoc conſcientiam conſulat.

12 Dixi: Vel ludo licito cum eo, qui donare nõ poteſt: quia qui cum tali rem notabilem ludit, ſiue ſit clericus, ſiue laicus, peccat mortaliter, ſecũdum omnes: eiuſmodi eſt ſtultus, puer, mancipium, filius, qui adhuc in patris poteſtate eſt, prodigus, coniux, monialis, monachus, & ſimiles ſecundum Ioan. And. Cald. & communem in d. cap. clerici. 2. Iuſtum tamen videtur id, quod Sot. lib. 4. q. 5. art. 1. de iuſt. & iur. inſinuat, ſcilicet, filium etiã ſub patris poteſtate conſtitutum, qui de ipſius licentia in ſcholis ſtudet, aut in curia verſatur, licitè poſſe de ſuo commeatu quattuor, aut quinque de centũ, quæ dantur ei, ludo impendere. Cui addo idẽ dicendum de religioſo, qui ſtudet, aut negotiatur impenſis ſui Abbatis, modo id honeſtæ recreationis cauſa faciat. Quia pater & prælatus tacitam eius rei facultatem facere videntur, arg. gl. cle. 1. de vit. & hon. verb. conuertendum, & eorum, quæ late ſcripſimus in cap. cum ad monaſteriũ. de ſtatu monach. Non placet tamen id, quod ille addit, nempe huiuſmodi filium non poſſe à colluſore plura lucrari, quàm colluſor ab ipſo. Tum quia omnes communiter contrarium præſupponunt. Tũ quia non eſt textus, neque ratio, quę concludat, pauperem aliquem honeſto loco natum, & etiã plebeium & mendicum non poſſe amplius lucrari a diuite, quàm diues ab ipſo. Tum quia c. ſi qua. de rebus. 12. qu. 2. & §. pupillus. Inſtit. de inut. ſtip. probant, contractum cum pupillo, aut eccleſiæ factum valere in alterius præiudicium, quamuis in eorum nõ valeat. Tum quia iniuriam pati poteſt, qui eam facere nequit, l. illud. ff de iniur. tranſlata in cap. illud. 15. quæſt. 1. Tum quia amiſſa facultate faciendi & perdendi, facultas patiẽdi & lucrandi non amittitur, per d. l. illud. quãuis eius opinio procedere poſſet in eo, qui falſò dicendo, ſe facultatem habere donandi, & perdendi, allicit alium ad luſum, arg. l. 2.

13 C. ſi minor mai. ſe eſſe dix. Dixi: Vel a coacto, &c. Tum quia metus, dolus, & fraus omnẽ contractũ quãlibet alioqui licitum ita inficiunt, vt ſit irritus, vel irritandus, c. abbas. cum

cum glo. de his quæ vi, & toto tit. ff. quod met. cau. & de dolo, & trad. vterque Tho. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. Per coactionem autem intelligo non leuem, & conſueram inuitationem, & inductionem, ſed eam, quæ ſit iuſto metu, vel tam grandi reuerentia, vel cũ eiuſmodi exprobratione, vt inuitatus, & rogatus, ſi non luderet, vel à ludo diſcederet, vilis & abiectus reputaretur, ſecundũ mentem eorundem, quos etiam Sotus, lib. 4. q. 4. ar. 2. de iuſt. & iur. ſequitur: quod quottidianum eſt.

14 Quartò peccat clericus, vel monachus, qui ludũ moraliter malum ſpectat. c. clerici. 2. de vita & hone. cler. & auth. interdicimus. C. de epiſcopi. & cler. ſi multo tempore ſpectat: ſecus ſi paruo, per dicta ſupra, c. 11. nu. 4. Idẽ ſi ludo delectatur venialiter modo ita quod etiã ſi mortalis eſſet eo delectaretur. Gab. in 4. lib. ſent. diſt. 15. q. 11. art. 3. dub. 3. quia facientes & conſentientes, &c. ad Rom. 1 & c. 1. de offic. deleg. Idem ſi eius præſentia eſt cauſa, quod ludo mortali ludatur, arg. glo. ſing. clem. archiepiſcopo, de priuileg. aut ſi ex officio debeat prohibere, & nõ prohibet. Angel. verb. ludus. §. 6. Dixi: Clericus, & c. quia laicus, qui nõ eſt cauſa ludi mortalis, nec delectatur eo, quatenus talis eſt, ſed ſolum induſtria & arte ludentium, non peccat ſecundum mentem omnium.

15 Quintò peccat, qui eiuſmodi luſoribus ſubminiſtrat domum, menſam, candelas, aut alia in ludum neceſſaria, arg. c. error. 83. diſt. & dictorum in d. c. 11. vbi ſupra, & c. 17. à nu. 17. per quæ probatur peccare, qui conſentit peccato, præſertim coope-

rando, iubendo, mandando, inuitando, vel inducendo, quod expreſſe, vel tacite directe, vel indirecte facit huiuſmodi ſuſceptor. Et quia graniter contra hoc vrget quidam doctus dubitans, an in cap. 18.

16 Idem tenuerim, addo, me idem etiam nunc tenere; idque confirmo per tres leges priores. ff. de aleæ luſu & aleatori. quibus graues pœnæ ſtatuuntur contra eiuſmodi ſuſceptores. Et ad inconſtantia, quæ ipſe hinc infert, reſponderi poteſt per ea, quæ ſupra, c. 17. num. 195. reſpondi pro locantibus domos meretricibus in ea parte ciuitatis, vbi permittuntur habitare, & per ea quæ Caieta. ſubtiliter diſtinguit 2. 2. q. 147. art. 1. ſub fin. pro dantibus cenam pro ieiunaturis in die ieiunij, limitata infra cap. 21. num. 25. per illa enim defendi poteſt non peccare famulum menſæ concubinariorum miniſtrantem, neque iuuantem cõcubinam ad ſe ornandum, neq; miniſtrãtes menſis cibariticis prælatorum, neq; opifices, qui calceos, & ſandalia, vel veſtes vendunt meretricibus, & alios ſimiles: modo id ſine vllo conſenſu in peccatum faciant: quoniam non inducunt, neque iuuant directe ad illud: ſuſceptores autẽ prædicti tacite, immo vt plurimum expreſſe inuitant & iuuãt directo, vel quaſi ad huiuſmodi ludos mortales, & cõſentiunt eis. Et ad id, quod inſinuat, ſi non hunc, alium ſuſcepturũ eos, reſpondeo per id, quod dixi ſupra, cap. 17. à nu. 18. contra miniſtrum mixtũ vſurarij, & pro miniſtro nudo eiuſdem: & cõtra ſeruum occidentem, quem alij conſerui erant occiſuri.

17 Sextò peccant, qui diſſimulãdo

peritiam magnam, quam habent in ludendo pila, vel alio eiuſmodi ludo attrahit alium longe imperitiorem ad ludendū, aut falſis talis; vel chartis vtitur, legeſve ludi cū notabili damno colluſoris trāſgreditur: quia vtitur dolo, & fraude; de quibus ſupra. Idem de eo, qui ludit non appoſita pecunia cum iuramento de ſoluendo, quod perdiderit, & non ſoluit, arg. cap. debitores. de iureiur. vt Med. vbi ſupra late probat. Per quæ reſpondeo ad noue quæſita. Ad prima quidē tria, quod peccat mortaliter, qui ſcienter ait, ſe habere plura puncta, quam habeat, quo lucraretur: & qui aduertit colluſorem errore calculi dicere ſe pauciora habere, quo perdit, & non monet: & qui accipit priorem locum, quem manum appellant: quia primus decipit; ſecundus accipit quod iam alter lucratus eſt; tertius, quia ſurripit ius aptius lucrandi colluſori, quamuis non teneretur reſtituere quātum ob id lucraretur: ſed quantum illud ius prioris loci valet: ſicut qui lædit meſſem non tenetur reſtituere, quantum illa in area redderet; ſed quanti æſtimaretur in herba, S. Tho. 1.2.q. 61. art. 4. & ſupra c. 17. quæ tria tunc, & tantum procedunt, cum damnum notabile infertur, per ſupradicta.

Ad quartum reſpondeo, quòd inſpector ludi nō peccat contra legem iuſtitiæ, eo quod nō admonet ludentem errare computando, vel non capiendo priorem locum, ſi id non promiſit. Et ita quamuis aliquando peccaret contra legem charitatis: non tamen teneretur reſtituere; ad id enim ſola lex iuſtitiæ obligat, per cirata ſupra, cap. 17. nu. 10. & infra cap. 24. nu. 5.

Ad quintum, quod ludens ſub fide ſua non iurata non peccat in Regnis Hiſpaniæ non ſoluendo: quia diuæ memoriæ Carolus V. in Comitiis Mantuæ Carpentariæ, ſiue Madritij anno 1518. vetuit, ne luderetur ſub fide ſoluendi, etiam ludis licitis; qualis eſt pilæ: ſimul irritas declarando quaſcunq; promiſſiones, obligationes & fideiuſſiones, quæ ad id præſtarentur. Quod ipſum eſſe ſeruandum etiam in aliis regnis iure communi aſſeruit Adrian. in 4. de reſtit. q. 12. quod efficaciter videtur probare præfatus Didacus ſqui quū ſuperiora excuderentur, ſolum quidem erat Reuerendiſſimus Segobienſis, nunc autem eſt Concilij Hiſpaniarum Maximi Præſes) in cap. peccatum, de reg. iur. lib. 6. §. 4. nu. 8. licet contra tenuerit idem Adrian. vbi ſupra quæſt. 22. & Caſtrenſ. de lege pœnal. lib. 2. cap. 2. corol. 3. Nihil tamen prædictis Præſes ait de iurante ſoluere, ſicut nos hic egeramus de ſolo promittente. Nunc autem animus, teneri ad ſoluendum iurantem, vt prædiximus: poſſe tamen repetere ſoluta inſtar ſolutum promittentis ſoluere vſuras, qui eas non tenetur ſoluere, niſi iurauerit, & tunc ſolutas repetere poteſt. cap. debitores de iureiurand. & quod vt iurans ſoluere vſuras, poteſt petere abſolutionem, antequam ſoluat, qua obtenta non tenebitur ſoluere, cap. 1. de iureiuran. ita iurans ſoluere in ludo perdita poteſt petere abſolutionem, qua obtenta non tenebitur ſoluere.

18 Septimò peccat qui facit rei no-

tabilis ſponſionē, quæ Italis Scommeſſa, Hiſpanis Apueſta, Gallis Gagement dicitur, per quam ſpondentes ſibi aliquid mutuo promittunt in aliquem euentum incertum præteritum, vel futurum, certo ſciens, à ſe aſſertū eſſe verum, & id diſſimulat, vt alium ad ſponſionē inducat: quia dolo, de quo ſupra, in damnum notabile proximi vtitur: qui enim ſine dolo eam facit, nō peccat; quia talis ſponſio nulli legi iuſtitiæ eſt contraria; immo eſt conſona, l. cum ad præſens. ff. de reb. cred. & l. à Titio. ff. de verb. oblig. per quam hoc no. Paulus, & Alex. ibi approbati per Iaſon. & citati per eum ibi, & in d.l. cum ad præſens. licet vt plurimū obuiet liberalitati. Neque obſtat quod Ioan. Maior. in 4. lib. ſent. diſt. 15. q. 15. & ſeq. & Adrian. in 4. de reſt. q. de ludo, contrarium ſignificare videantur. Tum quia eorū ratio ſatis examinata idem concludit. Tum quia non dicunt eos, qui ſic volunt lucrari, mortaliter peccare: ſed abſolute peccare: quod etiam nos cum Caiet. quaſi fatemur, dicētes id fere ſemper eſſe liberalitati contrarium, & ita lucrum fordidum.

19 Octauò peccat qui lucratur aliquid notabile ludo, etiam licito, ab eo, qui non poteſt donare, vel à coacto & grauiter attracto, aut dolo vel fraudulenter, vt prædictū eſt, & non vult illud reſtituere ſecundum omnes. Dixi: Ab eo, &c. quia ſecundum veriorem opinionē, quicquid dicat Pan. in d.c. clerici. & in c. quia plerique. de immu. eccle. & Gab. vbi ſupra, nemo lucrifacta in ludo, etiā illicito, ab eo, qui donare poteſt ea, quæ perdit abſq; metu, dolo, & fraude tenetur reſtituere de præcepto, etiam pauperibus, vt ſatis vterque ſentit Tho. 2.2.q. 32. art. 7. ad 2. & explicant Ioan. Maior. & Adrian. vbi ſupra, & Caieta. in Summa, verb. ludus. Tum quia nihil accipit contra iuſtitiam, cum non accipiat inuito domino, qui ſine ludo, & cum ludo donare ea poterat. Tum quia, neque quod ſpōſionibus ſine fraude lucriſit, neque quod emptionibus & venditionibus in diebus feſtis, aut locis ſacris, quamuis in eo mortaliter delinquatur, eſt neceſſario reſtituendum; quia non obſtante illo peccato valent, iuxta glo. ſing. in c. decet. §. ceſſent. de immu. eccle. lib. 6.

Adde, quod qui tenetur reſtituere lucrifacta in ludo ab vno, nō poteſt compenſare cum perditis cum alio; nec è contrario: cum perditis verò cum vno poteſt compenſare lucrifacta ab eodem, non ſolum durante eodem ludo, ad cuius vſq; finem nihil cenſetur lucrifactum: ſed etiam in diuerſis ludis, etiam ſi alij ſint liciti, & alij illiciti, ſiue vterq; ſit habilis ad donandum ſiue inhabilis, ſiue alter habilis, alter inhabilis; quāuis de rigore iuris in hoc vltimo contrarium dici poſſit, ſed ſequimur Sylu. verb. ludus. q. 17. hoc tenentem ex æquitate, ſaltem quo ad forum cōſcientiæ, licet arbitrer neminem, qui falſis talis, aut chartis, aut alias dolo & fraude lucretur ab alio, cōpenſare poſſe cum iuſte lucrifactis ab eodem; nō enim videtur iuſtum, vt compenſentur cum iuſte perditis quo caſu procedat opinio contraria. Addo item, quod etiam miniſtri & inſpectores, quibus ludentes ex collatis in medium aliquid con-

ferunt, tenentur reſtituere, quando lucrans ad id tenetur, aliàs non, Gab. in 4. diſt. 15. q. 13. dub. 6. in fine.

De conſiliis Euangelicis.

SVMMARIVM.

20 *Conſilia ſpernens, vel non implens quando peccat mortaliter.*

21 *Conſilia Chriſti præparatione animi ſeruanda.*

21 *Conſultum à Chriſto ſtatum non eſſe tam bonum ac contrarium aſſerere, hæreſis.*

22 *Conſilium contra Chriſti, an peccet monachus caritate annonæ gaudēs.*

23 *Peccatum quod nō eſt omne in Deum poteſt referri.*

23 *Caritate annonæ gaudens an peccet.*

20 CONtra conſilia euangelica aut canonica peccat mortaliter, qui ea per contemptum verum non implet, vel proponit non implere: etiam tempore, quo fierent præcepta: vel ait, non eſſe de ſe & abſolute meliora, quam contraria: vel non licere illa vouere, vel vota ſeruare, iuxtà gloſ. ſing. receptam in c. quis autem. 10. diſt. declaratam ibi per docto. & per Felin. ante & poſt alios latè in cap. de conſt. Dixi: Per contemptū, quia regulariter omiſſio ſimplex implementi eorum alio tempore, quam prædicto, licet. §. ſi. 4. diſt. & §. quod præcipitur. 14. q. 1.

21 Contemnit autē vere non omnis, qui non implet: ſed qui principaliter ideo non implet, quia ea parui facit; id enim eſt verus contemptus, iuxta ſanctum Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. declaratum ibi bene per Caietan. & confuſe per Felin. in cap. cum quidam. de iureiur. & fere ad verbum per Archid. in cap. quicunque. 81. diſt. & clarius per nos infra cap. 23. nu. 40. Dixi: Verum, quia quo ad forum conſcienti æ non ſufficit præſumptus, cap. tua. de ſponſ. licet in multis caſibus citatis vbi ſupra per Felin. præſumatur. Dixi: Proponit, &c. quia conſilia ſeruanda ſunt præparatione animi, ſecūdum Aug. relatum à Gratiano in cap. paratus. 23. q. 1. & à ſancto Tho. 2. 2. q. 124. ar. 3. ad 1. & alibi ſæpe, hoc eſt, propoſito actuali, vel virtuali adimplendi ea, in quibus caſibus de neceſſitate ſalutis exiſtunt, vt ibidem de martyrio declarat. Dixi: Vel ait, &c. quia qui affirmat, ſtatum coniugalem ex ſe eſſe: æque bonum, vel præſtantiorem cælibatu, aut ſæcularem religioſo, non ſolum peccat, ſed eſt hæreticus per ſcripta ſancti Thom. 2. 2. quæſt. 152. ar. 4. & quæſt. 184. quia aduerſatur illi Matth. 19. *Si vis perfectus &c.* Dixi: De ſe & abſolute; quia dicere ſecundum quid, & alicui conuenientiorē eſſe vitam coniugalem, quam cælibem, & laicam, quam clericalem, non ſolum non eſt hæreſis, ſed catholicum, & probatum à Paulo vbi ſanct. Thom. 1. ad Corinth. 7.

22 Ad quæſitum hic; An religioſus, qui ad tria conſilia Chriſti caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ ſe adſtrinxit, poſſit iuſte gaudere, quod pretium creuerit modiorum tritici, quorum certus numerus à ſuo Abbate pro ſuo annuo victu, cum facultate vendendi eos, cum placuerit, conceditur propter ſterilitatem anni vel aliam cauſam? Reſponderur poſſe. Tum quod perinde poteſt ipſe gaudere illo augmento ac Abbas augmento ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem applicatorum, argu. cap. 2. de ſtatu monacho. Tum quia quo ad adminiſtrationem honeſtam reditus eccleſiaſtici ſeculares, & regulatis æquiparantur, iuxta dictum ſingul. Cardin. in clem. 2. de vita & honeſtate cleric. Tum quia de omni eo, quod non eſt malum culpæ, poteſt quis bono aliquo fine gaudere: quia omne tale poteſt 25 in Deum referri, vt reſoluit Caietan. 1. 2. quæſt. 100. articul. 10. & quæſt. 8. articul. 3. ad 3. Et caritas tritici non eſt malum culpæ, ſed pœnæ, cap. non omnis. 5. quæſt. 5. & ita poteſt quis gaudere caritate, quatenus per eam luxuriantes victu, veſtitu, & veneris, referantur, & ſocordes Dei recordantur, & omnes ad orationem refugiunt. Tum quia poteſt quis gaudere de augmento pretij, non gaudendo, immo dolendo de cauſæ eius, vt gaudemus de paſſione Chriſti, quatenus nos redemit, & dolemus, quatenus eam intulerunt Iudæi: & nepos beneficiarij demortui gaudet de beneficio eius ſibi collato, dolens de morte patrui: & filius gaudet de bonis obedientibus ei per mortem patris, plorans illam plurimum. Tum quia licite poteſt quis etiam deſiderare malum pœnæ alicui ob aliquem bonum finem, vt mortem tyranni, quo reſpub. pace fruatur, Turcarum Principis, quo Chriſtianis tranquillentur, vt ſupra cap. 15. nu. 10. dictum fuit poſt Alex. S. Thom. & clarius Sot. quamuis deſiderare ſimpliciter caritatem tritici, vel gaudere, quod illa euenerit, principaliter vt carius vendatur, peccatum eſt.

De quinque præceptis Eccleſiæ principalibus. Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Miſſam vnam totam non auditus ſine Veſperis vt peccat.*

2 *Miſſæ quæ pars notabilis, & tantum feſto audienda neceſſario.*

3 *Miſſæ omittendæ quæ cauſæ iuſtæ, & an interdictum.*

4 *Miſſa ab audienda quæ vidua excuſatur, vel laudatur.*

5 *Miſſa an audienda in parochiā.*

6 *Miſſam audire ſine attentione debitā non ſufficit &* 8.

7 *Miſſa ab audienda excuſatus an teneatur ſupplere, &c.*

9 *Miſſa ab audienda quæ familia, vel monſtruoſa excuſatur.*

10 *Miſſam tangentes plurimi errores.*

10 *Miſſæ & diuinorum cantui nullā laſciua & profana miſcenda.*

10 *Eccleſiam non turbent ſtrepitus, deambulatio, & colloquia profana.*

1 PRæcepta principalia Eccleſiæ ſunt quinque. Primū, de miſſa audienda feſtis diebus. Secundum, de ieiunādo certis diebus. Tertium de ſoluendis decimis. Quartum, de confitendo ſemel in anno. Quintum, de communicando ſaltem in Paſchate.

Contra horum primum peccat mortaliter. Primò, quicunq, diſcretus miſſam integram die feſto ſine iuſta cauſa non audit cap. miſſas. & cap. omnes fideles. de conſec. diſt. 1. etiam ſi abſque vero contemptu per ſolam negligentiam id facere omittit: quod recte Sylueſt. verb. miſſa 3. q. 2. probat, quidquid poſt Richar. in Quolib. 1. quæſt. 19. Angel. dicat

verb. fer. 2. §. 42. Dixi: Quicunque, quia quilibet, cuiuscumque sit ætatis, sexus, vel conditionis, puer, vel senex, mas vel fœmina, laicus, vel clericus, aut monachus, liber, aut seruus eam audire tenetur secundum communem, quam tenēt Richar. vbi supra, & Card. in dicto cap. missas. Anto. 2. par. tit. 9. cap. 10. §. 1. Dixi: Discretus, ad excludēdum discretione carentem, quales sunt infans, & stultus, arg. cap. omnis de pœni. & remiss. & cle. 1. de homic. Dixi: Missam, quia nemo iure communi regulariter tenetur audire de præcepto alia diuina officia, etiam vesperas, licet multi iure particulari vori, iuramēti, statuti, beneficij, religionis, vel consuetudinis præscriptæ ad id teneantur: qualis consuetudo videri potest introducta in tota fere Gallia, Nauarra, & aliquot oppidis Castellæ, & Lusitaniæ licet paucis. quod arbitror fuisse in causa, cur Palud. in 4. dist. 15. dixit teneri omnes ad audiendum vesperas die festo. Credo tamē, prædictas consuetudines non obligare ad mortalem culpam: sed solum ad venialem. Tum quia lege laxius audiuntur vesperæ, quàm missæ. Tum quia pauci se accusare videntur de illarum auditionis omissione tamquam de mortali, & pauciores confitentur eam.

2 Dixi etiam: Missam, & non missas, quia nemo ad plures missas die festo audiendas obligatur, etiam in die Natiuitatis Domini (licet in eo ab eodem tres dici possint) præter eos, qui voto pœnitētia, aut statuto, aut pacto, ad plures audiendas tenētur: quia id nulla lege cauetur: & ideo nulli est imponendum, l. illam. C. de collat. c. consuluisti. 2. q. 4. Dixi: Integram, quia non sufficit audire defectam aliqua parte notabili per dictū cap. missas, ibi, Totas. Notabilis autem pars definienda videtur arbitrio prudentis, cum à iure non definiatur, arg. l. 1. ff. de iure delib. & apparet talis ea, quę protenditur ab introitu vsque ad Epistolam & Graduale inclusiuè, vt diximus in Enchirid. de Orat. cap. 10. num. 43. simul addentes, quòd est vna particula principij & finis potest constitui vna notabilis pars. Et quòd legendo per se post missam partem omissam, saltem, quæ non esset notabilis, vel audiendo lectam ab alio, satisfaceret, iuxta auctorem Margar. Confess. vt etiam satisfacit, qui dimidiū vnius missæ, & alterum dimidium omissum alterius audit. Ioan. Maior in 4. lib. sent. dist. 45. q. 2. Et quòd licet nonnullis videatur non satisfacere huic præcepto eos, qui ante benedictionem exeunt, per prędictum cap. missas. quod antea exire vetat: contra tamen putamus, quo ad effectum euitandi mortalem culpam, nisi cum partem notabilem omittunt: quia paruitas in omni materia excusat à mortali, iuxta citata, supra, cap. 11. nu. 4. Dixi: Festo, quia nemo vllo alio die hoc præcepto tenetur, etiam clericus vel monachus, immo neque episcopus: quia cap. fin. de priuil. lib. 6. quod maxime ipsum obligare posset, non dicit, eu teneri, sed non decere, vt vllo die illā omittat. Nullo, inquam, alio die etiā ieiunij & Quadragesimæ, quoniam c. solent. de consec. dist. 1. quod maxime in contrarium vrget, sublatum est dissuetudine, aut intelligendū est de consi

consilio, vt etiam notāt Rosel. verb. missa. §. 13. & Silu. verb. missa. 2. q. 1. §. dicitur tertio. quamuis plurimū deceat vt audiat eam quicunque id cō mode facere potest, tēpore tam sancto, tamque sacris D. N. Iesu Christi, qui in ea realiter offertur mysteriis 3. dedicato. Diximus: Sine iusta causa: quia cum ea licite secundum omnes omittitur, qualis est illa, ob quā non potest audire absque graui dāno animæ, corporis, honoris, bonorum proprioru, vel proximi. arg. l. Nepos Proculo. ff. de verb. sign. qualē habent etiam excommunicati & interdicti, licet absolutionē procurare neglexerint: quamuis enim illam, quam consequi possunt, negligendo procurare, peccent: nō tamen peccant nō audiendo missam, quam iure nequeunt audire, argumento capit. quia diuersitatem. de concess. præben.

Nec obstat cap. fi. de elect. quatenus habet, non potentibus eligere sine licentia, nec procurātibus eam, currere tempus electioni præfixum, quia est diuersa ratio, vt ibidē vtrobique notatur. Talem habent etiam infirmus, & eius minister, qui sine salutis damno, eam audire nequeunt. Nutrices item, quæ sine periculo nō possunt relinquere eos, quos lactāt. Illi etiam, quibus est impedimento aliquod graue negotium: & qui ratione sui officij exire prohibentur, quales sunt aliqui arcium custodes, & domini & eorum consultores, qui tempore missæ negotiis moram nō patientibus impediuntur. Item facientes quoque, qui audiendo missam socios necessarios amitterent. Et pauperes, qui carent vestibus, sine quibus absque notabili pudore eam audire non valent, secundum communem, quam Silue. vbi supra q. 1. explicat, quamuis nō adeo aperte. Interdictum autem generale nō excusat eum, qui iure communi, aut priuilegio speciali eam illius tempore audire potest, de quibus sunt clerici etiam primæ tonsuræ secundum opinionem Ioan. And. in cap. fi. de sentēn. excommu. lib. 6. receptam per totam Hispaniam, sed non per Galliam, quæ contrariam Archidiac. tēpore nostro seruabat. Vidua item, quæ iuxta regionis consuetudinem post mortem mariti domi se continens eam non audit per dimidiatum, vel integrum mensem: sed non, quæ per plures menses, vel per annum non audit, Siluest. vbi supra, quod ipsum tenet sanctus Anton. in 2. parte tit. 9. cap. 10. §. 2. Sed contra seruat insignis quædam Hispaniæ prouincia, in qua nobiliores viduæ toto vno anno de consuetudine domi se continent, & non audiunt eam.

Rogatus autem dicere: An id liceat? Dico primò difficile defendi posse eiusmodi consuetudinem non valere, modo ad alia non egrediantur. Tum quia prædicti fatentur, valere consuetudinē continendi se sic, quindecim, vel triginta diebus, & eadem ratione coguntur probare consuetudinem cōtinendi se per 40. 50. 60. & 100. dies, & consequenter per sex menses & annū totum: cum lex de audienda semel in anno missa, aut in duobus, sex mensibus, non sit magis naturalis, vel diuina positiua, quam lex de audienda semel intra quindecim, vel triginta dies.

Tum quia negari non potest, posse ferri legē, quā aliqua iusta de causa præceptum hoc relaxaret aliquibus ad tempus, vel annū, & consequenter concedendum est idem fieri posse consuetudine contra quidquid induci potest humana lege, possit & consuetudine l. de quibus. ff. de leg. & c. si. de consuet. l. venditor. § si constat. ff. commu. præd. & hęc causa videtur iusta in terris, in quibus facile de viduis male præsumitur.

5 Secundo dico, laude dignam futuram viduam, quæ hac consuetudine posthabita, imitaretur nobiles illas & gloriosas Martham, & Magdalenam Lazari sancti sorores in eo, quòd vt illæ, non obstante luctu, quo fratrem recens mortuum lugebant, egressæ fuerunt ad excipiendū dominum Iesum adhuc mortalem: ita ipsa exiret ad videndum eū iam immortalem, & glorioſissimum in sacramento extantem, & exorandū, vt sicut Lazarum è sepulchro eduxit, sic sui mariti animam à purgatorio (si est in illo) educat. Et dignior haberetur illa, quæ imitaretur viduas illarum regionum, quę vadunt ad ecclesiam singuli totius primi anni viduitatis diebus, exoraturæ Deum pro suis maritis, & in medio missæ panem & cerā pro illis oblaturæ. Illa item, quæ imitaretur altissimos eosdēq; porētissimos & Christianissimos Lusitaniæ Reges nostros Ioannem huius nominis tertium, & Catherinam huius nominis primam, quos admirabilis cultus & amoris erga Deum exemplo vidimus audire publicè missam pontificalem, & vesperas cū concione diei Epiphanię anni 1554. qui erat tertius dies à lamentabilissimo illo funeris Principis, immo Principum floris eorum vnici filij, & omniū Regnorum & statuum suorum vnici hęredis, recentique matrimonio coniuncti incomparabili Principi Ioannæ illius numquam satis laudati Caroli V. filiæ, & glorioſissimi Philippi II. Regis Catholici sorori, Ioannæ, inquam, illi Principi & Dominę nostræ, quæ in illo lamentabili casu, præsertim in dissimulanda morte, quam clandestinè nouerat, quæ ei prægnanti miris modis occultabatur, ne esset causa abortus, admirabilem & inauditam Regij animi erga Deum religionem, erga coniugem amorem, erga socceros pietatem, erga omnes magnanimitatem, prudentiam & constantiam adhuc adolescens, totis viginti diebus ab eius morte, ad suum vsque felicissimum partum monstrauit. Religionem quidem, quòd sola in cubiculo secretiori, diuinæ voluntati suā omnino subiiciens, ne ab orando pro tanto coniuge tanta perturbatio retraheret præsentiæ diuinæ contemplatione illam mitigabat. Amorem verò erga coniugem. quòd quocunque temporis momento vacabat, in profusissimas ac inexplebiles soluebatur lacrimas, Pietatem erga socceros, quòd ipsis verbo, gestu, & habitu, summum suum dolorem de tanti & tam dilecti filij morte conceptū, pro maximo nepotis habendi desiderio dissimulantibus, se conformabat, dissimulando contra omnem coniugalem affectum summum illum, quo excruciabatur dolorem ex omnium dilectissimi morte manantem, & redundantē, & nulli vel charissi

rissimæ ministræ illum aperiendo: & socceros simul, vel singulatim ad se consolandum frequenter aduentātes, eisdem vultu, & gestibus, quos gerebant excipiendo, & ridentibus, festaque veste ornatis ad ridendo, se nulla interim de tāto Principe, tātoque cōiuge apud eos, vel vllos alios facta mentione, etiā intra suū secretissimū cubile, intra q; clausum nullis lacrymis, nullis ad Deū precibus parcebat, donec soceri moniti, quòd se, sine vlla tamē voce querula, ferè interimebat, accederent consolaturi eam, quæ vultu spem simulans, altum premebat corde dolorem. quæ omnia numquam nec visa, nec lecta, nec audita fuisse arbitror ante illam, cui maximo, eodem que diuino sapientię, concilij, fortitudinis, & pietatis dono donata fuerunt.

Tertiò dico, quòd episcopus regionis, vbi talis cōsuetudo seruatur, rem se dignam faciet, si suis suorūque parochorum concionibus suaserit populo suo, vt illa penitus aboleatur, aut saltem ad octo, vel quindecim dies restringatur, vel id de illius consensu in synodo statuantur. Non enim ausim afferere, quidquid alij dicant, posse ipsum ex abrupto suo præcepto eam iuste laicis inuitis tollere. Caueant autem prædictę viduæ, ne suam intra domum inclusionem ob vanam mundi gloriam principaliter patiantur, cum eam in suorum suique mariti peccatorum pœnitentiam offerre debeant non minus, immo plusquam in ecclesia pro eis orando. Caueant item, ne illud extendant vltra suæ conditionis viduas, arg. cap. quæ contra mores. 3. distin.

Excusatur etiam nupta, quæ sine magno mariti scandalo missæ interesse non potest, arg. cap. voluit. 33. q. 5. Nō dixi tamen: In sua parochia: quia satisfacit audiendo extra illā, etiam in aliquo oratorio, vel sacello, modo id non faciat ob contemptum eius, vel parochi. cap. 2. de parochi. Ex quo ibi à contrario sensu Pan. id colligit, siue id faciat iusta de causa, puta quia proprius parochus est concubinarius, excommunicatus, denuntiatus, aut suspensus ab ordinibus, aut vt deuotius ibi audiat, aut vt illic simul audiat missam & concionem, aut vtiliorem concionē: siue sine illa, modo sine contemptu prædicto. Tum per prædictum. c. 2. Tum quia consuetudo generalis tolerata id videtur habere. adeo qui dem, quod secundum Siluest. vbi supra. q. 5. Episcopus suis subditis contrarium præcipere non potest, quia cōsuetudo est generalis, & vt episcopus non possit tollere, nec restringere ius commune, arg. c. inferior. 21. dist. sic nec generalem totius orbis consuetudinem, quæ vim eādem habet. l. de quibus. ff. de leg. & ita excommunicatio, quam contra eam ferret, esset nulla. arg. cap. 1. de sent. & re iudi. secundum S. Anton. & Siluē. vbi supra. q. 5. Tum quia Leo decimus in breui contento in supplemento priuil. concess. 90. præter alia sic statuit: *Auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus: qui non contempto proprio sacerdote parochiali, in ecclesiis fratrum ordinum Mendicantium domiciliis, & aliis festiuis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquā*

Eadem peccati mortalis pœnam vt propterea incurrere.

Nec obstat Conc. Trid. sess. 24. c. 4. de refor. quatenus habet, teneri quem ad audiendam concionem in parochia sua, si cõmode potest: quia non agit de missa, sed de concione. Non obstat etiam decretum de obseruandis, & euitandis in celebrat. miss. sess. 22. quatenus habet, vt episcopi moneant populum, vt frequenter, saltem Dominicis & sollemnioribus festis ad suas parochias accedant: quia non ait, vt iubeant, neque eos teneri, sed solum vt moneant, quod non inducit necessitatem, §. fi. 4. dist. & §. quod præcipitur. 14. q. 1. Obstat tamen fortiter id, quod ibi subditur, posse scilicet, episcopum auctoritate Apostolica iubere circa hoc opportuna: nisi respondeatur non videri debere opportunum, vt cum scandalo tot laicorum, & monachorum tam generalis consuetudo, quam etiam in vrbe seruari videmus, tollatur. Præsertim, quod fel. rec. Pius V. in Bula motus proprij lata mense Iulio 1567. declarauit, audientes missas festis diebus in monasteriis Mendicantium satisfacere huic præcepto. Cuius Bullæ tenor ob moderationem, quam ipsemet dicitur concepisse, si publicetur interea, ponetur in fine c. 27.

6 Secundò peccat mortaliter, qui missam quidem die festo audit, sed intendit animum iis, quæ attentioni necessariò debitæ repugnant in aliqua eius parte notabili colloquendo, pingendo, scribendo, dormiendo, & alia huiusmodi faciendo, secundum mentem Ang. verb. feria. §. 41. Silue. verb. missa. 2. q. 6. & Caiet. in Summa verbo, festorum violatio. Non tamen est tenendum illud S. Anton. vbi supra, scilicet, eum, qui ecclesiam adit principaliter ad videndum, aut alloquẽdum feminam pulchram, aut ob aliud quoduis illicitum, nõ satisfacere huic præcepto. Tum quia potest quis malo fine ecclesiam adire, & bene in ea missam audire. Tum quia præsupponit opere malo, præsertim mortali, nõ posse adimpleri præceptum, quod esse falsum latè probamus in Enchirid. de Orat. cap. 20. num. 29. & tangimus 7 suprà, cap. 11. nu. 13. Et quamuis nonnulli dicant peccare mortaliter eum, qui iusta de causa die festo ab audienda missa excusatur, si nulla prece, saltem mentali, id supplet, qua Deum tamquam dominum, & creatorem reuereatur, & super omnia diligat, quod sentit Scot. in 3. lib. sent. dist. 6. & 17. q. vnica, & Ang. verbo feriæ §. 46. moti eo, quod omnis Christianus iure diuino tẽpore aliquo ad orandum sub pœna peccati mortalis tenetur, vt diximus vbi supra, cap. 3. num. 5. & quòd hoc ecclesia fieri decreuit dominicis, & festis diebus, quando missa auditur: non tamen videtur hoc tenendum. Tum quia iustum impedimẽtum ab obligatione præcepti de missa audienda nos eximit. Tum per adducta ab Adriano in 4. de satisfa. quæstio. quæritur. sub fi. & supra à nobis, cap. 13. numero 2. Tum quia licet dilectio Dei super omnia sit finis huiusmodi præcepti, vt ipsi dicunt, non tamen eo præcipitur, quia finis præcepti, non est in præcepto, vt post S. Thom. 1. 2. quæst. 100 art. 9. & 10. latius tradidimus in Apolog. lib. de reditib. eccles. iast. q. 1. monit. 73. num. 2.

8 Tertiò peccat, qui audiens missam ex præcepto priuatas, vel publicas preces ita recitat, vt missæ auditioni necessariam attentionẽ non adhibeat, secũdum omnes. Nec quo ad hoc refert, an preces sint debitæ iure communi, voto, pœnitentia, vel aliàs, an vero voluntariæ. Nã quidquid dicant Angel. verb. feriæ §. 42. Gab. Maior. Caiet. & alij multi, quos in d. Enchirid. cap. 19. nu. 179 citauimus, vera resolutio est, quam ibi dedimus, scilicet, posse quem eodem tẽpore satisfacere præcepto de audienda missa, & de dicendis horis canonicis, aut aliis votis, iuratis, vel in pœnitentiam iniunctis, modo non adeo vni rei intendat, vt alteri ne cessariam attẽtionem adimat, quod fieri potest, cum nemo teneatur ex præcepto audire, & minus intelligere verba sacerdotis: quia satis est, vel ex longinquo missanti adesse, & surgendo, genua flectendo, vel aliàs actualiter, vel virtualiter exoptare, vt sacerdos, qui pro omnibus loquitur, orat, & sacrificat, à Deo exaudiatur: quod facile facere potest, etiam horis canonicis necessariam attentionẽ adhibendo, præsertim quãdo horas, & preces prędictas tunc temporis recitat, quo nec audire, nec intelligere sacerdotẽ potest, vel quia longius adest, vel quia submisse & secreto sacerdos loquitur, vel audiens surdus est, vel ob alia similia. Quare contrariæ opinioni locus est, quo ad melius esse, vel quum alteri rei attentio necessariò debita subtrahitur, adeo quod si eam neutri rei adhiberet, neutri satisfaceret, iuxta illud glos. l. nemo C. de assess.

Qui binos lepores vna sectabitur hora,
Vno quãdoque, & quandoque carebit vtroque.

9 Quartò peccat dominus, pater, vel herus, qui notabiliter negligendo, vel in opera, quæ differri poterãt occupando seruum, filium, vel famulum, est causa, ne die festo missam audiat, arg. c. duo. 23. q. 4. & cap. fin. de iniur. Nec ferẽda videtur cõsuetudo illa, qua nobiles puellæ, nũquam ad missam, nec ad concionem antequã nubant egrediuntur, maxime si ad alia nuptiarũ, vel ludorum festa ducantur, aut feneſtræ eis permittãtur. Quamuis excusentur, si a parẽtibus prohibeantur. Aug. verb. feriæ §. 42. & Silue. verb. missa. q. 2. sed non illi, nisi saltẽ aliquot sollẽnioribus festis missas eis domi, vel foris permittãt. Quando autẽ filia adolescens excusatur, mater etiã, quę ad illam custodiẽdam domi remanet, excusabitur, arg. c. accessorium de reg. iur lib. 6. cum ibi citatis. Ad noue hic quęsitũ. Respon. feminas nõ excusari ab audienda missa festo ob menstrua, quæ illis contingũt, nisi debilitas alia in id sufficiẽs eis accedat, arg. c. ad eius. 5. dist. & c. 1. de purific. post partum.

10 Quintò peccat mortaliter, qui dicit non offerri in missa idem sacrificium ineruentum, quod in cruce fuit oblatum cuentum, vt definit conc. Trid. sess. 22. c. 1. aut in missa nõ offerri verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri in ea sacrificium nõ est aliud, quàm nobis Christum ad mãducandum dari. ibidem. can. 1. Aut Christum non fecisse sacerdotes Apostolos per illa verba:

Hoc facite, &c. can. 1. Aut missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium. Vel solum prodesse sumenti. Neque pro mortuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, can. 3. Aut blasfemiam irrogari Christi sacrificio in cruce peracto per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, can. 4. Aut impostorum esse missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, can. 5. Aut canonem missæ, errores continere, can. 6. Aut cęremonias, & vestes missæ esse malas, can. 7. Aut missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, can. 8. Aut quòd nihil submissa voce dicendum sit in missa. Aut lingua tantum vulgari eam celebrari debere. Aut aquâ non miscendam esse vino in calice offerendo, can. 9. Aut non esse optimum omnium pro animabus purgatorij suffragium, in eodem conc. sess. 25. in princ.

Idem concil. sess. 22. in Decret. de obser. & eui. in celeb. missar. iussit, vt iubeant episcopi, ne fiat vlla conuentio super dicendarum missarum mercede, neque in missis nouis offeratur quidquam magis coacte, quàm sponte. Et quod nulla missa dicatur extra ecclesiam, aut oratorium, quod non subiaceat visitationi ordinarij. Et quod nullus presbyter notoriè criminosus eam dicat, nec diuinis officiis intersit. Et quod nulla cătio lasciua, vel profana misceatur cantui, etiam organico, nec in ea fiăt ceremoniæ inusitatæ, nec cum superstitioso candelarum numero. Et quod non fiant in ecclesia actiones, & colloquia vana, vel profana, deăbulationes, strepitus, clamores. Idem conc. sess. 14. c. 4. de refor. iubet ordinariis, vt moneant teneri parochianos ire ad audiendam concionem in suis parochiis, quoties commode potuerint.

De secundo præcepto Ecclesiæ, de ieiunando.

SVMMARIVM.

11 *Ieiunia determinantia ius naturale omnia iure humano & 12.*
13 *Ieiunium non frangit potus, nec medicina, nec prægustatio.*
14 *Ieiunium bina comestio, & collatio matutina frangit.*
15 *Ieiunij qui cibi vetiti.*
16 *Ieiunio a seruando triplex causa, quos excuset.*
17 *Ieiunio liberat bonum etiam mercede sic exercitum.*
18 *Ieiunium quæ peregrinatio, & cum vxore discordia tollit. & 19.*
20 *Ieiunium quæ causa tantum putatiua & dubia tollit.*
21 *Ieiunia circa, etiam episcopum, & alij prælati sic dispensant. & 22.*
22 *Præceptum ecclesiæ totum, aut pro parte, qua potest. seruandum.*
23 *Ieiunio non omnis solutus potest edere carnes.*
24 *Ieiunium ad frangendum quis inuitans peccat. & 25.*
25 *Peccatum quando non est inuitare ad actum, qui peccatum est.*
26 *Ieiunij die quis ministrans cibos peccat.*

27 *Ieiunare quis, licet edat mane, teneatur.*
27 *Ieiunium frangit præueniēs horam, sed non vesperas, aut nonam.*
27 *Ieiunet famulus, sed nemo die Dominica.*

11 COntra hoc secundum præceptum Ecclesiæ de ieiunando peccat mortaliter. Primò, qui qualēcunque cibum: quocunque tempore sumit, credens eius esu, se diuictum iri carnis aliqua grandi tentatione: quia frangit ius naturale, quo quis tenetur tali casu a tali cibo abstinere, siue ieiunare, ex mente S. Thom. recep. 2. 2. q. 147. ar. 3. Quod castitatis cultores & eius contemptores alta mēte reponant. Dixi: Deuictum iri: quia con sufficit credere se tētatum iri, etiam grauiter, modo speret gratia Dei non se cōsensurum illi, iuxta dicta supra, cap. 16. nu. 7 & 8.

Secundò peccat, qui die ieiunij præcepti ab ecclesia a media nocte in mediam noctem vescitur pluries, quàm semel tantum cibis vetitis, sine causa iusta vera, vel putatiua, aut dispensatione, quod asserit S. Tho. vbi supra & Caiet. ibidem efficaciter probat. & S. Tho. cum communi in 4. lib. sent. dist. 15. & Inn. cum communi in rubr. de obser. ieiu.

Nec obstat, quòd nulla lex pontificia, vel cōciliaris statuat, ieiunia per verba præceptiua: quia tota ecclesia id pro præcepto accepit, vt significat S. Hier. in c. vtinā. 76. dist. & S. Appollonius in cap. ieiunia. de consec. dist. 3. Dixi: Die ieiunij præcepti. Tum ad excludēdum tantum consultum. Tum ad significandum, esse aliquos dies ad id designatos, scilicet, totam Quadragesimam & quēlibet eius diē, & Quattuor anni Tēpora, quæ ex tota 76. dist. colligitur esse Feriā Quartā, Sextā, & Sabbathū immediate sequētes Pēteco-sten, Exaltationē Crucis, S. Luciæ, & diē Cinerū, iuxta illud vulgatū: *Post Pen. Cru. Lu. Ci.* (id est) post Pentecostē, post Crucē, post Luciā & post Cineres: & dies vigiliarū, a iure cōmuni, aut particulari præceptarum.

Porro Leo decimus in quodam Breui, misso ad Legatum Hispaniæ statuit, vt anno, quo vigilia S. Ioānis incideret in diem corporis Christi, pridie illius ieiunetur, scilicet feria quarta, & non quinta illi sacra. An vero vouens ieiunare omni feria sexta, vel sabbato, possit vesci carne. & non ieiunare die Natalis Domini tali die incidente? Resp. quod non, per cap. fin. de obser. ieiu.

12 Dixi: Ab ecclesia, ad significandum, omnia ieiunia Christianorum esse instituta iure humano, & nulla diuino, nec naturali, vel positiuo. Nam etsi Quadragesimæ ieiunium antiquitate, & forte præfiguratione præstet, arctiusque sit ob id seruandum, iuxta S. Tho. vbi supra, art. fin. & nōnullos de quibus est ille Franciscanus, vir plane pius & eloquens Tholosas, qui encomiū Quadragesimæ aduersus Lutheranos scripsit, iuris diuini illud esse asserāt: vere tamē iuris humani est, secundū communem, quā confirmauimus in cap. Quadragesima. de consec. dist. 1.

Dixi: A media nocte, &c. quia ieiunium ecclesiasticum a media nocte priori in mediam sequentem durat, iuxta definitionē l. more Romano, ff. de feriis. secundum omnium sententiam. Nam c. de esu carnium. de

consecr. distinct. 3. quod contrarium significare videri alicui potest, de consilio loquitur, iuxta gloss. suam, vt ibidem diximus.

13 Dixi: Vescitur: quia licet bibere sæpius vinum, aut aquam inter vescendum, & mane & vespere iuxta sanctum Tho. receptum in d.q. 147. art. 6. pulchra ratione id asserentem, quamuis ad sustentandum se & famem sedandam biberet, quidquid aliqui sine textu & ratione ad id idonea dicant. Esto, quòd venialiter peccaret qui cœpta, & nõdum finita digestione biberet, non quidẽ quòd ieiunium frangat, sed quia actum inordinatum agit, nisi iusta causa, puta charitatis, pacis, societatis, sitis, aut alia similis eum excusaret, vt etiam Caiet. ait in d. art. 6.

Dixi etiam: Vescitur: ad excludendos eos, qui aliquid præsumunt causa medicinæ, aut causa præguſtandi cibos dominorum, vel infirmorum, quibus inseruiunt, etiã mane, & etiã si cibi præguſtandi sint oua vel carnes, & etiam in Quadragesima, quia non sumunt illud in cibum, sed in medicinam: vel vt ex debito officio suis dominis seruiant, propter quod nec soluunt ieiunium, nec excusare-

14 tur ab eo. Id quod item est dicendum de iis, quos inter comedendum legere oportet, quia possunt præsumere aliquid, cena in finem lectionis dilata, secundum omnes. Et idem de iis, qui vespertino symbolo, seu collatione die, qua ieiunant, vtuntur, comedendo aliquid solius fructus, vel panis, vel vtriusque iuxta morem regionis, modo ne tantum sumatur, vt ieiunium defraudetur, non tantum, vt ait Innoc. in d. rubr. ne potus noceat, quod etiam nulla extante consuetudine fieri potest, sed etiam si ad sustentandam naturam edatur, & quamuis non bibatur iuxta mentem Inno. & Panorm. & communis in d. rubr. de obser. ieiun. explicatam a Caiet. in Summa, verb. ieiunium. & melius 2.2.q. 147. art. 6. & nos probauimus in d.c. solent de consec. dist. 1. ea præsertim ratione, quòd cum omnia ieiunia sint, vt prædiximus, iure humano inducta, possunt cõsuetudine rationabili præscripta duriora, vel blandiora fieri. arg. c. fin. de consuet. quidquid aliqui dicant. Non licet tamen vti mane collatione vsitata vesperi & prandium in vesperum differre, iuxta Caiet. vbi supra. Et meritò, quia illa non fit medicinæ causa, nec fieri potest ratione illius consuetudinis, quia nullibi est talis: & cõsuetudo, quæ cõtra ius est, non est amplificãda. c. ad audientiam. de decimis. & c. odia. de reg. iuris. lib. 6. quãuis causa medicinæ, debilitatis cõplexionis, vel necessitatis aliqua necessaria agẽdi, iuste id fieri posset.

15 Dixi: Pluries quàm semel, quia vnica comestio est de essentia ieiunij, nisi quatenus consuetudo aliquam, paruam permittit. Quare qui facta cena de mensa surrexit, voluntate amplius non comedendi, & postea redit ad eam, & comedit, videtur frangere ieiunium, secundum Archid. in cap. non licet. de consec. dist. 1. Pro cuius opinione faciunt ea, quę de iteratione actus diximus late supra, c. 6. nu. 16. Quod idem videtur de illo, qui facta meridie cena, sub nocte symbolo, seu collatione notabiliter immoderate vtitur quod

(quod frequenter fit in Vigilia Natalis Domini præsertim in Lusitania, vbi multa ex saccaro confecta, & condita proponantur, quo reuera fraudatur ieiunium) & admittit veram cenam nomine collationis tectam seu palliatam, arg. ca. 2. iuncta gloss. de consuet. lib. 6. Sola autem secunda comestio peccatum est: non autem tertia, neque quarta, vel vlterior, quia illa sola ieiunium frãgit, secundum Durand. in 4. lib. sent. dist. 16. quem sequuntur recte Angel. vbi supra §. 22. & Siluest. verb. ieiunium. quæst. 8. dicto 4. quidquid disputet Ioan. Maior in dicta dist. 15. quæst. 6. modo in tertia, vel vlteriore non edãtur cibi vetiti: quia quoties quis edit illos, toties mortaliter peccat secundum omnes.

Dixi: vel cibis vetitis, quia etiam vnica illorum comestione frangitur ieiunium, secundum omnes. Sunt autem cibi vetiti carnes, quales non sunt limaces. Maior vbi supra. Oua item & Lacticinia in Quadragesima, ca. denique. 4. dist. in aliis autem temporibus solum carnes iure communi, vt sentit sanctus Tho. vbi supra, art. fin. quamuis nemo id satis declaret: quod in vrbe seruari videmus: tametsi in Hispania & bona parte Galliarum omnia exæquẽtur. In omnibus tamen ieiuniis seruanda est consuetudo quadraginta dierum comedendi oua, & lacticinia: arg. ca. fi. de consuet. & l. 2. C. quæ sit longa consuetudo, licet in orbe nouo, & terris nouè repertis & aliis in quibus nõdum est talis consuetudo, seruandũ sit præfatum ius cõmune.

16 Dixi Sine causa iusta: quia illa secundum omnes excusat. Omnis autem iusta reducitur ad vnam ex tribus, scilicet impotentiam, necessitatem, & maius bonum, secundum sanctum Thom. vbi supra art. 4. explicatum à Caietan. in Summa verb. ieiunium. cap. 5.

Prima, scilicet impotentia eximit ab hac lege pueros vsque ad 21. annum secundum eundem S. Tho. ibidem: expedit tamen eis ieiunio assuescere, & ob aliquã vrgentem necessitatẽ ad id compelli possunt. arg. cap. 5. Ionæ. Hæc eadem eximit senes sexagenarios secundum communem, licet sanctus Thom. nihil de hoc dicat, & meritò: quia, vt vbi ait Caietan. alij aliis citius fiunt ad id impotentes, & ideo arbitrio prudentis, aut superioris id relinquẽdum est, arg. l. 1. ff. de iure delib. ca. de causis de offic. deleg. Equidem gratia Deo, octuagesimum annum agens perinde possum ieiunare, ac cum agerem sexagesimum, immo & quinquagesimum. Eadem etiã mulieres grauidas, & nutrices excusat, quippe quas non solũ sibi, sed etiam aliis edere oportet & ita vna comestio eis nõ sufficit, Gab. in 4. lib. sent. dist. 16. art. 1. immo peccarent, nisi ita robustæ essent, vt vna comestione sibi & infantibus sufficere possent. Caiet. in d. artic. 4. Eadem etiam excusat pauperes non valẽtes quærere sibi cibum ad vnicam comestionem sufficiẽtem, non tamen alios. Palud. in 4. dist. 15. 3. q. 4 artic. 2. concl. 3 Eadem excusat infirmos non valentes, vel non debentes simul tantum comedere, quantum eorum saluti sufficiat. Eos item, qui tam infirma sunt complexione, vt vacuo stomacho capitis dolorẽ, vel vertiginem patiantur

patiantur, aut tota nocte calere vel dormire nequeant. Caiet. vbi supra.

Secunda causa scilicet necessitas, excusat quem à ieiunando, quoties oportet facere ipsum aliquid impatibile illi ad vitæ, aut sui status decori conservationem necessariam, aut ad vitandum damnum aliquod notabile, aut lucrandum aliquid, quod raro lucrifieri potest. Et omnis alia necessitas, quæ à festo seruãdo excusat, vt vbi supra addit Caiet. pro quo facit c. licet. de feriis. Non tamen illa sola, nostro iudicio, excusat. Excusatur enim à ieiunio faber ferrarius, carpentarius, agricola, & quilibet alius operarius, qui aliter quam assiduo suo labore non potest se, aut suam familiam sustentare: aut collocare suas filias, aut studiis filiorum necessaria suppeditare, nec sibi, nec suis ad cultum decentem necessaria comparare, vt ait idem vbi supra, art. 3. qui tamen ob obseruandis festis non excusarentur.

Vnde sequitur, illud Eugenij iiij. non tam priuilegium esse, quam iuris communis declarationem; opifices scilicet, suas artes exercẽtes, aut colonos, colendis, serẽdisque agris, aut aliis operam dantes, siue sint diuites, siue pauperes, ad ieiunia sub peccato mortali non teneri: & à confessariis absolui posse consulendo illis, vt in eleemosynis aliisque piis operibus occupentur. Rosel. verb. ieiunium. § 19. Silue. eo. verb. q. 3. Quia nullus eorum, qui operi laborioso incunbunt, vt plurimum tam diues est, qui suo labore ad aliquid ex prædictis non indigeat Et à fortiori excusatur, qui ieiunando, nõ potest ad suam, aut aliorum salutẽ spiritalem, vel corporalem necessaria efficere, veluti cõcionari ex officio, aut obediẽtia, verbo, aut scripto docere, aut confessiones audire, secundũ Caiet. vbi supra art. 3. & in Summa, verb. ieiunium. cap. 3. Eadem causa excusat eos, qui ieiunando, suo officio, vt par est, fungi nequeũt, quia vt ieiunium opera necessitatis non impedit, sic nec obligationis, & consequenter excusatur magnum iter facturus, saltem pedes, & maritus, qui vxori suæ reddere debitum aliter non potest, & vxor, quæ ieiunando marito satis placere nequit.

17 Tertia causa, scilicet maius bonum, excusat eos, qui non possunt ieiunando sanctioribus, & melioribus operibus vacare, quibus nõ ieiunando vacarẽt, arg. c. non mediocriter. de cõsec. dist. 5. qualia sunt opera misericordiæ spiritualia & corporalia, quę suapte natura sunt actus misericordiæ, quæ est virtus præstantior abstinentia, cuius actus est ieiunium, iuxta Caiet. vbi supra artic. 2. Quitamen, & Sil. limitant, hoc procedere in eis tantum, qui sine aliqua mercede ob solam charitatẽ faciũt, & non in aliis, qui ob mercedẽ id faciũt absque alia ad id obligatione voti, obedientiæ, aut beneficij: quod verum est, cum id faciũt principaliter vt se a ieiunio excusent, arg. l. & qui data opera. ff ex quib. cau. maio. Nam si principaliter causa se sustentandi, vel misericordiæ, vel cultus Dei, & minus principaliter propter mercedẽ id facerent, ab eo excusarẽtur, quoniã id, quod principaliter intenditur, debet attendi, l. si quis nec causam ff. de reb. cred. & alia, quæ supra, c. 17. nu. 208. adducuntur

Vnd

Vnde sequitur, solam peregrinationem voluntariam nõ esse iustam causam excusandi, nisi cum propter personæ auctoritatem aliorũ deuotionem auget peregrinando, & ieiunando peregrinari nequit, aut cũm ardor deuotionis ex quo procedit, efficit vt salubrior sit animæ peregrinatio quàm ieiunium, iuxta Caietanum 2. 2. q. 147. art. 3. & in Summa verb. ieiunium, cas. 3.

18 Dixi: Voluntaria, quia secus esset, quando est vota, præcepta, vel iniuncta in pœnitentiam, & differri commode non potest, eo quod tempus implendi accedit, & socij, qui tunc ad id se offerũt necessarij, postea deerunt, iuxta Gab. in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. Si autem vtrumque commode facere potest, non excusatur, vt recte adnotat Sylue. verb. ieiunium. quæst. 9. § 2. Quod si quis dubitat, an opus pium, & voluntarium, quod intendit, excuset ab obligatione ieiunandi, consulat superiorem, qui sæcularibus est episcopus, & monachis prælatus, si facile potest adire, alioqui, proepiscopus, vel parochus, quorum dicto adquiescat secundum Caietanum vbi supra.

19 Excusatur etiam vxor à ieiuniis voluntarie votis, si maritus repugnat, &c. manifestũ. & c. noluit. 33. q. 5. nõ autem quod ad ieiunia ecclesiæ, nisi cum ex ipsius ieiunio inter ipsam, & maritũ notabilis discordia, aut odium, aut scandalum, rixa, percussio, aut blasphemia cõsequeretur, iuxta Sylue. vbi supra: quia Deo gratius est conseruare pacẽ, & impedire prædicta mala, quam ieiunare, secundum eundem dicentem in alia opera pia eiusmodi ieiunia auctoritate superioris commutari debere, quod magis esse consilij, quam præcepti nobis per prædicta videtur.

20 Dixi: Sine causa vera, vel putatiua, quia si quis bona fide credit sibi iustam ad non ieiunandum causam esse, & ob id non ieiunat, non peccat, saltem mortaliter, secundum Palud. in 4. lib. sent. dist. 15. q. 4. art. 1. S. Anto. 2. par. tit. 6. c. 2. ante §. Sylvest. verb. ieiunium. q. 8. & Caiet. in Summa. eo. verb. & in 2. 2. q. 147. art. 3. Illi tamen, qui dubitat, an sine notabili damno suæ salutis ieiunare possit, confessarius consulere debet, vt experiatur: & si per id cognouerit esse sibi notabiliter nocium, iuste à ieiunando cessare poterit: & si adhuc dubitauerit, ad superiorem pro dispensatione cõfugiat: qui vero hoc noluerit facere, non est absoluendus: quia non est satis contritus, cum videatur nolle parere ecclesiæ, iuxta S. Anton. in decis. quorundam quæst. Pro quo facit cap. ad audientiam. de homicid. & cap. iuuenis. de sponsa. Qui autem non potest ieiunare totam Quadragesimam, sed potest bis, vel ter in hebdomada, tenenetur id facere, eoq; satisfacit præcepto, ita Caieta. in summa à ieiun. excus. & 2. 2. q 147. art. 6.

21 Dixi: Aut sine dispẽsatione, quia illa excusat secundum omnes: solus autem Papa circa ieiunia generalia dispẽsat absolute, ne quis ieiunij lege teneatur, vel non illis aut illis diebus, arg. cle. ne Romani. de elect. c. ex insinuatione. de appel. Singulariter tamen cum illo, aut illo iusta de causa, ne illo aut illo die ieiuner, etiã episcopus videtur posse dispensare, immo & eo absente parochus,

& quilibet prælatus cum suis religiosis, iuxta Sanctum Thom. in 4. distinct. 15. quæst. 3. artic. 2. & in dicta quæst. 147. quem ibidem Caiet. sequitur. Tum quia licet hoc iure expresso probari nequiret, satis tamen necessitatibus quottidie occurrentibus persuaderetur. Tum quia tam frequentet Sedes Apostolica consuli non potest. Tum quia videtur receptum consuetudine, quia iurisdictionem dare potest, cap. cum contingat. de foro compet. & cap. duo simul. de offi. ordin.

22 Ex quo infert Caietanus dicto art. 4. non debere prælatos relinquere suæ conscientiæ subditos petentes ab ipsis dispensationem, vt liceat eis cenare aliqua de causa in die ieiunij, aut ante horã comedere; quia potius debent eis compati, & benigne dispensando à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud pium opus cõmutare. Notandum tamen secundum eundem, quod dispensatus, vt comedat die ieiunij pluries, quam semel non videtur dispensatus, vt carnes comedat: neq; dispensatus vt comedendo carnes possit ieiunare, videtur dispensatus, vt possit bis eas comedere: nec dispensatus vt ante horam iustam prandeat, videtur à ieiunando liberatus: nec necessitas, aut iusta causa, quæ excusat ab integro ieiunio, videtur excusare ab omni parte illius; ieiunare enim prout potest, tenetur: quia, vt ille ait, in dicta q. 147. artic. 7. præceptum ecclesiæ licet in totum seruari non possit, seruandum tamen est quo ad illam partem, quo ad quam seruari potest, pro quo aptus text. in in cap. cum dilecti. de dolo & contu. cum citatis à gio. & doctoribus ibi. Notandum item, quod non excusatur quis à ieiunio propter eleemosynam, in quo multi absque textu & ratione errant, quia debitor vnius rei, soluendo aliam non liberatur. l. eum. & l. manifesti. C. de solut.

23 Tertiò peccat mortaliter, qui iusta de causa excusatus à ieiunãdo, cũ sustẽtari possit escis ieiunio congruis, carne, ouis, aut lacticiniis vescitur, iuxta S. Anto. receptum 2. par. tit. 7. c. 2. §. 7. & probatur ratione posita sub finem num. proximo.

24 Quartò peccat, qui ad cenam inuitat eum, quem nescit non esse à ieiunio exemptum, & probabiliter credit, aut dubitat ob illam inuitationem ieiunium fracturum, quod alias seruaturus esset, quia dat causam propinquam peccandi mortaliter secundum Caiet. 2. 2. q. 147. art. 4. dicentem, hoc non procedere in eo: qui scit inuitatum alibi esse cenaturum. quam limitationem tenuimus primum hîc, & postea contrarium in quadam additione vulgari lingua scripta per multas rationes. Nunc vero alia mente reperpensa, credimus posse saluari eam secundum mentem eius in eo, qui ex causa iusta inuitat paratum cenare; puta vrbanitatis, vel amicæ hospitalitatis, ad cenandum secum, in quantum cena est actus sustentandi naturam, & de se bonus vel indifferens, nullatenus consentiendo in eum, quatenus est fractio ieiunij.

25 Credimus enim licere inuitare, & prouocare iusta de causa aliũ, ad aliquem actum suo genere bonũ, vel indifferentem, nullatenus consentiẽdo in eum, quatenus fit male, vel est

est malus. Tum quia Deus ipse inuitat, immo iuuat, ad agẽdum aliqua, quæ sunt peccata quatenus sunt eutia; quia quatenus sunt talia, sunt ab eo, per quẽ omnia facta sunt, Ioan. 1. vt dictum est supra Prælud. 7. Tum quia licet gaudere de eo, quod est peccatum, alia ratione, quã quia est tale. De occisione enim Christi gaudemus qua parte est nostra redemptio, & dolemus, qua parte fuit grauissimum peccatum, iuxta illud glo. cap. 1. de consec. eccle. vel alta. lib. 6. *Actio displicuit, passio grata fuit*, & de occisione tyrãni gaudemus, qua parte est liberatio populi, licet alia ratione sit peccatum. Tum quia licet egenti mutuum petere simpliciter ab vsurario, qui scitur non esse mutuaturus sine vsuris, immo & accipere sub eis non consentiendo in dationem, quatenus est mala. Tum quia licet parochiano petere & accipere à suo parocho Sacramenta, in quibus dandis ille peccat, & creditur peccare, vt dictum est supra, cap. 14 nu. 16. Tum quia licet locare meretrici domum, in qua creditur meretricatura, sitam in ea parte vrbis, in qua meretricari permittitur, vt dictum est supra, c. 17. nu. 195. Tum quia licet vendere, aut dare peccatoribus nõ excommunicatis necessaria & vtilia ad sustentationem, licet illa directa ad peccãdum, vt ipsi dirigunt, sit peccatum. cap. audi denique. & cap. mensam. 11. q. 3. immo & oportet id facere, etiam excommunicatis extreme egentibus, immo & infidelibus volentibus infideliter viuere secundum omnes per c. pasc. 86. dist. Tũ quia licet petere à Gentili, Iudæo vel Sarraceno, vt confirmet iuramento contractum, licet sciatur, vel credatur superstitiose & cum peccato iuraturus, c. mouet. 22. q. 1. Tum quia Beatus Laurẽtius dixit Decio Tyranno. *Assatum est iam, versa, & manduca*: cum tamen illa versio esset peccatum ex parte assantis. Et multi martyres prouocarunt tyrannos ad sui occisionem, quæ tamẽ ex parte eorum erat peccatum. Quin & sanctus Andræas Apostolus prouocauit ad sui crucifixionem, & eius protractionem, resistendo ne deponeretur; quum tamen vtraque tam crucifixio, quàm eius protractio esset grande peccatum. Et rationibus in contrarium adductis responderi potest, eas procedere in eo, qui sine iusta causa inuitat, vt consentit in actum cenandi, vel cum causa quatenus est peccatum, vel est causa, ob quam ieiunium illius diei frangitur. Per quæ omnia declarantur dicta in dicto num. 26. & 31. & supra, cap. 19. nu. 16. quæ ad hanc resolutionem sunt reducenda.

26 Quartò peccat qui paterfamilias, œconomus tabernarius, hospes, aut caupo, mane aut vespere diebus ieiuniorũ suis filiis, famulis, aut aliis, quorum curam gerit cibos ministrat, aut iis, qui suã tabernam, aut cauponam adeunt, propinat eos cibos, quibus illos ieiuniũ soluturos sine causa credit, aut saltẽ dubitat, aut dubitare debet. Quia quãuis fortassis nõ sit causa principij peccati, est tamẽ causa actus, per quem peccatum exequitur, secundum Caiet. in 2. 2. q. 147. art. 4. aut cõtinuationis illius, & ita peccato consentit & cooperatur, vt Ioan. Maior in 4. dist. 15.

q.4.tradit, nō autem si satis apparet eos non teneri ad ieiunandum, eo q̄ sunt iter facientes, adolescentes, senes, infirmi, grauidæ, aut nutrices: aut probabiliter credit habere aliquam causam occultam legitimam non ieiunandi, & illis occulte ministrat, aut saltem sine scandalo alicuius. Ad quæ reducēda sunt, quæ rāto apparatu, ait Gab. in 4. lib. sent. dist. 16.q.3.art.3. dub.6. Resoluens tamen tabernarios, & caupones, qui parati sunt ministrare cibos in die ieiunij quibuscunque petentibus, nulla admonitione de ieiunio facta, nullaq; ratione habita, an habeant iustam causam non ieiunandi, an peccent aut non mortaliter peccare, quod ex prædictis sequitur.

Quintò peccat mortaliter, qui in diebus ieiuniorū cibos veritos ministrat sine dispensatione legitima, nec consuetudine id permittente, Gab. vbi supra.

27 Sextò peccat qui mane comedit in die ieiunij per talem ignorantiam, vel incogitantiam, quæ à violando ieiunio excusat, & ob id non ieiunat. Quia non obstante tali esu, perinde poterat ieiunare, ac si nihil comedisset, & hora consueta vesci. Palud. in 4. dist. 15.q.4 art.5. Dixi: Talem, quia secus est, si est eiusmodi, quæ à violando non excusaret, eo quod iam fractum ieiunium reparare non potest illo die, & alio non tenetur secundum omnes, argu. c.2. de obserua. ieiu. quidquid dicat Paludan. vbi supra, vt qui vno die preces horarias omittit, non tenetur altero die recitare, vt late diximus in Enchirid. de Orat. c.10. num.31. & Angel vbi supra, §.3. & 4.

Septimò peccat, qui notabiliter absq; iusta causa horam comedendi in loco consueto præuenit, iuxta glo. c. vnum. §. alias. verb. ieiunantibus 25. dist. & Palud. in 4. dist. 15.q.4. artic. 4. quia ieiunium frangit, quod probat Caiet. 2.2.q.147. art.7. quidquid dicat Ang. verb. ieiunium. §.2. Secus si iusta de causa id facit, vt quia non vacabit hora consueta comedere, siue ob iter arripiendum, siue ob hospites, siue ob aliam honestam causam, iuxta Inno. in rub. de obser. ieiun. & Sylu. vbi supra. q. 1. dicto 3. Gab. in 4. dist. 16.q.3 art.9. & Ange. verb. ieiunium. §.2. Licet autem pro libito proferre horā, modo sine superstitione fiat, iuxta S. Anto. 2. par. tit. 6. c.2. §. eo. ab omnibus receptum. Nec frangunt ieiunium, qui ante vesperas Quadragesimæ comedunt, vel aliis ieiuniorum diebus ante nonā recitatam, quamuis officiis diuinis addicti id facere sine iusta causa non debent, iuxta S. Anto. vbi supra, & Caiet. vbi supra d.art.7.

Octauò peccat qui compellit famulos ad ieiunandum obligatos in diebus ieiunij ad opera illi impatibilia, quæ commode in alium diem differri possunt, Palud. in 4. dist. 25. quæst. 4. art. 2. & Gab. ibidem quæst. 3. articul. 1. nota b. 4. Id, quod item dicendum est de eo, qui ieiunat diebus dominicis, quia superstitiose credit, in illis ieiunandum esse contra consuetudinem Christianam. c. si quis presbyter. 30. distinct. & iuxta S. Thom. in 4. distin. 15. quæst. 3. art. 3. secus si ieiunet ob salutem suam, studium, domandum carnem, aut alios bonos fines, immo meretur, argu. cap. vtinam. 76. distin. quod ibi & in

& in cap. si quis presbyter. tradit vterque Cardin.

De tertio præcepto Ecclesiæ, De soluendis decimis.

SVMMARIVM.

28 *Decimæ quo ad quotam iuris humani, quo ad sustentationē diuini, & ita quo ad illam tolluntur consuetudine, & non quo ad hanc, nu. 30.*

29 *Decima triplex, prædialis, personalis & mixta.*

30 *Decimam insolitā non imperat Papa.*

31 *Decima personalis in quo à prædiali differt, & non soluitur.*

31 *Decima soluenda non deducta impensa, nec semine, &c.*

32 *Decimas debens, vel impediens ante restitutionem non absoluatur.*

32 *Primitiæ, vt decimæ soluendæ.*

28 CONtra hoc præceptū de soluendis decimis, peccat mortaliter. Primò, qui decimam ecclesiasticam iure debitam non soluit integre, cui debet, secūdum omnes, per c. decimæ, c. reuertimini. 16.q.1. & illa multa, quæ Innoc. cōmuniter recept. citat in rubr. de deci. aliàs in cap. fin. de paroch. illi proximo. Pro quorū intellectu dico. Primò, quòd lex illa vetus Exod. 22. repetita in multis locis ab Innoc. vbi supra, qua vndecim Tribus Israel, iubebantur soluere duodecimæ Leuitarum diuino cultui addictæ decimam omnium fructuum, erat lex iudicialis quo ad quotā: quamuis quo ad congruam sustentationē, quæ debebatur ei, eo quod erat dicata, & seruiebat diuino cultui, erat moralis & naturalis deducta ex illa generali: *Dignus est mercenarius mercede sua.* Luc. 10. secundum S. Tho. Quolib. 2. art. 8. & Quolib. 6. art. 10. & 2.2.q.87. artic. 1. declaratum ibi pulchre per Caieta. & late probauimus in repet. cap. ius naturale. 1. distin. & in cap. 1. de deci. lib. 6. & in repet. c. ad hæc. de præb. not. 1.8. dicto, quamuis Innoc. vbi supra, & glos. cap. 1. de deci. lib. 6. recepti ab omnibus fere nostris, præsertim à Petro Rauen. in fine sui compendij, teneant, decimas etiam quo ad quotam iure diuino deberi per cap. in aliquibus. §. ille. de deci. & alia, quæ ibi allegat glos. Sed male. Quia certum est, eam non deberi lege naturali, cum illa nullum ante Mosem, nec post eum ante Christum, alios, quàm Hebræos ligauerit, quod feciſſet, si esset lex naturalis, argu. cap. ius gentium. 1. dist. & principio 5. distin. Et consequēter erat iudicialis, vel cæremonialis, quas non solum est verum, sed de fide, cessasse à passo Christo. §. fin. 4. dist. & c. 1. de purif. post part. Vnde Ioan. Maior in 3. lib. sent. dist. 37. in q 36. col. 2. ait, contrarium esse hæresim, licet Canonistæ illud tenentes non debeant censeti hæretici, & col. antepen. & seq. speciatim confutat prædictum Rauennatem mordicus insequentē Inno. eo quod eorum dicta consequitur præcepta iudicialia legis veteris non expiraſſe, quod est hæresis. Nec obstat dictus §. ille. quia intelligendus est, de lege, quæ diuina esse solebat, aut de lege diuina veteri, quæ nouæ humanæ exēplo fuit, sicut dixit Caiet. in dict. artic. 1. & facit in simili cap. cum esses. de testa. & ad cap. Quadragesima. de consec. dist. 5. apte respondet in col. pen.

29 Secundo dico,triplicem esse decimam Prædialem, Personalem, & Mixtam. Prædialis est,quæ provenit ex fructibus prædiorum: tritico scilicet, vino, oleo, &c. Personalis est decima lucri ex sola industria, aut labore personæ,quæsiti,quale est lucrum mercedis,mercis, officij venationis,&c.cap.ad Apostolicæ, & cap. pastoralis cum glossa,& eis adnot. Mixta est, quæ partim ex prædiis & partim ex industria capitur, qualis est fetuum pecudum, & pullorum avium.Et ita hęc lex ecclesiæ est generalior,quàm vetus,quę solam decimam prædialem, aut mixtam soluere iubebat.

30 Dixi:Ecclesiasticam, ad includendam triplicem decimam supradictam.Dixi:Iure debitam,ad excludendum eam,quæ consuetudine,vel conuentione rationabili non debetur, quod fere tota Italia seruat, & bene quidem:quia quum, vt prædictum est,decima non debeatur quo ad quotam iure diuino, potest illam diminui,vel tolli, modo cõgrua sustentatio iure naturali debita relinquatur ministris ecclesiasticis, arg. cap.fin.de consuetu.& l.1. C. quę sit longa consuet.

Ex quibus sequitur. Primo, quòd qui soluit minorem partem, quàm decimam,vel decimam de vnis fructibus,& de aliis non, modo soluat totam partem consuetam,& de omnibus fructibus decimari consueris, satisfacit:modo suam parochus cõgruam sustentationem habeat, per prædicta etiam in duobus casibus, de quibus Panor.in cap.à nobis. de deci.quem sequitur Angel.verb. decima. §.2.quorum quidem prior est, quando Papa soluere iuberet: quia retenta opinione prædicta Theologorum, supra efficaci ratione comprobata,eiusmodi iussus absque noua causa nõ esset iustus,& ab eo supplicari posset,iuxta c. si quando. de rescrip. Posterior vero est, quando ministri ecclesiæ necessitate pressi decimas peterent:nam & in hoc casu non esset soluenda quota decima præcise,sed plus,vel minus, vel tantum prout congrua sustentatio, plus minus, vel tantum requireret: quia hoc iure naturæ, cui humana consuetudo derogare nequit, debetur: illa vero humano, cui consuetudo derogat,cap.fi.de consuet. vt dictum est supra nu.28.

31 Sequitur secundo, idem dicendum de personalibus: quod de aliis: videlicet,quod non debẽtur,vbi est cõsuetudo legitime præscripta non soluendi eas, qualis est fere nostra ætate in toto orbe Christiano, exceptis salariorum famulorũ, & famularum aliquarum regionum Hispaniæ.Inter has enim & alias hoc solũ interest,quod eæ numquam fuerunt debitæ iure diuino, etiam veteri,ille vero sic ab Hebræis tantum:&quod in his deducuntur impensæ,& solum lucrum decimatur:in aliis non item per notata in cap. ad Apostolicæ. c. non est.cap.ex transmissa.cap. pastoralis,de decim. Id tamen est certum de lucro illicito, quod est restituendum,non esse soluendam decimam personalem:de alio vero sic, modo non sit per notorium peccatum quęsitum,ex tali enim lucro non est accipienda, ne illud approbati videatur,iuxta glo.communiter recep. in dicto cap.ex transmissa.

Secun

Secundo peccat,qui soluit quidem decimam iure debitam, sed deducit prius impensas sationis, aut collectionis fructuum, aut semensarum, aut pensionem, quam domino prædij soluit. contra c. tua nobis. & cap. non est. de deci.aut decimat patrem peiorem, quia licet non debeatur optima, debetur tamen mediocris, Io.Maior vbi supra.

Tertio peccat,qui soluit quidem omnes decimas debitas, sed nõ vbi, quando,vel quibus iure, vel consuetudine legitima debet. Arg.cap. certificari de sepul.& c.ea te.de iureiur. Nisi legitimo pacto inter ecclesiasticos, & laicos excusetur, cap. statuimus.& c.veniens.de transac.cum eis adnot.

32 Quibus addo,quod Conci. Triden. in sess.25.c.12.de refor.sic præcipit: *Qui decimas,aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur,nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secura absoluantur:*quod intelligimus de iis, qui restituere possunt antequam sacrosanctum corpus Domini sumere debeant,aut moriantur,arg. eorum. quæ dicta sunt supra, c.17.nu. 42. & nu.156. Cõdonatio vero facta ab eo cui debentur,sufficeret ex mente gl. solemnis, c.peccat ũ.de regulis. lib. 6. verbo,restituatur. Nec refert, an diues sit,qui debet,an pauper, vt recte significat Ioan.Maior,vbi supra, quidquid sentiat S.Anton.2. part.tit. 4. cap.3.§.7. nisi quòd beneficiarius condonando diuiti, quod pauperibus est erogãdum,& diues accipiendo, quod illis erat dandum peccare possent, & teneri ad restitutionem, iuxta ea, quæ diximus in Apologia de reditib.ecclesiast.q. 1. monito 73. nume.2.cit.supra c.17.nu.94. & specialius in cap.non liceat.12.q.2.§.15. nume.5.

Quarto peccat,qui primitias iure; vel consuetudine legitima debitas non soluit, vbi quando, & quibus debet,iuxta c.1.& ibi notata,de deci: & tradit sanctus Thom.2.2. q.86. & concionator religiosus, vel confessarius,qui dehortatur, aut auertit à solutione decimarum est etiam excommunicatus; iuxta dicta infra,c. 27.nu.145.

De quarto præcepto Ecclesiæ,De semel in anno confitendo.

SVMMARIVM.

33 *Confessio omnium mortalium intra annum per seipsum necessaria,& interdum ante Quadragesimam venialium vero vtilis tantum: nisi, &c.& seqq.*

37 *Confitendo,qui mentiens,vel nolens integre fatetur peccat mortaliter. & seqq.*

40 *Confessio talis, qualis eius finis, & quis principalis.*

41 *Confitens qui laico, vel qui confessionem iterans peccat mortaliter. & 42.*

43 *Pœnitentiam iniunctam,qui non implens peccat mortaliter.*

44 *Confessarij dictum qui reuelant peccat mortaliter.*

33 CONtra hoc præceptum de semel in anno confitendo,peccat mortaliter.Primo,qui non confitetur iam habens discretionem, &

potest, omnia sua peccata mortalia semel in anno cui debet, cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit.& remiss. Et quamuis omittere vno anno cõfessionem non sit, nisi vnum peccatum mortale, vt significat glo. sing. in Summa de pœn.dist.5.tamen quoties quis proponit non cõfiteri toto anno, toties peccat, iuxta omnium sententiam. Quid autem sit cõfessio (de qua loquimur) sacramentalis, & quæ sexdecim conditiones, quas requirit, cum quattuor notabilibus, dictum est supra c.1.

Dixi: Habens discretionem, ad excludendos eos, qui ea carent, dicto cap. omnis. eam autẽ videtur habere puer, qui ob male factum verecũdatur, & bonum discernit à malo & interrogatus: An liceat innocentem interficere? aliena inuadere? superiori maledicere? & alia huiusmodi? negatiue respondet. Et interrogatus, An bonum sit esurienti panem porrigere? adire ecclesias? affirmatiue respondet. Sed nõ omnes eodem tempore, eam consequuntur, quod diligenter considerare debent ij, quibus illi subduntur, arg. cap. duo ista nomina. 23. q. 4. Porro decens est consuetudo, vt vno, aut altero anno prius incipiant confiteri, quàm communicent, quò maiori cum reuerentia id faciant. Maior in 4. lib. senten. dist. 17. q. 2.

34 Dixi, Potest, quia si copiam confessarij non habet, aut est excommunicatus, & non negligit procurare absolutionem, aut ex consilio confessarij in longius tempus confessionem differt, aut aliàs impeditur, non peccat, argu. cap. quia diuersitatem. de concess. præb. & trad. S. Anto. 2. part. tit. 9. cap. 8.

Dixi: Peccata mortalia, quia hoc præceptum non includit venialia, etiam si mixta sint mortalibus, iuxta glo. in cap. omnis. receptam ibi, & in 4. lib. sentent. dist. 16. per omnes, & probatam per concil. Trid. sess. 14. cano. 5. nisi quando dubitatur, an sint mortalia argu. cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. aut tanto affectu est in illa; quod timet se per ea in mortale inducendum, nisi fortiter frenet illa confitendo, iuxta S. Bonauen. in dicto 4. lib. sent. dist. 16. sub fi. Quibus consequens est, posse quem, si velit, confesso vno veniali peccato, alterũ tacere, Ioan. Maior, & alij, vbi supra. Vtile tamen est carenti mortali, sæpius venialia confiteri, quia per id augetur gratia, pœna purgatorij minuitur, & propositum numquã peccandi mortaliter renouatur, & habitus venialiter peccandi diminuitur. Sil. verbo, confessio. 1. q. 4. §. 3. Dixi: Semel in anno, & omnia, propter ea, quæ in dicto c. 2. dicta fuerunt.

35 Secundo peccat mortaliter, qui non cõfitetur, etiam extra Quadragesimam, occurrente casu, in quo ad id obligatur. Quinque autem casus in dicto cap. 2. num. 7. & duobus seq. attigimus, quibus prædictus Ioan. Maior addit alium, in quo quis nouit, se memoriam omnium totius anni peccatorum, in Quadragesima minime habiturum, quod videtur vtile, sed non necessarium. Tum quia fere omnes in anni decursu toties peccamus, vt veri numeri in Quadragesima non meminerimus. Tum quia nulla lege ad id obligamur, & sine lege non est asserenda obligatio. §. consideremus. authen. de

de trien. & semiss. coll. 3. & cap. con suluisti. 2. quæstio. 5. Tum quia Concil. Florent. citatum à nobis in cap. fratres. de pœnit. distin. 5. num. 66. cui Trid. consentit vbi supra. c. 5. tãtum obligat ad confitenda peccata, quorum meminimus: in quod tamẽ adhibenda est mediocris diligentia, quam ibi determinauimus, sed non illa noua quam Maior, sine textu & ratione necessaria excogitauit, quaque scrupulis onerari possent pœnitentes.

Tertio peccat, qui non iterat confessionem, in quibus casibus iteranda est, supra c. 9. positis, sciens, aut scire debens se ad illud teneri, iuxta mentem omnium.

36 Quarto, qui confiteri potest ore proprio per semetipsum, & non vult id facere, nisi tantum per scriptum, vel nuntium ob segnitiẽ, aut pudorem, cap. quem pœnitet. de pœnit. distin. 1. Dixi: Potest, quia qui per seipsum confiteri nequit, non tenetur ad confitendum per alium, nec per scriptum, nec etiam per interpretem. Si tamen id faceret, valeret confessio, & absolutio, quæ scripta mitteretur, secundum Palud. in 4. lib. senten. distin. 17. quæst. 1. art. 1. & clarius Adra. in 4. de confess. quæst. 1. quos sequuti fuimus in cap. quem pœnitet. & nunc etiam sequimur, quamuis aliqui contradicant. Tum quia illa, quæ per interpretem fit, semper fuit, & est in vsu ecclesiæ, & eam, quæ per scriptum à præsente pœnitente fit, probat glo. cap. qualis. 30. quæst. 5. Tum quia falsum est de ratione intrinsecæ confessionis esse, vt sit secreta. Concil. enim Triden. in dicta sess. 14. cano. 5. expresse ait, posse etiam fieri eam publice: licet nemo ad id teneatur. Et si id esset verum, confessio, quam tertius insidiose audiret, nil valeret. Tum quia dict. cap. quem pœnitet. habens non esse faciendam per scriptum, intelligi debet, quando verbo commode fieri potest, ne contradicat prædicto capit. qualis. quod secundum vnum intellectum gloss. habet eam per scriptum fieri posse. Tum quia hæc opinio misericordiam Dei, virtutem sacramenti pœnitentiæ, & deuotionem pœnitentium auget: & opposita retrahit à confitendo alienæ linguæ homines, & mutos scientes scribere, & ægrotos in domum parochi ægrotantis migrare nequeuntes. quod tetigimus in dicto cap. quẽ pœnitet. de pœnit. distinct. 1. nume. 4.

37 Quinto peccat mortaliter, qui mentitur in confessione, affirmando, aut negãdo aliquod mortale, nisi affirmaret absque animo sacerdotẽ decipiendi, putans se sancte posse nimis accusare, vt diximus in dicto cap. fratres nume. 37. Dixi: Mortale, quia si solum affirmaret, vel negaret falsè tantum veniale, non peccaret mortaliter, siue proposuisset illud confiteri, siue non, quidquid dicat Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 1. Quia mendacium solo eo, quòd in iudicio interiori confessionis, aut exteriori dicatur, non est mortale, quãuis sit de re, quæ ad iudicium, in quo illud pertineat, nisi sit iuratum, aut notabiliter pernicioſum, vt diximus in cap. fratres. de pœnit, distinct. 5. nu. 18. & in cap. inter verba. nume. 715. & supra cap 18. num. 7. Dixi: Eo solo, quia vt scripsimus in di-

cto cap.fratres,nume.22. poteſt eſſe peccatum,quādo quis nullum aliud verum confiteretur, non quidem, quia eſt mēdacium:ſed quia irreuerentiam ſacramēto facit, non ſubiiciendo materiam ad illius exercitiū ſufficientem, qualis non eſt peccatū falſum:licèt veniale verum ſit.

38 Et quod dictum eſt de veniali eſt dicendum de mortali, aliàs legitime confeſſo:cum neutrius confeſſio ſit neceſſaria, & vtriſque ſit ſufficiens materia ſacramenti ſecūdum cōmunem Catholicorum. Vnde ſequitur non peccare mortaliter, vt in dicto cap,2. nu.4.diximus, confitentem negantem ſe admiſiſſe peccatum mortale, aliàs legitimè confeſſum.

39 Sextò peccat qui inter confitendum proponit nō confiteri aliquod peccatum mortale, ſi confeſſarius non interroget: quod agnoſcens cōfeſſarius procurare debet, vt cum pœniteat peccati nolendi confiteri integrè contra prædictum cap. omnis.& Concil. Florent. & Trid. ſeſſ. 14.cap.5.

40 Septimò peccat, qui confitetur ob finem mortaliter malum,puta,ad conſequendum aditum faciendi aliquid,quod eſſet mortale,aut ob vanam mortalem gloriam. quia omnis actus, cuius finis mortalis eſt, ipſe quoque talis eſt, cap. cum miniſter.13.quæſt.5.cum iis,quæ latè adiecimus ei.Dixi:Mortaliter malum, quia confiteri ob finem venialem, non eſt mortale,quamuis enim eximius vir ille Angel. verb. vana gloria.§.1. teneat, concionari, miſſam celebrare, & alia principaliter diuino cultui dedicata facere propter honorem, aut inanem gloriam,eſſe mortale: contrarium tamen tenendum eſt,vt latiſſimè in repet.cap.inter verb.11.queſt.3.conclu.4. demonſtrauimus. Addimus autem,quod vt aliquis dicatur confiteri principaliter, ne notetur,aut infametur in populo, aut ob metum apparitoris,ſiue Merini, aut pœnæ,non ſatis eſt, quod aliàs non confiteretur: ſed oportet,vt id æquè,aut plutis quàm confeſſionem, & abſolutionem faciat, quod pauci faciunt: quamuis multi non confiterentur,niſi aliquo reſpectu prædictorum, aut alio ſimili temporario in id mouerentur, per ea, quæ in locis ſupradictis diximus,præſertim in dicto cap. cum miniſter.nu.43.diſputando de cauſa principali, & minus principali actus humani. Vnde ſequitur non peccare mortaliter eos, qui ne ſuam exiſtimationem honeſtā amittant,confeſſario cuidam familiari ſuo confitentur omnia ſua peccata, etiam obſcœna, & poſtea alteri probo & graui ſolum leuiora, quod de ſe non eſt malum: & ſi finis venialis fuerit, peccatum veniale erit, & ſi mortalis, mortale, & ſi bonus, qualis frequenter eſt, ſanctus, & probus, immo interdum neceſſarius,quidquid dicat Sil.verb. confeſſio 1. quæſt.6.& alij,quorum dictum ad diſtinctionem dicti noſtri reduci poteſt.

41 Octauò peccat qui confitetur laico,vel clerico nō preſbytero abſque neceſſitate, cum poſſit confiteri preſbytero:aut cum neceſſitate, animo accipiendi ab eo abſolutionem ſacramentalem,aut detegendo peccata mortaliter ſecreta imprudēter, iuxta

iuxta Scotum & communem in 4. lib.ſent.diſt.17.q.1.& Card.Turre.in cap.quem pœnitet. de pœnit. diſt. 1. quod ſicut in cap.1. de pœn.diſt. 6. a nu.72.vſque ad 83. & in repet.d. cap. inter verba concl.4.diximus, intelligēdum eſſe ſolum de eo, qui confitetur peccata, quibus abſque peccato mortali ſe infamare nō poteſt, & de eo, qui ſcit abſolutionem ſacramentalem,datam a laico, etiam in vltima neceſſitate eſſe ſacrilegiū, & eſſe graue peccatum interdum ſe ipſum infamare,etiam ad veniam à Deo obtinendām:non autem de eo, qui bona fide credens (licèt per ignorantiam iuris)licitum eſſe, hoc fecit: eo quod communiter id inter peritos licitum exiſtimatur, quod tamen falſum eſt, iuxta omnes in dicto 4.lib.ſent.diſt.17.

Nonò peccat qui confeſſus laico tempore neceſſitatis peccata mortalia, non confitetur eadem poſtea cui debet tempore, quo confiteri tenetur,iuxta omnes in 4.diſt. & ca. omnis. de pœnit. & remiſſ. quia ad confitendum in ea non ſecus tenetur,quàm ſi nullatenus confeſſus ea fuiſſet,vt diximus in d.c.1. de pœnit. diſt.6.nu. 83.

42 Decimò peccat,qui peccatorum ſemel bene factam confeſſionem iterat ſecundò,tertiò, & ſæpius propter ſcrupulos, cum periculo deſipiendi ob nimiam de re triſti cogitationem, aut cum ſcandalo notabili confeſſari-, aut notabili infamia tertij,vt diximus in d.cap. inter verba.11.quæſt.3.nu.729.& in cap.fi. de pœnit.diſt 5.num.30. & aliquid in cap.1. num.98. & 99.de pœnit. diſt.1. Dixi: Cum periculo & ſcandalo: quia non videtur pluſquam veniale id facere ſine illis, licet ſit veniale, quia procuranda eſt tranquillitas animæ & conſcientiæ, quam eiuſmodi ſcrupuloſa repetitio diminuit. Et ideo ſemel confeſſus, & abſolutus cōuenienter iuxta iudicium docti confeſſarij, quieſcere debet: immo & credere, ſe confeſſum fuiſſe illa,quæ poſtea occurrēt, quæ neſcit an fuerit confeſſus,vel non: ſed habet probabilem cauſām credendi ſe illa confeſſum:quia ob hoc nullo ſe periculo ſubiicit, eo quòd certo neſciat, ſe illa confeſſum non fuiſſe,morbus enim, quo laborat excuſat eum,& facit,vt pro certo habere debeat,quod alius rectè compoſitus pro dubio reputare deberet, eo quod paſſio inordinata timoris iudicij conſtantiam ei adimit, & tot dubia in phantaſia excitat, vt ad timendum nunquam ſe bene confeſſum inducat, & non ſine magna moleſtia phantaſiæ motus ſedare poſſit,per quod multa pericula tam corporis,quàm animæ incurruntur, & multa vtriuſque opera bona impediuntur, vt rectè poſt alios conſiderat Caiet. in ſumma verb. confeſſionis conditiones, addens idem dicendum de iis,qui iterant confeſſiones, non quia ſunt ſcrupuloſi: ſed quia nunquam proponunt omnino integre confiteri, vt debent, quia mortaliter peccant, non quia iterāt (cum ad id teneantur) ſed quia non bene iterant,& magnam irreuerentiam tanto ſacramento faciunt contra ea,quæ ait S. Tho.2.2. quæſt. 99. art.3. Verum eſt etiam, quòd quāuis nemo ad confeſſionem peccatorum,ſemel bene factam iterandam

teneatur,

teneatur, sanctum tamen est iterum ea cõfiteri, si deuotionis causa, cum quieta conscientia, & sine tædio cõfessariorum, & aliorum bonorum operum impedimento fiat. Quia quamuis per primam cõtritionem, & confessionem remissa fuerit eorum culpa, frequenter tamen non remittitur tota pœna tẽporaria hic, vel in purgatorio subeũda, in quam æterna mutata fuit, quæ per secundam, tertiam, & quartam confessionem tollitur, aut diminuitur, tam ratione verecundiæ, qua pœnitens in confessione afficitur, quàm ratione virtutis sacramentalis absolutionis quæ non solum latgitur, aut auget gratiam: sed etiam diminuit, & tollit pœnam supradictam, iuxta illud S. Aug. in cap. quem pœnitet. de pœn. dist. 1. *Quanto pluribus confitetur in se veniæ turpitudinem crimine, tanto facilius consequitur gratiam remissionis*, quem ita ibi intelligimus, & sic intelligendus est iuxta Pan. in c. at si §. de adulteriis verò. de iudic.

43 Vndecimò peccat qui pœnitentiam sibi à confessario impositam, & à se acceptam in satisfactionem specialem suorum peccatorum mortalium, non implet cum illius meminit, & eam implere possit. Dixi: Acceptam, quia non cogitur pœnitens eam acceptare, nisi vt infra ca. 26. num. 20. dicetur: sed acceptatam implere tenetur, vt latius aliis in ca. 1. § ponat se. de pœnit. dist. nu. 13 diximus. Tum quia quidquid dicat Caietan. in 2 quæst. de satisfactione, maiorem vim habet sententia confessarij in foro ipsius, quàm alterius iudicis in foro exteriori: quæ tamen accepta ad implemẽtum sui obligat sub pœna mortalis. c. 2. de maio. & obedien. Tum quia in dubio hæc est communis intentio cõfessariorum, & pœnitentium, & innititur illo euangelij: *Quorum retinueritis*, &c. Ioan. 20. Dixi: Præceptam, quia cõsulta tantum nec ad mortale, nec ad veniale obligat. §. fin. 4. dist. & c. fin. 14. q. 1. Dixi: In satisfactionem quia quæ imponitur in monitionẽ. eius, ad quod tenetur, puta, vt singulis annis confiteatur, & communicet, & quod debet restituat, ad nouũ peccatum non obligat: quia regulariter expressio eius, quod tacite inest, nihil operatur. cap. significasti. de elect. & late Felt. in cap. ad audientiam. 2. de rescript. vbi gloss. nec qui declarat statuit, l. heredes palam. §. sed & si notam ff. de testam. Dixi: Mortalium, quia, quæ ob veniale imponitur, nõ obligat ad mortale communiter, nisi contemptus interuenerit.

44 Duodecimò peccat, qui post confessionem renelat aliquid à confessario sibi dictum, consultum, vel præceptum in detrimentum notabile, salutis, famę, aut bonorum eius probabiliter redũdans. iuxta Palud. in 4. lib. sentent. dist. 11. quæst 3. art. 3. col. 6. & latius. Adrian. in 4. de conf. dub. 10. col. 11.

De quinto præcepto ecclesiæ, De communicando in Paschate.

SVMMARIVM.

45 *Communicandum in Pascha, aut ante vel post octo dies, nisi &c.*

46 *Com*

46 *Communicet quàm citius poterit nõ communicans in Paschate.*

46 *Obligatio quæ lapsu temporis implendi præceptum finiatur.*

46 *Communicat quis scienter in mortali, & ob id peccat*

47 *Gratia in diuina se esse nemo scit, & quis pie credit esse in ea.*

48 *Communicare bene quis censura ligatus potest.*

49 *Communio confessionem actualem mortalium prærequirit, nisi &c.*

50 *Communionis omissio ob odium quæ mortalis.*

51 *Communionem quæ copula vel pollutio, licita vel illicita impedit.*

51 *Pollutio vel copula carnalis, quæ communionem impedit.*

52 *Communicans alienum parochianum peccat, nisi &c.*

53 *Communio quo esu, vel potu eodem die præsumpto impeditur.*

54 *Communicans, vel celebrans pluries quàm semel in die peccat.*

55 *Communio quando ob peccatum occultum male, & ob publicum recte denegatur. & 56.*

57 *Communionem non procurans ei, quorum curam gerit, quàm peccet.*

57 *Communicare non licet paruulo, nec aliis sub vtraque specie, nisi celebrando.*

57 *Communicare qui tenetur pluries in anno, & quoties expediat & deceat.*

45 COntra hoc præceptum quin tũ peccat mortaliter primò, qui non communicat in Pascha, c. omnis. de pœn. & remiss. nec ante, vel post octo dies iuxta declarationem Eugenij iiij. quã ignorauerũt Pano. & alij in d. c. omnis. & S. Anton. in 2. part. tit. 9. c. 9. Sed eam inter alios citauit Ioan. Maior. in 4. li. sent. dist. 17. q. 2. nisi de licẽtia proprij sacerdotis in aliquot plures dies differat, d. c. omnis. & nisi sit excommunicatus, interdictus, aut suspensus a communione, & nequeat absolui per impotentiam facti, aut iuris, aut ob aliud impedimentum, quale est illud occultum, quo impeditur a faciendo, quod requirit absolutio. vt in casu cap. inquisitioni. cum ei adnotat. de sent excom. quo casu patienter perferendo censuram, & pœnam ecclesiæ, potius meretur, modo pro viribus procuret habilitatem ad absolutionẽ censuræ, & peccatorum sanctamque communionem secundum omnes, quod recte explicat Gab. ser. 21. de Eucharistia. Vbi autem est cõsuetudo legitima, & præscripta satisfaciendi huic præcepto, communicando quolibet Quadragesimæ die, qualis est in nostra Conimbrica, & multis aliis locis sufficeret conformare se illi, vt diximus in c. consideret. de pen. dist. 5. §. caueat. nu. 1. Hortamur tamẽ, ne quis statim à prima confessione in annum integrum dilata communicet, sed expectet aliquãdiu: & postea denuo confessus ea, quæ in memoriam redierint, & interea peccauerit, mũdius ad illam purissimam, sanctissimamque mensam accedat. Et quamuis D. Anton. 2. par. tit. 9. c. 9. §. 3. quem Siluest. verb. Eucharistia. 3. q. 15. sequitur, & etiam Medina in C. de pœnit. dum de confessione tractat, teneat, eum, qui in Pascha Resurrectionis non communicauit, non teneri sub pœna noui peccati ad communicandum vsque ad alterum Pascha: quod ipsum dicunt sanctus Anton. vbi supra, &

Siluest

Silvest.de confessione, contradicente in hoc Medin.vbi supra: nobis tamen contrarium videtur in vtroque verius. Tum quia si, vt Medina dicit, qui intra vnum annum non confitetur, ante finem alterius anni confiteri tenetur, eo quod prædictum c. omnis.confessionem semel in anno præcipit, eadem ratione, qui non communicauit in Pascha tenetur ad communicandum ante finem alterius anni,cum idem c. communionem semel in anno præcipiat. Nam prædictum cap. præcipiendo communicare in Pascha duo in effectu præcipit: scilicet, communicare semel in anno, & communicare in Pascha: & licet lapso Pascha non possit impleri alterum de communicando in ipso, potest tamen alterum de communicando semel in anno, vt in simili dicitur in cap.cum dilecti. de dolo & contu. de citato ad comparendum certo die Romæ, qui si nõ potest comparere illo die, tenetur comparere quantocius post illum poterit. Cui concordat l. Celsus.ff. de recept. arbit. cum citatis vtrobique. Tum quia licet quando tempus ad finiendam obligationem præfinitur,eo lapso,, ea finiatur,cap. sicut.de sponsi.quando tamen præfinitur ad dilatandam solutionem, non finitur per lapsum ipsius,immo vegetior efficitur per d. cap.cum dilecti. vbi hoc adnotat Panor. nu.12. communiter receptus, at terminus Paschæ in prædicto cap.præfiturus, non præfinitur ad finiendam obligationem, sed ad dilatandam debiti solutionem, & declarandum eam fieri posse intra annum citra culpam & pœnam. Tum quia non obstat eorum fundamentum, quod præceptũ de ieiunando illo, vel illo die, & de singulo quoque die recitandis horis canonicis, elapso die, non obligant ad ieiunandum,aut recitãdum alio die,quia vt singulariter meliùs, quam alij dixit Petrus de Ancha. in cap.1.de celeb.Missar.nu. 29. relatus per nos in Enchirid.de Orat. & hor. canonic.cap.10.nu.53. illa ieiunia, & illas horas præcipit ecclesia tãquam onus illis diebus annexum: quod in istis duobus præceptis Confessionis,& Communionis non facit,quibus determinat tempus confitendi & communicandi, a iure diuino indeterminatum, intra quod ei satisfaciamus. Et sic quamuis obligatio illo die communicãdi, eodem elapso,cesset: obligatio tamen communicandi intra annum non cessat, quin manet, vt quantocius poterit satisfiat, cum annus tacite præfixus fuerit pro dilatione puta satisfactionis & communicatio in die Paschæ pro onere illius diei.

46 Secundò,peccat mortaliter qui communicat credens, aut credere debens,se mortalis culpę reum.1. ad Cor.11.Idem de eo qui communicat cum proposito non seruandi legem aliquam ad mortale, obligantem, aut redeundi ad concubinam relictam, aut ad aliud quodpiam mortale iam confessum, post Paschæ: aut non restituendi alienum aut nõ deponendi odium, vel rancorem mortiferum,&c. Idem de illo,qui de peccato præterito mortali ob vtilitatem inde acceptam delectatur, quamuis ad illud redire amplius nolit, qualis est, qui delectatur vsura, mendacio, fraude, vel furto, eo quod

quod per ea,bona sibi quæsiuit: aut fornicatione, aut adulterio,ex quibus susceptit liberos, quos impense amat. Quia quoties hoc animo deliberato facit: mortaliter peccat, quamuis proponat nunquam ad ea redire,licet sine peccato posset gaudere de iis, & aliis per quodcunque peccatum quæsiti restitutioni non subiectis, modo eum pœniteat peccatorum, aut saltem non placeant illa sibi, neque quod per ea quæsita, sic quæsita fuerint, vt in d. cap.inter verba.11.quæst.3.concl.4.& in addit. cap.quando diximus, citando alios: quod clare resoluit Ioan. Maior in 4 lib.sentent.distin.14 quæst.2.art.1.

47 Licet enim cuiuis delectari de quibusque bonis effectis malarum causarum,modo eis qua parte malę sunt non delectetur. Ille etiã credit aut credere debet,se mortalis culpæ reum, qui ex ignorantia affectata, siue procurata id ignorat, quia delectantur se nescire illa esse peccata, vel ea non meminisse, ne ad confitendum illa teneatur. Immo & qui id facit ex ignorantia crassa, qua laborat qui ad id sciendum, an sit peccatum,vel recordandum an fuerit,non vtitur diligentia, qua communiter suæ conditionis homines vtũtur,iuxta Scotum & communem in 4.lib.sent.dist.9. & in cap. quotidie.de consec.dist. 2. Ille tamen non credit, nec credere tenetur, se esse mortalis culpæ reum, ad communicandum absque nouo peccato, qui dubita diligentia in recordando & consulendo doctos adhibita,nullius mortalis culpæ conscius est, siue quia talem non meminit, siue quia ignorat esse mortalem, aut se non satis contritum esse.Is enim deuote ac reuerenter communicans non peccat noue, etiam si verè sit culpæ mortalis reus, quin interdum virtute tanti sacramenti veniam consequitur,dum eius calore sit de attritò contritus secundum S. Thom.communiter receptum 3.par. q. 79 art. 3. Non enim est necesse ad rectè communicandum scire, se in gratia Dei esse. Tum quia hoc non nisi reuelatione speciali diuina sciri potest, c. fin. de purg. can. Tum quia sufficit probabiliter credere se in illa esse, quod facere potest, qui se cõtritum esse probabiliter credit, & ille se contritum esse probabiliter credere potest, qui verè Deo dicere potest tria quæ ponit Ioan. Gerso. in suo opere tripartito. Quorum primum est: Domine omnium peccatorum meorum,saltem mortalium, ex animo me pœnitet, & propono ad ea nunquam amplius redire,& ab aliis in posterum cauere.Secundum:Propono ea omnia, domine, tempore congruo confiteri. Tertium: Hæc principaliter facio, & faciam ti amore, & quia tuam immensam maiestatem & bonitatem offendi, debens eam honorare super omnia & amare.

48 Tertiò peccat mortaliter, qui communicat contra prohibitionem ecclesiæ, eo quod est excommunicatus, interdictus, aut suspensus à communione, per proxime dicta, nisi quando huiusmodi censuræ in se nullæ essent:per ea quæ late diximus in rep.c. cum cõtingat,de rescr. in 2. remedio contra executorem Apostolicum,num. 4. aut iniustè coram Deo,& secretò communicaret, aut

aut in terris vbi ignoratur, iuxta ea, quæ in cap. pen. de sent. excom. post Feli. & alios in c. fi. de testib. cogen. scripsimus.

49 Quartò peccat, qui habens copiam confitendi communicat ante confessionem actualē omnium peccatorum mortalium, numquam antea legitime confessorum, & ante eorum absolutionem: quamuis veram de eis contritionem habeat, iuxta sanctum Tho. 3. par. q. 80. art. 4. & in 4. distin. 17. q. 3. art. 1. q. 4. Scot. & alios in 4. distinct. 9. & glo. singul. ab omnibus nostris receptam in c. de homine. de celebrat. miss. quamuis Caieta. in Summa verb. communio, & 1. ad Cor. 11. & in d. art. 4. quem sequitur Armilla oppositum teneat. Cuius opinionem & fundamenta euidenter refutauimus in glo. Summæ de pœnit. distin. 5. num. 31. & seq. quamq; Trid. Concil. reiecit in sess. 13. cap. 7. & can. 11. Dixi: Habens copiam, quia secus, si eam non haberet, vt illa glo. sing. dixit, quam non habet, qui sine scandalo confiteri nequit, vt qui in altari inchoata iam missa, alicuius peccati non confessi recordatur, cui sufficit contritio de illo cum proposito confitendi ad missam prosequendam. Idem de illo, qui iam venit cum aliis ad communionem suscipiendam, & peccati alicuius non confessi recordatur, & non potest illud decenter ante illam confiteri, nec à communicando absque sui nota abstinere, potest enim communicare cum proposito illud confitendi, secundum Scot. in 4. dist. 9. & Siluest. verb. Eucharistia. 2. quæst. 7.

50 Quinto peccat, qui omittit cōmunionem, ad quam tenetur, propter odium, vel voluntatem nō parcendi, aut non restituendi aut non faciendi aliud, ad quod sub mortali reatu tenetur, is enim noue peccat: quia nemini malitia sua debet prodesse. cap. 1. versic. nos igitur. de postul. prælat. & l. itaque fullo. ff. de furt.

51 Sextò peccat, qui intra vnum diem naturalem post habitam copulam carnalem, aut pollutionē illicitam, etiam contritus & confessus communicat, quod in cap. 1. de pœni. dist. 6. latè olim suasimus, protestati nullum esse textum, vel rationem necessariò id probantem, quòd multis prudentibus confessariis visum fuit durum. Quare prætermissis quibusdam, quæ hic super hoc addidimus, affirmamus idem, quod in postrema additione affirmauimus, nēpe hoc de rigore iuris non procedere: quamuis multa pro eo faciant, immo quòd vera contritione puraque confessione præcedente, & nullo contemptu, nec distractione notabili, nec alio quod obstet interueniente, potest celebrare & communicare humiliter, secundum Palud. in 4. dist. 9 Siluest. verb. Eucharistia. 3. quæst. 10. Minus autem procederet in eo, qui post pollutionem inter dormiendum absque peccato mortali habitam (quamuis ex causa mortali cōtingeret) communicaret, aut celebraret, confessus illam causam, iuxta ea, quæ ibi post alios multos diximus. Et minus in eo qui ex necessitate, aut ex officio proprio, aut alterius, necessariò ab ipso præstando celebrat, aut ducitur magna deuotione, iuxta sanctum Thi. & communem in 4. lib. sent. dist. 9. & in 3. part. q. 80. art. 7. & nos diximus in dicto c. 1. Et licet coniugati intra diem, quo debito coniugali satisfecerint, communicare de honestate non deberent: non tamen peccant, saltem plus quam venialiter, communicando iuxta cōmunem, quam tenet Caiet. in Summa verb. Communio sacramentalis. Nec etiam si intra diem, quo communicauerunt, debitum coniugale reddant, secundum Alber. Magn. arg. cap. vir cum propria. 33. q. 4.

52 Septimo, peccat qui hanc sanctam cōmunionem percipit ab eo, qui non erat proprius parochus, nec superior absq; eiusdem licentia expressa, vel tacita, aut priuilegio, etiā extra Quadragesimam, aut Pascha, etiā in articulo mortis, iuxta Card. in cle. 1. de priuileg. q. 11. etiam si sit religiosus. per dictum Syl. verb. excommunicatio 6. excom. 15. q. 3 contra alios, nisi ignorantia excusetur. & qui absque tali licentia ministrat, si est religiosus excōmunicatus est, clem. 1. de priuil. de qua infra. c. 27. nu. 101. Verumtamen Leo decimus concessit cuilibet sacerdoti ordinis Minorum, vt quouis anni die sacrosanctū Domini corpus sæcularibus ministrare possit, excepto solo die Paschatis, vt habetur. in Supplem. priuileg. Apost. concess. 100. & consequēter Dominicanis & reliquis omnibus, qui eius. priuilegiis vtuntur: Quod etiam scimus, concessum esse particulariter & meritò Patribus Illustriss. Societatis Iesu, in audiendis confessionibus, & cōmunicandis confessis exercitatissimis. Et quamuis ob aliqua quibusdam videri possit, hanc exceptionem diei Paschatis Resurrectionis intelligendā esse de omni communione, qua huic præcepto satisfit, nobis tamen intelligenda videtur de sola communione diei Paschæ, siue hat ad satisfaciendum præcepto siue non: quia prædictus Leo Papa satis id declarat in prædicta concessione, attentis verbis, quæ addit simili Nicolai V. concessioni 149. in monumentis Ordinis Minorum secundo impressis. Nec condemnaremus eum, qui acciperet, aut qui sanctissimum sacramentum ministraret, quando eiusmodi essent personæ, tempus, & causa, vt iudicio boni viri credi posset parochum eo contentum fore, si intelligeret, propter tacitum quandam facultatem, quæ oriri videtur, per ea, quæ in simili casu dicta sunt in c. 9. nu. 5.

53 Octauo, peccat qui communicat, aut celebrat post cibi, aut potus ex proposito sumptionem eodem die, elapsa iam media nocte, cum valet, aut ita ægrotat, vt commode possit differre in sequentem diem, quamuis per modum medicinæ, aut ipsam medicinam sumeret, cap. liquido. & cap. sacramenta. cum eis adnotat. de consec. distinct. 2. Dixi, Ex proposito, quia deglutire reliquias cibi diei præcedentis dentibus insertas, aut aliquam aquæ guttam, aut particulam alterius rei, lauando os, aut gustando ius, vinum, aut aliud simile, absque proposito edendi, tamquam saliuam, non impedit communionem, nec celebrationem: quia non est proprie sumere cibum vel potum. Dixi etiam: Eodem die elapsa media nocte, quia

pelus sumptum non impedit, quamuis prope mediam noctem cenet, & postea non dormiat, nec digerat, iuxta communem, quam in dict. c. liquido. confitmaximus, licet aliqui contradicant, per cap. si constiterit, de accusat. quod tamen non probat, vt ibi alias diximus. Licet qui ex cena noctis præcedentis mentem conturbatam sentit, communicare ex consilio non debeat, iuxta S. Thom. 3.part.q.8.art.6. ad 5. quamuis communicando non peccet mortaliter. Dixi: Cum valet, quia infirmus sequentem diem expectare commode non valens, communicare potest: sed nō celebrare, etiā ad ministrandum infirmo, nec ad vitādum scandalum, etiam iussu prælati inferioris Papa iuxta communem.

54 Nono peccat qui pluries eodem die communicat, vel celebrat, cap. sufficit. de consec. distin. 1. cap. consuluisti. de celebra. miss. nisi in certis casibus. Non peccat tamen sacerdos, qui ob infirmitatem, vel alias non celebrando communicat sine stola & superpellicio, quamuis cap. ecclesia. 23. di. hoc significet secundum Angel. ver. sacerdos. §. 4 Vere enim id non intendit, vt recte innuit Sylvest. verb. sacerdos quæst. 4. quia solum loquitur de sacerdote communicante celebrando, loquitur enim de sumente corpus, & sanguinem, & qui non celebrādo communicant, non percipiunt sanguinem sub specie vini, vt sentit gloss. recepta in c. comperimus. de consec. distin. 2. & definit Concil. Trident. sess. 21. can. 2.

55 Decimo peccat parochus, qui communionem subdito, siue secreto, siue publice petēti, tempore quo iure communicare tenetur denegat propter peccatū mortale occultum, quod in confessione audiuit, à quo illum non absoluit, eo quod non satis eius pœniteret. Tum quia id est detractio, & detectio peccati occulti. Tum quia est reuelatio peccati sibi confessi. vt in cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. nu 84. & supra cap. 8. diximus. Dixi, Occultum, quia ob publicum & notorium potest, & debet negare. Nam meretricibus, & vsurariis, & quibuslibet aliis peccatoribus notoriis quantumlibet suorum peccatorum eos pœniteat, & sanctissime cōfiteantur, non est publice cōmunio ministranda (quamuis sit in secreto) donec publice pœnitentiam agant, aut parochus ab ipsis facta sibi facultate publice denunciet iam eos pœnitere, & confessos esse, aut ex ipsorum bona conuersatione, aut alio legitimo modo de vitæ emendatione constet: vt qui ipsorum prauis exemplis offensi fuere, eorundem emendatione ædificentur, iuxta sanctum Bonauenturam, & Palud. in 4. distin. 9. q. 4. col. 3. & 4. & nos in cap. 1. in princ. nu. 9. & seqq. & in cap. sacerdos. num. 63. & 101. de pœnit. dist. 6. Notorium appellamus, quod est manifestum per sententiam, vel per confessionem in iure, vel euidentiam rei, quæ nulla tergiuersatione celari potest, cap. fina. de cohab. cleric. & mul. & cap. fin. iuncta gloss. de temp. ordin. & non aliud, licet duobus, tribus, aut pluribus testibus probari possit, vt in cap. vestra. de cohab. cleric. late trad. Anton. recept. à Panormitano & aliis.

Dixi

56 Dixi: Quod in confessione audiuit, quia si alio modo extra eam intellexerit, licet denegare publice non possit illam tali tēpore petenti: potest tamen eam secrete denegare secrete petenti, quāuis debito tempore petat, quia nec detrahit, nec detegit peccatum occultum nec reuelat cōfessionem sibi factam. Dixi: Tempore quo iure, &c. quia in alio non solum non potest denegare, sed etiam debet, cum nec ipse ad præbendum, nec ille ad petendū teneatur, iuxta sententiam prædictorum vbi supra, & quæ supra diximus.

57 Vndecimo peccat qui pater, tutor, curator, aut herus, negligit notabiliter procurare, vt sui liberi, pupilli, minores, aut famuli domi suæ viuentes & ad cōmunionem obligati communicent tempore debito, maxime si sciat, aut scire debeat illos non communicaturos, nisi à se moneantur, arg. c. duo. 23. q. 4. Diximus: Ad id obligari: quia secus est de aliis, quales sunt pueri, qui secundum honestam consuetudinem aliquanto tardius communicant, quam confiteantur, ob reuerentiam tanti sacramenti: illa enim consuetudo præceptum prædicti cap. omnis. de pœnit. & remiss. quo ad hoc limitat, aut certe declarat. Quin dici etiam potest eandem etiam declarasse præceptum diuinū de communicando. iuxta illud Ioan 6 *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, &c.* vt nec in articulo mortis teneantur communicare vsque ad ætatem, in qua sani tenerentur, quamquam meo consilio tunc communicarent, nisi valde puerili iudicio essent. Quin etiam cum prædicto Card. addimus, prædictos, qui aliena cura gubernantur, & eorum monitionem expectant, non peccare, donec moneantur, quamuis eorum curam gerentes tardius æquo monendo peccent, qui si dubitauerint, consulere debent eorum confessarios, & eorum consilium sequi.

58 Duodecimo peccat qui laicus, vel clericus non celebrando, communicat sub vtraque specie. vt sentit glo. 2. c. comperimus. de consec. dist 2. & melius Conc. Trid. sess 21. quod in cap. 1. & in can. 1. damnat eum, qui dixerit Christi fideles præcepto diuino teneri ad sanctissimū Eucharistiæ sacramentum sub vtraque specie panis, & vini sumendum. Et cap. 2. & can. 2. hæreticum esse, qui dixerit, ecclesiam erasse statuendo, vt laici, nec clerici non conficientes sacramentū sub specie tantum panis communicent. Et in c. 3. & can 3. definit, hæreticum esse, qui dixerit totū & integrum Christum sub vna tantum specie non sumi. Et in cap 4. & can. 4. damnat eos qui asserunt paruulos vsu rationis carentes ad hanc sanctam cōmunionem obligari.

59 Decimotertio peccat monachus sancti Benedicti, qui non communicat semel in mense, clem. ne in agro. §. sane. de stat. monach. & monialis cuiusuis ordinis, quæ idem non fecerit. Concil. Trident. sess. 25. c. 10 de regu. Quotidie autem communicare, vel celebrare procul dubio de se licitum est, & melius est quam contrarium: quamuis aliqua circumstantia fieri possit, vt hoc sit melius illo per accidens: iuxta

mentem S. August. in c. quottidie. de consec. dist. 2. & affirmat S. Tho. in 3. part. q. 80. argu. 10. & in 4. distin. 12. Quare, qui experitur per quottidianam celebrationem, aut cõmunionem, deuotionis feruorem in se erga Deum augeri, & reuerentiam erga sanctum sacramentum non minui, faciat hoc quottidie: sin minus, abstineat aliquando, quo deuotius atq; religiosius id faciat, iuxta eundem S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 11. Adde, quod olim omnes, qui intererant missæ, communicabant, c. peracta. de consec. distin. 5. & postea etiam laici saltem ter, scilicet in Pascha, Pentecoste, Natalique domini, c. & si non frequentius. ead. dist. Et diuus Aug. omnes ad communicandum, saltem singulis dominicis cohortatur, in d. c. Et certe honorabiliores viri & fœminæ, saltem quatter, scilicet tribus prædictis diebus. & in festo omnium sanctorum id facere de honestate debent, & horum religiosiores singulis mensibus instar monachorũ & monialium prædictarum, quamquam ad satisfaciendum huic præcepto, sufficit regulariter semel in tempore Paschali communicare, per dictum cap. omnis. An autem sacramentum Eucharistiæ sit dandum damnato ad mortem? dicetur infra cap. 25. nu. 23.

De septem Sacramentis Ecclesiæ in genere.
Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentum quid, & vt gratiam ex op. re operato confert.*
2 *Sacramenta septem, tria non iterabilia, quattuor autem sic.*
2 *Sacramenta circa septem vndecim errores Tridenti damnati.*
2 *Sacramentis, alia sunt de essentia eorum, alia de præcepto.*
3 *Sacramenta non credens, vt debet, ea dans aut sumens in mortali peccat.*
4 *Sacramenta sumens ab excommunicato, &c. & dans, vel sumens in mortali, & inuitans malum ad dandum, & inhonorans ea verbo, aut facto, vt peccat.*

1 DIcturus de sacramentis sola confessariis, & pœnitẽtibus necessario, præmitto primo, quod verbum, sacramentum, primo significat secretum, iuxta illud Thob. 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Secundo, iuramentum, auth. sacramenta puberum. C. si aduer. vendit. Tertio, signum rei sacræ, vt accipitur in hac materia. Sed quia duplex est signum. Vnum quod tantum significat. cap. signum. de consec. dist. 2. Alterum vero, quod significat, & facit rem significantem. quo modo acceptum, varie definitur à Magist. & aliis in 4. l. b. sent. dist. 1. & à Ioan. Andr. & aliis in rub. de sacrament. non iteran. Breuissime vero definiri potest ex mente August. in cap. sacrificium. de consec. distinct. 2. vt ibi diximus, quod est signum sacræ rei. Dixi, Signum, pro genere: quia omne sacramentum est signum, nõ contra omne signum sacramentum. Dixi item, signum, intelligendo de sensibili: quia quodlibet verum sacramentum est aliquo quinque sensuum sensibile ex mente August. in cap. detrahe. 1. quæst. 1. & melius in dicto cap. sacrificium. ibi: Visibilis forma, intelligendo item de signo efficaci, seu effectiuo, quia quodlibet illorũ efficit, saltem instrumentaliter, gratiam, quam significat secundum sanctum Tho. 3 part. quæst. 62. art. 1. licet Scotus & alij sequaces aliter dicant, pro sancto Thoma tamen vrget Concil. Triden. can. 8. sess. 7. Dixi: Rei sacræ, ad differentiã aliorum signorum alia significantium, & operantium, qualia sunt signa Zodiaci. Intelligendo item, per rem sacram, gratiam Dei sacram & sanctificantem, quam quodlibet sacramentum significat, & producit. Cui definitioni consonat illa Augustini: *Inuisibilis gratiæ visibilis forma*, relata in dicto cap. sacrificium cum illa additione Magist. in 4. lib. sent. dist. 1. Cuius similitudinem gerit, & causa existit: quia perinde est ac si dixisset. Signum visibile, siue sensibile effectiuum rei sacræ, quæ est gratia inuisibilis. Nam dicere quod sacramentum est visibilis forma, est dicere, quod est signum visibile, seu sensibile, & dicere, quod gerit similitudinem gratiæ, est dicere, quod per quandam similitudinem significat illam: & dicere, cuius causa existit, est dicere, quod efficit eam. Itaque interrogatus, quid est sacramentum? breuiter, & secure respondere potest, quod est rei sacræ signum, intelligendo per rem sacram gratiam, & per signum, signum sensibile aliquo quinq; sensuum, efficiens instrumentaliter gratiam, quam significat. Dixi, Instrumentaliter: quia solus Deus potest creare principaliter gratiam, iuxta sanctum Tho. per omnes receptum 1. 2. quæst. 1. artic. 8. & ideo ipse solus potest instituere sacramentum,

vt definit Conc. Trid. mox referendum. Itaque sacramenta ab aliis operibus differunt in eo, quod ipsa conferunt gratiam ex opere operato, vt habet prædictum Conc. can. 8. alia vero tantum ex opere operantis, hoc est, vnuinquodque sacramentum per virtutem & institutionem diuinam, aliquam determinatam à Deo gratiam in anima suscipientis, etiam iudicij expertis & nec mereri, nec peccare valentis, instrumentaliter producit, modo mortalis peccati obicem non ponat. & ita omnibus parem gratiam sacramentalem conferunt: quamuis præter illam Deus illud suscipiẽti aliam maiorem, vel minorem gratiam pro maiori, vel minori merito & affectu suscipientis conferat.

2 Secundò præsupponimus, quod septem sunt sacramenta nouæ legis. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitẽtia, extrema Vnctio, Matrimonium, & Ordo, iuxta glo. sing. c. veniens. de transact. & doctrinam communem in 4. dist. 1. & in d. rub. de sacramen. non iteran. probatam pridem per con. Floren. & nuper per Trid. sess. 7. can. 1. Quorum tria iterari nequeunt, id est, nec dari, neque prodesse possunt, nisi semel, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Ordo: alia vero quattuor sic.

Tertiò præsupponimus, quod Concil. Trid. sess. 7. can. 1. declarauit hæreticũ dicere esse plura, aut pauciora, quam septem nouæ legis sacramenta: aut aliquod eorum non esse proprie sacramentum, ibidem. Aut à sacramẽtis antiquæ legis non nisi cæremoniis differre, can. 2. Aut nullum eorum aliqua ratione esse

alio dignius, can. 3 Aut non esse omnia necessaria, sed aliquod eorum superfluum, quamuis omnia singulis necessaria non sint, can. 4 Aut solum significare, & non continere gratiam, aut eam rite accipientibus non semper ex opere operato conferre. can. 5 6 7. & 8. Aut quod horum tria, scilicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo non imprimant characterem in anima & signum quoddam indelebile, propter quod ea iterari non possunt, can. 6. Aut ab omnibus Christianis administrari omnibus posse, can. 10. Aut non requiri in conficiendis sacramentis intentionem, saltem faciendi, quod facit ecclesia, cano. 11. Aut quod peccato mortali ministri Sacramenti confectio, aut collatio fiat nulla, cano. 12. Aut ritus ecclesiæ omittit, aut mutari per quemlibet prælatum posse, cano 13.

Quartò præsupponimus, quòd quodlibet sacramentũ constat duobus. Quorum alterum est velut materia substantialis. Alterũ verò velut forma substantialis, quæ sunt de essentia, & necessitate sacramenti, sine quibus omnino est nullum. Requirit etiam alia, quæ sunt de necessitate præcepti, non autem de necessitate sacramenti, id est, quòd peccatur conficiendo sine illis, sed sacramentum est validum, vt in Baptismo aqua est materia substantialis, & inuocatio Trinitatis forma substãtialis, sine quibus nil valet, verba vero illa Ego, & Amen in forma posita, sunt tantum de necessitate præcepti, id est, peccatur baptizando sine illis: sed baptismus valet, c. 1. cum ei adnot. de baptis.

3 Circa vero præfata sacramenta in genere peccat mortaliter primò, qui credit aliquid ex damnatis per prædictum Concil. Trident. sciens, vel debens scire id esse damnatum, & est hæreticus per cap. ad abolendam. de hæret. & per prædictos 13. canones. & excommunicatus, si verbo, vel scripto id expressit, per bullam cenæ domini, de qua infra cap. 27.

Secundo peccat qui credens, vel credere debens se reum mortalis culpæ ministrat, saltem solemniter, aliquod sacramentum, vel suscipi: nisi ita se credat attritum, quòd adiuncto calore sacramenti, fiat contritus. vt diximus latius in gloss. Summæ de pœniten. distinct. 5. nume. 33. per cap. illud. 65. distin. cap. per Esaiam 1. q. 1. ibi, *Tale*, & ibi, *Omnia sacramenta*, quamuis baptismus minorem attritionem, quàm alia requirit. per dicta supra cap. 1. nume. 36. Nec excusatur, vt quidam putant, subita ministrandi, aut accipiendi sacramẽti necessitate, veluti si mortifero vulnere ictus baptismum à sacerdote imparato deposcit. Quia quamuis hoc aliquem prætextum habere possit iuxta opinionem eorum, qui dicũt cuique peccato mortali proprium dolorem esse adhibendum, quod vno momento fieri non potest: nullo tamen prætextu nititur, veram sequendo opinionem, quam tenuimus supra cap. 1. nume. 24. scilicet, sufficere generalem quendam, qui omnia comprehendat, quod puncto temporis præstari potest. Quare sacerdos administraturus sacramentum aliquod quãcumlibet imparatus inueniatur, debi

debitam de omnibus suis peccatis mortalibus cõtritionem habere potest, vel attritionem, qua se probabiliter contritum esse credat. Et quãuis ad alia sacramenta hoc satis sit: ad celebrationem tamen, aut communionem præter cõtritionem confessio actualis peccati requiritur, vt supra dictum est, c. 21. nu. 49.

4 Tertio peccat, qui suscipit aliquod sacramentum à sacerdote excõmunicato, interdicto, aut ab eius administratione suspenso, & denuntiato pro tali, vel à notorio concubinario, excepto baptismo & communione tempore necessitatis. Quis autem sit concubinarius notorius, dictum est supra c. 21. nu. 55.

Quarto peccat, qui citra necessitatem inuitat ad sacrificandum, aut ad dandum alteri sacramentum, quem probabiliter credit existere in peccato mortali occulto, aut publico, & sine debita de eo pœnitentia illud facturum ita vt sit causa, cur id faciat, aliàs non facturus, vt supra dictum est, c. 11. nu. 12.

Quintò, qui verbo, aut facto notabilem irreuerentiam alicui sacramento facit secundum S. Thom. 2. 2. quæst. 99. art. 3.

De Sacramento Baptismi.

SVMMARIVM.

5 *Baptismus quid, quotuplex, & quæ illi substantialia.*
6 *Baptismi errores Tridentini damnati.*
6 *Baptismum ministrans, vel suscipiens in mortali peccat.*
6 *Obstetrix ignorans formam baptizandi peccat.*
7 *Baptismus à quacunque collatus valet.*
7 *Baptismus sine concursu materiæ, formæ, & intentionis non valet.*
7 *Baptizans chrismate veteri, vel non subditum, vt peccat.*

5 SAcramentum Baptismi est sacramẽtum aquæ naturalis, qua vnus ab alio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti cum debita intentione abluitur. Dixi, Sacramẽtum, pro genere, reliqua pro differentia: &, Aquæ naturalis, ad significandum, quòd hæc est eius essentialis materia, nec sufficit alia aqua artificialis, vt roseacea, secundum omnes in quarto libro sententia. distinctione tertia, quod definiuit Concil. Triden. sess. 7. cano. 2. Dixi: Qua vnus ab alio abluitur, quia nemo à se ipso baptizari potest, cap. debitum, de baptism. Dixi: In nomine patris, &c. quia inuocatio expressa totius Trinitatis est de necessitate huius sacramenti. cap. multi. de consecrat. distinct. 4. Vnde forma baptismi in ecclesia Romana est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Amen. cap. 1. de baptism. quamquam illa verbá, Ego, &, Amen, non sunt de essentia sacramenti, sed de necessitate præcepti, vt declaratur supra, numero secundo. An autem contrauenias substantiæ, vel tantum præcepto, qui baptizat, solum dicens in nomine Trinitatis, aut Christi, tangit glossa in dicto capite multi. & latè tractamus in repetitio. cap. à quodam. eadem distinctione. Quo fit, vt solus baptismus aquæ, sit propriè baptismus:

sanguinis autem, qui fit per martyrium, & flaminis, qui per pœnitentiã sine copia baptizandi solum metaphorice iuxta c. 2. baptismi. de consecr. distin. 4. & c. 2. debitum. de bapt. & sanctum Tho. 3. par. quæst. 66. artic. 6.

Porro Conc. Trid. in d. sess. 7. per 14. can. super baptismo confectos damnauit eum, qui dixerit, baptismum Ioannis fuisse tantæ virtutis, quantæ Christi, can. 1. Aut aquam naturalem non esse necessariam, can. 2. Aut quod ecclesia Romana nõ doceat veram Baptismi doctrinam, can. 3. Aut non valere, qui ministratur per infidelem etiam cum intentione faciendi, quod prætendit ecclesia, can. 4. Aut non esse ad salutem necessarium, can. 5. Aut non posse baptizatum amittere gratiã, si vult credere, can. 6. Aut non obligari ad vllam aliam legem, quam credendi, can. 7. & 8. Aut quod per eum tolluntur vota post ipsum emissa, can. 9. Aut per memoriam eius condonari, vel venialia fieri peccata post eum admissa, cano. 10. Aut esse rebaptizatum apostatam ad fidem reuersum, cano. 11. Aut neminem baptizandum ante ætatem, qua Christus fuit baptizatus. Aut paruulos non esse baptizandos: vel postquam adoleuerint esse rebaptizandos, cano. 13. & 14.

Interrogatus autem Romæ de vltimis finibus Hispaniæ: An infans, qui baptizatus sine solemnitate moritur antequam illa suppleatur, possit in loco sacro sepeliri? Respondit non solum posse, sed debere. Tum quia Ostien. in summa de consecra. ex. 5. & an sit, affirmat puerum extractum de ventre matris sepeliendum esse in loco sacro. Tum quia standum est regulæ, nisi probetur exceptio, l. 1. ff. de reg. iur & glo. in l. omnis definitio. eo. tit. & in rub. eo. tit. lib. 6. & regula est, quòd omnis Christianus debet in loco sacro sepeliri: & constat huiusmodi puerum esse christianum charactere christia nismi insignitum, per c. quemadmodum. 23. q. 7. & nullo iure speciali prohibentur.

Ad aliam item quæstionem, An debeat sepeliri cum solẽnitate crucis, & luminarium instar aliorum infantium baptizatorum solemniter? Respondeo affirmatiue ea ratione insolubili, quod is tam Christianus est, quàm illis & tantum gratiæ sacramentalis habet ac illi, per dicta supra eo. nu. 2. quia exorcismus & alia, quæ fiunt in baptismo solemni, non sunt de necessitate sacramenti, sed solum præcepti, secundum omnes.

Circa baptismum peccat mortaliter primò, qui credit aliquid de prædictis 14. damnatis per prædictum Conc. Trid. credens, vel credere debens, ea esse damnata, & est hæreticus; immo & excõmunicatus, si verbo, vel scripto id expressit per prædictam bullam cenæ domini.

Secũdò, qui baptizat, aut permittit se baptizari bis, & est irregularis, cap. qui bis, & cap. eos. de consecra. distt. 4. de quo latius infra c. 17.

Tertiò, qui est in causa, aut in notabili culpa, vt aliquis sine baptismo moriatur, aut renuit dare baptismũ petenti in articulo mortis, cum nullus eo aptior ipsum baptizare velit, d. cap. quicunque. & arg. cap. patee. 86. distinctione.

Quartò, qui baptizat in peccato mortali, aut baptizatur impœnitens, per dicta supra eo. cap. nu. 2.

Quintò, quæ obstetricis officio fungens, debitam baptizandi formã ignorat. Palud. in 4. lib. sent. distt. 5. q. 2. & Anto. 3. part. tit. 14. c. 13.

Sextò peccat, qui cũ non sit presbyter, baptizat absque necessitate, d. cap. constat. immo & presbyter, qui baptizat citra necessitatẽ sine exorcismo, & aliis solemnitatibus debitis, vel cum illis extra ecclesiã, præter quam principum filios, cle. 1. de baptis. Et clericus qui coram presbytero baptizat solemniter est irregularis, cap. 1. de cleric. non ord. minist. Non est autem iusta necessitas recens infantis natiuitas, vi nonnulli male putant, qui infantes recens natos sine solemnitate baptizari faciunt graviter peccantes. Verum est tamen, quòd baptismus collatus à quocunque, siue mare siue fœmina, siue fideli, siue infideli cum intentione faciẽdi quòd facit ecclesia, valet, c. quicunque. c. à quodam. c. constat. c. mulier. de consec. distt. 4. etiam si baptizans eum pro ludicro habeat, iuxta Innoc. in d. cap. debitum. Peccat autem laicus, qui (etiam in necessitate) baptizat, præsente clerico, & clericus minor, præsente presbytero, & mulier præsente viro, & infidelis præsente fideli: nisi aptior sit excommunicatus, aut alio modo impeditus, iuxta communem in dictis. capp.

Septimò peccat, qui baptizat sine forma & materia essentiali baptismi supra positis, aut sine intentione actuali, aut virtuali faciendi, quod ecclesia prætendit: nec quidquam talis baptismus valet, & iterandus est, iuxta notata per Innoc. & omnes. in d. cap. 1. de baptis. Et idem de eo, qui durante prolatione verborum substantialiũ baptismi, non tingit aqua, sed solum ante, vel post illam cap. detrahe. 1. quæstio. 1. vbi hoc sentit Card. S. Xist. & sanctus Tho. 3. part. quæst. 60. art. 6. & quæst. 66. art. 8. vbi id satis exprimit Caiet. & magis Io. Maior in 4. distt. 2. q. 2. arg. 4. quin & gloss. d. cap detrahe. dixit, oportere ablutionem concurrere cum verbis, in vltimo instanti prolationis eorum: quod tamen non est verum, per rationes Caietæ, Tomo 1. Opuscul. Tract. 18. q. de collatione ordinum.

Octauò peccat, qui vngit baptizatum chrismate præcedentis anni citra casum necessitatis. cap. si quis de oleo. de consec. distin. 4. cap. quoniam de sent. excom. lib. 6. Idem de illo, qui absque iuxta necessitate baptizat alterius parochianum, sine facultate sui parochi vel Episcopi, aut eius Vicarij. cap. interdicimus. 16. quæst. 1. Non tamen ipso facto est excommunicatus, quamuis sit religiosus, sicut foret ob administrationem aliquorum aliorum sacramentorum, clem. 1. de priuil. de quo infra cap. 27. nu. 104. & seq. Adde quod ad hoc, vt aliquis sit vere baptizatus sufficit, quod quantulacumque pars eius tangatur aqua quamlibet medica arg. cap. ne quemquam. de consecra. dist. 4. cuius ratio redditur à S. Tho. 3. par. q. 66. ar. 7 & 68. ar. 11. & in 4. distin. 6. art. 1. q. 1. Et diximus in c. vulgaris. n. 3. de pœni. dist. 1. Quo fit vt recte faciant illi, qui cum difficile

mulier parit infantem, & timetur de eius morte, antequam totus exeat, procurant baptizare illum fundendo aquam in partem, quam iam peperit, & apparet foris.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Sacramento Confirmationis.

SVMMARIVM.

8 *Confirmatio quid, & quod est verè & propriè sacramentum.*
8 *Confirmationis minister ordinarius Episcopus, & quando presbyter.*
9 *Confirmando sic, vel sic, peccat Episcopus.*
9 *Confirmans existens in mortali peccato, vel omittens ob contemptum, vt peccat.*
9 *Confirmatio patrinum requirit, & ordinem præcedit.*

8 COnfirmatio aliàs vocatur manus impositio. c. 1. §. per frontis. de sacr. Vnct. & ex mente Magistri, & omnium in 4. lib. sent. dist. 7. & vtriusque Tho. 3 par. q. 72. & nostrorum in rub. de sacramen. nō iteran. definiri potest, esse sacramentum Vnctionis chrismatis consecrati, quo Episcopus frontem baptizati inungit sub certa verborum forma.

Dixi, Sacramentum, pro genere, reliqua pro differentia. Dixi, Chrismatis, ad designandum materiam eius, quæ est chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo d. cap. 1. de sacra. Vnct. Balsamum autem nō est de necessitate sacramenti, quod efficaciter probat Caieta. super sanct. Tho. in d. q. 62. per cap. 1. de sacr. non iteran. est tamen de necessitate præcepti, c. 1. de sacra Vnct. Dixi, Consecratio; quia licet benedictio, vel consecratio aquæ non sit de necessitate sacramēti baptismi: consecratio tamen chrismatis, vel olei est de necessitate sacramenti cōfirmationis, per rationem sancti Tho. recepti vbi supra, art. 3. Dixi, Episcopus, ad designandum ministrum, qui necessario debet esse Episcopus, cap. Quāto, de Consuetud. & communis vbi supra. Quamuis ex dispensatione Apostolica possit esse presbyter, de qua intelligēdum est cap peruenit. 95. dist. vt paucis multa resoluens definit Caiet. vbi supra art. 8. Dixi, Frōtem, ad differentiā baptismi, in quo vertex capitis inungitur d. c. 1. de sacr. Vnct. Cuius diuersitatis ratio redditur à sancto Tho. vbi supra art. 9. Dixi, Baptizati, quia character Confirmationis de necessitate præsupponit characterē baptismi cap. nouissime. de consec. dist. 5. Ille enim est ianua omnium sacramentorum, cap. veniens de presbyte. non bapt. S. Tho. receptus vbi supra artic. 6. Dixi, Certa &c. ad designādum formam eius, quæ est, Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Cum cuius formæ prolatione debet concurrere vnctio, vt supra eo. nu. 7. est dictum de baptismo. Cuius conuenientiam assignat S. Thom ibidem art. 4. Hoc enim sacramento baptizatus fit miles Christi ad constanter confitendum eum, & fortiter pugnandum contra eius inimicos cap. 1. de consecr. distin. 1. & ita signatur cruce, quæ est signum sui Ducis. Quorum omnium bona pars confirmatur à Con. Trid. quod sess. 7. de cōfirmat. tribus canonibus declarat hæreticū, qui dixerit, Confirmationem non esse verum sacramentum, aut nullam ei virtutem inesse, aut eius ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, vbi ponderandum est, quod ait ordinarium, significans posse esse delegatum dispensatione Apostolica, vt prædictum est.

9 Circa hoc sacramentum peccat mortaliter. Primò, qui non existens Episcopus, ministrat illud, vel existens episcopus vngit oleo non consecrato, vel non confecto ex balsamo, vel non seruata prædicta forma per suprādicta.

Secundò, qui suscipit illū credens, vel credere debēs, se mortalis culpæ reum esse, per dicta supra cod. nu. 6.

Tertiò, qui per contemptum non curat se suamque familiam confirmari. arg. cap. 1. de consec. dist. 5. Dixi per contemptum, quia sola negligentia tantum esset venialis, cum non videatur vlli præcepto contraria, vt ait Scot in d. dist. 7. Contemnere autem videtur, qui potēs sumere commodè, omittit, secundum Palud. in dict. dist. 7. quod verum est quo ad præsumptionem fori exterioris, quę in interiori cessat. cap. tua de sponsi. in quo ille vere contemnit, qui ideo principaliter omittit, quòd parui facit per ea, quæ dicit S. Thom. 2. 2. q. 186. artic. 9. vbi id pulchre explicat Caiet. & Archid. in cap. quicunque. 81. distin quem sequitur Dominic. in cap nullus 55. dist.

Quartò peccat, qui patitur se fine patrino cōfirmari, credens, aut credere debens, quod licet hoc non sit de substantia sacramenti, est tamen de præcepto.

Quintò peccat qui non se facit confirmari ante omnem ordinationem. c. 4. sess. 23. cōc. Trid. de reform. nullam tamen per hoc censuram incurri, aliquoties respondi. Tum quia eius omissionis negligentia non est mortalis vt dictum est. Tum quia nullo iure id cauetur, nam nec prædictum concilium addit aliam pœnam, quam quòd non admittatur quis, etiam ad primam tonsuram ante confirmationem. Tum quia, licet character ordinis de necessitate sacramēti requirat characterem baptismi, non tamen requirit characterem cōfirmationis. Quin opinamur cum Soto in d. dist. 24. q. 1. art. 4. sub. fin. peccare quidem, sed non mortaliter, suscipientem, vel ministrantem etiam scienter ordinē ante confirmationem, modo id sine cōtemptu fiat.

De Sacramento Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

10 *Eucharistiæ sacramentum polynomum & quid.*
10 *Eucharistiæ circa sacramentū errores.*
10 *Communio, quod non requirat confessionem, disputare malum.*

10 SAcramentum hoc Eucharistię polynomum, siue multinomiū est. Vocatur enim Græce Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia vt Magister ait in 4. lib. sent. dist. 8. Iesum Christū, qui est omnis gratię fons & origo, cōtinet. Hostia, itē Sacrificiū, Cōmunio, Sacramētū altaris, & viaticū, ob eas rationes, quas reddit S. Tho. in 3. part. q. 73. art. 4. & paulo latius nos reddimus in addit. c. quando, de consec. dist. 1. nu. 131. cum seq. Definiri autem potest ex mēte Magistri, & S. Thomæ, & aliorū omniū

vbi

vbi supra esse sacramentum, quod sub specie panis & vini, vel alterius eorum, verum corpus & sanguinem Iesu Christi continet. Dixit Sacramentum pro genere, reliqua pro differentia. In quibus aduertendum, quòd vno eodemque modo existunt corpus, & sanguis sub vtraque specie, sanguis enim vtrobique existit intra eius glorioſi corporis venas, & vtrobique corpus sic continens eum: quamuis sub specie panis continetur corpus virtute verborum sacramenti, & sanguis per concomitantiam, eius & contra, sub specie vini continetur sanguis, virtute verborum sacramenti, & corpus per concomitantiam, secundum sanct. Thom. receptum in 3. part. quæst. 76. art. 1. & 2.

Circa materiam huius sacramenti peccat mortaliter. Primò, qui non credit definita Tridenti vndecim canonibus a Conc. sess. 13. credens, aut credere debens, ea esse definita ab ecclesia, & prædicto concilio: & si verbo, vel scripto id exprimit, est excommunicatus per prædictã bullam Cœnæ. Definiuit autem concilium, hæreticum esse dicere verum Christi corpus, & sanguinem eius non contineri realiter in hoc sacramento, vnita eius diuinitati, sed solum in signo & figura, can. 1. Aut aliquid substantiæ panis, aut vini, remanere in eo post consecrationem, licet eorum accidentia maneant, can. 2. Aut sub qualibet sub specie, tam vini, quàm panis, & qualibet parte separata ab alia, non contineri totum corpus Christi. can. 3. Aut licet quando ministratur, aut sumitur si in eo, non tamen esse ibi potest, nec ante sumptionem, nec in reliquiis eius, can 4. Aut principalem eius fructum esse peccatorum condonationem, can 5. Aut non esse adorãdum Latria, siue debita Deo adoratione, dum est in sacramento. Aut non esse faciendum peculiare illius festum, neque deferẽdum in supplicationibus, siue processionibus, neque populo proponendum adorandum, can. 6. Aut non licere seruare illud in sacrario, neque deferre ad infirmos, can. 7. Aut in communione non sumi realiter Christum totum, can. 8. Aut Christianos etiam diseretos, non teneri communicare semel in anno, can. 9. Aut presbyterum non posse seipsum communicare, can 10. Aut solam fidem sufficere ad bene communicandum, can. 11.

Secundò peccat, & est excommunicatus, qui etiam disputando defendit opinionem habentem licere contrito ante actualem confessionem mortalis culpæ communicare, præfato can. 11.

De Sacramento pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

11 *Pœnitentia, quid, & quot, & quæ partes eius.*

11 *Pœnitentia circa sacramentum multa definita Tridenti.*

11 *Pœnitentiam in mortali sumens, vel ab eo qui est in illo, vt peccat.*

11 PÆnitere quid sit, & an vox pœnitentia sit latina, & quod pœnitentia est duplex, virtus, & sacramentum, & alia iis annexa, præmissa sunt supra in prælud. 10. & ex mente ibi citatorum, sacramentum pœnitentiæ est sacramentum absolutionis, quo sacerdos sibi subditum, & confitentem legitimè sua peccata, cum iusto dolore & proposito satisfaciendi absoluit ab eis. Dixi, Sacramentum, pro genere: reliqua vero pro differentia, quæ tangunt tres partes integrales eius, scilicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quę sunt quędam eius materia, de quibus est dictum in d. prælud. generatim, & in tribus cap. primis singulatim.

Circa hoc sacramentum peccat, primo qui credit, non esse vera definita a Trid. Concil. sess. 14. Aut dubitat de veritate eorum, credens, aut credere debens, ea esse ab Ecclesia, & Concilio definita: & si verbo aut scripto id exprimit, est excommunicatus per bullam Cœnæ prædictam. Definita verò vbi supra sunt hæc. Quòd Pœnitentia semper fuit necessaria ad veniam peccati mortalis. Quòd sacramentum Pœnitentiæ numquam fuit ante aduentũ Christi, nec ante mortem & resurrectionem eius. Quòd postea nil prodest nondum baptizato. Quòd Christus principaliter instituit illud per illa verba: *Quorum remiseritis*, &c. per quæ eadem fuit data potestas reconciliandi Deo eos, qui post baptismum mortaliter peccant. Definit item, esse hæreticum dicere, sacramẽtum pœnitentiæ non esse verè, ac propriè sacramentum institutum ad reconciliandum Deo peccantes mortaliter post baptismum, can. 1. Aut vnum & idem esse sacramentũ Baptismi & pœnitentiæ, & ideo pœnitentiam non recte appellari secundam post naufragium tabulam, cap. 2. & can. 2. Quia, vt idem Cõc. subiicit, materia & forma eorum est diuersa, & non oportet, vt minister Baptismi sit iudex, sicut minister pœnitentiæ. Et quia sacramentum pœnitentiæ nil prodest nõ baptizato, nec baptismus relapso post eum in mortale. Et contra Baptismus prodest nõ baptizato, & Pœnitentia lapso post baptismum in mortale &c. Aut verba illa: *Quorum remiseritis, &c.* non esse intelligenda de potestate remittendi peccata, can. 3. Aut ad perfectam pœnitentiam non requiri Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, quasi materiam & partes eius. can. 4. Aut dicere, alium, quàm episcopum, vel presbyterum absoluendi potestatem habere, cap. 5. & can. 10. Aut eosdem si mali sunt, eam deperdere. Aut non esse iudices ad absoluendum confessum, sed ad declarandum eum absolutum, cap. 6. & can. 9. Admoneo lectorem non excerpere me omnia contenta in canonibus prædictæ sessionis, quia ea, quæ pertinent peculiariter ad Contritionem, excerpta fuerunt in cap. 1. & quæ ad Confessionem, cap. 2. & quæ ad satisfactionem cap. 3.

Secundò peccat, qui absque Contritione, vel iusta Attritione peccatorum suorum, aut absque proposito ab eis abstinendi, aut restituendi debita aut existens excommunicatus ante absolutionem ab excommunicatione, absolutionem sacramẽtalem procurat, aut vult absolui ab aliquo non presbytero aut ab excommunicato denunciato, aut suspenso, aut si citra necessitatem à parocho alieno, vel à suo, notorio peccatore, vel quum scit, esse in mortali

mortali, & Pœnitentiam non acturum ante absolutionem per supradicta in dictis tribus capp. & in cap. 9. num. 5. cum seq. & cap. 11. num. 12.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

12 *Extrema Vnctio quid, & vnctio cum veli is concurrat.*

13 *Extrema vnctio quas partes tanget, & quibus sit verbis, & quare morbo, & non violenter morituris datur. num. 14*

15 *Extremæ Vnctionis de sacramento multæ veritates Tridentinæ.*

16 *Extremæ vnctionis contemptus, vel in mortali susceptio mortalis.*

12 SAcramẽtum extremæ Vnctionis est sacramentum, quo presbyter vngit oleo consecrato certas corporis partes infirmi probabiliter periclitantis oleo consecrato certa verbo cum debita intentione proferendo. cap. 1. de sacra. Vnct. adiunctis notatis ibi, & in 4. libr. sentent. distinct. 23.

Dixi, Sacramentum, pro genere, reliqua pro differentia. Dixi presbyter, ad designãdum neminem alium posse illud ministrare, vt definiuit concilium infra citandum. Dixi, Vngit, ad designandum actum ministrandi, qui consistit in vngendo, & fieri debet durante prolatione verborum necessariorum: non enim sufficit vngere finita verborum prolatione, aut ante prolationis principium, vt in simili dictum est supra eod. de baptizante, nu. 7. & de confirmante, num. 8. & de ordine dicetur infra, num. 17. Dixi, Certas partes: Vnctio enim debet fieri in oculis, naribus, auribus, ore, manibus, pedibus, & renibus. Dixi, Infirmi &c. ad designandum cui sit ministrandum hoc sacramentum: non enim sufficit, vt sit in quouis probabili mortis periculo, in quali est morbe damnatus, prælium ingressus, maris & tempestate iactatus, neque quælibet infirmitas sufficit: sed oportet, vt sit talis, quæ probabile mortis periculum minetur secundum omnes: cuilibet tamen eiusmodi infirmo est ministrãdum, etiam si iam sit amẽs & freneticus, si absque irreuerentia sacramenti id fieri possit & potuerit ante peccare, & antequam insanirer expresse. aut tacitè petierit illud, aut si meminisset, petiturus fuisset, nec in peccato mortali notorio insanierit, quamuis sint, qui ætatem pubertatis requirant, immò & si duoitatur, an sit mortuus, administrari potest sub conditione si non est mortuus: non tamen iam aperte mortuo, nec incœpta ministratio perficienda est, si antea moriatur. Dixi, Oleo sacro, ad designandum materiam, quę est oleum oliuarum, per Episcopum consecratum. Dixi, certa &c. ad designandum eius formam, quæ iuxta concil. Floren. est hæc, quando oculi infirmo vnguntur: Per istam sacram Vnctionem, & per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi dominus quidquid deliquisti per visum. Quando aures, dicendum est, per auditum: quando nares, per odoratum: quando os, per oris vitium: quando manus, per tactum: quando pedes, per incessum: quando renes,

renes, per ardorem libidinis: quãuis multæ ecclesiæ vtantur istis verbis: Et per sãctissimam benedictionem, loco horum. Per suam piissimam misericordiam, nec nocet, per mox dicenda, diuersitas verborum, in eundem scopum tendentium. Quæ ferè omnia probãtur per illa Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei* Nam per verbum, Infirmatur, probantur dicta de infirmo vngendo, & per verbum, Presbyteros, dicta de ministro, & per verba, Vngit & oleo, dicta de vsu & materia, & præterea per verbum, Alleuiabit, probatur hoc sacramentum conferre salutem corporis, quando spirituali infirmo expedit: & per illa verba, Et si in peccatis sit &c. per hoc sacramentum peccata remitti. Et quia non exprimuntur mortalia, nec venialia, intelligenda sunt de omnibus, si reliqua ad id necessaria concurrant, argu. c. solitæ. de maiorit. & obed. & cap. si Romanorum 19. dist. Vnde licet secundum communem principaliter institutum fuerit contra venialia, tamẽ etiam mortalia remittit. Quo fieri potest, vt aliquis moriens absq; hoc sacramento damnaretur, & vnctus eo saluaretur, fieri enim potest vt aliquis sua peccata confiteri non possit, aut quamuis posset, non censet illud necessarium ei, quia iam est confessus, sine tamen Contritione vel Attritione ad remissionem sufficienti, & postea tanta attritio ei superueniat, quæ licet de se non sufficiat ad remissionem, sacramenti tamen colore adiuncta sufficeret, iuxta opinionem S. Thom. 3. part. quæst. 79. artic. 1. communiter receptam, scilicet, per virtutem sacramenti aliquem ex attrito contritum fieri, iuxta dicta supra capite primo numero quadragesimo, & quadragesimoprimo. Quare magnę curæ nobis huius sacramenti susceptio esse debet, vt morientes beati semper viuamus. Amen.

14 Porrò ratio cur morbo, vel senio, & non alio modo morienti administratur, est, quia sic morientis iudicium & constantia valde turbatur corporis & sensuum omnium imbecillitate, capit. nullus. cum his, quæ ibi scripsimus, de pœn. distin. 7. Quin & dæmon acrius eum illa hora, quam quauis alia omnium peccatorum representatione, & spectris horrendis affligit. Quod vsu venire iis non solet, quibus vita violenter eripitur, quia moriuntur integro iudicio & firmo, neque eiusmodi repręsentationibus affliguntur, ideo non ita necessaria est illis, ac huic ista vnctio.

15 Circa hoc sacramentum peccat mortaliter. Primò, qui credit non esse vera definita super eo a sacro concil. Trid. sess. 14. aut dubitat de eorum veritate, credens, aut credere debens ea esse ab ecclesia & concilio definita, & si verbo, vel scripto id exprimit, est excõmunicatus, per sæpe dictam bullam Cœnæ. Definitum verò est ibi, hæreticum esse dicere extremam Vnctionem nõ esse verè & propriè sacramentum institutum ab ipsomet Domino nostro Iesu Christo, & promulgatũ a Diuo Iacobo,

Iacobo, can. 5. Aut non conferre gratiam, sicut alia. Aut non remittere peccata, nec alleuiare infirmum, aut iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationem, can. 2. Aut ritum eius, quem obseruat Ecclesia Romana repugnare sententiæ beati Iacobi, ideoque eum posse iuste mutari, & cõtemni, can. 3. Aut D. Iacobum per presbyteros intellexisse seniores populi, & non tantum sacerdotes, ideoque posse per alios quam Episcopos, & sacerdotes ministrari, can. 4. Nemo tamen inferat ex his, non posse alias ecclesias alia vti verborum æquipollentium forma. Quia licet ipsemet Dominus illud instituerit, verba tamen formaliter quibus est ministrandum, non præscripsit. Adeo quod D. Ambros. verbo indicatiuo, Vngo te &c. vteretur, quæ communis est sententia profunde fundata à Palud. in dict. dist. 23. per quod tollitur dubium è longinquo nobis propositum.

16 Secundò peccat, qui ægrotus, vel senex cõstitutus in articulo mortis non petit hoc sacramentum per contemptum iuxta omnes in 4. dist. 23. Idem si non petit filio, seruo, famulo, pupillo, aut alij suæ curæ commisso per supradicta in simili cap. 21. nume. 57. argum. cap. duo. 23. quæst. 4.

Tertiò peccat qui accipit credẽs, aut credere debens se mortalis culpæ reum sine confessione, vel contritione, vel tali attritione, quæ calore huius sacramenti vim contritionis attingeret, per supradicta eo. cap. nu. 2.

De Sacramento Ordinis.

SVMMARIVM.

17 *Ordo in genere quid, & quis ecclesiasticus, & quid ordo sacramentum.*

18 *Ordo Theologis septemplex, Canonistis nouemplex nobis duplex.*

18 *Ordinati circa sacramentum errores Tridenti damnati.*

18 *Ordinatus sub Episcopo titulari, vel contra Prælati voluntatem vt peccat.*

18 *Episcopus ordinans alienum, aut suum sine titulo, vt peccat.*

18 *Ordinatus non renunciet nec alienet titulum nisi sic. &c.*

17 ORdo generaliter & propriè sumptũ auctore Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 13 est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio, quomodo capitur in cap. ad hoc. 89. distin. & in rub. de ord cognit. & ff. de decret. ab ordin. fac. & quia personæ præstant rebus, ideo hominum ordo præstãtior est ordine rerum, l. 2. ff. de stat. homin. Et quia inter homines Deo sacri, siue spirituales præstant aliis c. solitæ. de maiot. & obed. ideò per Antonomasiam appellatione ordinis simpliciter prolati intelligitur ecclesiasticus, sicut, appellatione iuris ciuilis, Romanum: & Apostoli, Paulus §. ius ciuile iuncta gloss. institu. de iure natur. & definitur à Thom. Valdensi libr. 2. de Sacrament. cap. 116. esse sacramenta ministrantium habitudo legitima cuique ratione ministerij sui conueniens. Hinc dicitur ordo Prædicatorum & Minorum. In hac tamen materia accipitur pro sacra Ordinatione & actu, quo homines in ecclesiasticum ordinem cooptantur, vt colligitur ex Concil.

ex Concil. Trident. sess. 23. can. 3. & potius secundum mentem, quàm verba Magistri, & aliorum in 4. lib. sentent. distinct. 24. & gloss. in Summa. 52. distinct. potest definiri, esse sacramentum, quo traditur character, & potestas consecrandi Eucharistiam, vel in id administrandi. Dixi, Sacramentum pro genere, reliqua pro differentia. Porro materia ordinis est traditio rei sensibilis, vt libri, vel calicis, quæ & acceptio, seu tactus earum debẽt concurrere cum prolatione verborum formæ, ita vt durante ea fiant, quoniam si ante, vel post fierent, ordinatio esset nulla, vt late demonstrat Caieta. in Tract. 26. de Cõfirm. ordin. & supra dictum est in simili de Baptismo, num. 7. & de Confirm. numer. 8. & de extrema Vnctione, num. 12. Quod fundatur multis, in quibus est cap. fina. de Sacrament. non iteran. quod ipsum tamen in contrarium fortiter retorqueri potest, quatenus habet supplendum & non iterandum, sed respons. illud esse referendum ad manus impositionem, & non ad tactum, quorum duorum prius meminit, illa enim non est de substantia sacramenti, vt tactus, seu acceptio, quod recte post alios declarat Sot. in dicta distinct. 24. quæst. 1. artic. 4. Forma verò est prolatio verborum, quæ pro varietate ordinum sunt varia, sicut & res traditæ sunt diuersæ. Conueniunt tamen in significando traditionem, & acceptionem sacramento substantialem.

Dixi, Character, ad designandum quod character & potestas, quæ traditur non sunt sacramentum, sed effectus eius. Vnde definitiones eorum, quæ habent hoc sacramentum esse characterem, siue signaculum, & potestatem, debent censeri datæ per effectum, & non per genus, & differentiam, vt illa August. *Fides est, credere quod non vides.* Et illa Azo. in rubr. de appel. *Appellatio est reseissio sententiæ, &c.*

18 Dixi, Consecrandi, &c. ad distinguendum ordinem presbyterij ab aljis. Ordines autem sunt nouem secundum Canonistas in c. cum contingat. de ætat. & qualit. per illum text. & per cap. cleros. 21. distin. cap. per lectis. 25. dist. quibus constituuntur Tonsuratus, Ostiarius, Exorcista, Lector, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & Episcopus. Quamuis secundum communem Theologorum in dict. distin. 24. solum sint septem dicentium. Primam tonsuram, & episcopatum non esse ordines sed officia. Quorum quatuor maiores dicuntur sacri, non quidem, quod omnes non sint sacri, sed quia eis est annexum votum solemne castitatis, non vt essentiale, sed accidentarium ex statuto ecclesiæ. cap. nullum. 38. distin. cap. decernimus. 23. distin. & cap. 1. de voto. lib. 6.

Circa hoc sacramentum peccat mortaliter primo, qui credit non esse vera definita super eo à dicto Conc. Trid. sess. 23. aut de eorum veritate dubitat: & si hoc verbo, vel scripto exprimat, est excommunicatus per bullam cenæ supra sæpe citatam. Definiuit autem Concilium, hæreticum esse eum, qui dixerit, non esse in nouo testamento Sacerdotium visibile, vel externũ: vel non

esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & sanguinem domini, & peccata remittendi, & retinendi: sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi euangelium: vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, can. 1. Aut præter Sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, can. 2. Aut ordinem siue, sacram Ordinationem non esse vere & proprie sacramentum à Christo Domino nostro institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis. Aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & sacramentorum, can. 3. Aut per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipe Spiritum sanctum.* Aut per eam non imprimi characterem, vel qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, can. 4. Aut sacram Vnctionem, qua Ecclesia in sacra Ordinatione vtitur, non tantum non requiri, sed contemnandam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis cæremonias, can. 5. Aut in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris & Ministris, can. 6. Aut Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem vel ordines ab ipsis collatos, siue populi vel potestati sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse. Aut eos, qui nec ab ecclesiastica potestate rite ordinati, nec missi sunt: sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramenti ministros, can. 7. Aut Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, nõ esse legitimos, ac veros Episcopos: sed figmentum humanum. can. 8.

Porrò aduertendum est, quod prædictum Concilium non definit vtra opinio Theologorum, vel Canonistarum de Ordinum numero sit tenenda, quod sperabamus, quando hæc scripsimus: licet, can. 2. 3. 4. & 7. canonistis videantur aliqua ex parte fauere.

Quare probabilis videtur vtraque. Mea tamen, salua saniori, est, quattuor Ordines, siue Ordinationes, scilicet tres maiores & Episcopatũ, esse vere & proprie sacramentum, cui prædicta definitio conuenit: alios autem potius esse sacramentalia. Et ita quo ad Episcopatum recedo à communi Theologorum per cap. 1. iuncta glo. 32. dist. & allegata in ea, quæ expresse ponunt quattuor sacros Ordines, & per prædictum 7. can. quibus ego bona fide nescirem respondere. Quo ad quattuor vero minores & primam tonsuram, recedo à canonistis. Tum per rationes Caiet. in tract. de modo & rit. ord. suscep. Tum quia non est eis adiunctum votum castitatis sollemne. Tum quia durum videtur damnare omnes, qui accipiunt eos, non præmissa confessione, vel saltem contritione sufficienti, quorum infinitus videtur esse numerus, quod tamen necesse esset facere, si essent

essent sacramẽta vera gratiam conferentia ex opere operato, per dicta supra eod. cap. nu. 1. Tum quia conferunt eos etiam Abbates cap. quoniam. 69 dist. c. cum contingat. cum ei adnot. per Inno. Hostien. Anto. & alios de ætat. & qualit.

Secundò peccat, qui credens, vel credere debens se mortalis culpæ reum, Episcoparum, vel alium ordinem sacrum suscipit secundum omnes: non autem qui alios, secundum eos, qui negant vera esse sacramenta, quos sequimur.

Tertiò, qui contrauenit nouis statutis Concilio Trident. quod in sess. 14. cap. 2. de reforma. statuit, vt qui se procurat ordinari ab Episcopo titulari absque licentia sui Episcopi, etiam si sit illius familiaris, & continuus commensalis, & in loco nullius diœcesis, vel exẽpto, suspensus sit ab executione ordinum, quousque suo Prælato visum fuerit. Episcopus vero titularis ab exercitio Pontificalium per annum. Et sess. 23. cap. 9. de refor. quod Episcopus ordinare potest eum qui fuit familiaris eius per triennium, si beneficium statim re ipsa, & sine fraude illi conferat. Et sess. 14. cap. 1. de reformat. quod nemo promoueatur ad ordines contra voluntatem sui prælati, etiam si prohibeatur promoueri, ob occultum crimen, & extraiudicialiter, & quod ei qui à suis ordinibus, gradibus, aut dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, non suffragetur vlla licentia de promouendo, aut ad priores ordines gradus aut dignitates antea consequutas restitutio contra proprij prælati voluntarem. Et ibidem can. 3. quod Episcopus potest suspẽdere ad tempus sibi visum suum subditum ordinatum quacunq; auctoritate, absque suo præcedenti examine, si eum inueniat inhabilem. Et sess. 21. cap. 1. de reforma. Quod episcopus, aut alij sui ministri pro collatione quorumcunque ordinũm, aut pro litteris dimissoriis, aut pro sigillo nil quidquam etiam sponte oblatum accipiant. Et notarij pro scriptura, si eis nullum salarium pro officio exercendo sit cõstitutum, decimam tantum vnius aurei partem accipere possit. Et 3. sess. 25. cap 3. de reformat. quod non concedat dimissorias nisi prius examinatis & approbatis. Et sess. 21. cap. 2. de refor. quod nemo ordinetur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum ad victum sufficiens, pacifice possidere. Et quod illud beneficium resignare nequeat, nisi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus, eaque resignatio non admittatur, nisi constet aliunde posse commode viuere, & aliter facta sit nulla. Et quod patrimonium, vel pensionem obtinentes promoueri posthac nequeãt, nisi quos episcopus iudicarit necessarios, vel vtiles, constito prius, quod patrimonium illud, vel pensio satis sunt eis ad vitam honeste sustentandam, & illa sine licentia episcopi alienare nequeant, donec beneficium sufficiens adipiscantur, aut aliunde habeant, vnde honeste viuere valeant.

Quartò peccat, qui cõtrauenit illis præceptis, vel prohibitis, quæ cõtinentur infra cap. 25. nu. 68. & seqq.

Alij modi peccandi ratione Ordi-

nis colligi possit ex his, quæ de matrimonio infra eo. c. nu. 52. dicentur, & de indigna perceptione, & administratione. cx c. 25. nu 70.

De Sacramento Matrimonij.

SVMMARIVM.

19 *Matrimonium quatenus sacramentum quid, & quale est apud infideles.*

20 *Matrimonij sacramentum conferre gratiam est de fide.*

20 *Matrimonij materia & forma quæ cum exemplis.*

21 *Matrimonium indissolubile regulariter sic in totū sic in partem soluitur.*

22 *Diuertere ob quæ possit, vel debet, coniux à coniuge.*

23 *Adulterans perdit ipso iure ius exigendi debitum licite tamen petit.*

23 *Adulterans perdit ius negandi debitum adulteranti.*

23 *Debitum in foro animæ non debetur adulteranti.*

24 *Adulterantis coniux quando religionem ingredi potest.*

25 *Sponsalia quid, & quibus modis soluuntur. & nu. seqq.*

28 *Sponsalia omnia ipso iure soluuntur per carnalem notitiam*

28 *Sponsalia duobus modis transeunt in matrimonium.*

29 *Matrimonij & sponsalia contrahendi quæ ætas legitima.*

29 *Matrimonij regulariter omnis iustæ ætatis & in licij contrahere potest.*

29 *Matrimonij impedimenta quot, & quæ dirimūt. & quæ non. & n. 30.*

31 *Matrimonium circa Sacramentum errores Tridenti damnati. nu. 30.*

31 *Error personæ, vel conditionis seruilis annihilat matrimonium, & 32.*

31 *Matrimonium contrahens peccat ob ætatis defectum.*

19 PRæsupponimus primò, quòd sacramentum matrimonij est sacramētum, quo fit maris & fœminæ cōiunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, vt colligitur ex l. 1. ff. de ritu. nupt. & princ. Iust. de pat. potest. & ex Mag. & aliis in 4. lib. sent. dist. 26. & in rub. de spon. & matrim. Dixi, Sacramentum, pro genere. Nec obstat, quod matrimonium est inter infideles nō baptizatos, qui non sunt capaces sacramentorum, quorū ianua est Baptismus, cap. veniens. de presb. non bapt. quia apud eos non est matrimonium, quatenus est sacramentum: sed tantum, quātenus est cōtractus: & prædicta definitione definitur solum sacramentum matrimonij, siue matrimonium, quatenus est sacramentum. Dixi, Maris & fœminę, ad differentiam sacramēti Baptismi & Pœnitentiæ, quibus fit quædam cōiunctio inter Deum & animā metaphorice iuxta c. debitum. & ei adnot. de big. Dixi, Coniunctio, intelligendo potius vnionē animorum, quam corporum, vt glo. declarans in iuribus supra dictis, & est text. in l. nuptias. ff. de regul. iur. & in cap. sufficiat. 27. quæst. 2. Dixi, Indiuiduam, quia est insolubile, hoc est, non potest, nisi morte naturali regulariter solui, nec sic coniuncti possunt aliis altero viuente coniungi, & vterque alteri debet fidem seruare, & debitum coniugale reddere, & se mutuo in administranda re familiari iuuare, & neuter eorum sine alterius consensu continentiam promittere potest.

20 Ex

20 Ex quo infertur, Matrimonium Christianorum gratiam conferre ex opere operato, nisi obex ponatur, iuxta communem in rub. de spons. & in 4. lib. sent. dist. 26. contra glo. c. quicquid. 1. q. 1. & nōnullos eam male approbantes, quia ex prædicta definitione patet, illud esse sacramentum, cuius proprium est ex opere operato gratiam conferre, vt supra eo. nu. 1. dictum est, quod approbauit Concil. Trid. sess. 7. can. 6. mox citandum, post quod non solum pro falso, id quod ait illa glo. sed etiam pro hæretico habendam est, ob quæ cauenda aut certe caute legenda sunt ea, quæ scribit Magist. Can. lib. 8. de locis Theologic. c. 5. Addo hic omnia, quæ dicentur in hac materia de viris, intelligenda esse de fœminis, & è contrario, nisi quatenus aliud expressum fuerit.

Secūdò præsuppono, quod quamuis diuersi diuersa de materia & forma huius sacramenti sentiant, præsertim Adrian. in 4. de Matrim. q. 1. planius tamen videtur, quod consensus expressus & legitimus personarum ad contrahendum idonearum siue expressus cōsensus ad coniungendum sit materia, & verba, aut alia signa, & etiam interdum taciturnitas, quibus ille exprimitur, sint forma quatenus exprimunt consensum: vt materia stipulationis, quæ interogatione & responsione conueniente fit, est consensus, & verba sunt forma. l. 1. in princip. & §. 1. ff. de verb. oblig. cum ei adnot. quamuis ad stipulationem necessaria sunt verba, & non sufficiūt nutus, aut signa, neque scriptura per dict. l. 1. ad matrimonium autem sic. cap. cum apud. & c. tuæ. de sponsi. immò interdum audītio, & taciturnitas sine contradictione, vt quando pater contrahit pro filia præsente, & audiente tacente & non contradicente, iuxta gloss. communiter receptam in cap. honorantur. 32. q. 2. pro quo aptus text. ibi, & in cap. 1. §. porro. de desponsi. impub. lib. 6. Illi verò verbā & signa sufficiunt, & requiruntur, quibus significatur statim vna cum dicto, vel signo, alterum alteri sui corporis potestatem tradere, iuxta omnium sententiam. Qualia sunt: *Ego te in meam vxorem accepto.* Et, *Ego te in maritum meum accipio.* cap. si inter. de sponsal. & alia eis æquipollentia, vt: *Consentio in te tamquam in meum, vel meam coniugem,* & *Ab hoc tempore, pro mea vxore, vel marito habebo,* aut: *Volo, sit mea vxor,* vel maritus. cap. ex parte. de sponsi nil enim refert, quid de æquipollentibus fiat, l. fina. ff. man. cap. licet. de testament.

21 Tertiò præsuppono, quod matrimonium interdū diutditur in totum, etiam quo ad vinculum, & interdum quo ad thorum & habitationem tantum, & interdum quo ad thorum tantum. Nam diuiditur in totum antequam sit consummatum copula carnali, per professionē solemnem religionis approbatæ. cap. ex publico. de conuers. coniug. cap. commissum. de sponsi. quod esse de fide definiuit Conci. Triden. sess. 24. can. 6 Diuiditur etiam ante consummationem per dispensationem Papæ iusta de causa factam. secundum glo. sing. in dict. c. ex publico receptam ab omnibus puris Canonistis

& à Theologis canonũ peritis contra puros Theologos, excepto Caiet. in Tomo 1. Opuscul. tract. 18. Quorum opinio adeo sꝛuatur, quod etiã ter, vel quater ad petitiones consilio meo, antequam in vrbe venissem oblatas, fec. re. Paulus iij & Pius iiij. per suas dispensationes dissoluerunt quædam matrimonio omnino clandestine contracta, nondum consummata, in remedium animarum alioquin probabiliter periturarũ. Quod attestor, ne quis sequutus Sotũ lib. 7. de iust. & iur. contra Caietã. vllum scrupulum ingerat iis, qui eiusmodi sanctissima gratia fruuntur, vel post hac fruentur. Nam & post eum Michael à Medina lib. 5. de sacro. Homi. continẽtia Caiet. & communem est sequutus.

Diuiditur etiam matrimonium contractum inter infideles, etiam post cõsummationem, si altera pars eorum ad fidem catholicã conuertatur, & altera noluerit ei cohabitare sine contumelia Creatoris, & sine nisu ad peruertendã vel inducẽdã eam in mortale. c. gaudemus. de diuor. quia, vt dictũ est, non est inter eos sacramentum. sed cõtractus tantum. Diuiditur autem quo ad thorũ, & cohabitationem, & non quo ad vinculum, propter fornicationem, iudicis auctoritate. iuxta illud Luc. 16. *Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, &c.* relatum in cap. dixit dominus. 32. q. 1. & cap. dominus. eod. caus. quæstio. 7. & etiam propter sæuitiam cõiugis, & ob aliquas alias causas, notatas super tex sing. cap. literas §. fi. de restit. spol. Diuiditur autem quo ad thorum tantum ob fornicationem per solam euangelij auctoritatem, sine alia iudicis sententia, secundum communem & glo. c. nosse. 32. q. 1.

22 Circa quæ aliàs hîc addidi Primò, posse coniugem, catholicum, vel catholicam discedere à cohabitatione coniugis Lutherani, vel Lutheranæ ad suam hæresim inducentis, per c. 2. de diuor. non tamen nouè contrahere.

Secundò, idem esse dicendum de coniuge, qui, vel quæ à suo vel sua coniuge inducitur ad aliud peccatum mortale, & non potest ab inducendo retrahi. Palud. in 4. lib. sent. dist. 39. q. 1. col. fi.

Tertiò, respondisse nos cuidam nuptæ posse illam recedere à suo marito adeo laxo animo, & nimium fidenti, quod inducebat in domum suam quosdam amicos parum pudicos, quibus, vel aliquo eorum cum ea relictis exibat domo, & illi modo directe, modo indirecte, modo verbis, modo tactu, inducebant eam in aliquod peccatum cordis, & in grande periculum operis, & rogatus ab ea, ne id faceret, negligebat. Tum quia eiusmodi maritus saltem indirecte inducebat eam ad peccandum. Tum quia non tenebatur ei cõuiuere cum periculo mortis corporalis volenti eam occidere, vel venenare, siue intoxicare. d. c. literas. sub fi. ad quod reducendum est cap. 2. de diuor. à fortiori non tenebatur conuiuere illi sub tanto periculo mortis spiritualis, quæ tanto grauior est corporali, quanto anima præstat corpori. capit. ille. 22. quæstione 1. & cap. Præcipimus. 12. quæstione 1. Tum quia vxor potest discedere à marito fure, nolente à furando

furando cessare. Palud. vbi supra. Tum quia non obstat, neminem posse cogi ad peccandum §. 1. 15. q. 1. quia non potest etiam cogi ad apostatandum; potest tamen discedere à consorte in apostasiam inducente, per d. cap. 2. de diuor. Tum quia fere casus est in hoc in l. si lenones. C. de episcop. audien. & in cap. discretionem iuncta gl. de eo, qui cogno. consan. vxo. suæ.

Quarto, coniugem à coniuge recedere non posse propter morbum, quem alij Gallicum, alij appellant Neapolitanum, arg. c. si vxorem. &c. horrendus. 32. q. 5. & Alex. in l. si cum dotem. §. si maritus. ff. sol. matr. quia non potest etiam ob morbum leprę, qui est æquè contagiosus. c. & 2. de coniug. leprof.

Quinto, quod, coniux à coniuge non potest ob amentiam discedere, nisi probabile mortis periculum induceret, per prædicta, quod dolens respondi cuidam amico religionem intrare volenti, eo quod vxor furere cœperat, quia commodè poterat eam à se offendendo arcere.

Sexto, non peccare vxorem eo, quod non discedit à marito adultero etiam in adulterio perseuerante, neque eo quod ei reddat, vel petat debitum, etiam si publice adulteretur, modo id ei non placeat (quod ferè semper contingit) & probabiliter arbitretur, eum non destiturum ab eo, licèt ipsa ei debitum neget. Immo nec maritus peccaret, idem faciendo cum vxore adultera, si displiceret ei adulterium, & pensatis personarum, loci, & temporis aliisque circumstantiis fieret probabile. eam non posse ab adulterando arceri sine maximo scãdalo, & damno publico, vel priuato. Per quod limitanda sunt cap. si vir. de adult. & c. 1. 32. q. 1.

23 Septimo, quod coniunx adulterans non potest exigere debitum à consorte innocente tanquam iure debitum, sed potest petere tamquã licitum, siue publicum, siue occultum sit adulterium, & siue coniunx innocens sciat, siue nesciat illud. Quia licet adulterans ipso iure perdat ius exigendi: non tamen perdit ius rogandi, vt concedat illud si voluerit, eo quod vinculum matrimonij durat non obstante adulterio, quod esse de fide prædictum Concilium vbi supra declarauit, & facit illud licitum, cum nullo iure naturali, diuino, vel humano prohibeatur. Nam licèt dominus in euang. Matth. 5. & Luc. 16. concedat innocenti facultatem negandi debitum, non tamen negat potestatem reddendi illud, si voluerit, nec adultero facultatem petendi tamquã rem licitam, licet non debitam. Quibus est consequens, posse coniugem innocentẽ adulteranti denegare debitum sine vlla iudicis auctoritate, iuxta illud: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*, l. cum proponas. C. de pact. cap. peruenit. de iureiuran. quæ breuis declaratio est mentis Caietã. in Tomo 5. Opusculorum, Tractatu 31. respons.

Octauo, quod coniunx innocens, etiam si cœpit negare debitum adulterari, & postea adulteretur, tenetur ei reddere, quia per compensationẽ tollitur, quo ad potestatem negandi hoc crimen, c. inteleximus. de adul. quod confessarij magnopere aduer-

tere debent ad præcipiendum multis maritis, qui recedũt à thoris vxorum propter præsumptum, vel verum adulterium, & se copulant aliis, vt ipsæ redeant ad eos: hi enim nullatenus sunt absoluendi, nisi prius incipiant reddere debitum vxoribus, aut certe cõcipiant propositum efficax reddendi illud, arg. cap. peccatum. de regulis iur. lib. 6. cum similibus.

Nonò, quòd nõ obstant prædictis cap. significasti. & cap. Porro. de diuor. quatenus habent, nõ posse coniugem innocentẽ discedere ab adulterante sine iudicis auctoritate, nisi adulterium sit notorium: quia illa intelligenda sunt quo ad forum exterius, non autem quo ad interius, de quo agimus. Per quæ declaranda est glo. c. 1. 32. q. 1.

24 Decimo, quòd interrogatus, An qui ante Conc. Trid. clam. contraxit, & consummauit matrimonium, & postea petitus in maritum coram iudice à quo, quia negauit contractum & deerant testes, fuit absolutus, & coniux nupsit alteri, posset ingredi religionem? Respondi, non posse. Tum quia nulla religionum, quæ non sit militaris, admittet eum, si verum fateatur, sine licentia debita vxoris, quam in hoc casu illa dare nequit remanens in sæculo, præsertim in illo malo statu, cap. cum sis, cap. sane, cap. coniugatus, de conuers. coniug. Nec obstat, cap. Agathosa. 27. quæstio. 1. quatenus habet, maritum cuius vxor fornicata est, posse religionem ingredi: quia id intelligendum est de illo, qui non dedit vxori causam saltem propinquam adulterandi, vt declarat Panormi. communiter recept. in dicto cap. discretionem. nu. 8. qualem videtur dedisse consulens. Tum quia, si moreretur is, cui illa nupsit, teneretur eã accipere, etiam si professionem fecisset iuxta prædictum cap. Agathosa.

25 Quartò principaliter præsuppono, quòd sponsalia non sunt matrimonium, sed promissio eius, l. 1. ff. de spons. S. Tho. & omnes in 4. dist. 27. quod intelligendum est de promissione mutua, siue reciproca: quia licet alterius tantum sufficiat ad se obligandum: non tamen sufficit ad sponsalia efficienda, nisi altera quoque pars tacitè, aut expresè idem alteri promittat, secundum omnes. Arræ autem, & iuramentum non sunt necessaria, licet illis firmiora fiant.

Porro sponsalia non sunt vt matrimonium insolubilia, nam multis modis dissoluuntur. Primò, per partium remissionem, etiam si sint iurata, secundum communem. cap. præterea 1. de spons. etiam si principaliter iurata sint propter Deum, vt cum quis iurat se matrimonium contracturum cum aliqua paupere ob amorem Dei, & eleemosynam, iuxta Card. ibidem. Tum quia Deus recipit illud in vtilitatem partis: & ideo ipsa potest ei renuntiare. arg. cap. quamuis pactum. de pact. lib. 6. Tum quia alioqui iuramentum in fauorem eius factum, posset ei ob varios respectus præiudicare, contra l. quod fauore C. de leg. & cap. quod ob gratiam. de reg. iur. lib. 6. licèt oppositum teneant Inno. & Pan. in d. c. Præterea. & Silue. verb. sponsalia. quæstio. 9. Quorum opinionis

26 color

26 color per prędicta tollitur, Secũdo, per alterius in religionem ingressum, in d. cap. ex publico. & cap. veniens. qui cler. vel vouen. & cum alia potest alter sponsalia contrahere, etiam antequam professionem emittat, Siluest. verb. sponsalia. q. 10. Cuius opinio probabilior est cõtraria, quam quidam tenẽt ea ratione, quod Nouitiatus est iusta causa discedẽdi ab sponsalibus, eo quod dedit causam, vt loco & tempore, animo irato, & peccato possit improperari ei, quod fuit religiosus, & inconstans, & alia, quæ materiam possunt præstare ringendi coniunctis inter se, & cũ aliis exteris. Et quod contrarium tenentes concedunt sufficere Nouitiatum aliquorum mensium absque professione.

Tertio, per alterius matrimonij verbis de præsenti contractum, etiã copula nondum sequuta. Per sponsalia item de futuro, copula cum affectu maritali sequuta, cap. sicut ex litteris. de spons. Dixi, Affectu maritali, quia sine hoc prima sponsalia quoad Deum non dirimuntur, quamuis sic quoad ecclesiam, secundum iura antiqua, secundum quæ sponsalia transibant in matrimonium per solam copulam carnalem. Quod sublatum est per Concil. Trid. vt dicetur infra eo. nume 28. & cap. 25. num. 144. Concurrẽte autem hoc prima sponsalia non dirimuntur, nisi secunda esset cognata, vel affinis primæ ex coïtu licito intra gradum prohibitum. Dixi, nisi secunda esset cognata, vel affinis ex coïtu licito intra gradum prohibitum. Nam si talis esset, neutram in vxorem ducere posset secundum dicta iura antiqua. Non quidem primam propter impedimentum affinitatis ex illa copula ortum. Non secundum propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus quoad ipsum natum, iuxta notata in cap. iis, qui. de sponsalib. Dixi, Copula sequuta, quia præcedens, etiam secundum iura antiqua non sufficeret. c. veniens. 2. de sponsal. vbi Panor. Præposit. & communis, quidquid quidam recentiores leuiter dixerint.

Quartò, per alterutrius ad aliam regionem migrationẽ absque causa probabili, aut cum illa, sed iudex certum tempus redeundi præfiniit, & intra illud non rediit, quæ præfinitio est necessaria, iuxta ius canonicum, cui est in hac re stãdum, quod tempus non præfinit. cap. de illis. de spons. non tamen iuxta ciuile, licet illud cui non est standum, tempus præfiniat in l. sæpe, ff. de sponsal. & l. 2. C. de repud. præscribit, quod absens in eadem prouincia expectetur duobus annis: & si in alia tribus, vt trad. S. Anto. 3. par. tit. 1. c. 18. §. 1. & Sil. vbi supra quæst. 1. §. 4. Quod procedit etiam in sponsalibus iuratis secundum Panor. d. cap. de illis.

27 Quintò, per superuenientem affinitatem ex eo, quòd altera pars rem habuit cũ cognato, vel cognata intra gradum prohibitum alterius partis, prius quam copulam maritalem cum sua sponsa, vel sponso haberet. cap. veniens. de eo, qui cogno. conf. vxo. suæ. Sextò, per absolutionem factã à iudice, eo quòd contraxit illa intra pubertatis annos, & perueniens ad illos antequam eis consentiat expresè vel

tacite petit ab eis absolui.cap. à nobis.& cap.de illis. 1. de desponſ. impub. Si tamen ambo vel alter eorum esset minor septem annis, sponsalia essent adeo nulla, vt ex illis nullum impedimentum publicæ honestatis oriretur: & ita alteruter eorum,cum cognata vel cognato alterius matrimonium contrahere posset, cap. litteras.de Desponſ.impub.& cap.1. eo. tit.lib. 6. Septimò, per lapsum temporis præstituti ad matrimonium de præsenti contrahendum. Nam per illum is, per quem non stetit, quominus fieret, liberatur,& alteri pœnitentia irroganda est, propter fidem violatam, cap. sicut ex literis. de sponſ. cum ei adnot. Octauo, per superuenientiam lepræ, paralysis, aut alius morbi cõtagiosi, aut amissionis oculi, nasi, aut alius notabilis deformitatis. cap. literas.de coniug. leprosi. & cap. quemadmodum. de iureiur. Nono, per superuenientem fornicationem alterius, dicto cap. Quemadmodum, siue volũtariam, siue coactam, iuxta glo. receptam ibidem verb. oculos. Alterius, inquam,nam per suam nolente parte, quæ innocens est, non sunt dissoluenda. argum. cap.2. de transla. prælat.

Dixi:Superuenientẽ,quia per præcedentem non sunt dissoluenda, nisi tempore contractus ignoraretur, & ante matrimonium cõtractum nosceretur,secundum omnes,quæ proximè procedunt in fornicatione spirituali, quæ fit per hæresim, aut apostasiam.cap.non solum.28. quæst. 1.Decimo,per votum castitatis præcedens illa cap. rursus. qui clerici vel vouent. quamuis sequens non dissoluat:quia alter in alterius præiudiciũ vouere nequit,excepto voto religionis, quod etiam post contractum matrimonium facere, & implere potest,vt supra dictum est,quo casu tenebitur religionem intrare, iuxta Palud.recept. in 4.dist. 27. q. 1. art.1.qui autem promisit alicui non ducere aliam,quàm illam,non tenetur ducere illam, licet aliam licite ducere nequeat. secundum eundem Palud.vbi supra,& Adria.in 4.de Matrimonio.q.12.dicẽtem,neque communem opinionem esse cõtra hoc, neque sequendam, si esset, quamuis eam sequatur (sed male, nostra sententia) Silvest. verb. Matrimonium. 2.q.10.Vndecimo, per superuenientem inimicitiam capitalẽ, ob quam dissolui possunt, iuxta Hostien. in Summa. de sponſ.§.fin.ob rationem in cap.2. & cap. requisiuit. de sponſ. Duodecimo, per omissionem implementi eius, quod promissum est, siue voluntariam, siue inuoluntariam, vt quum dos promissa non præstatur,secundum Ioan.And. in c. de illis.de cond. appoſit. & cũ sponsa certam dotem sponso non promittit,videtur omnia sua bona promittere, secundum glo. in l. mulier bona ff.de iur. dot. receptam per citatos à Couarruuia 1. par.cap.5. nume. 4. in Epito. adeo quod si post sponsalia pauperior fiat, ita vt non possit omnia, quæ tunc habebat tradere,non tenetur eam sponsus ducere. Decimotertio, per famam impedimenti ad contrahendum inter eos canonici, cap. cum in tua. de sponſ. Decimoquarto, per susceptionem ordinis sacri,arg.extrauag. antiquę. de voto. Iuxta Anto.in rub.de sponſ. quem

quem sequitur Præpoſit. ca. de illis. de sponſ. quamuis per eum matrimonium de præsenti non dissoluatur. d. extrauag. antiquæ. Decimoquintò, per superuenientem cognationem legalem,de qua infra eod. c. nu.44 Decimosextò, per morum alterutrius contrahentium asperitatẽ, secundum Panorm.in c.veniens.qui cler.vel vouen.Decimoseptimò, per aliquid noue superueniens, quod si præcessisset non fuissent contracta, secundum mentem S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 27. ad quem alij quinque casus,quos Præp. in d. c. de illis. ponit,redigi possunt.

28 Notandum tamen est secundũ Hostien.in d.§.fin.& Ioan. Andr. receptos in dicto cap. de illis. sponsalia in casibus prædictis regulariter ipso iure non dirimi, & ideo auctoritate iudicis ecclesiastici dirimenda esse. Et ita qui absque tali auctoritate cum alia contraheret, grauiter peccare viderẽtur. cap. si duo pueri. de desponſat. impub. &c. fæculares. 35. quæst. 2. quamuis non mortaliter, iuxta Silue. verb.sponsalia.quæst. 11. §. vltimo. sicut nec venialiter in casibus, in quibus ipso iure dissoluuntur, scilicet quando alter eorum religionem ingreditur, aut ipso facto cum alia verbis de præsenti contrahit, aut notoriè fornicatus est, & aliis casibus, quos Præpoſ. ponit in d.cap. de illis. col. fin. Quin & generaliter dici potest, quòd in nullo casu, in quo causa dissoluendi sponsalia est manifesta,tam quo ad veritatem,quàm quo ad iustitiam, prædicta ecclesiæ authoritas non requiritur,quia tales ab ipso iure absoluuntur. Silvest.verb.sponsalia. quæst. 11. Et idem quando sponsalia sunt clandestina:quia tunc scandalum cessat.

Econtrario verò sponsalia duobus modis in matrimonium de præsenti transeunt. Primò, per copulam carnalem subsequutam vxorio affectu, id est, cum intentione matrimonium consummandi, nam si habeatur fornicario affectu, id est, sine intentione se cognoscendi tamquam maritus & vxor,sed tanquam soluti a matrimonij vinculo,non est matrimonium coram Deo, sed coram ecclesia sic, iuxta communem in cap is qui de sponſ. quidquid dicat Hostien. ibidem, secundum antiqua iura, quæ quomodo post Concil. Trid. cessent ponitur infra cap. 25. num. 144. Secundò per declarationem consensus de præsenti verbis aliquo aperto signo factam, & non aliàs quantumlibet simul habitent, aut sponsus eam in domum traducat,& oscula, & amplexus interueniant, & quamuis copula tentetur cap.fi.de sponſ.& Aret. in cons. 44.ex facto.

29 Quintò præsuppono,quòd ætas legitima cõtrahendi matrimonium in masculis est 14. annorum completorum, & in fœminis duodecim, etiam completorum:& ad sponsalia contrahenda septem in vtriusque: quamuis si potentia supplet ætatem,contrahere prius possunt, quæ tamen vsque ad illam ætatem non præsumitur. cap. puberes. de sponſ. impub.& cap.1.§. idem quoque eod. tit.li.6.adiunctis glossis, & communi doctorum.

Sextò, quòd omnis vtriusque sexus ætate legitima, & iusto iudicio præditus,potest matrimonium contrahere,

trahere, nisi specialiter prohibeatur, vel aliquod impedimentum interueniat inter contrahere volentes. c. cum apud de sponsi. Dixi, Iusto iudicio, quia amens tempore amentiæ non potest. c. dilectus. de sponsi.

De impedimentis matrimonij in genere.

30 Impedimentum matrimonij secundum S. Tho. & communem in 4. lib. sent. dist. 34 est duplex. Alterum impediens, & dirimens. Alterum impediens tantum. Dicitur autem impediens & dirimens, eo quòd facit, vt impediti non solum contrahendo peccent, sed etiam, vt ipsum matrimonium contractum nō valeat: non autem eo, quod dissoluat matrimonium legitimè contractum ante illius impedimentum, quia nullum tale est. Impedimenta verò huius generis sunt duodecim, contenta his versibus,

Error, conditio, votū, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte ceïre nequibis.

31 Impedimentum vero impediens tantum dicitur, quod impedit, & nō dirimit, id est, facit quod peccēt, qui ita impediti contrahunt, sed matrimonium contractum valet. Impedimenta vero huius generis sunt duo.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Ad quæ quidem duo reducuntur alia omnia, licet specialiter dictis versibus non contineantur, quæ infra tangentur.

De impedimentis dirimentibus erroris personæ, & conditionis.

SVMMARIVM.

32 *Error multiplex, personæ, conditionis, fortunæ, & aliarū qualitatū. & 3.*
33 *Matrimonio ab erroneo, qua auctoritate recedatur.*
34 *Matrimonio seruorum consentiens domino liberat eos.*
34 *Et an vendere possit eos, & arcere a debito reddendo.*
34 *Matrimonium contrahens seruus, an dominum vxori præferat.*
34 *Error personæ, & conditionis dirimunt: sed non alij.*

32 PRimum impedimentum dirimens matrimonium est error personæ. Est autem error personæ credere de vna persona, quod sit alia, vt quod sit libera, cum sit serua, vt quòd sit filius talis Regis, Ducis, Comitis, aut alterius, cuius non est. Dixi, Talis, quia si credatur indeterminatè, quod est filius Regis, aut Ducis, Nobilis, aut Diuitis; non est error personæ, sed fortunæ, aut qualitatis. Nec etiam si credatur filius talis Regis, aut Ducis, si talis Regis, & talis filij cognitio non habeatur, Rosf verb. impedimentū 2. & Siluest. verb. matrimonium. 8. q. 1. §. 5. Error etiam personæ est, credere, quòd sit primogenitus alicuius, cum non sit, & propter spem, quam habet illum in paternis bonis successurū, & nubit tamquam primogenito, iuxta Cald. in c. 2. de cōiug. seruo. & Host. in summa. Ang. verb. Matrimonii, imped. 4. §. 3. nisi absolute cōsentiret in

in eum præsentem: quia tunc matrimonium valeret, quamuis crederet alium esse, iuxta mentem S. Tho. & communis in 4. lib. sent. dist. 30.

Itaque primo ob hoc impedimentum peccat, qui procurat, vt matrimonium, vel sponsalia a se, vel ab alio per errorem contrahantur, quæ. alias non contraherētur. Ang. verb matrimonium 3 impedimen. §. 16. & probatur per dicta S. Tho. de dolo 2. 2. q. 55. art. 4. & matrimonium sic contractum, nihil valet, si fuerit error personæ, vel cōditionis seruilis, secus si solum fortunæ, aut alius qualitatis, c. 1. 29. q. 1. qualis est credere de paupere, quod est diues: de plebeio, quod est nobilis: de infami, quod est bonæ famæ: de corrupta, quod est virgo. c. 1. §. error. ead. q. 1.

35 Secundum impedimentum dirimens matrimonium est error conditionis seruilis, quo quis credit seruum esse liberum. Nam matrimonium contractū a libero cum serua, quam putabat esse liberam: vel e cōtrario, cōtractum a libera cū seruo, quem putabat esse liberum, nihil valet, licet contractum cum libero, vel libera ab eo, vel ab ea, qui, vel quæ credit esse seruum, vel ancillam valeat. 29. q. 2. §. iis. ita. sub c. si quis liber, & tradit S. Tho. & communis in 4. lib. sent. dist. 36. art. 1. & Angel. verb. matrimonium impediendum. 4. §. 16. & communis in c. proposuit. de coniug. seru. & si matrimonium erroneum fuerit clandestinum propria auctoritate se separe potest, quo ad thorum, & cohabitationem, sed si est in facie ecclesiæ contractū, quo ad thorum se separare potest, sed nō quo ad cohabitationem, nisi per sententiam ecclesiæ. arg. c. porro. & c. significasti. de diuort. quod procedit etiam si dominus post matrimoniū eā manumiserit ipso inscio, & cū ea libera facta copulam coniugalem habuerit, quia talis copula habita est virtute primi consensus, qui nullus fuit. Rosf. verb. Impedimentum. 3. §. 2. Si tamen postquam resciuit esse seruam, cōsensit in eam saltem per copulam vxorio affectu habitam, matrimonium fiet validū secundum iura antiqua, licet non post Conc. Trid. vt dictum est supra eod. num. 25. & 28. c. ad nostram. de coniug. seru. c. fœmina. & cap. si quis ingenuus. 29 q. 2. Si autem liber matrimoniū ignoranter contrahit cum serua, & nihilominus eam vult pro vxore habere, & illa non vult, non est matrimonium: sed coget illam ecclesia, vt consentiat in illud, iuxta gl. c. fin. de coniug. seru. quod est verum, si illa nondum legitimè alteri nupserit, quæ. glo. addit, quòd dominus tradens suā ancillam tamquam liberam libero credenti eam esse talem, manumittere illam videtur. Quæ omnia sunt intelligenda, etiam de libera contrahente cum seruo. Et dominus, qui cōsentit matrimonio sui serui, aut seruæ & locum ad red-
34 dendum debitum non concedit: quia quamuis seruus contrahens matrimonium inuito domino, ad ei obsequendum magis, quàm ad debitum reddēdum teneatur: si tamen, eo consentiente contrahit, ad illud magis, quàm ad hoc tenetur. Et quamuis dominus post matrimonium, etiam suo consensu contractum eum vendere possit, non tamen in tam remotas regiones, vt vsus

vius matrimonij ei impediatur, iuxta communem in c.1.de coniug.ser. & S.Tho.in 4.dist. 36. Licet honestū esset, ne ad tam remotas venderet, etiam dum contra voluntatem eius contraheret, quamuis ad id sub pœna mortalis peccati non tenetur, iuxta communem in dict.cap. 1. saltem quando commodè in vicinis vendere non posse.

Errores autem aliarum qualitatum, vt pote fortunarum, nobilitatis, virginitatis, fortunæ, & reliqui non dirimunt: quia id nullo iure cauetur, immo contrarium c.1.29. q. 1.& §.iis ita.sub ca.si quis liber. eod. quæst.& diximus supra.

De impedimentis dirimentibus voti & cognationis spiritualis.

SVMMARIVM.

35 *Votum sollenne castitatis impedit, & dirimit matrimonium.*

35 *Votum post solenne contrahens nulliter contrahit, & excommunicatur.*

36 *Cognatio spiritualis tam baptismi, quàm Confirmationis quid, & ad quos Tridenti restricta.nu. 37.*

39 *Patrini sunt solum hodie, qui designantur & quot designandi nu.38*

39 *Cognatio spiritualis non nascitur ex sollennitate supplente baptismum. & 40.*

40 *Patrinus an fiat omnis tangens, cum nemo designatur.*

35 TErtium impedimentum, dirimēs matrimoniū est votū solenne castitatis, quod celebratur professione expressa, vel tacita religionis approbatæ, vel sacri ordinis susceptione, vt dictum est supra c.12. nu 32. Post quod qui cōtrahit peccat mortaliter.c.1.de voto, lib.6. Extrau. 1.de voto, Ioan. 22. & est excōmunicatus, cle.1. de consang. & affinit. de voto autem simplici dicetur infra eod.cap.num 37.

Quartum impedimentum dirimēs matrimonium est impedimentum cognationis, quæ est triplex, Carnalis, Spiritualis, & legalis. Cognatio spiritualis, quæ matrimonium impedit, & dirimit (nam de non dirimente infra eod.nu.72.agemus) est attinentia duarum personarum, quę ex statuto ecclesiæ oritur per Baptismi, & Cōfirmationis administrationem, vel susceptionem baptizati, vel confirmati, iuxta mētem omnium. in rub.de cogn.spirit.S.Tho.& communis in 4. lib. sent. dist. 40. & glo. ac cōmunis in d.c.1.eo.tit.lib.6. Quę olim secundum iura antiqua erat triplex, paternitas, comparternitas, & fraternitas, secundum dictam gloss. recepr. Paternitas est, quæ contrahitur inter baptizantem (qui locum patris tenet, siue sit clericus, siue laïcus, vir, aut fœmina) & baptizatum, & inter baptizatum, & patrinum, qui locū matris tenet, siue sit vnus, siue plures, siue vir, siue fœmina, cap.quamuis.de cognat.spirit. lib. 6. Comparternitas est, quæ contrahitur inter patrem & matrem baptizati ex vna parte, & ex altera inter baptizantem, & patrinum, vel patrinos, qui ex sacro fonte suscipiunt, si sunt baptizati, quamuis sint schismatici, aut hæretici, & aliàs non: quia non sunt eius capaces, iuxta S. Thom. & Richar.in 4.lib.sen.dist.41.art.1.q. 3. quidquid alij dicāt: neque etiam inter baptizantē & patrinos baptizati. Fraternitas est cognatio inter baptizatum, & filios naturales baptizantis & patrinorum, etiam non legitimos, & etiam habitos post baptismum. Dixi, Olim secūdum iura. quia hodie cessat fraternitas & aliqua ex parte compaternitas, per conc. Trid. sess 24.c.2.de reform. matri. Quare loco multorum, quæ hic in vulgari dixi, & nunc cessant, subiicio te-

37 norem illius c. quod sic habet: *Sancta synodus statuit, vt vnus tantum siue vir, siue mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, docēdque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

38 Per hoc nouum statutum cessat quæstio, an multi, & quot possint esse patrini: &, an inter fratres baptizati, & omnes filios, vel quos patronorum, vel baptizantis sit hoc impedimentum, &, an inter baptizatum, & filios adoptivos patrinorum & baptizantis, & an inter baptizatum, & vxorem vel concubinam, vel maritum patrini, vel matrinæ, vel baptizantis, & an cognatio transeat per actionem, vel passionem, in coniugem, vel concubinam, ante, vel post cognitam: &, an omnes suscipientes, respondentes vel tangentes baptizatum, vel qui eorum sint patrini, vel matrinę, quoniam tota cognatio spiritualis redacta est ad solam eam, quæ est inter patrinum, & baptizatum, patrem, & matrem baptizati: & inter baptizantem & baptizatū, & patrē

39 & matrem baptizati: ita quod nulla est hodie fraternitas, aut confraternitas: nulla item comparternitas inter baptizantem & patrinos: nulla item inter baptizatum, & coniuges, & concubinos, vel concubinas prædictorum, & minus, inter ipsosmet patrinos. Et ideo sine peccato possunt esse patrini maritus & vxor. Nulla item inter respondentes tangentes, & alios: nisi sint ad id designati: quamuis videatur relinqui dubium, An quando nulli designantur in patrinos, per culpam Parochi, vel alterius in necessitate baptizantis, soli & omnes tangentes baptizatum fiant cognati iuxta ius antiquum: quod verius videtur, quum a iure antiquo non sit recedendum, nisi quo ad excepta in nono, l. præcipimus. Cod.de appell. & concilium videtur loqui, quando designantur aliqui patrini.

40 Notanda tamen sunt tria. Primum,

num, errare illos, qui cum puer in domo baptisatur propter necessitatem sine solemnitate, & postea cum ea in ecclesia exorcizatur, & vngitur chrismate, credũt ex hoc posteriori actu oriri cognationem, & nõ ex priori, cum contra se res habeat: quia posterior actus non est sacramentum, sed sacramẽtale, per quod nec character imprimitur, nec confertur gratia ex opere operato: licet sit actus catechismi, & exorcismi, ex quo alia cognatio minor impediens, & non dirimens nascitur, cap. per catechismum. de cognat. spirit. lib. 6. de qua infra eod. cap. num. 72. Ob quod multum expediret, vt parochus non solum faceret, ea quæ Concilium prædictum iussit, sed etiam in tali supplemento scriberet illum actum supplendi non fuisse baptismum, sed tantum catechismum cũm exorcismo.

Secundum, cognationẽ spiritualem matrimonio iam contracto superuenientem non dissoluere illud: sed tantum exactionem debiti coniugalis impedire, vt supra. cap. 16. nu 34. dictum est.

Tertium, quòd eodem modo est restricta coguatio, quæ nascitur ex Cõfirmatione, quo quæ nascitur ex baptismo, per prædictum Cõc. supra relatum, & ita totum cap. de cogna. spirit. lib. 6. limitatur per illud.

Interrogatus autem dudum, An pater baptizans in necessitate filium suum susceptũ ex fornicatione possit contrahere matrimonium cum illius matre respondi non posse: quia regula iuris habet, cognationẽ spiritualem impedientem, & dirimentem contrahi inter baptizantem, & parentes baptizati. c. 1. de cogna. spirit. lib. 6. à quo nõ excipitur, nisi baptizans filium suum, & cõiugis suæ, vel sui, cum qua, vel quo iam contraxit matrimonium per cap. ad limina. 32. q. 1. ea ratione, quod per actum bonum non debet prejudicari matrimonio sancto antea contracto, quæ cessat in contrahendo, de quali quærebatur. Per quod videntur solui argumenta, quæ in contrarium adducit Sot. in 4. dist. 42. art. 1. qui tamẽ non fuit ausus tenere contrarium, nec etiam Palud.

De impedimento cognationis carnalis.

SVMMARIVM.

41 *Consanguinitas quid, & impedit, & dirimit intra quartum gradum.*

42 *Affinitas quid & quantum restricta per concil. Trid.*

43 *Copula carnalis perfecta quid, & quæ gignit affinitatem.*

41 COgnatio autem carnalis, seu cõsanguinitas est propinquitas duarum personarum, eo quod vna ex altera, vel ambæ ex eadem descendunt, secundum gloss. receptã in arbore consanguinitatis, lib. 6. Pater enim, & filius sunt consanguinei, quia vnus ab alio descendit: duo item fratres, quia ambo a tertio descendunt.

42 Affinitas vero est propinquitas duarum personarum, quarum vna cum cõsanguinea alterius copulam habuit, secundum gloss. receptam in arbore affinitatis, in qua re copula illicita & licita sunt pares. ca. discretionem. de eo, qui cogno. cons. vxor. suæ. modo sit perfecta, quæ est illa, per quam semen viri in vas fœminæ naturale ad generandum mittitur cap. extraordinaria. 35 q. 3. & non sufficit saltem coram Deo violatio virginitatis: nec quælibet alia turpitudo, iuxta glo. in recept. in d. cap. extraordinaria. & ita non sufficit actus sodomiticus, iuxta mentem S. Tho. & communem in 4. lib. sent. dist. 41. quam Palud. & S. Anto. 3. par. tit. 1. cap. 12. explicant.

Ex quibus sequitur primo cõsanguineos, vel affines intra quartũ gradum non posse matrimonium licite contrahere, nec cõtractum valet, e non debet. de consan. & affinit. sed prædictum Concilium sess. 24. c. 4. de refor. matr. limitauit impedimẽtum affinitatis ex illicita copula natum, ad primum. & secundum gradum tantum, statuens in vlterioribus gradibus matrimoniũ post eam contractum non dirimi. Et licet contextus illius non addat illud non impedire, sed tantum non dirimere: & ideo potuisset aliquis dicere, quod licet matrimonium contractum per affines ex copula illicita. 3 & 4 gradus valeat: peccare tamen cõtrahentes sine dispensatione, quia à lege veteri non discedimus, nisi quatenus per nouam exprimitur, l. præcipimus C. de appellat. tamen Pius V. Motu proprio super hoc edito contrarium declarauit in extrauag ad Romanũ. lata anno 1566. scilicet dictam affinitatem nec dirimere, nec impedire.

Sequitur secũdo, huiusmodi contrahentes non solum peccare, sed etiam excommunicatos esse, sicut sunt consanguinei. cle. 1. de consan. & affin. nisi excuset ignorantia, de quo infra c. 27. nu. 141. Qui vero contrahunt tantũ sponsalia intra quartum gradum, peccant quidem, sed non sunt excommunicati, nisi copula sequatur, & ea sequuta sic, iuxta communem secundum iura antiqua, per quæ sponsalia transibant in matrimonium per copulam carnalem sequutã: non tamen hodie post Conc. Trid. vt dictum est supra num. 25. & 28. quæ tamen secundum iura antiqua non procedebant quoad forum cõscientiæ, nisi in eo, qui vxorio affectu copulam habuerat, alias enim in illo foro non esset verum matrimonium, iuxta omnes in c. is qui, de sponsi. Ex quibus infertur, quod huiusmodi impediti cõtrahentes ante legitimã ætatem, non sunt excommunicati: quia in effectu sponsalia tantum de futuro cõtrahunt c. 1. §. 1. de sponsi. lib. 6. Idem de contrahentibus credentibus se cognatos, si vere non sunt: nã peccant mortaliter, & non valet matrimonium, si credebant illud non valere, alias sic, vt recte Sylvest. resoluit in verb. matrimonium. 7. q. 13. §. 5. quod autem dictum est de viro cõtrahente cum muliere, idem censetur dictum de illa contrahente cum illo.

De impedimento cognationis legalis.

SVMMARIVM.

Cognatio legalis quid quotuplex, & quousque impedit, & dirimit. nu. 44. & 45.

44 COgnatio vero legalis est propinquitas ex adoptione alicuius in filium proueniens, secundum mentẽ prædictorum post glo. c. 1. de cogn. legal. & est triplex. Pri-

ma est ascendentium, scilicet adoptantis, & adoptati, & descendentiū eius. quæ nec dissolutione adoptionis, nec emancipatione tollitur c ita diligere.10.q 3. & 5 ergo. Inst. de adop. Secunda quasi transuersalis, scilicet inter adoptatū, & filios naturales adoptantis durāte adoptione, & filio naturali existente in potestate patris, & nō alias. c. 1. de cog. legal. l. qui per adoptionem.ff. de adop. Tertia est, quædam legalis affinitas, scilicet inter vxorē adoptati, & adoptantē, & inter adoptatum, & adoptantis vxorem, quæ durat perpetuò, sicut prima. l. adoptiuus.ff. de rit. nupt. Porro, quælibet harum cognitionem impedit, & dirimit matrimonium, iuxta gloss. & communem, in d.c 1. & in 4. lib. sent. dist. 42. licet aliqui cōtradicant, quo ad cognationem transuersalem.

45 Ex quibus sequitur inter adoptantem, & adoptiui matrem hanc cognationem non contrahi, & quod adoptans aliquam in filiam suam non potest cum illa, nec aliqua eius descendente intra quartum gradum matrimonium cōtrahere: quia sunt tamquam ascendentes, & descendentes. Item, quod non potest contrahere cum vxore filij adoptiui eo mortuo, nec filius adoptiuus cum vxore adoptantis eo mortuo: quia est cognatio tertiæ speciei: quamuis sic cum eius matre, etiam filio viuente: quia inter illos nulla cognatio intercedit. Sequitur itē, quod adoptiuus cum filia naturali adoptantis hoc viuente, & illa in eius potestate manente, matrimonium contrahere non potest, sed sic patre mortuo, aut filia emancipata, aut si est illegitima, aut ipse est iam emancipatus: quia hæc cognatio his modis soluitur, secundum omnes vbi supra.

Inter prædictas vero tres cognationes hoc interest, quod cōsanguinei, si contrahant inter se matrimonium intra quartū gradum non solum peccant, c. nō debet. de cōsang. & affinit. sed etiam sunt excommunicati, ele 1. de cōsan. & affin. sicut & de affinib. infra dicemus. Cognati autē spiritualiter, vel legaliter, licet peccent, non tamen sunt excommunicari, sicut nec consanguinei sola sponsalia de futuro contrahentes, iuxta glo. receptam in dict. elem. 1.

De impedimento criminis, aut delicti.

SVMMARIVM.

46 *Matrimonium quæ occisio, & quod adulterium impedit, & dirimat & 47.*

46 QVintum impedimētum est crimē. Pro cuius notitia notandum, duo esse crimina, quæ matrimonium impediunt, & dirimunt, ad quæ reducuntur illa tria S. Tho. communiter recepti vbi supra, & dist. 79. in expos. literæ. Alterum est occisio coniugis alicuius causa contrahendi cum eius coniuge, quæ facta vtraque machinante perpetuo impedit, etiam si alter infidelis esset, & ad eius conuersionem procurandam patrata fuisset. cap. laudabilem. de conuer. infid. Facta vero, altero tantum machinante, non sufficit, nisi adulterium interueniat. cap. super eo. de eo, qui dux. in matrim. iuxta Ioan. Andr. per Panor. & communem receptū ibidem. Dixi, Causa contrahendi: quia occisio alio fine facta non sufficit, d. cap. laudabilem. neq; ratihabitio occisionis suo nomine factæ. quamuis sic iussio, aut consilium iuxta glo. receptas in c. si quis viuente. 32. q 1. & in cap. 1. de conuersinfid.

Alterum crimen est adulterari scienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium. vel dare fidem de contrahendo. Dixi, Adulterari: quia si nō erat vere coniunx, licet putaretur talis, non impedit. cap. significauit de eo, qui dux. in matrim impedit tamen si sit verum, quamuis non sit consummatum: & quamuis sit solutū quo ad thorum, vel cohabitationem, c significasti. & cap. ex litteris. eod. titul. Dixi etiam, Adulterari: quia nec datio fidei de contrahendo, nec contractus sine adulterio sufficit. d c. significauit. & c. 1. 31. quæst. 1. Dixi. Scienter: quia si vterq; probabiliter ignorat, possunt matrimonium contrahere, simul atque mortuus fuerit, qui impediebat: & si alter tantum ignorat, in eius arbitrio est, sublato impedimento denuo matrimoniū contrahere, vel non c. 1. eo. tit. donec sciens cum tertia contraxerit, & modo ignorans non resciuerit ante mortem impedientis, aut postquam resciuerit non habuerit copulam.

47 Notandum item, quod vt matrimonium inter ignorantem impedimentum, & scientem valere incipiat, non sufficit cessatio impedimenti, & consensus nouus scientis: quia oportet, vt etiam ignorans denuo in illum consentiat, postquam ei notum fuerit interuenisse impedimentum, per quod illud matrimonium non valuit, & fiat ei iusta libertas ad renuendum, si voluerit, secundum Inno. in fin. c. 1. de eo. qui dux in matrim. & Scot in 4 lib sent. dist. 35. Satis tamen videntur hæc ei notificari, & dari libertas, quando certior fit matrimoniū nil valuisse, ob aliquod impedimentum in genere, & quod non cogatur ad denuo contrahendum, quamuis non exprimatur speciatim impedimētum, ob quod primū matrimonium non valuerit, neque à domo sui mariti in maiorem libertatem deducatur: quin & præstat id facere, quoties non conurnit, vt illud speciatim nouerit, satis enim esset tunc dicere gratiosè, suspicor te non esse maritum meum, aut vxorem meam aliqua de causa, ideo rogo te plurimum causa trāquillitatis meæ conscientiæ: & consolationis, vt si & quatenus opus fuerit denuo nos pro coniugibus habeamus, secundum mentem Caietan. 1. Tomo Opuscul. Tract. q. 2. & in summa, verb. matrimonium. pag. 9.

De impedimento dirimente infidelitatis.

SVMMARIVM.

48 *Matrimonium, quæ infidelitas impedit, quousque dirimit.*

49 *Matrimonium quod inter infideles nullum, & quod annullandum.*

48 SExtum impedimentum dirimens matrimonium est, infidelitas. Matrimonium etenim contractum à fideli cum infideli non

dum baptizato nullum est, etiam si sit catechumenus, hoc est in fide Christiana instructus, & velit baptizari, c. caue. vbi glo. 28. q. 1. Nã licet, vt supra dictum est matrimonium inter infideles esse possit, quatenus est cõtractus, c. gaudemus. de diuor. & c. deinde. 26. dist nõ tamen, quatenus est sacramentum arg. c. veniens. de presb non bap. Nec etiã vt cõtractus valet, si contra leges eorũ fiat, arg. c. fi. de diuor. & c. de infidelibus. de cõsang. & affinit. & multo minus quando contra leges naturales, vt fit quoties cum pluribus, quam cum vna contrahitur, dict. c. gaudemus.

49 Notandum tamen quod matrimonium infidelium non diuiditur, eo quod alter eorum ad fidem conuertatur licet conuersus licite se separare possit quo ad cohabitionem à non conuerso, nolente conuerti: quamuis melius faceret conuiuendo ei, quousque spes aliqua conuersionis esset: tamen cum alia matrimonium cõtrahere viuente infideli non potest, nisi cum ipse nollet habitare cũ ea absq; contumelia creatoris, & sine studio peruertẽdi eam, aut in peccatum mortale inducendi. Quod procedit etiã in infidelibus, qui contraxerunt in gradibus lege canonica prohibitis, modo secundũ leges eorũ essent valida, per c. gaudemus. de diuor. immo & si infidelis antequam matrimonium contrahat conuertatur, illum recipere tenetur d. c. quanto, & d. cap. gaudemus, siue dicamus per conuersionem matrimonium dirimi, sicut sensit Panor. in d. c. quanto siue per secundum. ad quod contrahendũ prædicta faciunt facultatem, vt melius dixit S. Tho. in 4. lib. sent. dist. 39. Dixi supra cum infideli nõdum baptizata: quia contractum cum fideli hæretica, vel schismatica valet, licet contrahendo peccet, iuxta glo. recept. in c. non oportet. 28. q. 1. & S. Tho. & alios in d. dist. 39 quamuis iam sit catechumena, vt dictum est supra.

De impedimento dirimente violentiæ vel metus.

SVMMARIVM.

50 *Matrimonium metu iusto contractum, immo & consummatum nullum.*

51 *Metus quis iustus non definitus, & declaratus.*

50 SEptimum impedimendum dirimens matrimonium est violentiæ, vel metus. Pro cuius declaratione præmitto primo, quod quamuis omnes contractus, facti per metum regulariter valeant, secundum glo. & cõmunem in c. abbas. de his, quæ vi. licet noster Fortunius Garcia oppositũ tenuerit de vlt. fi. Illat. 21. & quamuis sacramẽta, in quibus character imprimitur, sicut in baptismo. cap. maiores. §. item quæritur, de bapt. etiam valeant: contractus tamen, & sacramentum matrimonij per metum contracti nil valet. cap. veniens. 1. cap. cum locum de sponsa. & text. irrefragabilis in c. significauit de eo, qui dux. in matri. quia ita ecclesia decreuit, ob multa, quæ Panor. & alij tradunt in d. cum locum. quæ tamen sola sine statuto ecclesiæ, vix sufficerent.

51 Præmitto secundo, q; non quilibet metus ad hoc sufficit, sed requiritur iustus, qui cadat in virum constantem

stantem. l. metum. ff. quod met. caus. qui definitur à S. Tho. communiter recepto, etiam à Soto ibidem in 4. lib. sent. distin. 29 art. 2. esse ille, quo minus malũ maioris euitandi causa eligitur, vt olim diximus in d. c. cum locum. & late trad. Couarruuias in epit. 4. 1 parte. c. 4. §. 1. à nu. 10. & in 2. par. c. 3. §. 4. Contra quam definitionem occurrerũt hoc in loco in Manuali sermone Hispano scripto quæ dam. Primũ, quod minor timor est iustus mulieri, quam viro, iuxta glo. fin. & à plurimis laudatam in d. cap. cum locum, quæ non esset vera, si hac definitione perpenderetur.

Secundum, quod vera, & communis sententia habet, iustum metum, iudicis, vel prudentis arbitrio esse definiendum, secundum glo. in cap. cum dilectus. de his, quæ vi. & prædicta definitio satis concludit esse à iure definitum.

Tertium, quod communis Panor. Præpos. & aliorum multorum habet contra Host. in cap. cõsultationi. de spons. quod qui matrimonium metu mortis contractum, metu quoque mortis cõsummat, non videtur matrimonium validum facere, & quidem ratione irrefragabili, scilicet quod essentia matrimonij est, vt eõsensus sit liber, per dict. cap. cum locum. secundum omnes: & cum consensus directus in matrimoniũ, metu mortis extortus, non sit satis liber, à fortiori consensus indirectus: & per quandam consequutionem resultans ex copula eodem mortis metu extorta, non erit satis liber: qui tamen secundum definitionem prædictam non potest dici iustus, quippe, quo non eligitur minus malum ad euitandum maius: immo maius malum, scilicet peccatum mortale ad euitandum mortem corporalem, quæ est malum minus eo, iuxta c. itane. cũ citatis in eo. 32. q. 5.

Quartum, quod nihil male venialiter factum, posset dici iusto metu factum, quum omnis culpa, etiam venialis, sit maius malum omni alio modo, quod non est peccarum, secundum Panor. in cap. sæcris. quod met. cau. & omnes Theologos, & Canonistas, & sentit glos. in cap. si aliquid. 22. quæst. 4. quod tamen etiam Sotus, qui definitionem prædictam sequitur in dict. q. 29. art. 3. satis negat.

Quintum quod omnis rectus iudex iudicabit metum iustum mortis, & mutilationis esse iustum absolute sine consideratione, an per illũ liberetur à maiore malo, vel minore, l. 1. & 2. ff. quod met. cau. & etiã metum ablationis omnium bonorum, vel maioris partis eorum, saltem si magna sunt cap. 1. de restit. spol. lib. 6. & merito; quia vita quædam sunt iuxta glo receptam iuncto textu in Laduocati. C. de aduoc. diuers. iudic. & probatur per l. isti quidem. cum suis concord. ff. quod met. caus. & cap. cum dilectus. adiuncta glo. de his, quæ vi.

Sextum, quod etiã omnis rectus iudex considerabit in alio alius generis metũ, non solũ malum ipsum obiectum, sed etiam circumstantias fortitudinis, vel fragilitatis, non solum sexus, vt dixit prædicta glo. sed etiam ætatis, innatæ magnitudinis, vel paruitatis animi, aliorumque accidentium metum passi. Ita quod eiusdem mali obiecti metum in alio

iudicabit iustum, in alio vanum non considerando an metum passus liberetur a maiori malo an a minori.

Septimum, quod ad reddendum actum inefficacem coram Deo, sufficit quilibet timor, etiam minor iusto modo, si causa, sine qua non, saltem principalis eius, vt dictum est supra cap. 17. nu. 19. post Adria. & alios ibi citatos, & probatur efficaciter: quia leges constituentes diserimen inter alium metum, se fundant super præsumptione, quia præsumūt alium esse causam actus, alium verò non: & lex fundata in præsumptione, non habet locum coram Deo, si veritas ei non respōdet, cap. is qui. & cap. tua. de sponsa. cum eis adnota. Octauum, quod quoad hunc effectum necessario recedēdum est a definitione S. Thom. communiter recepta, licet obseruanda sit plurimum quo ad effectum excusandi à culpa: facit item glos. sing. cap. præsens. 20. quæstio. 3. quarenus notat ex illo cap. metum reuerentialem annullare votum pueri vouentis religionem, etiam quo ad forum externum, cui tamen non conuenit prædicta definitio.

Nonum, quod licet suscipiens ordinem sacrum metu iusto, verum characterem ordinis suscipiat arg. c. maiores. §. item quæritur. de baptismo, non autem obligatur voto continentiæ illi annexo, arg cap. 1. de his, quæ vi. tradit S Thom. sec 2. quæst 88. ar. 11. & in specie Aug. verb. ordo. 3. §. 4. quæst. 18. & ita timor. qui non est iustus ad annullandum sacramentum, est iustus ad annullandum votum. Per quæ nuper respondimus, non obligari ad preces horatias, & a bellis iustis abstinētiam, quæ illi sunt annexæ, filium cuiusdam maximi Principis, qui maximo reuerentiali metu patris Infantis, & patrui Regis diaconatum accepit, iunctis quæ concurrebant circunstantiis. Per quæ omnia dicendum est, definitionem præfatam iusti timoris à nemine, quod sciam improbatā, nec limitatam esse necessario, limitandam. Quibus est consequēs, quod licet metus mortis, quo testis falsum deponit, non dicatur iustus secundum definitionem S. Thomæ, nec consequenter excuset à peccato: erit tamen iustus quo ad infirmandum eius testimonium, & quo ad excusandum eum a pœna saltem ordinaria secundum definitionem præd. glo. communiter. recept. idque ipsum omnino dicendum de scriba, qui metu mortis fecit instrumētum, vel testamentum, id est peccare quidem, sed instrumentum, vel testamentum esse rescindendum. Idem etiam ipsum omnino dicendum est de eo, qui matrimonium metu mortis contractum, metu quoque consummat, scilicet peccare quidem, sed non præstare consensum satis liberum, quo matrimonium valeat. Porrò iustus metus non solum annihilat matrimonium eius, qui ob illū fingit se consentire, sed & eius qui verè consentit, secundum sanctum Thomam. & communem in d. dist 19. & d cap. cum locum, & in c. abbas. de his quæ vi, quicquid Cardinalis incaute ibi dicat. secundum quos omnes si pars coacta postea libere consentiat, saltem tacite, altera in sua voluntate perseuerāte, firmatur matrimoniū, quin & ad id cogi

potest volente parte coacta per c. ad id, & ibi notata de sponsa. & si sponte habeat copulam, videtur tacite consentire quo ad forum externum: non tamē quo ad interius, nisi vere consentiat, arg. cap. tua, de sponsal.

De impedimento dirimente ordinis.

SVMMARIVM.

52. *Ordo sacer cur impedit, & dirimit matrimonium, &c.*

52 OCtauum impedimentum dirimēs matrimonium est ordo sacer. Nullus enim sponte initiatus aliquo ex prædictis quattuor sacris ordinibus potest contrahere matrimonium, & si contrahit non valet: quia eis est annexum votum solléne castitatis, quod impedit matrimonium, & dirimit. c. 1. de Cleric. coniug. & c. 1. &c. si quis eorum & c. erubescant. 32. dist. ad quod votum eos suscipiens obligatur, quamuis eius propositum non sit illud seruare, nec ad id se obligare. Nec obstat, quòd nemo cogitur vouere. cap. Integritas 32. q 1. Quia ecclesia neminem ad ordines sacros cogit, sed solum statuit, vt qui eos suscipit, sit ad matrimoniū inhabilis. Et sic qui voluntarie ordinatur, voluntarie illam inhabilitatem incurrit, iuxta Scot. in 4. dist. 37. q. 1. & si contrahat illud, est excommunicatus. cle. 1. de consang. & affin. de qua infra cap. 27. & an sit irregularis dicetur ibidē. Dixi, Sponte, quia secus, si iusto metu initiaretur, iuxta dicta supra eo. nu 51.

Porro coniugatus, qui ordinem sacrum suscipit inscia, aut inuita sua vxore, non solum peccat cū contrahit, sed etiam postea cum debitum coniugale exigit, & idem si reddit illud susceptis ordinibus, ex illius consensu legitimo. Palud. in 4. dist. 37. q. 1. col. 2. nō est tamen legitimus, nisi ipsa religionem ingrediatur, vel nisi sit senex & castitatem voueat. c. Agathosa. 27. q. 2. S. Tho. receptus in 4. dist. 37. art. 2.

De impedimento dirimente secundarum nuptiarum.

SVMMARIVM.

53 *Matrimonium contrahens cum secunda, viuente prima eam ducta, vt peccat, & quid aget fama mortis prioris audita. & seq.*

54 *Matrimonium contrahens secundo, putans mortuam primam, quid aget pulchre.*

54 *Filius matrimonij putatiui qui legitimus.*

55 *Dubius credens, & scies, in hoc pares.*

56 *Matrimonium contractum à credente illud non valere, an valeat.*

53 NOnum impedimentum dirimens matrimonium, est matrimonium præcedens, quod dirimit sequens. Nullus enim potest contrahere cum alia viuente prima, etiam nondum cognita, & clandestine ductaita tamen, quod valuisset matrimonium, & etiam si iá prima alteri nupserit, & liberos ex eo susceperit, (quo proh dolor, frequenter contingebat, ante Conc. Triden.) & peccat, nec absolui potest, saltem sine firmo proposito non cognoscendi secundam tot. tit. de sponsi. duorum, nec vlla regionis absentia, nec tēporis lon-

quinquitas nr hoc prodest, nisi denuo contrahat cum illa, post habitam de morte illius notitiam, ad quam habendam sufficeret fama, si in lóginquum profectus fuit, secundum Anton. in c. in præsentia. de sponsa. cui obtemperat Panor. ibid sed rectè defendit eum Silue. verb. matrimoniũ. 8. q. 15. versic. 4. Aut si erat senex, aut prælium ingressus, non apparuit, de qua re literas accepit ab his, qui eidem interfuerũt, iuxta gl. receptam in cap. quoniam frequenter. vt lite non contest. Quoniamsi fama orta ex horum aliquo ad eũ perueniret, posset denuo contrahere cum secũda, & sine peccato cum ea rem habere. Porro filij ex ea ignorante primum matrimonium suscepti, legitimi forent, per cap. ex tenore. iuncta glo. communiter recepta, qui filij sint legit.

54 Illa item peccat, nec absolui potest, quæ contrahit cum secũdo, credẽs probabiliter suum primum maritum mortuum esse, & postea ob nuntium de eius vita acceptum credens, vel debens credere illum viuere petit debitum coniugale: aut reddit secundo: si tamen dubitat, potest & debet reddere: sed nõ petere iuxta communem probatam per cap. dominus. de secund. nupt. Contra quod tamen grauiter viget, quod sicut, qui facit aliquid, quod credit esse mortale, mortaliter peccat. cap. per tuas 2. de simon. cap. fin. de præscript. ita qui facit aliquid, quod dubitat esse mortale, mortaliter peccat. arg cap. dubius. de hæret. vt latè probamus in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. nu 85 cum seq. & infra nume. 81. super quo multa dicit Adr. in quolibet. 2. sed non satisfacit, vt ibidem demonstramus, vbi diuina ope. noue respondimus id, quod eru-
55 ditis in Hispania placuit, concedendo scilicet, quòd non debet reddere dubitando, sed credendo: & quòd potest credere mortuum quo ad effectum reddendi, & non quo ad effectum petendi: eo quod, vt ibi copiosè demonstramus, potest quis vno tempore ob quædam motiua credere aliquid ad vnum effectum, & alio ob alia contrarium, vel de eo dubitare ad alium effectum. Et ita quando rationes dubitandi, adeo graues sunt, vt iudicio prudẽtis neutram partem credere debeat, nec petere, nec reddere debitum debet: & quando adeo leues, vt vtranque partem credere possit, & reddere, & petere, dubietate sublata, potest: & quando tunt mediocres, & tales, vt ob eos in præiudicium alterius non sit credendum, sed in suum fic, reddet credendo ad hunc effectũ mortuum esse, & non petet dubitando de illo, quo ad hunc effectum: & si certo intellexerit eum viuere, relinquere debet secundum, & redire ad primum: aliàs enim adulteratur. dicto cap. dominus adiuncto cap. inquisitioni. de senten. excommu. & primus eam accipere debet, nisi de eius vita certior facta cum secundo rem habuerit, cap. cum per bellicam 34 quæst. 2 Hæc quæ dicta sunt de vxore nubente secundo, censeantur dicta de marito ducente secundam.

56 Peccat item ille, ac illa, qui, vel quæ credẽs suam vxorem, vel suum maritum viuere. cum re vera mortua, vel mortuus esset, matrimoniũ cum

cum alia, vel alio contrahit: nec valet matrimonium, si dum contrahit, credit illud non fore validum: quia non consentit legitime in matrimonium: secus si credit matrimonium valere, licet credat contrahendo peccare mortaliter, vt rectè Silu. verb. matrimonium 8. quæstio. 13 §. 5. explicauit declarando conformes esse opiniones, quæ contrariæ videbantur.

De impedimento iustitiæ publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

57 *Impedimentum publicæ honestatis quid, & quàm restrictum Tridenti.*

58 *Matrimonium, vel sponsalia à parentibus contracta quæ valent.*

58 *Sponsalia inualida etiam publica, non impediunt matrimonium nullum.*

57 DEcimum impedimentum dirimẽs matrimonium est iustitiæ publicæ honestatis: quod definitur esse impedimẽtum ab ecclesia inductum dirimens matrimonium contractum inter spõsum aut maritum, & omnes cognatos sponsæ suæ, aut mariti intra gradum prohibitum, iuxta mentem nostrorum in d. cap. ad audientiam. & cap. sponsam. & S. Thom. & alios in 4. libro senten distinct. 41. Sciendum est tamen, quòd copula carnalis ad hoc impedimentum non est necessaria licèt illa intercueniente aliud impedimentum affinitatis nascatur, de quo infra. Nec erat necesse iure antiquo, vt sponsalia aut matrimonium iure valerent: quia sufficiebat pure fuisse contracta sine defectu consensus, cap. 1. de sponsa. lib. 6. vel sub conditione, sequuta illius purificatione, & impediebat vsque ad quartum gradum Nunc autem, iure nouo Conc. Triden. sess. 24. cap. 3. de refor. matri. nulla sponsalia inualida producunt hoc impedimentum, neque valida vltra primum gradum. Matrimonium autem etiam inualium per verba de præsenti contractum producere hoc impedimentum, & consequenter differre in hoc à sponsalibus per verba de futuro contractis, declarauit Pius V. in Extrauag. ad Romanum. lata anno 1566. quamuis etiam hodie, quod de sponsalibus dicitur, dici potest de matrimonio contracto per verba de præsenti inter impuberes: quia illud resoluitur in sponsalia de futuro per c. 1. §. 2. de desponsa. impub. lib. 6. Ex quibus sequitur primo, quod qui primum contrahit sponsalia cum aliqua, & deindè matrimonium cum cognata eius, priórem debet accipere: quia matrimonium cum secunda propter impedimentum iustitiæ publicæ honestatis nullum fuit. Et si cum secunda rem habuit, neutram habere potest: non secundam, propter hoc impedimentum: non priorem, propter affinitatis impedimentum, secundum omnes in cap. literas de de spon. impub. & cap. ex literis. de eo,
58 qui cogn. consang. vxor. Sequitur secundo, quod hoc impedimentum hodie non nascitur ex sponsalibus, vel matrimoniis contractis inter consanguineos, aut affines in-

ter gradum prohibitum, aut cum ordine sacro initiato, aut religioso: quia sunt inualida, licèt olim nascerentur: quia non erant inualida ex defectu consensus. Sed necolim, nec hodie nascitur ex sponsalibus à parentibus factis, siue filij legitimæ ætatis sint, siue non: nisi expresse, aut tacitè consentiant, aut nisi sint præsentes sine contradictione, vel nisi absentes in id postquam eis innotuit, consenserint, cap. 1. §. potrò. de desponsi. impub. lib. 6. Sequitur tertio quod illud Palud. in 4. distin. 27. quæstio. 1. artic. 5. commendatum a nobis hic in Manu, Hispano. scilicet ex sponsalibus, & matrimonijs inualide & clandestine contractis, non nasci hoc impedimentum quo ad forum conscientiæ, per cap. tua. de sponsi. & cap. 1. eod. tit. lib. 6. cum ibi adnotat. non esse adeo commẽdandum. Quoniam hodie, etiam ex publice contractis, si sunt inualida, non nascitur: sed quoad matrimonium sic, per dictã Extrauagan. Pij Quinti. Et etiam quoad sponsalia, quæ Conc. præcesserunt, arg. c. fi. de constit. Quoniam hodie, etiam ex publicè contractis, si sunt inualida, non nascitur: quamuis quo ad ea, quæ præcesserunt Concilium, prodesse possit.

De impedimento dirimente impotentiæ.

SVMMARIVM.

9 *Impedimentum impotentiæ quid, & dirimit: quid faciet sic impeditus. & 60.*

59 DVodecimum impedimẽtum dirimens matrimonium est impotentia coeundi. Est autem impotentia impediens matrimonium, impedimentum perpetuum naturale, aut accidentale ad copulam naturalẽ, aut accidentale ad copulam naturalem perfectam, iuxta mẽtem S. Thom in 4. lib. sent. distin. 34. & S. Anto. 3. par. tit. 1. c. 12. Dixi, *Perpetuum*, quia temporarium non sufficit cap. fraternitatis. de frig. & malef. Illud autem est perpetuum, quod sine miraculo, aut sine probabili periculo animæ, aut corporis tolli non potest d. c. fraternitatis. Dixi, *Naturale, aut accidentale*, ad significãdum ex duabus causis hoc oriri, scilicet, naturali, quæ significarur, per verbum frigidis, positum in rub. de frig. & malef. & accidentali, quæ per verbum, maleficiatis: quoniam ad impedimentum frigiditatis reducitur omnis alius naturæ defectus, aut excessus, & arctio membri, quæ copulam impediunt: & ad maleficiũ, siue fascinationem, quodlibet accidentale, quod ex absciſsione, castratione, vel alio artificio nascitur. Dixi, *Ad copulam naturalem perfectam*, quia nõ sufficit impotentia generandi, quæ in senibus, aut aliis sua natura, aut arte sterilibus inuenitur, iuxta glo. receptam. cap. quod sedem. de frig. & malefic. Porrò hoc impedimentum est impediens, & dirimens. cap. 1. & 3. de frig. & malefic.

60 Vnde sequitur, non esse verum illud, quod dicunt Palud. in dist. 34. q. 2. & S. Anton. 3 par. tit. 1. cap. 12. §. 3. quòd qui potens matrimonium cõtrahit cum impotente, sciens impotentem esse, non potest se separare ab illo contra eius voluntatem, eo quod est verum matrimonium, & sibi debet imputare contrahens cum impotente: quia fundamentum eorum falsum est, cum inter eos nullum verum matrimonium sit, annihilante illud hoc impedimento, quod est impediens, & dirimens: quod etiam insinuat Siluest. verb. matrimonium 9 quæst. 16. sub fin. quamuis idem in ead. quæst §. 2. contrarium dicat. Ex quo subinfertur, eum id scientem non posse uti tali matrimonio ad delectationem carnalem, quamuis illi tamquam frater & soror conuiuere possint, vt sensit Cælestinus, & eius glo. in cap. laudabilem de frig. & malef. licet qui verè maritus est, & non potest habere copulam carnalem perfectã, vt quia non potest fundere semen, licite potest niti, & uti uxore, ad habendam eam, secundum Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 1. col. 6. & diximus in c. consideret. de pœnit. dist. 5. nu. 48.

De impedimentis impedientibus, & non dirimentibus matrimonium in specie, & primum de impedimento conditionis.

SVMMARIVM.

61 *Conditio quid, & quotuplex in matrimonio, quæ suspendit, quæ annihilat, quæ reijcitur, & quo differt a causa, modo, & demonstratione. & 62.*

63 *Conditio si N voluerit, an eo semel renuente vel tacente impleatur.*

64 *Matrimonium conditionale solui per purũ ante conditionẽ impletã & 65.*

66 *Conditio non omnio impleta quo ad ecclesiam impletur.*

61 PRimum impedimentum impediens, & non dirimens est conditio. Est autem conditio vt hic sumitur, suspensio alicuius dispositionis, quousque aliquid futurũ fiat, ex mente glo. in rub. ff. de cond. & demõst. quidquid verba eius, & verba Bart. in l. 1. eiusdem tit. sonent. & denotatur per hanc coniunctionem (si) vel aliud ei æquipollens ex mẽte eorundem, veluti: Duco te, vel ducam te in vxorem, si illud, aut illud euenerit.

62 Conditionum autem in matrimoniis tria sunt genera, iuxta gloss. recep. in cap. fin. de cond. appos. Primum est earum, quæ sunt turpes, & contra substantiam, aut bonam matrimonij, qualis est illa: Si curaueris non concipere, quæ est contra bonũ generationis: & illa: Si aliam ditiorem, aut nobiliorem non inuenero, quæ est contra bonum indiuiduitatis: & illa: Si victum ex adulterio quæsieris, quæ est contra bonum fidei. Quæ omnes annihilant matrimonium. cap. aliquando, & cap. solet. 32. quæst. 1. dicto cap. fin.

Secundum earum, quæ sunt turpes, aut factu impossibiles, sed non contra substantiam, aut bonum matrimonij, qualis est illa: Si furatus fueris: Si occideris: Si cælum digito tetigeris, quæ non annihilant, sed pro non appositis in fauorem matrimoniorum habentur: & matrimonia, in quibus illæ ponuntur, censentur absque aliqua conditione contracta. Tertium earum, quæ sunt honestæ, qualis est illa: Si pater meus voluerit: Si tanta dos detur, quæ si sunt veræ conditiones, matrimoniũ suspendunt, quousque impleantur.

cap. de

cap. de illis cap. super eo. & cap. per tuas. de cond. appos. modo ponantur a principio: & suspensiue: secus enim si a principio resolutiue, vel post contractum suspensiuè cap. 1. de cond. appos. iuxta intellectum Vinc. quem Panor. & communis probant & modo ambæ partes illis expressè consentiãt, aut tacite, altera eas exprimente, altera tacente, secundum Adrian. in 4. de matr. q. 4 col. 13. & 14. quamuis Innoc in dicto cap. fin. requirat expressum vtriusque partis consensum: absque tamen sufficienti fundamento.

Dixi: *Si sunt vera conditiones*: quales non sunt de re præterita, aut præsenti, veluti illa: Si N. mortuus est, aut si viuit, non suspendit, quia non est vera conditio: imò statim, si est falsa, matrimonium nullum est: sin vera statim valet. l. illa instit. ff. de cond. inst. l. cum ad præsens. cum seq. ff. si cer. per. & §. cõditiones. inst. de verbor. obligat. & eadem ratione causa in illo posita non suspendit, secundum gloss. in rub. & Bart. in l. 1. ff. de cond. & demonst. vt cum dicitur: Matrimonium tecum contraho, quia talem rem feci: nec modus, vt cum dicitur: Cõtraho tecum matrimonium, vt talem rem facias: nec demonstratio, veluti: Matrimonium tecum contraho mercatore, aut domino talis rei. Et quamuis hæc tria, scilicet causa, modus, & demonstratio numquam suspendant: annihilant tamen quando sunt contra substantiam, aut bonum matrimonij d. ca. fin. de cond. appos. aut personæ errorem inducunt, de quo supra eodem cap. nu. 31. & seq.

63 Ex quibus sequitur primo, quòd qui matrimonium contrahit cum conditione: Si pater meus voluerit, non esse matrimonium antequam pater cõsentiat, & quod simulatque consenserit, matrimonium esse incipit, si contrahentes ad eius vsque consensum in illa voluntate permaneant, cap. super eo. & c. per tuas, de cond. appos. & patre renuente, omnino esse desinit. Magnæ tamen quæstionis est, An conformetur per consensum eius postquam semel contradixerit præstitum, pro negatiua enim parte facit, quod primus eius actus videatur attendendus, argum. l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. sign. verius tamen videtur confirmari, si quousque ille consentiat, contrahentiũ consensus duret, aliàs non, iuxta Card. in d. cap. super eo. Silues. verb. Matrimoniu 3. quæst. 4. Non minoris autem quæstionis est, quando pater tacet non contradicendo, nec consentiendo expresse. Nobis placet opinio Silues. vbi supra quatenus ait, confirmari si per signa colligitur illum tacere, eo quod ei placeat: & infirmari si colligitur tacere, eo quod displiceat: non autem quatenus ait censendum ideo in dubio tacere, quod placeat, quia id videtur esse contra regulam. Is qui tacet non fatetur, nec negare videtur, li. 7. & cõtra aliam, quæ habet, facta non præsumi nisi probentur, cap. cum in iure de offic. deleg. quas non video quo ad hunc 64 casum iure limitatas. Sequitur secundo, quòd si tempore quo apponitur conditio patet est mortuus, & filius ignorat, statim non valet matrimonium, quia conditio non

non potest impleri, cum mortuus nec consentire, nec dissentire possit. cap. si gratiosè de rescript. lib. 6. Si autem scit patrem esse mortuum pro non apposita (quia impossibilis) habenda est, & consequenter censendum matrimonium valere, Ros. verb. Matrimonium 5. §. 8. & Silues. verb. matrimonium. 4. Tertio sequitur, quod si ante conditionem impletam altera partium voluntate mutata contrahit cum alia absolutè, illud matrimonium valebit, licet post illud contractum conditio impleatur, argum. dict. cap. super eo, & cap. si pro te, de rescript. lib. 6. quia in his, quæ ex voluntate solius disponentis pendent, implementum conditionis non retrotrahitur ad tempus dispositionis, iuxta gloss. recept. in d. cap. si pro te. sed impleta conditione, antequam contrahat cum secunda perfectum est matrimonium, & in eo cogi potest ab ecclesia recipere primam d. cap. super eo, in textu, & in gloss. Quarto sequitur, referre multum, an quis dicat, contraho tecum matrimonium, 65 si permiseris coitum. An contraham tecum matrimonium si permiseris coitum, vt insinuat Silues. post alios vbi supra, quia in priori casu statim fit matrimonium, si intelligit de fornicatorio coitu, quia conditio est turpis, & habetur pro non appositа: & si intelligat de vxorio, simul ac cojerit, est perfectum matrimonium quo ad Deum, & ecclesiam, quia impleta est conditiosub qua fuit contractum. In posteriori autem, si intelligit de coitu fornicario. conditio habetur pro non appositа, & sic manent sponsalia pura, & consequenter copula carnali subsequuta fit matrimonium præsumptũ quo ad ecclesiam secundum iura antiqua, vt mox dicetur: quo ad Deum autem non, nisi copula esset vxoria: si autem intelligit de coitu licito, sunt sponsalia conditionalia, quæ sequuta copula purificantur, quo ad Deũ, & ecclesiam, & trãseunt in matrimonium præsumptum quo ad ecclesiam, quo ad Deum autem fiunt de conditionalibus absoluta & purificata per conditionis implementum, sed non matrimonium nisi consensus matrimonialis suspendens actum, vt dictum est, ab vtraque parte addatur, vt est addendus post sponsalia pura: per quæ mens obscura Silues. declaratur: sed quum prædicta sponsalia non possint purificari, nisi per licitum coitum, & ille non possit haberi, nisi sit matrimonialis, necesse est consequenter dicere, illa non purificari per illam, copulam aut certè per eam transire illa in verum matrimonium coram Deo, quòd nobis videtur verum, & firmum secundum iura antiqua, licet non secundum nouum Tridentinum, secundu n quod non potest fieri matrimonium nisi præsente parocho, & duobus vel tribus testibus: vt dicetur infra eod. cap. num. 69. & tactum est supra eod. cap. nu. 28. & dicetur infra. cap. 15. num. 144. Quinto sequitur, quòd per hæc verba (tecum contraho si te virginem inuenero) intelligendo per inspe-
66 ctionem honestarum fœminarum, est matrimonium conditionale, quia est vera conditio, quippe quæ est de re futura, & honesta, & intelligendo de inuentione per copulam

pulam carnalem, est purum matrimonium quo ad ecclesiam, quia talis conditio, eo quod sit turpis, habenda est pro non apposita. Et eadem ratione, per illa verba, (contraham tecum, si te per copulam virginem inuenero) contrahuntur pura sponsalia. Et per illa, contraham tecum, si te virginem per honestas fœminas inuenero, contrahuntur sponsalia conditionalia, quo ad ecclesiam: quamquam quo ad Deum in nullo casu matrimonium contrahitur, aut sponsalia ante adimpletam conditionem, si vere coram eo fuit animus suspendendi vsque ad implementum illius, arg. c. Tua. & c. Is qui. cum eis annot. de sponsa.

77 Sextò sequitur demum quòd matrimonium contractum per illa verba. Duco te in vxorem, si cras sol orietur, vel per alia, quæ conditionem necessariò cuenturam importent, esse purum & non conditionale apud ecclesiam, secundum S. Tho. & Bonauent. in 4 dist. 28. q. 3. Host. Card. & Panor. in c per tuas de cond. appos. contra glos. ibi & alios illam male approbantes, quamuis quo ad Deum, & in foro conscientiæ, non sit tale, si vere fuit animus suspendendi actum, vsque ad solis ortum.

De impedimento interdictionis, & feriarum.

SVMMARIVM.

68 *Matrimonium clam, vel contra interdictum superioris contrahens, vt peccat.*

69 *Matrimonia clandestina, quæ hodie nulla, cum alijs Tridenti statutis*

70 *Ecclesiæ facies, quæ olim, quæ nunc, quando extra eam, etiam cum causa non contrahuntur.*

71 *Nuptiæ benedicendi tempus Tridentis ampliatum.*

68 SEcundum impedimentum impediens, sed non dirimens matrimonium est interdicti, & feriarum, vt cum alicui, ne contrahat matrimonium cum aliqua ob aliquod impedimẽtum Episcopus, Iudex, aut parochus interdicit donec constet non subesse illud impedimentum, quod opponitur, per tit. de matrim. contract. contra Interdictum. secundũ Palud. in 4. distin. 28. quæst. 1. cum l. 1. quidquid dicat Ang. vt recte defendit Sylvest. verb. Matrimonium. 7. q. 1. Valet tamen matrimonium sic contractum, si vere non suberat impedimentum, licet peccet contrahendo, sicut & peccat, qui contrahit matrimonium per verba de præsenti clandestine sine iusta causa, aut publice sine ttina denuntiertione prius in ecclesia facta, quo qui impedimentum inter eos esse sciunt, indicent illud. capitul. cum inhibitio. de clandest. desponsa. & per omnes in 4. dist. 28. quæst. 1. colum. 1. & 4. & est excommunicatus, non quidem iure communi, sed Episcopali, quale in plerisque omnibus Episcopatibus Hispaniæ est, & quia multa circa hoc statuit Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij, subtituam hic aliqua eius quibusdam sublatis, quæ in vulgari huic loco inserueram.

Primum, est errare dicentes, quòd matrimonia clandestina contracta ante illud concilium non valent, vel quòd filius non potest contrahere matrimonium sine consensu parentum, vel quòd parentes possunt illud irritare.

Secundum, quòd matrimonia clandestina etsi contracta valeant, contrahere tamen illa detestabile est. Tertium, quòd ob causas ibi expressas statuit in hæc verba: *Sancta Synodus præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter, à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis: si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine patris, & filij & spiritus sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium, celebretur, deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.*

Quartum, quòd *Quicunque sacerdos sine licentia parochi communxerit matrimonio aliquos, etiam prætextu immemorialis consuetudinis, maneat suspensus, donec ab ordinario eius qui coniungere debebat absoluatur*

Quintum, quòd *Parochus habeat Librum in quo coniugum & testium nomina, dieinque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.*

Sextum, quòd *Prædicta Synodus hortatur coniuges, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctiss. simum Eucharistiæ sacramentum pie accedant.*

Septimum, quòd, *Si quæ prouinciæ alijs vltra prædictas laudabiliùs consuetudines vtuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat.*

Octauum, quòd, *Hoc decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die prima publicationis, in eadem parochia factæ numerandos.* Aduertendum circa hæc primò, quòd concilium non annullat omnia matrimonia clandestina, sed solùm illa, quæ fiunt sine præsentia parochi, vel alius sacerdotis facultatem in id ab eo, vel ab ordinario habentis, & sine

sine duobus, vel tribus testibus. Præterea quod ni expresse decernit, de matrimonio contracto in facie ecclesiæ, sine sacerdotis proprij vel alius præsentia. Et quod non valeat, arguet versiculus. Qui aliter. Et contra, quod valeat facit, quod videtur intelligēdus de cōtrahentibus clandestine. Aduertendum secūdò, quod facies Ecclesiæ aliàs dicitur ianua Ecclesiæ, vt in Lusitania, aliàs ipsa Ecclesia, vt in Belgio, a ibi præsentia multorum secundum Maior. in 4. 70. dist. 27. q. 1. vt in bona parte Hispaniæ, & vbi est talis consuetudo ad hoc vt dicatur contrahi in facie ecclesiæ, sufficit præsentia cognatorum, & vicinorū, & idoneus testium numerus, iuxta Panor. communiter receptum in dicto c. cum inhibitio. Nunc autem per prædictum concilium supra proximo relatum videtur contrahi satis in facie Ecclesiæ, si trina denūciatione præmissa, contrahatur coram parocho, vel eius locum tenente: & duobus vel tribus testibus. Tertiò aduertendum quòd si contraheretur coram parocho & testibus non præmissa trina denunciatione, vel non omissa legitimè, valeret quidem matrimonium, sed diceretur clandestinum, quo ad alios effectus, quàm annullationis matrimonij: quia quo ad illos nō videtur derogari iuri antiquo, à quo non est recedendū vltra quam recedit nouū. l. Præcipimus. C. de appellat. Aduertendum, quartò, quòd hodie etiam cum iusta causa non valebit clam sine parocho & testibus cōtractum, licèt antea iustè potuisse contrahi dixerimus hic, sequuti Caiet. in opuscu. tom. 1. tract. 12. quæstio. 2. Id enim videtur sentire concilium, quæ parte facit facultatem Episcopo relaxandi prædictas denunciationes, quando ei videbitur conueniens, non tamen facit ei facultatem remittendi præsentiam parochi & testium. Sed (quod valde notandum est) Pius V. declarauit non esse illos ne cessarios, in cōtrahendo denuo matrimonio, ab iis qui illud publice cum denunciatione sufficiente contraxerunt: sed propter aliquod impedimentum occultum, est nullum, quo sublato oportet vt denuo contrahatur, quod fieri posse, sine vlla parochi & testium præsentia, antequam ad Vrbem veniremus respondimus. Qua declaratione sacrum Pœnitētiariæ Prætorium frequenter vtitur. Aduertendum quinto, quòd licet sufficiens causa relaxandi denunciationes sit, quòd nobilis cum ignobili, diues cū paupere, senex cum adolescentula matrimonium contrahere velit, aut quòd timeat consanguineos, iuxta Palud. in 4. dist. 29. quæst. 2. colum. 4. S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 16. §. 5. non tamen sufficiunt ad hoc, vt Episcopus relaxet sollennitatem adhibendi parochum & testes, vt satis colligitur ex tenore Concilij. Aduertendum sextò, expresse determinari à prædicto Concilio, Episcopum posse dispensare circa prædictas denunciationes, quod antea non fuimus ausi confiteri, nisi in terris, vbi id fieri consueuit.

71 Vigesimotertiò, Peccat M. qui temporibus ab ecclesia prohibitis benedictionem nuptiarum accipit, aut in domum suam sollenniter sponsam traducit. cap. capellanus, de feriis, & c. non oportet. cum trib. seq. 33. q. 4. sed non, si solum sponsalia, vel matrimonium de præsenti contrahit, iuxta glo. recept. in dicto cap. capellanus, per illum text. quia sola benedictio, & traductio solennis prohibetur, iuxta mentem sancti Thomæ & Palud. in 4. distinctione 32. Caietan. in summa verb. Nuptiarum peccata. Sylu. verb. Nuptiarum peccata. Sylue. verb. Matrimonium. 7. q. 2.

Tempora prohibita iure antiquo sunt ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, à septuagesima ad Pascha, & eius octauam, & à tribus Litaniarum, siue rogationum diebus ad septimum diem Pentecostes, d. c. capellanus. Conc. autem Trid. sess. 24. c. 10. de refor. matri. restrinxit hæc tempora, in hæc verba, *Ab aduentu D. N. Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam paschatis inclusiue, antiquæ solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit: In aliis vero temporibus nuptias solenniter celebrari permittit.* Consummare autem matrimonium per copulam absque solennitate nuptiarum, & absque traductione solenni in domum, nullo tempore prohibetur, iuxta Caietan. in summa. verb. Matrimonium quem sequimur: quamuis Paluda. in 4. distin. 32. & Ros. verb. Impedimentum 13. §. 3. & Anto. 3. part. tit. 2. c. 17. & quidam alij sine ratione necessaria teneant peccare, sed solum prima vice.

De impedimento sponsalium, & catechismi.

SVMMARIVM.

71 *Cognatio ex catechismo non dirimit & an restricta Tridenti.*

72 *Lex super metiente trahitur ad mensum, si est eadem ratio.*

72 TErtium impedimētum impediens, sed non dirimens, matrimonium, est quod nascitur ex sponsalibus antea contractis. Omnis enim, qui post contractā sponsalia cum vna, sine iusta causa contrahit cum alia matrimonium, aut sponsalia peccat, M. secundum omnes, & venialiter, sed grauiter, si cum iusta causa id facit ante facultatem ei à iudice concessam, vt supra eod. cap. nu. 27. diximus. Matrimonium tamen contractum valet, quia hoc impedimentum solum est impediens, & non dirimens, vt dictum est supra.

Quartum impedimentum est cognatio spiritualis, nata ex catechismo, cap. per catechismum, de cogn. spirit. lib. 6. Catechismus autem est institutio baptizandi solenniter à sacerdote facta, antequam baptizetur, de articulis nostræ sanctæ fidei catholicæ Rōmanæ credentis. cap. ante baptismum, de consec. distin. 4. Ex qua institutione nascitur cognatio spiritualis inter easdem personas; inter quas ex baptismo, de qua supra eod. cap. num. 36. sed non est tanti effectus: quia hæc impedit matrimonium, & non dirimit. dicto c. per catechismum, illa vero vtrunque facit.

Ad quæstionem autem: An hæc cognatio cēseatur restricta per prædictum Concil. sicut illa quæ nascitur ex baptismo, & confirmatione? Respondeo, affirmatiue arg. gloss.

solen. in cap. non debet. de cons. & affin. quatenus habet per illud cap. fuisse sublata quædam genera publicæ honestatis, eo quòd fuerunt sublata similia genera affinitatis. Ex qua colligit ibi Præpos. vnum, quod mea sententia, vt ibi alias dixi, non colligitur, sed sic aliud nostro proposito conuenientius, quod colligit Domin. in cap. 1. de tempo. ord. lib. 6. col. 3. vers. sed fallit quinto, & Francus. col. 3. vers. fallit quarto. Nempe, quòd cum duo sic se habent, quòd alterum est metiens, alterum mensum, lex corrigens, vel limitans metiens, censetur corrigere vel limitare mensum, si eadem ratio militat in vtroque. At constat, quòd cognatio spiritualis, quæ ex baptismo oritur, metitur eam, quæ ex confirmatione & catechismo nascitur, & ita concilium limitans illam, videtur hanc quoque limitasse.

De impedimento voti simplicis iuramenti, & consuetudinis.

SVMMARIVM.

73 *Votum simplex castitatis non dirimit matrimonium, & quatenus seruandum.*

73 QVintum impedimentũ impediens tantum, est votum simplex Castitatis. Omnis enim qui post votum simplex Castitatis emissum, matrimonium, aut sponsalia contrahit peccat: & si votum esset limitatum ad tempus nondum lapsum, matrimonium tamen valet. c. 2. 27. dist. etiam si vterque vouisset, secundum communem, & etiam gl. in c. si quis votum. 27. q. 1. quidquid ei imponatur, & etiam si cõtraheret animo ingrediendi religionem post contractum, secundum Richar. in 4. distin. 38. Rosel. verb. votum §. 9. & S. Anto. 3. par. tit. 1. c. 16. & Syl. verb. Matrimonium. 7. q. 5. §. 2. Debet tamen seruare votum, qua parte potest sine præiudicio alterius, & ita petere nõ potest debitum post consummatum matrimonium, nisi vt dicitur supra c. 16. nu. 30. nec reddere priusquam consummet, quia ante religionem intrare potest. cap. ex publico. de conuer. coniug. nec matrimonium mortua prima vxore denuo contrahere potest, iuxta S. Thom. & communem in 4. distin. 38. & Archid. in cap. de eo. 30. quæst. 1. etiam iurasset contrahere: quia tale iuramentum non liberat à voto, immo per illud redditur illicitum, & non seruandum. cap. non obligatorium. de reg. iur. lib. 6.

Peccat item, qui matrimonium cum ea, quam castitatem vouisse sciebat, contrahit, iuxta glos. sing. in c. non nouimus. 17. quæst. 2. matrimonium tamen valet.

An autem peccet, qui interrogatus ab eo, qui votum simplex castitatis emisit, an vaseret matrimonium si contraheret illud? respondit valere, dubium est: nam Host. tenet quod sic, & aliqui alij quòd non, sed conciliari possunt, dicendo opinionem Host. intelligi, quando tali personæ, & tali tempore, loco, & modo respondetur, vt voti violandi occasio detur, & contrariam, quando tali & tali modo respondetur, quod nulla talis occasio datur: quãuis eam ille ex bono responso arripiat, vt recte sentit Syl. verb. Matrimonium. 7. q. 5. §. 9. Idem, quod dictum est de voto, videtur dicendum de iuramento, arg. cap. debitores. de iureiur. & de consuetudine, quæ induceret simile impedimentum, ex mente gloss. cap. super eo. de cogn. spirit. Cuius exemplũ de filiis duorum compatrum antea hic positum omitto, quia sublatum est hodie per Concilium Tridentinum relatum supra eod.

80 *Matrimonio sufficit consensus diuerso tempore sic datus.*

81 *Matrimonij contractus in excommunicatione, vel mortali, est peccatum, sed valet.*

82 *Matrimonij vsum impedit scientia nullitatis eius supernenies.*

83 *Matrimonij impedimentum non denuncians, vt peccat, & vt id facere debeat.*

83 *Consuetudo etiam circa sacramentalia induci potest.*

83 *Iulius Anton. Sanctorius Cardinalis S. Seuerinæ laudatus.*

83 *Benedictio nubentium quibus danda, & an præmittenda copula.*

83 *Nuptiæ primæ benedicendæ, secundæ non item.*

De reliquis impedimentis non dirimentibus.

SVMMARIVM.

74 *Matrimonium impediunt, sed non dirimunt septem delicta, & quæ sint illa.*

74 *Vxoricidium, & matricidium impediunt matrimonium.*

74 *Pœna vnius correlatiui extenditur ad aliud si eadem est ratio.*

74 *Raptus, vt impedit matrimonium.*

74 *Filij proprij susceptio, quæ impedit matrimonium.*

74 *Presbytericidium vt impedit matrimonium.*

74 *Pœnitentia solennis vt impedit matrimonium.*

74 *Incestus tam cum cognata, quam affini impedit matrimonium, sed Episcopus dispensat. & 75.*

76 *Matrimonium ficte contractum, nullum coram Deo, & quo validatur, & quo creditur deceptio.*

77 *Matrimonium secundum contrahens, decepta quid agere debeat.*

78 *Protestatio contraria facto inualida, & quæ noceat matrimonio.*

79 *Matrimonij contractus, qui ob finem malum mortalis, vel venialis.*

74 SExtum impedimentum non dirimens est incestus. cap. 1. & 2. & cap. transmissæ, de eo qui cogn. consang. vxo. suæ, de quo latius dicetur infra nu. 75. Septimum vxoricidium. c. admonere. 33. q. 2. & quamuis Syl. dicat nullo iure probari idẽ esse de (vt ita dicam) mariticidio, sequimur tamen Palud. qui oppositum affirmat, dicta dist. 34.

Non obstat, quod pœna non debet extendi vltra suum casum cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1. quoniam fallit in illis correlatiuis, in quibus eadem ratio idem suadet, secundum Pan. in procem. Grego. & alios citatos ibi per Felin. ita hoc resoluentem, eadem, imò maior ratio suadet idẽ in vxore, quod in marito, quod etiam Sotus in distin. 37. tenet, licet huic argumento non respondeat. Octauum impedimentum est, raptus sponsæ alterius. cap. statutum. 27. quæst. 2. quod tamen per Concilium Trident. sess. 24. cap. 6. factum

est dirimens, quamdiu rapta in potestatem raptoris manserit, in hæc verba. *Decreuit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum esse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illam in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat, nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, etsi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.* Nonum proprij filij de fonte susceptio, animo ne vxor debitum exigere à se possit. ca. de eo. 30. quæst. 1. Decimum est Presbyteri cidium dicto cap. qui presbyterum, de pœnit. & remiss. Quamuis Panor. vbi supra dicat, id locum non habere, quousque in iudicio conuincatur. Vndecimum impedimentum est pœnitentia solennis iniuncta, & facta cap. de his. cap. antiqui. 33. quæst. 2. Duodecimum matrimonium scienter cum moniali contracto cap. si ergo. qui 27. quæst. 1. Quoniam vero super impedimento incestus magna fuit disputatio in sacræ Pœnitent. prætorio, quum ei summa prudentia, miraque dexteritate tanquam summus Pœnitentiarius præsidebat Cardinalis Alciatus Illustrissimus, idemque omniiuga disciplinarum encyclopædia clarissimus, An omnis incestus hoc impedimentum pareret. His quæ alias hic dixi, substituo primum. Plerosque omnes iuris diuini, & humani peritos stricte ac proprie appellare incestum solum coitum cum consanguinea, vel affine in gradu prohibito, vt in rub. C. de Incest. nupt. & aliis locis infra citandis. Secundum inter omnes conuenire, ex omni incestu oriri impedimentum affinitatis impediens, & dirimens. Tertium inter omnes etiam conuenire ex incestu cum affine, durante matrimonio, admisso oriri impedimentum impediens matrimoniũ contrahendum cum quacunque alia, per c. 1. & 2. & c. transmissæ. de eo qui cogn. consang. vxor. Quartum plerosque omnes Theologos tenere ex incestu cum consanguinea oriri quidem impedimentum affinitatis, nullum tamen aliud siue ante, siue post matrimonium cõtractum admittatur, in quibus est S. Thomas in 4. distin. 34. quæst 1. art. fin. communiter recept. & Sot. distin. 37. artic. 2. sub fin. S. Anto. 3. part. c. 16. §. 4. tit. 1. Syl. verb. Matrimonium 7. Impedimento vlt. quos etiam sequitur Couarruuias in epit. 4. cap. 6. in princ. num. 4. Tum quia videtur eis nullo iure id cauerí, cum prædicta tria capitula solum agant de incestu cum affine. Tum quia, vt ait Rich. non videtur hoc inductum ob grauitatem criminis, sed ob iniuriam, quæ fit matrimonio per coitum cum cognata coniugis.

Contrarium vero tenent plerique omnes canonistæ cum Pan. & Præpos. in dict. c. 1. & 2. de eo, qui cogn. consang. vxor. quos hic ego sequutus fui cum Angel. verb. Incestu. §. 5. Tum quia, vt ibi dixi, id stylus curiæ seruat, dum dispensando, vt consanguinei,

sanguinei, qui se incestu polluerunt, contrahant inter se matrimonium, apponit clausulam, vt superstes sine spe coniugij maneat. Tum quod cap. si duo. 35. quæst. 6. habet consanguineos matrimonio iunctos separari debere, & posse cum aliis contrahere, si inuenes sunt: significando, vt ait gl. indigere dispensatione, si scienter se coniunxerunt, quæ tamen propter iuuētutem dari potest.

75 Tum quod, cap. fin. 35. quæst. 8. de consanguineis cõcubinariis, ait, si alter eorum morte præuētus fuerit, alter, quandiu viuit grauiter pœniteat, & sine spe coniugij maneat. Tum per cap. de incestis. 35. quæst. 3 ibi. *Incestuosos nullo nomine coniugij deputandos*: Tum quia ratio, quæ ex contextu multorum cap. 35 causæ, colligitur, quare multo plus insistitur in eis ad declarandum incestuosum cum affine non debere contrahere, quam incestuosum cum cõsanguinea, videtur esse, quia de illo plus poterat dubitari, quam de hoc. Tum quia ratio prædicta Richar. est infirma, cum incestus cum affine, nullo præcedente matrimonio, idem faciat. Nam cap. si quis cum duabus. 33. quæst. 2. habet, quod cum duabus sororibus fornicatus non debet contrahere etiam cum alia, nisi quædam concurrant, ob quæ dispensetur, vt ibi ait gloss. Tum per cap. si quis cum matre & filia. 35. quæst. 3. Tum per cap. qui propinquam. ead. cau. & quæst. In quo Papa Fabianus ait: *Qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, & separantur, non licebit eis quamdiu viuunt alias vxores filis in coniugio sociare.*

Super hoc autem impedimento dispensare potest, & debet Episcopus, si timeatur incontinentia. cap. antiqui. cap. in adolescentia. 33. q. 2. & cap. ex literis. 1. de eo, qui cogn. consang. vxo. & iuxta Palud. in 4. distin. 34. quæst. 1. col. 3. & S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 4. quos sequimur contra Panor. & Præp. tenentes in dicto c. 1. Episcopum nõ dispensare in incestu cum consanguinea, sed cum affine. Tum quia plurimi tenent, vt diximus proxime, incestum cum coguata nullũ inducere impedimentum. Tum quia iuribus prædictis permittitur dispensatio simpliciter. Quin addimus, stante consuetudine, quod ob nullum incestũ dispensatio petatur, quando incontinentia timetur, etiam Episcopi dispensationem non esse necessariam, secũdum Palud. S. Anto. & cõmunem vbi supra, quidquid alij dicant. Immo addit Palud. vbi supra col. 4. hoc consuetudine seruari, cui credimus, ideo quod nunquam vidimus, neq; audiuimus vllum incestuosum petere dispensationem à Papa, vel Episcopo, nisi ad contrahendum cum ea, cum qua incestum commisit, vel eius consanguinea ob affinitatem inde ortam, quam si S. D. N. sciret, iuberet forte, ne in dispensationibus cum incestuosis apponeretur prædicta clausula, vt superstes. &c. An autem idem possit facere Episcopus in impedimento ex aliis delictis orto, dicitur infra nu. 85.

76 De contrahente autem animo ficto, vel inordinato, vel contra censuras, & irreuerentiam sacramenti dicendum primo peccare illum, qui contrahit matrimonium, aut spon-

salia ficte sine animo vere contrahendi, & non efficere quo ad Deum, & forum conscientiæ matrimoniũ, quamuis copula sequatur, si postea verè in eam non consensit, licet quo ad ecclesiam sit præsumptum secundum iura antiqua cap. is qui. cap. tua, de sponſ. & communis ibi, quam Syl. verb. matrimoniũ 4. quæſt. 8. declarat. Sed non secũdum ius nouum Concilij Triden. ex quo colligitur sponsalia non transire in matrimonium per solam copulam, vt dictum est supra eo. cap. nu. 25. & 28. Secundo dico, quod ad validandum tale matrimonium fictum non sufficeret cohabitatio cum ea tamquam propria vxore, etiam si crederet sufficere propter confessarij, vel alterius auctoritatem, nisi coiret aut cohabitaret animo denuo contrahẽdi cum illa, vt recte probat Syl. vbi supra. q. 10. Quia per talem cohabitationem, & copulam non vult denuo matrimonium contrahere, sed vti antea contracto. Quæ limitatio Siluestri, licet iuridica sit secundum antiqua iura prędicta: non tamen secundum ius nouum Concilij Trid. vt pro-
77 xime dictum est. Tertio quod ex hoc sequitur, quòd valeret matrimonium cum alia secundò contractum, antequam primum nouo consensu vtriusque confirmaretur, & consequenter cum secunda cohabitare deberet, si absque scandalo posset, Ang. vbi supra §. 15. & Syl. vbi supra quæst. 8. tamen obligatur sub pœna mortalis cõfirmare primum, antequam cum secunda contrahat. Mai. in 4. distin. 27. q. 1. quia tenetur verificare verba, quibus eam decepit, nisi tanta sit inæqualitas, vt illa præsumere debeat, causa decipiendi eam, illum verba contractus dixisse. Quo casu tamen tenetur restituere damnum famæ, honoris, vel rei familiaris, quod illa ex talibus pateretur, secundum S. Thom. in 4. distin. 28. vbi Palud. quæst. 1. Pro quibus faciunt. cap. 1. & 2. de adult. cum eis annot. Porro, ita decepta alteri nubere non potest, nisi quando probabiliter iudicio prudentis, & boni viri crederet, cum qui decepit, verum dicere, asserendo se nõ habuisse animum contrahendi cum illa, sed tantum decipiendi. Vir bonus autem, & prudens id arbitrabitur, si statim post contractum id ei declarauit, & cum alia contraxit, aut religionem professus est. Et idem, si non statim id declarasset, postea tamen iuramẽto id firmat, & est alioqui fide dignus, & sæpe vel saltem semel in anno confitetur, communicat, & bonorum consuetudine vtitur, aut si sint adeo dispares, vt non sit verisimile illum matrimonium cum illa vere contrahere voluisse, aut si sint alia eiusmodi indicia, & ille duxerit aliam, vel profiteatur religionem: alioqui enim non est tutum ei alteri nubere, quoniam sæpe diuites, & nobiles ob egregiam formam, & honestatem, & alios fines matrimonium cũ fœminis plebeis, & tenuis conditionis vere contrahunt. Quæ colliguntur ex Ros. verb. matrimonium 4. §. 3. & Siluest. verb. matrimonium 4. q. 9. Quibus addimus ordinis sacri susceptionem paris esse coniecturæ, quo ad hoc, cuius est matrimonium secundum, aut religionis professio argum. c. 1. de vot. lib. 6. & tradit Adrian. in 4. quæst.

quæst. 4 colum. 5. de matrimo.

77 Sexto dicimus quòd si illa cum secundo contraxerit, ante vllam rationem credendi se fuisse deceptã, non debet, nec potest secundo debitum reddere, aut petere, si autem rationem iudicio viri boni & prudentis satis probabilẽ ad id credendum habuerit, poterit petere & reddere. At si eiusmodi rationem credendi nacta fuerit, quæ non sufficiat ad credendũ in fauorem suum, sed ad euitandum præiudicium mariti sic, reddere debet, & non exigere, argum. cap. inquisitioni de sentent. excommu. & cap. dominus. de secun. nupt. cum concordia illorum nostra relata supra eod. cap. nume. 54. & 55.

78 Septimò quod peccat, qui ficte cõtrahit matrimonium cum aliqua legitimis verbis, protestatus prius, sine iusta causa per nulla verba quæ dicere esse sibi animum contrahendi cum ea, quamuis eam carnaliter cognosceret, & in foro exteriori pro matrimonio iudicaretur. iuxta glo. recept. cap. tua de sponſ. Quia illa protestatio, quæ facto contraria est, nil prodest. cap. cum M. & ei annot. per omnes, de constit. Dixi, *Sine iusta causa*: quia si facit iusta de causa, puta ad scandalum aliquod notabile vitandum, non peccat, neque iudicaretur matrimonium in foro exteriori propter defectum consensus, secundum omnes. arg. cap. 1. de his quæ vi, met. ve caus.

79 Octauo dico peccare, qui matrimonium ob finẽ mortaliter malum cõtrahit, puta ad liberius adulterandum, occidendum, &c. secundum omnes. quia quam malus est finis actus, tam malus est ille. c. cum minister. 23. q. 5. vbi latè nuper hoc tractauimus. Sit ideo non est plusquam veniale contrahere matrimonium ob finem solum venialiter malum. Nec contrahere principaliter propter carnis delectationem, aut pulchritudinem, aut diuitias, aut ob alium finem, qui de se non est mortalis, est mortale: est tamen veniale, quia illa non possunt esse finis aptus matrimonij: & omnis actus directus in finem malum, vel principaliter in finem ineptum, est saltem venialis, vt in d. cap. cum minister, num. 30. probauimus. Nec contra sentiat Palud. in 4. distinct. 31. quæst. 3. quidquid dicat Ang. vt rectè ait Syl. verb. matrimonium. 4. quæst. 4. Contrahere verò minus principaliter ob aliquod trium prædictorũ, vel ob aliud temporale, modo principaliter contrahatur propter Deũ, vel quia est licitum, & honestũ, nullum est peccatum, per ibidẽ scripta.

Nono dicendum, quòd quando de voluntate contrahentium constat, non refert quo ad Deum, & forum conscientię, quibus verbis contrahẽtes vtãtur: quia si fuerit vtriusque voluntas contrahendi de præsenti, sit matrimonium, si verò de futuro, sponsalia tantum, argum. cap. intelligentia. de verb. signi. cap. tua. de sponſ. & cap. humanæ aures. 22. quæstio. 5.

80 Decimo quod, quamuis conueniret, vt amborum consensus simul eodem loco, & tempore cõcurreret, non est tamen necessariũ, quidquid dicat Pan. in cap. dilectus. de sponſ. suffiçit enim vt altera pars prius

& in alio loco consentiat, & postea quouis temporis interuallo interiecto, altera alibi assentiat, modo prior in suo consensu perduret, iuxta Host. & Io. And. cap. ex literis de spons. Quo fit vt si altera pars vere consentium præberet, altera autem falsè, quę post 10. 20. vel plures dies, & menses vere assentiret, permanẽte altera in suo consensu, verum matrimonium fieret. Consensus autem prioris tamdiu dicitur durare, quãdiu non recedit ab eo, Mai. in 4. dist. 27. quæst. 1. Dixi, *Legitimè*, quia si aliquod impedimentum subesset, quo consensus præstitus redderetur illegitimus, oporteret vt impedimento sublato, denuo ambo consentirent, perinde ac si nullo vnquam tempore contraxissent, per dicta supra eo. cap. nu. 47.

81 Vndecimo dicendum peccare illum, qui excommunicatus excommunicatione maiori, aut minori, vel infectus peccato mortali, ante illius detestationem matrimoninm contrahit, quia omnis excommunicatus etiam minori excommunicatione, à percipiendo sacramẽto prohibetur. c. si celebrat. de cler. excom. minist. & etiam mortali peccato infectus ante pœnitentiam cap. illud 95. dist. vt sup. eo. cap. nu. 2. dictum est, Ang. verb. matrimonium. 2. §. 7. Valet tamen matrimonium. cap. significasti. de eo, qui dux. in mat. Quare qui credit, aut probabiliter dubitat de excommunicatione, priusquam cõtrahat, quærat absolutionem, Caieta. in summa verb. matrimonium.

82 Duodecimo dicendum peccare illum, qui post cõtractum matrimonium, sciens illud non valuisse, habet rem cum cõiuge, arg. c. per tuas. 2. de sym. & eorum, quæ latius diximus in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. nu. 98. cum seq. Si autem dubitat, perpendẽdæ sunt rationes dubitandi, nam possunt esse tantę, vt credere teneatur, & perinde se debeat habere ac si sciret: & tam paruæ, vt ad nullum effectum credere debeat, & tam mediocres, vt credere debeat ad effectum non exigendi, & non ad effectum non reddendi, iuxta dicta in dict. cap. si quis autem. & supra eo. c. nu 54. & seq.

Decimotertio quod non tenetur ad credendum subesse impedimentum, eo quod vnus testis etiam fide dignus & iuratus, & amicus, & proprius parochus id ei assereret, quia licet dictum vnius fide digni sufficiat, vt iustè credere possit secũdum glo. sing. in l. Titio fundus. ff. de condit. & demon. non tamen sufficit ad inducendum necessitatem credẽdi, ad id enim oportet esse duos, iuxta. cap. cum à nobis, de testi. Minus tenetur credere coniugi etiam cum iuramento affirmanti, se numquam in illa consensisse, arg. cap per tuas. de probat. quando cum illa contraxit. & præsumere potest mentiri nũc eum, qui se tunc mendicum fatetur. Si tamen leuiter credit, nec petere, nec reddere debitum potest, durante illa credulitate, quam tamen leuiter conceptam, leuiter deponere potest, reuocante coniuge suũ dictum, vel habito illo pro mendacio, pro quali haberet ecclesia, vel ob alia indicia, iuxta mentem Richardi in 4. distinctio. 27. artic. 1. quæstio. 4. Angel. verb. matrimonium 2. §. 14. Syl. verb. matrimonium. 4. q. 2.

83 De

83 Decimoquarto, qui iussus sub pœna excommunicationis, non denunciat impedimentum, quod scit subesse inter volentes contrahere, argum. cap. 2. de maior. & obed. Modus autem denũciandi impedimentum saltem occultum, quod ex peccato nascitur, est, vt prius de illo secreto impedimento moneat, vt ab illo matrimonio desistat, & si noluerit desistere, denunciet superiori, aut alteri, qui impedire potest, quamuis probare non possit. Quia ad impediendum matrimonium nondũ contractum testimonium vnius solius sufficit. cap. præterea. 2. de spons. vt diximus in cap. sacerdos. num. 27. de pœni. dist. 6. contra Maio. in 4. distin. 21. sed si satis intelligit ex sua denũciatione magnum scãdalum sequuturum, quamuis probare possit, ad denunciandum non tenetur, iuxta Adrian. in 4. de confess. q. 5. dub. 7. vt latius diximus in repe. cap. inter verba. 11. q. 3.

Decimo quinto quod quãdo vnus solus siue sit proprius sacerdos, siue alius quilibet, scit aliquos iustè ob iustam ignorantiam impedimenti coniugatos, neutri parti dicere debet, etiam si ei fides sit habenda. Tũ quia ex eo nullum commodum sequitur, & magnum incommodum sequi potest, cum illi non peccent, & fortassis alteruter eorum hoc rescito, vellet se eum scandalo alterius separare. Tum quia nemo tenetur alium suum errorẽ admonere, quãdo est error facti, vel iuris humani, quod regulariter à vulgo ignoratur, & nullum tertij præiudicium redundat arg. not. in §. notandum. 1. q. 4. & in c. Ignorantia. de reg. iur. lib. 6. & eorum quę trad. Adrian. in 4. de confess. q. 5. dub. 7. col. 3. & nos in d. Si quis. de Pœni. dist. 7. à nu. 66. monstrando veritatem intellectus Inno. contra communem. cap. quia circa. de consang. & affinit.

De Benedictione nuptiarum.

De benedictione nuptiarum dicendum primo, peccare illum, qui benedicit secundas nuptias sollemni benedictione sacerdotali, quæ intra missam fit, vel qui suscipit illam credens, vel credere debẽs, non debere benedici, per c. primũ. & vlt. de secund. nupt. Secundo dico decerpsisse me quædam de hac re ex patergo quodam notabili, quod communicauit mihi Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Iulius Antonius Sãctorius, tit. S. Bartholomæi in Insula sanctæ Seuerinæ vulgo nuncupatus, libertate animi, eruditione, omnigenaque virtute, præsertim iustitia, constantia, zelo fidei, & sanctæ Sed. Apost. omnibus clarissimus, mihi verò cum multis aliis nominibus, tum eriã quod magna pars fuerit, vt huius Enchiridij siue Manualis traductionẽ ipse facerẽ, qua ignominiæ, (quam alij nomini meo inussissent,) obuiarem, obseruandiss. Quorum primũ est, nuptias primas benedicendas. c. nostrates, & c. sponsus. 30. q. 5. vnde Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. matrim. hortatur contrahẽtes matrimonium, ad benedictionem suscipiendam ante consummationem, vbi ponderandum est, quòd hortatur, & non præcipit, per quod significat id esse de consilio, & ita non esse peccatum ante illam con-

Universidad de Deusto Biblioteca

summare, etiam prima vice, nec exigendo nec reddendo, nec vbi est consuetudo benedicendi, nec vbi non est. Tum per rationes Caiet. 1. Tom. tract. 13. Tum per §. si prædicti. c. nostrates, qui expresse habet id nõ esse peccatum, significans nec veniale quidem esse, quidquid Caiet. absque necessaria ratione ibi dicat, modo id fiat, sine contemptu. Omissio enim cum illo etiam mortalis esset, qualis est omissio cuiuslibet consilij euangelici, iuxta gl. sing. cap. quis autem, 10. distin. Secundum, iure communi nullas secũdas nuptias esse benedicẽdas. c. 1. & c. vir, de secun. nup. cuius ratio non est illa quam dat gl. illius, scilicet quòd sacramentum non debet iterari. Tũ quia hæc benedictio est quid sacramentale. & non sacramẽtum per dicta supra eo. nu. 1. & 2. Tũ quia sacramenta non imprimẽtia characterẽ iterabilia sunt, vt ibi dem dicitur, nam & matrimonium, quod vere sacramentũ est, iteratur c. aperiãt. 31. q. 1. & etiam extrema vnctio, quam verum sacramentũ esse definit Conc. Trid. relatũ supra eo. nu. 15. in quo gl. c. quidquid. 1. q. 1. relata supra eo, nu. 10. & per Panor. in rub. de sponsa. & vbique dãnata errauit, quatenus dixit in matrimonio nõ cõferri gratiam. Est autem ratio solida, quã sensit Mag. post Ambros. in d. dist. 42. §. fi. quòd ecclesia vetuit benedictionẽ hanc super vllã personã reiterari: & quãuis alij alias rationes, cur id vetuerit tradãt, nobis solidior videtur esse illa, quod dedecere videtur, vt benedictiones solẽnes rerum & personarũ, quales sunt consecratio Ecclesiæ, altaris, virginum, catechismus, exorcismus, ordinum, & aliæ similes iterentur, ne vilipendantur. Ex quo infertur, quod quidquid inuoluãt aliqui, nunquam iure cõmuni scripto, secundę nuptię contractæ ab vtraque parte, vel altera prius benedicta, sunt benedicendæ per tex. irrefragabilẽ in d. c. vir. Tum quia si benedicerentur secundæ, reiteraretur benedictio super vtrãque vel super alteram. Nõ obstat opinio S. Tho. in 4. dist. 42. recepta per eius scholę viros doctissimos ibi & alibi, excepto tamẽ Soto, quo forte ne cõtradiceret S. Thomæ, id ibi non tegit: qui debet reduci ad terminos gl. prædictæ, id est, quod habeat locum, vbi est consuetudo. Per eam enim induci potest, vt nõ solũ cum virgo nubit viduo, quo casu ille loquitur, sed etiam cum virgo ducit viduam, vel cum vidua nubit viduo benedicatur vel reiteretur benedictio, licèt rationabilior sit consuetudo in primo membro quam in secundo, & in secundo quã in tertio: quia hæc prohibitio iuris humani est, & sicut per legem ita, per cõsuetudinem cõtrariam tolli potest. l. de quibus ff. de leg. c. fi. de consuet. Nec obstat dicere, quod cõsuetudo in sacramentalibus non valet, quia quidquid dubiter Roch. cũ citatis ab eo in c. fi. de consuet. contrarium est verũ, & probatur irrefragabiliter per c. de trina. iuncta glo. de cons. dist. 4. immo & c. 2. de temp. ord. ibi, *nisi consuetudo antiqua*. & glo. eiusdem: licèt aliqui, tam illum, quam illã incaute pro contraria parte citent, & supra eo. c. nu. 15. dictum est consuetudinẽ, qua aliis verbis alibi extrema vnctio ministratur, esse seruãdam, sicut & aliis verbis à Græcis, & aliis à Latinis baptismus ministratur, & alibi aliis verbis matrimonium per sacerdotes celebratur: & in ordinibus conferendis aliud alibi habet consuetudo extra substantialia. Infertur etiam, quod contrahentes primas nuptias, & ante benedictionem susceptam iterum contrahentes, debent benedici, quia ratio iterationis in eis cessat.

Dispensare super impedimentis matrimonij quis possit.

SVMMARIVM.

84 *Matrimonij omne fere impedimentum legis humanæ, & cur Papa semper non tollit.*

85 *Matrimonij omnia impedimenta non dirimentia tollit Episcopus.*

85 *Impedimenta dirimentia an tollat consuetudo.*

85 *Matrimonium clandestinum de licentia Episcopi hodie contrahitur.*

86 *Matrimonium impedimento sublato denuo contrahendum.*

96 *Dispensatio difficilius datur in contracto scienter, quam ad contrahendum.*

86 *Gratiam quæ taciturnitas annullat, & quæ expressio.*

87 *Dispensatio danda gratis cum aliqua trium causarum, alias non, nec cum ea in 2. nisi cum Principibus.*

84 PRimò dicendum, quod Papa in omnibus impedimẽtis matrimonij iure humano inductis dispensare potest, arg. c. cũcta per mũdum. 9. q. 3. & c. proposuit. de concess. preb. qualia sunt omnia prędicta impedimenta, tam dirimentia, quã non dirimentia, excepto impedimento consanguinitatis inter ascendentes, & descendentes: & impedimẽto erroris, & iudicij, quod defectum cõsensus legitimi inducit, quẽ supplere Papa non potest, quippe qui est iuris naturalis, & diuini, vt resoluimus in c. literas. de rest. spol. post illum glorioſum martyrem & Episcopũ Ioan. Roffensem in consilio pro Regina Angliæ, quo defendit illam religione Christiana glorioſissimã Angliæ Reginam D. Catherinam incomparabilem, incomparabilis Caroli V. amitam: & post alios antiquos, & recẽtiores, quos ad hoc ille copioſe adducit. Tum quia licet Leuitici 18. aliquot impedimẽta lege diuina iudiciali, aut cæremoniali introducta fuerint, quia tamen illa non erat naturalis, cessauit à Christo passo, ad quem vsque durabat. 6. dist. § si. & c. 1. de purific post part. & ita sub lege gratiæ non ligat, vt diuina, sed vt humana renouata per sacros canones. Tum quia ratio naturalis, quæ inerat ei, ob quam conueniebat eam statui, non erat tanta, quæ sola sine vlla constitutione positiua diuina, vel humana obligaret, & ita non constituebat ius naturale, vt fusius declarauimus in rep. c. ad hæc. nor. 1. de præb. in quã cõclusionem omnes ferè orbis Christiani Academiæ cõuenerunt, in casu prædictæ Reginæ.

Verum tamen est, quòd Papa non solet dispẽsare in gradibus prohibitis, d. cap. 18 Leuit. nisi grauissima de causa, non quia non potest, sed quia non expedit. In quam cõclusionem conflandum est, quidquid quamplurimi

plurimi in plurimis locis ordinariis & extraordinariis scripserunt, vt in d. cap. literas, demonstrauimus. licet enim Papa dispensare possit super prædictis omnibus impedimentis, super matrimonio tamen legitimè contracto & consummato non potest, iuxta illud Matt. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, relatum in cap. gaudemus. de diuor. Contractum autem, & consummatum inter infideles quomodo diuidatur, vel diuidi possit, dictum est supra eod. cap. nu. 21. & 49. Non autem dicitur consummatum per copulam præcedentem illud, sed per subsequētem: & idcirco antequam sequatur, religionem ingredi potest cap. verum. 85 de conuers. coniug. De matrimonio autem, quod præsumebatur olim per copulam consequutam sponsalia, nihil dicimus hic: quia iure nouo Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. per solam copulā nō trāseunt sponsalia in matrimonium, vt sæpe dictum est, præsertim supra eodem cap. nu. 25. & 28. & infra dicetur c. 25. num. 144. Secundo dicendum quod Episcopus dispensare potest in impedimento a se, aut ab inferiori suo inducto, si quod tale inueniretur: immò etiam in impedimento incestus, vt supra eod. num. 75. diximus, Immò & in omnibus aliis impedimentis, quæ impediunt & non dirimunt, iuxta mentem Palud. in 4. dist. 28. quæst. 2. & S. Antō. 3. par. tit. 1. c. 16. §. 4. exceptis votis castitatis, & religionis, in quibus etiam ipse Papa non sine magna difficultate, & causa dispensat. Et licet stricto iure communi, contrarium defendi posset, eo quòd inferior legem superioris nec tollere, nec moderari potest cap. inferior 21. dist. elem. ne Romani. de elect. & non videtur id concessum, nisi quo ad impedimētum incestus, sequor tamen eos. Tum quia ex quadam æquitate, & rationis paritate hæc concessio extendi potest ad illa. Tum quia videtur, quod consuetudo non tantum id habeat, sed quod etiam nec a Papa nec ab Episcopo petatur dispensatio, quando cum illo impedimento aliud dirimens non concurrit: nondum enim adhuc in tanta ætate vidi, vel audiui id fieri. Votum autem de nubendo non censetur votum castitatis, vt tenuimus supra cap. 12. num. 56. & ita seruat sacræ Pœnitentiariæ Prætorium, quidquid dicat Caiet. ibi citat. & ita in eo potest Episcopus dispensare, vt in prædicto Prætorio aliquando responsum est.

Dubium antē, an Episcopus possit dispensare super matrimonio clandestinè contrahendo, quod consuetudo ferè vbique habebat, sublatum est per prædictum Concilium supra relatum, quod expresse id concedit. Tertio dicendum, quod Episcopus non potest dispensare in aliquo impedimento, quod impedit, & dirimit, secundum omnes, nisi quando impedimentum occultum est, matrimonium publicum, & separatio magno scandalo foret, & ad Papam aut eius Nuntium potestatem ad id habentem confugi non potest propter magnam pauperratem, aut alia legitima impedimenta, vt affirmant Ang. & Sylues. Quorum dictum primi eulgauimus Salmanticæ & propter quorum sententiam demōstratam, sed non approbatam, neque reprobatam

reprobatam a nobis, nonnulli Episcopi aliquoties dispēsarunt, quam tamen tandem approbauimus per argumenta neruosa in cap. at si. §. de adult. de iudic. sequuti Ioan. de 86 Lign. & Pan. Quarto dicendum quod matrimonium quod est ob aliquod impedimentum nullum, nō incipit valere propter dispensationem Papæ superuenientem, etiam cohabitione, & copula subsequente: quia Papa non potest supplere consensum iure naturæ requisitum, vt tradit Panor. post Ioan. Andr. per c. ex nouo. qui filij sint leg. & ideo necessum est vt denuo contrahatur: quod tamen clam contrahi potest modo tradito supra eodem, num. 47. Quinto dicendum est, quod licet olim facilius dispēsabatur cum impeditis, qui iam etiam scienter contraxerunt, & consummarunt matrimonium: hodie tamen iure Concil. Trid. sess. 24 cap. 5. de reform. matr. difficilius dispensatur: Cuius ea de re verb. sunt. *Si quis intra gradus prohibites scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Idque in eo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem sollicitatur pœnis: & infra, si vero solennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea fuisse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.* Ex quibus colligitur, quod cōsummatio illiciti matrimonij, quæ olim inclinabat Papam ad dispensandum, hodie retrahit, quia omnis expressio falsi mouentis Principē ad gratiam concedendam, nocet, non autem, quælibet taciturnitas veri idem facientis, sed solum ea, quæ tacet verum, quod iura iubent exprimi, secundum Rot. in nouel. decis. 32. de reseri. nu. 5. & Bellam. decis. 698. Feli. vbi supra. pro quo facit optime lex 2. C. de episcop. audien. cui adde idē videri dicendum de tacente ita verum, quod æquipollenter exprimit falsum: quia de æquipollentibus idē est iudicium. l. si. ff. man. Qua de re posuimus exemplum in prælect. c. si quando, de reser. excep. 4. de Monacho monito a Bācharo, quod Papa non concedet ei gratiam transeundi ad regulam laxiorem, nisi nouerit eum habitu omisso apostatare: qui dimisso eo vno vel altero die, se præsentat Banchario, quo informet Papā de eius apostasia, vt moueatur, ad concedendam ei illam gratiam. Is enim licet expresse non exprimat falsum, tacite tamen sic, subindicando, quòd non dimisit habitum, vt impetraret illam, sed ob alias causas, quibus multi temere dimittunt. Et qui impetrat dispensationem contrahendi cum cognata, cum qua rem habuit, tacito incestu, videtur æquipollenter tacite dicere, quod non commisit illum, & ita æquipollenter exprimit falsum, & consequenter gratia efficitur nulla. 87 Sexto dicendum, quòd prædictum Concilium vbi supra præter prædicta statuit alia, in hæc verba. *In contrahendis matrimonijs vel nulla omnino detur dispensatio, vel rara, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi*

nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

Septimo dicendum, quòd solas tres causas habet curia pro iustis, ad dispensandum etiam in quarto gradu, quæ sunt defectus dotis competentis, extinctio magnæ litis: & quod maior pars sibi pariunt suæ ciuitatis, vel loci insignis, quem inhabitat, sunt ei consanguinei, vel affines intra quartum gradū: vel si est alius locus minor, si ipsa non habeat sufficientem dotem ad nubendum extra illum. Dubium tamen est, an sufficiat defectus doris competentis ad contrahendum cum illo qui eam poscit: an vero requiratur defectus ad contrahendum cum quolibet sibi pari, & videtur sufficere. Tum quia beneficium dicitur incompetens vni, licèt aliis multis sit competens. cap. cum adeo, iuncta gloss. de rescrip. Et non omnis dignus beneficio in genere, est dignus hoc, vel illo, vt sentit vterque Thom. 2. sec. quæst. 63. artic. 2. Et pretium, quod communiter est iustum in vna prouincia, vel vno anno vnius rei, non est iustum eiusdem in aliquo particulariloco, vel mense, eiusdem prouinciæ, vel anni, vt dicetur infra cap. seq. nu. 78.

De superbia, & Septem peccatis Capitalibus, Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Virtus, vitium, & habitus quid & quotuplex.*
2 *Actus bonus, & malus tripliciter, & quid bonus siue ordinatus simpliciter, & quare nullus in individuo indifferens. & quis ordinatus.*
2 *Virtutes in medio vitiorum, ideoque illo duplo pauciores.*
3 *Vitia capitalia, è quibus non est superbia, septem hoc verbo signata. num. 4.*

1 TRactaturi de septē capitalibus vitiis & actibus eorum, meminerimus primò, vt supra in præludio quinto dictum est, q̄ aliud est habitus, aliud actus siue actio, & operatio: & q̄ habitus est qualitas mētis, moues eā ad actus similes illis, ex quibus productus est: & q̄ est duplex, bonus, qui est virtus, & mouet ad bonos actus, & malus, qui est vitiū, & mouet ad malos. Et ex præludio 6. quòd actus est duplex, vnus indeliberatus, & inuoluntarius, qui neque est bonus neque malus, alius volūtarius & deliberatus, qui est triplex, bonus, malus, & indifferēs. Et q̄ bonus est triplex, ex obiecto tantum, vt ieiunare, & ex circunstantia tantum, vt loqui ad vtilitatem proximi, & ex vtroque, vt ieiunare ad obediendum præcepto. Malus item triplex, ex obiecto tantum, vt mētiri ad vtilitatem proximi: ex circunstātia tantum, vt ieiunare ob vanam gloriam: ex vtroque simul, vt mētiri ad perniciem proximi. Indifferens autem, quales sunt innumeri, puta tacere, loqui, comedere, bibere, & similia, quæ de se nec sunt bona nec mala: sed bene, & male fieri possunt: & tale indifferens non repetitur in indiuiduo, iuxta doctrinam S. Tho. quam in d. prælud. defendimus ea efficaci ratione, quòd si quis daretur, maximè esset, qui in nullum finem bonum, neque malum ordinaretur: sed is non est talis, quia esset otiosus, & consequenter malus ex defectu circunstantiæ finis, licet ex obiecto esset indifferens: Et quòd iuxta doctrinam Dionysij, 4. cap. de diuin. nom. quam potuit excerpere ex Arist. bonum, siue actus simpliciter bonus, & ordinatus siue meritum, constat ex integra causa, id est ex concursu bonitatis obiecti saltem iustificati, & circunstantiarum tam finis, quam aliarum, personæ, loci, temporis, &c. Malum autem siue malus actus simpliciter, & peccatum ex quocunque defectu, siue obiecti non iustificabilis, vel non iustificati, siue finis, siue alicuius circunstantiæ *Non iustificabilis*, qualia sunt fornicari & mentiri: quæ nulla circunstantia possunt fieri iusta. Dixi: *Non iustificati*, quia frequēter obiectum actus boni simpliciter est obiectum de se malum: sed iustificatur per circunstantiam, qualis est occisio hominis, quæ cum sit de se mala, iustificatur tamen per culpam occidendi, & legem id præcipientem. Itaque in toto hoc capitulo per actum bonum & ordinatum, intelligemus actum bonum vtroque modo, tam ex obiecto, quam ex circunstantiis, qui est meritum de congruo, vel de condigno & per inordinatum, omnem actum ordinato contrarium, qui est peccatum saltem veniale. Item per vitium, habitum malum, & per virtutem, habitum bonum.

Secundò, quòd duplo plura sunt vitia, quam virtutes: quia cuique virtuti duo vitia opponuntur, alterum per excessum, alterum per defectum, in quorum medio virtus consistit, iuxta illud Horat. desumptum ex Arist. 2. Ethic. *Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum*, relatum a gloss. cap. charitas. 3. §. fin. de pœnit. dist. 2.

3 Tertiò, quod septem vitia, quæ vulgus septem peccata mortalia appellat, sunt septem vitia principalia, quæ S. Greg. 31. Moral. & alij aptè docentes capitalia appellant, non quia sunt peiora, neque etiam quia semper, aut sæpius mortalia: quia aliqua regulariter sunt venialia, sicut infra dicetur: sed quia sunt fontes particulares ex quibus alia multa dimanent, ex quorum numero non est superbia, iuxta S. Gregor. vbi supra. & S. Tho. 2. sec. quæst. 162. artic. 8. & quæst. 132. art. 1. Quinimò est horū septem, & aliorū omnium

4 Regina, secundum eosdem (quāuis vulgus contra existiment) pro eorum faciliori memoria retinenda hac voce (Saligia) vtens, intelligē do per literam S. Superbiam, per A, Auaritiam, per L, Luxuriam, per I primum Iram, per G, Gulam, per I secundum, Inuidiam, per A secundum, Accidiam. Ad quod potior esset vox Sualigia, octosyllabon, per quarum primam videlicet, S, intelligitur, Superbia omnium vitiorum Regina, & per V, Vanagloria, quæ est vnum ex septem vitiis capitalibus, & per alias sex, prædicta alia, sex, de quibus omnibus, & eorum execrandis filiabus, ordine quo proposita sunt, dicemus.

De superbia Regina omnium vitiorum.

SVMMA

SVMMARIVM.

8 *Superbia quid, quotuplex, & eius etymol.*

6 *Superbia sola de se mortalis cõtemptum subiectionis Dei actu requirit.*

8 *Humilitas ad sui essentiam, non requirit expressam ad Deum subiectionem.*

7 *Superbiæ quatuor species, quæ potius sunt eius effectus, & interdum hæreses. nu. 8.*

5 SVperbia est plurimum vsitata, & parũ nota: nam multi putarunt, eam esse omne vitiũ: quia illa est supergressio legis, quæ per omne vitium fit. Et alij ignoratunt discrimen inter eam ex vna parte, & ambitionem, præsumptionem, & vanam gloriã ex altera: adeo quod Maior in 2. dist. 4 2. q. 16. putauit, has esse species illius. quod est contra Aug. lib. de nat. & gratia, communiter receptum. Alij, in quibus videtur esse vterque Tho. communiter recept. 2. sec. q. 162. art. 5. quos in Manuali Hispano sequuti fuimus, requirunt ad eius essentiam actualem contemptum subiiciendi se Deo, & legi eius: quod in præsentia nõ possum mihi persuadere, cum id (gratia Deo) pauci Christiani faciant & fere omnes aliquo modo superbiamus. Quare dicendum primò, verbum, *Superbire*, descendere a verb. supereo interposito, b. causa euphoniæ, vnde superbia est quædam (vt ita dicã) superstitio, & actus, quo quis superit, seu supergreditur aliqua: & ita superbia in genere significat omne, quod superit, seu superat, seu excellit alia, secundum gl. Isai. c. 60. vbi superbia pro dono superante, & excellẽte alia ponitur. Vndè licet verbum superbus, sæpius pro elato & fastuoso, & insolenti accipiatur, vt in illo Maronis.

Stirpis Achillæ fastus, iuuenisque superbum.

Sæpe tamen pro nobili, excellenti, vel sublimi capitur, iuxta illud eiusdem,

Hinc populum late Regem, belloque superbum. Et illud,

Cecidit, cecidit superbum Ilion.

Secundò dicendum, quòd superbia generaliter sumpta diuiditur in bonam, & malam, quod adnotauit S. Tho. vbi supra art. 2. Superbia verò mala in habitum superbi, & actum eius. Superbia habitus definiri potest esse vitium mouens, siue inclinans ad appetitum inordinatum excellentiæ propriæ, quatenus est excellentia. Dixi, *Vitium*, pro genere: quia omnis superbia habitus est vitium, non contra omne vitium est superbia habitus. Est enim speciale distinctum ab aliis, vt probe docet S. Tho. vbi supra art. 2. Dixi, *Appetitum*, includendo amorem, & desiderium excellentiæ, vel gaudium, siue complacẽtiam de ea, ad notandum, quòd est vitium voluntatis, & non rationis, vt monstrat idem S. Tho. ibidem artic. 3. Dixi, *Inordinatum*, ad includendum omnem, quo appetitur excellentia de re falsa, vel vera, sed mala, vel bona in nullum finem, vel malum, aut vanum relata, vel maior merita: & ad excludendum ordinatum, qualis est solus ille, quo appetitur excellentia de re vera, & bona, in finem bonum directa, & non maior merita: illa enim non est actus superbiæ, sed modestiæ: qualis est appetitus excellentiæ meritæ,

siue debitæ scientiæ, virtuti, viribus, & arti, quibus quis secũdum rectam rationem alteri vult præstare, iuxta S. Tho. vbi supra art. 6. Dixi, *Excellentie proprie*: quia illa est obiectum actus eius. & non addidi, *ad superandum alium*, quia id nõ est necessariũ: sufficit enim velle excellentiã propriam immeritam, vel meritã modo immerito sine actuali relatione præferendi se proximo. Dixi, *Quatenus est excellentia*, quia appetitus eius, & re vera est excellẽtia quædã, sed nõ appetitur eo respectu, quo est talis, sed alio, non est superbia: sed aliud vitiũ. Circa quidẽ honores, ambitio, circa potestates, præsumptio: circa gloriã: vanagloria: & circa alia aliud.

6 Hæc enim, & id genus alia possunt cõsiderari alio respectu, quam excellentiæ, licet in se sint veræ excellentiæ. Et ita ad essentiam superbiæ nõ requiritur actualis contemptus Dei, nec legis eius, nec renitus se subiiciendi eis, nec defectus proximi, magis quam in aliis vitiis, quæ non inclinant immediate ad illa.

Nec obstat prædicta doctrina S. Tho. quia probe saluari potest in superbia, quæ de se est peccatum mortale: non autem generaliter in omni superbia. Sic nec videtur verum illud Caiet. a. eum, qui propriã excellẽtiam inordinate amat, sine actuali cõtemptu diuinæ subiectionis, non esse formaliter, & directe superbum: est enim formaliter superbus, sed non illa superbia, quæ de se fit mortalis: & ita non omnis superbia directe auertit à Deo: sed sola supradicta, quam diximus, esse de se mortalem, de qua intelligitur etiã glos. Psal. 118. allegata per S. Tho. quatenus habet, superbiam ex se maius peccatum esse omnibus aliis. Quæ omnia ideo tã accurate dixi, ne plurimi continua superbia laborantes nos excusemus ab hoc vitio, dicentes, nos nullam excellentiam cupere cum actuali cõtemptu subiectionis Dei, & eius legis: cum quo certe pauissimi Christiani eam cupiunt: & ne plurimos humiles sua laude priuemus, qui frequẽtissime actum humilitatis faciunt, non se subiiciendo expresse Deo: vel legi eius: qualis tamen nõ esset ille, quia cum sit contrarius superbiæ, oporteret eum circumstari subiectione actuali, si superbia ei contraria requireret expressum cõtemptum, & renutum huiusmodi subiectionis. Quare sicuti humilitatis actus est subiicere sua bona naturalia minora bonis naturalibus maioribus: & sua bona minora diuina maioribus donis diuinis alterius: & sua bona omnia naturalia diuinæ gratiæ alterius non se subiiciendo expresse Deo, vel legi eius: immo sine vlla eorum memoria expressa, vt satis colligitur ex S. Thom. 2. sec. q. 162. art. 1. licet in art. 2. aliud videatur sentire: ita superbiæ actus est præponere quẽ sua naturalia bona minora maioribus naturæ bonis alterius: & sua minora dona diuina maioribus diuinis alterius: & sua etiam bona naturæ gratiæ diuinæ alterius, licet non faciat id cũ expresso contemptu Dei, vel legis eius. Et sicut renuere excellentiã, quia recta ratio id dictat, sine vlla actuali memoria Dei, est actus humilitatis: ita appetere excellẽtiam immeritã, sine vlla actuali memoria Dei, est actus superbiæ.

7 Tertio dicendum, quod species superbiæ sunt quatuor, secundum S. Greg. in lib. 23. Moral. declaratum à S. Thom. vbi supra art. 4. Prima est putare habere à se ipso solo bona naturæ, qualia sunt ingenium, intellectus, memoria, vires, pulchritudo, &c. Aut bona fortunæ, qualia sunt diuitiæ, honor, potētia, &c. Aut bona spirituālia, qualia sunt gratia, scientia, prophetia, secunda ad prædicādum, & legendum, &c. quorum nulla habet à se ipso, sed omnia sunt ei data à Deo. Secunda agnoscere quidem illa à Deo sibi data, non tamen gratis: sed ex iustitia, scilicet ieiuniorū, precum, eleemosynarum, & id genus aliorum. Tertia, arrogare sibi bona, quæ non habet, cuiuscunque ordinis illa sint. Quarta, contemnere alios inordinate, aut velle, vt sibi submittantur, quamuis eum præcedant. Aduertendum tamen huiusmodi falsa iudicia non esse immediatas species superbiæ: sed illius effectus, quia hæc consistunt in intellectu, & ratione: illa verò in voluntate, quæ illis infecta iudicium corrumpit, efficitque, vt falsum iudicet verum. Corrumpit, inquam, eo quod ipsius excellentia maior esset, si ita se res haberet: maius enim est ex se habere, quam ab alio, vel suis meritis, quam dono, vel magna, quam parua, vel maiora, quam alij: vt probe declarauit S. Tho. vbi supra ar. 4.

8 Circa quæ peccat mortaliter primo qui appetit propriam excellentiam cum actuali contemptu diuinæ subiectionis, vel legis eius: aut cum voluntate se Deo præponendi, per dict. nu. 6.

Secundo, qui adeo amat propriam excellentiam, vt iudicet esse vera quatuor prædicta, quæ sunt, falsa vel aliquod illorum deliberate, aduertenter & in specie: quia quadamtenus, licet non actualiter, videtur contemnere subiectionem Dei, & legis eius. Dixi, *Deliberate & aduertenter*, quia secus si id primo motu passionis, vel per incogitantiam ita iudicaret, secundum S. Tho. vbi supra communiter receptum. Dixi, *In specie*, quia credere id in genere deliberate, & aduertenter, nō est actus superbiæ: sed infidelitatis, secundum S. Tho. in d. art. 4.

Tertio peccat, qui appetit inordinate excellentiam, vel de illa inordinate gaudet, aut lætatur, sine actuali quidem contemptu subiectionis Dei, & eius legis: sed cum notabili irreuerentia eius, vel damno proximi, ex eo resultante: quia hoc mortale est per supra sæpius dicta.

De Vanagloria.

SVMMARIVM.

9 *Bona honoraria, quot, & quæ, & appetere illa de se non malum.*
9 *Laus, honor, fama, gloria, & reuerentia, quid.*
10 *Gloria vana quid, quot, & quæ filiæ eius, & 11. & 12.*
11 *Præsumptio quid, & quæ mortalis. & 14.*
11 *Ambitio quid, & quæ mortalis. & 15.*
11 *Pertinacia quid, & quæ mortalis. & 31.*
11 *Discordia quid, & quæ mortalis. & 33.*

11 *Contentio quid, & quæ mortalis. & 34.*
13 *Laude falsa vel alias inordinata gaudere non semper malum.*
13 *Finis aptus spiritualium nil temporale est. & 15.*
14 *Iurisdictionem alienam vsurpare mortale.*
14 *Gratiam, vel gloriam æternam, suo arbitrio posse quæri, præsumptio.*
15 *Beneficia incompatibilia, vel plura quorum vnum sufficit, non licent.*
15 *Beneficium appetendo quomodo quis peccat.*
17 *Iactantia filia prima vanagloriæ, quid & quæ mortalis. & 16.*
17 *Inuentio nouitatum secunda filia vanagloriæ, quid, quando mortalis. & 18.*
18 *Vestitus qui licitus, qui venialis, & qui mortalis. & 19.*
20 *Ornatus, fucus, fictio, & auctio pulchritudinis quæ mortalia.*
21 *Confessarius dubius, an confessa sint mortalia, quid faciet.*
22 *Ornans se, vt in coniugem appetatur, vestiens veste incongrua sexui quis peccat.*
22 *Vestiens se habitu religioso, quis mortaliter peccat. & 23.*
24 *Curiositas quid, & quod semper est peccatum. & quando mortale.*
30 *Libri qui purgandi & qui prælegendi pueris.*

9 PRimò præsuppono summatim quædam, quæ late tractaui in cap. inter verba. 11. quæst. 3. conclu. 6. & nuper in cap. cum ministet. 23. quæst. 5. num. 47. Quòd bona honoraria sunt quinq; scilicet Laus, honor, fama, gloria, & reuerentia, & quod Laus est sermo elucidans magnitudinem alicuius virtutis, nu. 47. Et quod honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium alicuius excellentiæ absolutæ. nu. 48. Et quod fama est attestatio popularis de re aliqua. Et nu. 49. quod gloria est clara cum laude notitia: Et quòd reuerentia est animi reputatio, qua bonitas alterius magnifit. Et nu. 50. & 51. quod hæc quinq; conueniunt, primo, quod frequenter alia pro aliis accipiuntur. Secundo, quod nullum eorum est virtus intellectualis, vel moralis. Tertiò, quòd sunt maiora bonis pecuniariis. Quartò, quòd appetitus vel cōtemptus horum quinque suapte natura, neque est bonus, neq; vitiosus, sed indifferens: bonus quidem, quum est ordinatus, malus quū est inordinatus. Quintò, quòd appetitus eorū, etiam inordinatus, regulariter est venialis: in quinque verò casibus mortalis, secundum communem, quos ibi nu 56. reduxi ad tres, scilicet cum habetur de malo mortifero, vel de alio, in quo finis vltimus constituitur, saltem ad effectum frangendi legem ad mortale obligantem: vel in finē aliquem mortalem referendo. Et quod contemptus eorū inordinatus regulariter est venialis: mortalis autem, cum contemnitur laus de graria Dei gratum faciente manans: vel in eo finis vltimus constituitur, quod nonnulli philosophi fecerunt: vel in finem mortaliter malum refertur.

10 Secundò præsuppono, quod appetitus, & contemptus eorum quinque ordinatus est, quo appetitur aliquod horum de re vera, & de se bona, vel indifferenti in finem bonum directa, non nimium, nec maius

quam eius bonitati debetur, nec tamquam testimonium certum, & diuinum, sed tamquam humanum incertum: Et cõtra appetitus eorum inordinatus est ille, quo apetitur aliquod horũ de re falsa, vel mala, vel indifferenti, in vanum, malum, aut nullum finem relata: vel de bona maius quam eius bonitati debeatur, vel tamquam testimonium veritatis certum, vt diuinum, & plusquam humanum, vt ibidem num. 338. diximus ex mẽte S. Tho. 2. sec. q. 141. art. 1. & de malo. q. 6. & Abulen. super Matth, cap 6. q. 3. adiunctis eis, quæ idem S. Thom. dixit 1. sec. quæst. 18. artic. 2. 4 & 9.

Tertiò, præsuppono, quod vanagloria pro habitu malo, est vitium inclinãs ad inordinatum appetitum gloriæ. secundum mentem S. Thom. communiter recep. 2. sec. q. 132. ar. 4. Dixi, *Appetitum*, ea ratione, qua in definitione superbiæ, supra nu. 5. Dixi, *Inordinatum*, quia ordinatus ad virtutem pertinet. Dixi *Gloriæ*, ad differentiam superbiæ, ambitionis, præsumptionis, & aliorũ vitiorum, quæ licet inclinẽt ad appetitum inordinatum aliquorum, quæ pariunt gloriam: non tamen immediate inclinant ad eius appetitum, nec ad alia, eo respectu, quo pariunt gloriam: sed aliis, vt supra dixi de superbia, & mox dicam de ambitione & præsumptione. Vanagloria vero pro actu est appetitus inordinatus gloriæ, per quem generatur, & augetur vanagloria habitus, ex quo vicissim generantur actus similes illis, ex quibus illa est nata.

11 Quarto, quod vanagloria est vitium capitale, & patens aliorum vitiorum, quæ eius filiæ nuncupantur: quia illa vitia dicuntur esse filiæ alterius, quæ se ad finem illius principalem dirigunt, & septem alia vitia sunt, quæ ex se tendunt in manifestationem gloriæ, quæ est finis illius, scilicet iactantia, quæ inclinat ad declarandam inordinate verbo propriam excellẽtiam. Inuentio nouitatum, inclinans ad ostendendam inordinate eandem veris factis, laude vera, vel vana dignis. Hypocrisis, quæ ad idem, falsis factis, inclinat. Pertinacia, ad inordinate ostentandum iudicium inclinans. Discordia inclinans ad inordinate ostendendum nostram voluntatem, voluntati alterius præstare. Contentio, inclinans ad inordinate altercandum. Inobedientia inclinans ad inordinate renuendum iussa, saltem quatenus iubentur.

Quinto, quod præsumptio & ambitio à vanagloria differunt, & non sunt eius filiæ, sed sociæ, magnanimitati cõrariæ, secundũ S. Tho. vbi supra Præsumptio enim est vitiũ inclinãs ad appetitum inordinatũ eorum, quę vires, vel merita excedunt, Ambitio vero vitium inclinans ad inordinatum honoris appetitum.

12 Ex quibus infertur, quod peccat mortaliter primo, qui gloriam, laudem, aut famã appetit de re aliqua quæ est peccatum mortale, puta ex duello, occisione, mutilatione, vel per cussione iniustis in finem mortaliter malum directis: aut constituit vltimum finem in aliqua gloria famæ, vel laude, vel pro ea adipiscenda, vel nõ amittenda proponit frangere aliquam legem ad peccatum mortale obligantem, vt faciunt mulier,

lier, quæ ne infametur, stupro consentit, & iudex, qui ne officium perdat, vel vt aliud consequatur, iniuste iudicat: & concionator, qui ne pulpitum amittat, tacet vera, de præcepto dicenda, secundum omnes, vt ibi supra nu. 341. & seq. late dixi. Appetere autem gloriam inordinate de aliis, quæ non sunt peccata, aut non nisi venialia, nec directa in finem mortalem, aut non est peccatum, aut solum veniale.

13 Secũdo peccat, qui se, vel alium laudat de aliqua re, mortaliter mala, vel falsa, aut vera, & nõ mortaliter mala: causam tamen præbẽs probabilem & verisimilem damni notabilis cultus Dei, aut boni proximi, asserendo se, vel aliũ, bonum sacerdotem, bonum cõfessarium, bonum iudicem, bonum medicum, bonum præceptorem, cum esset malus, aut certe non tam bonus, cum obligatione restimendi damni, si quod intulit, arg. c. fi. de iniur. & l. qui occidit. ff. ad leg. Aquil. Dixi, *Damni notabilis*, quia alias tantum venialiter peccaret, vt dixi supra nu. 138.

Tertio peccat, qui falsè laudatus, sciens, & aduertens inde aliquod damnum notabile insequuturũ, non contradicit, saltem quantum oportet, ad illi obuiandum, quamuis regulariter neque approbatio explicita, neque tacita falsæ laudis erit plusquã venialis, si fuerit de re bona, aut saltẽ non nisi venialiter mala. Immò non est peccatum, sed virtus audire sine contradictione falsam laudem, modo ea nõ delectetur eo respectu, quo est falsa, vel laus, mendacium, aut adulatio, alioquin esset saltem veniale, c. plurimum 2. 2. q. 2. & c. super eo, de vsur. Vnde qui de aliqua virtute, ad suum statum necessaria falsè laudatur, vt cum vxor occulte adultera de fidelitate laudatur, eam neque approbare neque reticere debet: imò neque peccat falsè laudatus, eo quod gaudeat laudari, non ob falsam laudem: sed quia per opinionem, quam habent alij de virtute suo statui necessaria, euitatur scandalum, vt vbi supra nu. 137. diximus.

Quarto peccat, qui res principaliter institutas ob honorem Dei, & cultum eius, & salutem animarum, principalius, vel æquè principaliter ob vanam gloriam facit: quale est concionari, missam celebrare, præcari, & id genus alia, secundũ Abul. super Matth. c. 6. quæst. 3. & Ang. verb. vanagloria. quod post alios vbi supra nu. 347. relatos efficaciter cõfutauimus, & in dict. cap. cum minister. num. 30. dicentes solum esse veniale. Nullum autem peccatum, immò meritum est facere illa principaliter propter Deum, vel quia sunt honesta, & sancta: & secundario propter gloriam, vel laudem humanam in finem aptum relatam, per ibi dicta post S. Thom. 2. secund. quæst. 132.

14 Quinto, qui præsumit cum notabili irreuerentia Dei, vel damno notabili proximi spirituali, vel corporali, honorario, vel pecuniario, exercere officium, nesciens illud exercere, vtpote concionando, consulendo, medicando, vt nos post S. Tho. 2. sec. quæst. 177. in dict. c. inter verba. nu. 100. cũ sequen. latius tractauimus: quamuis non sit nisi veniale illud exercere absque irreue-

rentia, & damno notabili proximi.

Sextò peccat, qui aliena iurisdictione vtitur, aut sua extra suum territorium. S. Tho. 2. sec. quæst. 60. art. 6. vel absoluit à peccatis, à quibus non potest, aut dispensat, vel cõmutat vota sine authoritate ad id sufficienti secundum S. Ant. in 2. par. tit. 3. c. 6 §. 4.

Septimò, qui confidit se gloriam æternam sine meritis consequuturũ, aut meritis sui liberi arbitrij absque gratia Dei cap placuit. cum duobus seq. de conse dist. 4. quamuis separare, se (etiam de condigno) gloriã æternam cum auxilio diuinę gratię adepturum, est meritũ, & actus spei virtutis theologicæ, secundum S. Tho. recept. 2. sec. 17. art. 1.

Octauò peccat, qui confidit gratia Dei se priuatum non iri, nec punirum, quantuscunque peccator sit, asserens paradisum hominum causa paratum, & non bestiarum, iuxta Rich. in 3. dist. 31.

Nonò peccat, qui non abstinet ab occasione, qua semel peccauit mortaliter, associando, videdo, vel alloquendo aliquem, & postea non abstinet ab ea, secundum S. Ant. vbi supra. Quod est verum, si propter suã inconstantiam, vel fragilitatem probabiliter putat se subcubiturũ: alioquin non, nisi vt plũrimum venialiter, si aliqua de causa ad id redeat, vt diximus vbi supra nu. 433. cũ seq. & latius supra c. 3. à nu. 5.

15 Decimò peccat, qui ambit honorem de re, quæ est peccatũ mortale, aut ad committendum mortale, aut in eo vltimum finem ponit, aut ita appetit, vt malit mortale aliquod committere, quàm eũ amittere, vel non adipisci. Quod est frequens in ambientibus, præsertim per concursum, & oppositionem, cathedras, beneficia, officia, collegia, collationes, præsentationes, nominationes ad illa, secundũ omnes: quãuis alias, regulariter, appetitus inordinatus honoris non excedat metas culpæ venialis, vt latius dixi vbi supra nu. 340.

Vndecimò peccat, qui apperit, vel accipit plura beneficia incompatibilia, sine iusta dispensatione, cap. de multa de præb. aut plura compatibilia, sine iusta dispensatione, cap. de multa. de præb. aut plura compatibilia, quàm quæ ad suam honestam sustentationem sufficiunt, iuxta glo. sing. receptam in c. dudũ. 2. de elect. quæ in ius redacta videtur per sanctum Conc. Triden. sess. 24. cap. 17. de refor. Per quod videtur sublata moderatio Cardinalis in cle. gratiæ. de rescrip. quatenus inquit, illam glo. procedere solum in eo, qui capit plura beneficia (quorum vnum ei sufficit) ad viuendum fausuosius, vel ad thesaurizandum, & non in eo, qui quærit illa ad faciendum largiores eleemosynas, & alia opera pia largiora, quę sequuti fueramus in repet. cap. ad hæc. de præb. Sed postea in Enchirid. de Orat. cap. 22. Miscell. 15. nu. 61. & 76. noue cõcludi, quod prædicta opinio Card. non habet locum quoad hoc, vt quis plura beneficia (quorũ vnum sufficit) possit obtinere, sine dispensatine: sed sic, quoad hoc, vt possit dispensari iuste cum eo, qui nõ vt fausuosius viuat, vult illa, sed solum ad faciendũ plura opera pia, in quæ sola impendit reditus eorum, viuendo ex solo reditu beneficij sufficientis.

Duode

Duodecimò, peccat qui accipit beneficium ecclesiasticum spirituale principaliter propter honorem, aut vtilitatem tẽporariam, secundum S. Ant. 2. par. tit. 3. c. 5. §. 4. Quod limito procedere in eo, qui est eo indignus ob ignorãtiam, vel alium defectum: nam supra eo. c. nu. 13. diximus, quòd falsum est esse mortale facere ordinata ad cultum diuinum, principaliter ob bona temporalia.

Decimotertiò peccat, qui quærit officiũ aliquod, nesciens exercere illud, secundum S. Ant. vbi supra §. 5. & probat Idem iuris. §. 1. ff. ad l. Aquil. & cap. non est putanda. 1. q. 1. Quod non procedit in eo, qui quærit illud fide bona & animo vtendi consilio peritorũ quando fuerit ei necesse, & credit se habiturũ opportunitatem vtẽdi illo, arg. l. clari iuris. C. de iud. & c. statutũ. §. assessorem. iũcto principio, de reseri. lib. 6. quod frequens est in omnibus oppidis, & pagis, quibus iudices ignari iuris præficiũtur.

16 Decimoquarto peccat, qui per iactantiam, quæ filia primogenita vanæ gloriæ est, se, aut suos laudat, cum irreuerentia notabili Dei, aut cũ iniuria, vel scandalo proximi notabili, vt Pharisæus, qui dixit: *nõ sum sicut cæteri homines, nec sicut iste Publicanus*: aut cũ notabili damno proximi, puta asserendo falso se, vel aliquem suorum esse magnum aduocatum, magnæ sanctitatis, &c. aliàs enim solum est veniale, iuxta S. Thomam recept. vbi supra, Alex. Alef. 2. part. tit. de Iactantia.

17 Decimoquintò peccat, qui per inuentionem nouitatum, filiã secundam Vanæ gloriæ, adinuenit nouas epulas, nouas vestes, noua exercitia, & ludos: aut alia noua de se mortalia: aut in finem mortalem directa: aut in iacturã notabilis cultus Dei: aut boni alieni publici, vel priuati, iuxta mentem omnium. Idem de illo, qui vtitur vestitu, aut ornatu, animo pelliciendi aliquem ad sui concupiscentiam mortalem, licèt ea nõ sequatur, iuxta S. Tho. 2. 2 q. 199. art. 2. Quia finis mortalis est, & ad minimum tam malus est actus, quam eius finis. cap. cum minister. 23. q. 1. & quæ ibi latè dixi post eundẽ S. Tho. recept. 1. 2. q. 16. art. 4. & 6. Idem item de illo, qui ea se mente quouis ornatu ornat, & non desisteret ab eo, etiã si vetaretur aliqua lege ad mortale obligante, ob vanam, quam de eo capit delectationem. Tum quia contra charitatem Deo debitam facit, & consequenter peccat mortaliter, S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 10. & 11. Tum quia omne peccatum per eiusmodi complacentiam fit mortale, de tali enim complacentia, & non de qualibet alia debet intelligi illud B. Augustt. relatum in cap. vnum. §. criminis. 25. dist. *Nullum peccatum*, inquit, *veniale est, quod non fiat criminale, dum placet.* Idem de illo, qui ob ornatum omittit adimplere præceptum; vt qui ob eum omittat missam diefesto cap. missas. de consecra. distinctione 1.

18 Nemo tamen peccat ornando se etiam splendidè pro sui status decẽtia, & more regionis, modo id bono fine faciat: immò meretur, licèt alius, vel alia ad eius concupiscentiam per accidens alliciatur, arg. c. quisquis. 41. distinct. cap. quæ contra mores. 8. distin. solúmque venialiter peccat, qui etiã si sit religiosus, vel

religiosa, se modestè ornat, ob solam vanam leuitatem, ostentando suam pulchritudinem, & elegantem corporis habitudinem, & compositionem absque alio fine, vel circunstantia mortali, immò etiam si notabiliter modum excedendo id faceret, vt egregie adnotauit Caiet. 22. quæst. 169 art. 1. Et merito, quia licèt id sit contra virtutem: nō est tamen magis contra charitatem Dei, proximi, vel propriam, quam prodigalitas, quæ de se non est mortalis, vt infra dicetur, licèt sit contra virtu-
19 tem liberalitatis. Nec mortaliter peccat, quamuis sic venialiter, qui contra morem se ornat, modo id non veterur lege aliqua ad mortale obligante, nec consuetudine illi æquipollente. Nec qui se ornat splēdidius, quàm status suus requirit, nisi id esset in causa non soluendi debita, vēl non præbendi alimenta, cui præbere obligatur, etiam si ob id alius ad mortaliter peccandum moueatur: quia eiusmodi actus suapte natura, vt plurimū ad solum veniale mouet, & ita, qui ob id mortaliter peccat, sua prauitate morus sic peccat, ex mente Cāiet. in d. q. 169. art. 2. quem sequimur. Quamuis in hoc, & nonnullis aliis, de quibus statim dicetur, Sylue. verb. ornatus, & nonnulli alij contradicant: quia non satis, vt dixit Caiet. naturam peccati mortalis perpenderunt. Neque etiā fœminæ mortaliter peccant ostentantes pectora nuda, quo pulchriores videantur absque alia mala intentione mortali, secūdum eundem: quia id nullo iure naturali diuino, aut humano, saltē, ad mortale obligante, vetatur. Nihil enim aliud est hoc, quàm pulchritudinem ostendere, quæ quamuis summa esset, non tamen adeo incendit, vt ea, cui inest dicatur peccare, eo quod alius per eā mortaliter peccet: quod ille ibidem nemose probat, & deduci potest ex his, quæ de occasione vitanda, dicta sunt in c. 3. supra eo. Quanquam consuetudo hæc digna sit vt à locis, in quibus est, paulatim extirpetur. Vestire se tamen adeo tenui veste, vt pudenda traluceāt, est mortale tam viro, quam fœminæ. Quia eiusmodi nuditas per se ad luxuriam mortalem prouocat: quod non facit pectorum nuditas, quæ per se solam pulchritudinis ostensionem respicit.
20 Non est tamen de se mortale, augere, & fingere pulchritudinem maiorem, quam insit, ornato & fuco: licèt sit quædam species mendacij operis, nisi ob luxuriā, vel alium finem mortalem id fiat, secūdum S. Tho. 22. quæst. 169. art. 2. ad 3. quamuis sit graue veniale, sicut diximus in cap. furare. de conf. dist. 5. nisi fiat ad deformitatem aliquam obtegendam, iuxta eundem S. Thom. Nullum item est peccatum crinibus, siue capillis alienis vti, ad commodum ornatum: sicut nec lana aliena, aut lino terræ vti ad se commodè vestiendum: quia de similibus idem iudicandum. cap. dudum 2. de elect. & l. illud. ff. ad l. Aquil. Quamuis esset peccatum veniale vti eis fingendo esse proprios, quippe quod esset mendacium operis, iuxta dicta in cap. 18. supra nu. 5. & vt confessarius absoluere debet, quem videt, non nisi venialiter in hoc peccare: sic etiam absolutionem negare nō debet ei, de quo intelligere nequit, an veniali

venialiter, an mortaliter peccet: quamuis persuadere illi non possit, vt ab eo temperet, quia se morta-
21 liter peccare non credit: nec persuadeat ei esse mortale, quod fortè tale non est, ne postea id faciens, quamuis non sit mortale, peccet mortaliter, iuxta S. Anto. 2 par. tit. 4. c. 3. Ros. verb. ornatus. §. 7. Sylvest. eo. verb. 9. Nostro tamen iudicio cautius ageret resoluendo se prius per se, vel alios, an sit mortale, necne, & postea impartiretur, aut negaret absolutionem. per ea. per quæ, in cap si quis autem de pœni. distin. 7 nu. 130. diximus peccare iudicem, qui iudicat, antequā dubietatem animi deponat: aut certè ei persuadeat, antequam eum absoluat, vt proponat ab illo abstinere, si per viros idonea scientia, & conscientia præditos, mortale iudicetur: alioqui enim (ni esset valde doctus) non haberet sufficientem contritionem, aut attritionem.
22 Decimosexto, peccat monialis, quæ vel inhabilis ad contrahendum cum aliquibus id scientibus, se illis conspiciendam offert, quo ab illis in vxorem sine iusta dispensatione expetatur: quia peccato mortali alieno consentit. Sed quæ ad nubendum est idonea, licèt nubere nolit, immò castitatem, aut religionis ingressum secretò voverit, licitè sui conspectum facere potest, & se ornare, & velle vt ab aliquibus in vxorem appetatur, quò in aliis rebus sibi, vel suis faueant, aut ob alium bonum finem. Quia id nullo iure diuino, vel humano prohibetur, & consequenter non damnandum, c. consuluisti 2. quæst. 4. Nullatenus etiam peccat fœmina, quæ veste virili se vestit, nec vir qui fœminea iusta de causa, veluti ne ab inimicis agnoscatur: aut quia alia veste carer, vel ob honestam sui, aut alterius oblectationem, secundum S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3. neque plusquam venialiter, si ob leuitatem id faciat, absque alio fine, & circunstātia mortali, iuxta Caiet. ibidem.
Decimoseptimò peccat, qui vestit se habitu religionis in opprobrium illius, aut vt eo ad turpia personatus siue laruatus, aut sine larua vtatur. arg. cap. cum decorem. de vit. & honest. cleric. & authen. de sanctiss. Episco. §. fin. coll. 9. secus tamen si ad solam leuitatem, aut ad oblectationem, absque malo fine eo vtatur: modo nullum inde opprobrium notabile religioni, vel alicui proximo contingat.
23 Porrò curiositas, quæ satis cognata videtur huic secundę filię Vanæglotiæ, est vitium mouens ad nimis, vel immoderatè sciendum, ex mente S. Thom. 2. 2. quæst. 167. & S. Anto. 2. par. tit. 7. §. 2. & semper est peccatum saltem veniale. cap. nonne. 37. distin. siue quis ita scire velit, per aliquem quinque sensuum exteriorum, siue interiorum, siue per intellectum: quia contraria virtuti studiositati, de qua S. Thom. 2. 2 quæstio. 166 & rationi repugnat. Mortale verò tantum, quum aliqua circunstantia mortalis ei adiungitur, secundum eundem, d. quæst. 167. art. 1. & Caieta. in summa verb. curiositas, vt quum quis scire cupit aliquid, transgrediendo aliquam legem ad mortale obligantem, aut ob finem mortaliter malū, se, vel alium

obiiciendo periculo probabili perdendæ salutis animæ, vel corporis: vel proximum notabili damno honoris, vel fortunarum, per supradicta, & per dicenda cap. seq. de quinque sensibus. Exempla quædam vtilia & quotidiana sunt de virgine, volente curiosè nosse, quanta sit copulæ carnalis delectio, quamuis eam experiri nolit, nam si eam experiri vellet, aliud peccarum Luxuriæ, præter curiositatem committeret. Cajet. 2.2. quæ. 167. art. 2. De illo item, qui vult scire alienum peccatum consultando confessionem sacramentalem alteri factam arg. cap. omnis. de pœnit. & remiss. Et de illo, qui vt discat aliquid, missam præceptam omittit, aut maleficium aliquod conficit, aut diabolo se commendat, aut eum in magistrum ad discendum suscipit per multa, quæ diximus in cap. nouit de iud. not. 1. 26 nu. 11. & seq. Et de illo, qui cognitionem rerum officio suo necessariarum negligit, quo non necessarias cognoscat, vt Parochus, qui ob studium poesis, vel officij mechanici, ignorat res audiendis confessionibus, vel aliis agendis, officio suo necessarias. cap. sacerdotes 37. dist. vt diximus in Enchiridio de Orat. cap. 15. nu. 175. & in d. cap. nouit. not. 2. nu. 14. & nu. 15. de illo, qui vitia alterius inquirit animo eum notabiliter infamandi, facere enim id bono animo, quo præclara imitemur, aut prava ex charitatis regula corrigamus, sine alia mala circunstantia, virtutis actus est. S. Thom. 2.2. quæst. 167. art. 2. ad 4. quia id nõ est appetitus inor-
27 dinatus, sed ordinatus. Exemplum item est de illo, qui appetit scire aliqua secreta ab eo, qui absque peccato mortali, non violando mortaliter legem naturalem, vel iuramentum, vel promissionẽ, de secreto seruando, non potest ea illi reuelare, per dicta supra c. 12. nu. 2. 2. & cap. 18. 28. num. 62. Et de viro volente videre fœminã nudam, vel eius pudenda, & de fœmina volente videre virum nudum, vel eius pudenda, credens, aut credere debẽs, ex illo aspectu tali loco & tempore habito consensum iri actui, aut delectationi mortalis aut pollutionem sequuturã. Et de illo, qui vt sciat quantam in castitate constantiam ipse, & alia habeant, loquitur solus cum sola tempore & loco secreto, credens, aut credere debens, se causam fore, vt alteruter eorum alicui mortali saltem delectationis morosæ cõsentiat. Et de illo qui legit, vel audit libros amorum, & gestorum lasciuorum, & luxuriosorum, credens, aut credere debens, se vel alium cõsensurum saltem alicui delectationi morosæ, iuxta mentem S. Isidori cap. ideo. 37. distin. & S. Anto. 2. part. tit. 3. c. 7 §. 2. & certe è Republ. Christiana foret, ne libri Ouidij amatorij in scholis legerentur, nec Martialis, Iuuenalis, Catulli, Tibulli, Propertij, Plauti, Terẽtij & alij eius generis, nisi purgati à locis libidinis
31 incentiuis. Et consequenter etiã Celestina liber vulgo adeo plausibilis, nisi magna ex parte purgatus: quin & reuocarẽtur in scholas Grãmaticas, hymni & orationes, quas collectas vocant, Homiliæ, & authores Christiani egregie latini, qui ferè soli olim in eis prælegebantur: vt late diximus in Enchiridio, de Orat.

c. 19.

cap. 19. num. 172. & seq. quo pueri simul cum literis pietatẽ imbiberent.
32 Decimooctauò peccat, qui per Hypocrysim tertiam filiam vanæ gloriæ modo dicto supra cap. 18. nu. 8. vel pertinaciam, quartam filiam, inordinate suam opinionem defendit in iis, quæ ad fidem Catholicam, & mores pertinent contra communem sensum doctorum ecclesiæ, aut in damnum iniustum proximi notabile: alias enim pertinacia est venialis, præsertim quando se continet intra metas intellectus, credendo, & operando secundum communem Ecclesiæ doctrinam, iuxta Caiet. in summa verb pertinacia.
33 Decimononò peccat, qui per discordiam inordinatam, quintam filiam Vanæ gloriæ, voluntati alterius non vult suam conformare circa doctrinem boni diuini, aut humani necessarij ad salutem propriã, aut alienam, animæ, vel corporis, aut honoris, vel alterius boni proximi, secundum mentem S. Thom. 2. 2. quæst. 37. art. 1. & Caiet. in summa, verb. discordia. Num solum veniale est discordare sic in aliis, etiam sub pœna venialis tãtum præceptis, neque etiam veniale in eis, in quibus etiam sub pœna venialis concordare non tenentur: vt non concordare roganti, vt ambo religionem ingrediantur, aut ieiunent, &c. secundum eosdem vbi supra.
34 Vigesimò, qui per contentionem, sextam filiam Vanæ gloriæ, contra perspicuam veritatem altercatur circa pertinentia ad sanctam fidem Catholicam, aut ad salutem animæ, aut corporis necessaria: aliàs enim non peccat nisi venialiter, iuxta Caietan. in summa. verb. contentio.

De inobedientia, septima filia Vanæ gloriæ.

SVMMARIVM.

35 *Obedientia, & inobedientia specialis, & generalis quid.*
35 *Inobedientia quæ mortalis & 36.*
37 *Obediendum in quo non est superiori. & 4 seq.*
42 *Contemptus legis verus quid, & quis præsumptus.*
43 *Legis obligantis ad mortale etiam receptæ transgressionem quæ excusant. & 44.*
47 *Ignorantia quotuplex, & quid vnaquæque illarum. & 46.*
47 *Ignorantia interdum excusat à pœna legis, & ab ea.*
48 *Officium, vel artem sine peritia, & scientia exercens quis peccat.*
48 *Lex concepta verbo constitutiuo, & non præceptiuo quid faciat.*
50 *Legis nullam vnicum verbum originario significatu signat mortale.*
51 *Leges multæ naturales ad solum veniale obligant.*
52 *Lex ecclesiastica verbis præceptiuis, maxime istis vtens ad mortale obligat, secus de seculari, quæ tamẽ non tollit pœnã per aliã statutã. & seq.*
59 *Lex pure pœnalis, & mixta, vt differunt.*
57 *Pœna magna vt potest esse iusta sine culpa & 58.*
59 *Lex in parte recepta, ad eam ligat.*
62 *Vidua fornicata peccat, fœcundo re à marito relicta, vt casse viuat.*
63 *Pœna excusionis à collegio ipso iure incursa nõ tenetur quis in cõscientia.*

64 Cum

64 *Commissum capitur iuste in conscientia, & etiam tacetur.*

65 *Laudemium soluere non tenetur dominus, sed sit vendens.*

66 *Pœna etiam iure imposita non debet exire in conscientiæ forum, nisi &c.*

69 *Consuetudo optima legis interpres.*

IS De inobedientia septima filia Vanæ gloriæ dicendū primo quod obedientia, prout est specialis virtus, est virtus inclinans ad faciendum quod iubetur eo principaliter, quod iubetur. Et cōtra inobedientia prout est speciale vitium, est vitium inclinans ad non faciendum, quod iubetur, eo principaliter quòd iubetur, vt singulariter tradit S. Tho. recep. 2.2. quæst. 104. art. 2. ita quòd ex duobus conficitur inobedientia specialis, scilicet ex non faciendo iussum, & ex animo non faciēdi illud, eo principaliter quòd iubetur. Et è contrario obedientia prout est virtus generalis, comprehendit omnes virtutum omnium actus, quibus fit, quod iubetur, siue faciendo, siue omittendo: & inobedientia prout est generale vitium omnes actus omnium vitiorum, quibus nō fit, quod iubetur siue faciendo, siue omittendo, secundum eundem vbi supra recep. Et ita non est inobedientia non facere consultum, sed sic non facere iustum, etiam si non obliget ad plusquam veniale, vt probat Caietanus in dict. artic. 2.

36 Est tamen hoc discrimen, quòd non facere iustum obligans ad mortale, est mortale, quamuis non omittatur eo quòd iubetur. Non facere autem quod ad solum veniale obligat non, nisi quando omittitur cò principaliter quòd iubetur quę est inobedientia specialis, vt idem ibidem subtiliter declarat. Dixi, *Deliberatè*, quia primus motus, quo renuitur iussus, solùm est venialis, secundum eundem S. Thom. 2.2. quæst 105. art 1. ad 2. Dixi, *Quod sibi iubetur*, quia omittere consultum, non est de se vllum peccatum, §. fin. 3. dist & Cajet. dicta quæst. 104. art. 4. 37 Dixi, *Animo eū ad mortale obligandi*, quia alias non peccaret mortaliter. Dixi, *Nescient id sibi ab eo iuberi non posse*. Tum quia non oportet quod sciat, id ab eo iuberi posse, satis enim est, vt dubitet de illo, capit. quid culpatur. 23. quæst. 1. quamuis talem dubietatem deponere debet priusquam faciat, credendo, id posse sibi iuberi propter auctoritatem eius, ne faciendo contra conscientiam dubiam, peccet, per ea quæ dixi in cap. si quis autem. de pœn. dist. 7. num. 81. cum seq. & supra cap. 16. 38 num. 40. & seq. Si tamen crederet probabiliter superiorem per errorem iussisse, aut non iussurum fuisse, si veritatem nosset, non peccaret, non parendo, cap. si quando. & cap. pastoralis de rescript. Tum quia multa sunt, ad quæ superior subditum obligare non potest, secundum S. Thom. recept. in dicta quæst. 104. art. 5. & in cap. 15. ad Rom. quale est contrarium præceptis superioris iubentis, scilicet Dei, Papæ, Ecclesiæ, aut alterius, cap. si dominus. cap. qui resistit. 11. quæst 3. Quale illud, ad quod iubentis potestas non se extēdit, vt sunt actus omnino interiores, quibus non est opus præceptis exterioribus implendis, vt post eundem ibidem dixi in cap. cogitationis. de pœnit. distin. 1. vt etiam sunt actus

actus spirituales respectu superioris sæcularis. cap. fin. de reb. eccles. cap. ecclesia, de const. & vt actus gubernādi ciuitatem respectu ducis exercitus. l. magisterij. Cod. de iurisdict. omn. iudic. Reuelatio item peccati omnino occulti. cap. erubescant. 32. distin. & iteratio confessionis legitimæ respectu omnium, vt dictum est supra, capit. proximo, num. 43 & 39 cap. 9. num. 14. & seqq. Qualis etiam iussus, ne iubetis superiorem alloquatur, quales asperitates religionis, ad quas nec expressè, nec tacitè regula extenditur. cap gesta. 74. distin. nisi in pœnam contumaciæ, vel alius delicti imponantur. capit. dilectus. 2. cap. quoniam de simon. Qualia item alia impertinentia ordini, & regulæ vt sublatio paleæ à terra, aut intuitio volatus auium diu continuatus Siluest. verb. religio. 6. quæst. 6. Non est tamē tale id quod est contra regulam suam, & ordinem, aut legem, ad quod Prælatus dispēsare potest, quia si iusta de causa id ei iuberet, parere deberet, vt si præciperet subdito, ne iniunaret tali, aut tali die præcepto, per legem, aut regulam, eo quòd credit probabiliter eum esse ad id impotentem: quamuis si sciret superiorem falli, non teneretur, per supra dicta, Sylu. vbi supra, quicquid dicat Ros. verb. obedientia. § 10. Quia magis oportet obedire Deo, quàm hominibus, Act. 5. & dicto capite si dominus. 11. quæst. 3. Dixi, *Satis apertè*, quia sufficit vt iubeatur verbis claris, vel obscuris, saris id significantibus. Sufficit enim, vt intentio iubentis, quod ita voluit iubere, intelligatur. cap. intelligentia. de verb. signific. capite rogo. 11. quæst. 3. capite dilectissimis 12. quæst. 1. clem. 1. de rest. adiunctis gloss. & annot. per Felin. in cap. nam. de constit.

40 Dicendum secundo peccare primò, qui transgreditur legem humanam iustam, promulgatam, & receptam, & non abrogatam, obligantem ad mortale sine iusta ignorantia id causante, aut alia iusta causa, aut dispensatione valida, elapso tempore, quod ad obligandum requiritur, cap 2. de maior & obed. ca. 1. 14. quæst 1. Dixi, *Legem humanam*, & non canonicam, quia etiam contra sæcularem potest mortaliter peccare, intra gloss. recept. in cap. quæ in ecclesiarum. de cōst. quamuis illa mihi hoc non dicat. Dixi, *Iustam*, quia iniusta non obligat, qualis est facta à non habēte potestatem, arg. c. 1. de const. lib. 6. & l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. aut principaliter ob vtilitatem priuatam, non autem publicam secundum S. Thom. 1.2. quæst. 90. art. 3. aut contra diuinam naturalem, aut supernaturalem, cap. erit autem lex, 4. dist. & quæ subditis est inæqualis, cap. cum omnes. de const. & Panor. recept. in cap. 1. eo tit. Dixi *Promulgatum*, quoniā lex ante promulgationem, non obligat, capit. in istis. § leges, 4. dist. quod rectè defendit Decius in capit. 2. de constitut.

41 Dixi, *Receptam*, quia antequam recipiatur, saltem per maiorem partem vniuersitatis, cuius pars est trāsgressor, non ligat: quoniam promulgari videtur cum conditione, si recipiatur, saltem per maiorem partem, vt singulariter dixit Domin. in d. cap. leges. per recentiores recept. ibi, & in cap. 2. de constit. & profundius

dius Felin.in cap.1. de treu. & pac. à num. 12. Dixi, *Non abrogatam*, quoniam abrogata per aliam legem contrarium aut per consuetudinem, non obligat, cap.1.de constit.lib.6. & gloss. & omnes in cap.1.eod.tit. Dixi, *Quæ ad mortale obligat*, quia transgrediens eam quæ solùm ad peccatum veniale obligat, venialiter tantum peccat,cap.vnum,§ criminis.25. dist.qui autem solum consultoriam, vel exhortatoriam, nec etiam venialiter peccat.§.fin.4.dist. & cap. fi. 14.quæst.1.nisi faciat id ex cõtemptu iuxta gloss. singul. cap. quis autem, 10. distinct. vt dictum est supra cap. 20.num. 2.

42 Dicitur autem trãsgredi legem ex contemptu quisquis principaliter mouetur ad id, eo quòd illam, vel illius auctoritatem parui facit: non autem qui mouetur & inducitur ad id principaliter per iram, anaritiam,aut aliam causam, etiam iniustam,secundum vtrunque Tho. 2.2.quæst.189.art.9.& Archid.in cap. quicunque 81.dist. & Dominic. in c. nullus. 55. distin. quantumlibet illud inuoluat Fel.in cap.cum quidam,de iureiurã.col.3.& 4.Nec etiam ad id satis est consuetudo peccandi, iuxta S.Tho.mentem 2.2.quæst.186.art. 9. quàm optimè, & dilucidè declarat Caietan.quidquid dicat Richard. in quodlib. 1. quæst. 19. quem sequitur Angel.verb.inobediẽtia.§.1. & verb. feriæ.§.42.& alibi sæpè:quia quamuis consuetudo multum faciat, ad præsumendum prædictum contemptum in foro exteriori, nil tamen facit quo ad interius, vbi sola veritas consideratur,cap.tua. de sponsi. c. humanæ.12.quæst 5. vt etiam illa gl. celebris, in cap. metropolitanum. 2.quæst.7.quæ dicit, eum, qui sine iusta causa transgreditur, videri contemnere,intelligenda est in foro exteriori, non in interiori, per prædicta.Verum tamen est,consuetudinem transgrediendi aliquam legem, multum incitare ad contemnendam illam, ideoque ab ea cauendum est.

43 Dixi, *Sine iusta causa*, quia hæc semper à mortali excusat,iuxta mentem S. Thom. 1. 2. quæst. 96. artic. 6. & 2. 2, quæst. 147. artic. 3. & Archid. in cap. vtinam. 76.dist. & Pan. in tub. de obseruat. ieiun. Illa vero causa videtur iusta, propter quam legislator si præsens foret, eum excusaret per gloss. sing. & receptam in l. tale pactum. §. qui prouocauit. ff.de pact & etiam causa, quæ bona fide pro iusta habetur, & ob quam nisi talem eam iudicaret, contra legem non faceret, à peccato mortali excusat:quamuis nõ à veniali, iuxta mentem Palud.in 4.dist.15.quæst. 4. & Sylvest. verb. ieiunium quæst. 8. quod singulariter explicat Caietan. 44 2.2.quæst.147.art.3.Dixi, *Sine iusta dispensatione*,quia si est iusta,omnino excusat,cap.1. de vot. & cap. de multa. de præb. Immò & si est iniusta,eo solo, quòd sit data sine iusta causa,modo detur absque surreptione per eum, qui sine causa iusta valide potest dispensare,licet sic dispensando peccet, excusat saltem à mortali,secundũ omnes, licet quãdoque non à veniali, iuxta ea quæ nuper scripsimus in com. c. non liceat Papæ.12.quæst.2.§ 4. Dixi, *Elapso tempore*, quia constitutiones Pontificiæ, vel Imperatoriæ non obligant, nisi post tẽpus in ipsis præfixum, si quod præfigatur

præfigatur, aliàs post duos menses ab ipsarum promulgatione facta in authen. vt factæ nouæ cõstitutiones col.5 iuxta opinionem communem, & veram Ant. quam tenuimus in c. 2.de constit. Quamuis lex inferiorum, quæ non præfigit tempus, simulatque promulgatur,& scitur, liget,iuxta communem(& etiam Pontificia,& Imperatoria, si in illa dicatur,vt iam inde à principio obliget) quo ad pœnam intrinsecam irritationis actus per eam prohibiti.Nam quo ad pœnam extrinsecam,semper iusta ignorantia excusat, etiam post quemcumque temporis lapsum licèt postea non ita præsumatur sicut antea cap.præsumitur, de reg. iuris. lib.6.Dixi,*Sine ignorantia iusta cessante illud*,quia vt excusет,oportet quòd 45 sit iusta,& causa actus.Est enim triplex, præfat. ignorantia, nempe, Affectata,crassa siue supina,& iusta. Affectata siue optata est, qua quis ignorat quod scire tenetur:quia non vult scire, quo liberius absque suæ conscientiæ contradictione, vel alia de causa iniusta peccet, iuxta illud psal. relat. in cap. ideo. 37. dist. *noluit intelligere vt bene ageret* : quæ adeo non excusat, aut minuit peccatum, vt etiam augeat ob circunstantiam mali desiderij. Crassa vero siue supina est, qua quis ignorat id quod cõmuniter omnes sui ordinis sciunt, quod contingit per culpam latam, de qua sup.cap.17.nu.177.quæ excusat à tanto, sed nõ à toto. Iusta vero (quæ à Theologis inuincibilis, & à nostris probabilis appellatur) est, qua quis ignorat quod non oportet 46 eum scire. 1. quæst.4. §. norandum, & qua communiter homines eiusdem ordinis adhibita debita diligentia laborant, iuxta S. Tho. vbi supra quæst.76.art. 3. qualis est eius, qui petit consilium à viris habitis pro præditis scientia, & conscienria in id sufficienti, qui falsè illi consulunt,arg.cap. capellanus. iuncta glo. 2.de fer. & eorum, quæ tradit Alex. consi.1.col.4.vol.2.& S.Ant.1.par.tit. 3.cap.10. §. 10. & hæc omnino excusat,quando est causa actus:ignorantia enim interdum est peccati causa, interdum non, sed eius comes. Est causa, quando actus non fieret, nisi ignoraretur. Est solum comes quando peccaretur, etiam si sciretur: & hæc nunquam à culpa excusat: illa verò interdum omnino, interdum ex parte,vt prædictum est.

47 Ex quo sequitur quod non excusantur omnino prælati, medici, aduocati, & alij officiales, qui suas artes exercent sine iusta scientia, & notitia eorum quæ sua officia, & munera prærequirunt,cum inde notabile damnum spirituale, aut corporale proximis euenturum probabiliter credi possit,quia eorum ignorantia non est iusta, cum sit eorum, quæ sui ordinis homines communiter scire solent,& debent,per l. idem iuris.§.1.ff.ad leg. Aquil. & cap. non est putanda.1.quæst.1.

Addo his, quòd licet ignorantia communiter nequeat esse iusta circa legem naturalem, vel diuinam, quo ad eius dispositionem,& quatenus est talis: potest tamen esse iusta quo ad pœnã humanitus statutam, si illa est excommunicationis,secundum Anton. in ca. à nobis 1. de sent. excom.pro quo est casus in cap.2. de sent.excom.lib.6.Immò etiam si sic

alia

alia quælibet communiter non statuta eadē ratione, vt efficaciter defendimus in c. 2. de constit. post S. Ant. 3 par. tit. 24. §. 33. sub fin. cui consentit Ange. verb. ignorantia. §. 4. & Syl. verb. ignorantia. q. 8. & Caiet. 2. 2. q. 76. artic. 3. col. 2. Quod maxime procedit in foro conscientiæ, quo ad quod multos pios quis consolari potest, maxime in materia censurarum, & irregularitatum.

Quæ lex humana obligat ad mortale.

Est tamen quæstio quam hoc in loco optaueramus, vt definiretur à sacrosancto Concil. Trident. quod & optarunt alij, in quibus fuerunt Caiet. 2 2. q. 186. art. 9. col. 4. Henr. de synod. 5 par. art. 1. num. 170. Quæ lex humana obligat ad mortale.

48 Pro cuius aliquali explicatione dico primo iuxta doctrinam S. Tho. 1. sec. quæst. 69. art. 5. communiter per Theologos, & Canonistas approbatam in cap. 1. de constit. non solum leges diuinas, sed etiam humanas iustas, etiā quatenus sunt humanæ, tam sæculares, quam ecclesiasticas posse obligare, etiam in foro conscientiæ, ad peccatum veniale, immò & mortale per cap. 13. ad Ro. & alia multa quæ nuper adduximus in coment. cap. fraternitas. 12. quæst. 2. addendo, mutando, & detrahēdo multa iis quæ Castr. copiosè scripsit in duobus lib. de leg. pœn. in quorum prioris c. 4. latè hoc deducit. Quod ipsum etiam facere possunt statuta ciuitatum, iuxta glo. fing. cap. quæ in ecclesiarum. de constit. receptam quo ad hoc: quamuis illa id mihi non satis dicat. Immò & de facto obligant ad mortale illæ leges, & statuta, quorum authores intendunt per illa ad mortale obligare, iuxta communem, saltem si vt tales receptæ sunt, quod addo, propter 10. dictum infra positum.

49 Secūdo, quòd nullæ leges, quarū latores id non intenderunt, obligant ad mortale. Tum quia nec vllæ diuinæ consultorię, etiam ad veniale, obligant, iuxta S. Aug. cap. vlt. 14. quæst. 1 receptum, & aliquot earum præceptiuarum tantum ad veniale obligant secundū Caie. tom. 1 tract. 25. q. 1. Tum quia vt dixit S. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 9 ad 1. receptus à Ioan. And. & aliis in cap. relatum. ne cler. vel mona. statuta Dominicanorum non obligant ad mortale, nec veniale, sed solum ad pœnam interiorem: quia eorum authores hanc illis tribuere noluerunt. Tum quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l. nō omnis. ff. si cert. petat. l. in agris. ff. de acq. rer. domin.

Tertiò, quòd non obligant ad mortale leges etiam canonicæ, quæ non habent verba præceptiua, vel prohibitiua: sed solum ordinatiua, vel constitutiua, etiam si sint imperatiui modi, qualia sunt illa, facite, dicite, faciant, dicant. clem. exiui. §. & quia de verb. sign. & alia similia, quæ iuxta communem intelligentiam non significēt præceptum nec prohibitionem, iuxta S. Tho. cōmuniter recep. in d. art. 9. probatū à Pan. & communi in c. nam de const. licēt Fel. ibi contra senserit col. 3. cuius opinio procedat in illis, quæ ponuntur in materia, quæ de se ad mortale obligat,

obligat, quia fundamenta eius ad illa sola extendi videntur, & id sentit gloss. recep. in clem. 1. de testib. verb. exhortamus. Quāuis tunc non tam obligat illa lex, quam alia, quæ eiusmodi materiam talem fecit. Exemplum in c. statuimus. de transact. in quo verbum. statuere, importat præceptum, eo quod ponitur in materia alias præcepta, scilicet transactionis iustæ, quæ præcipitur seruari, per c. qualiter. de pact. & l. 1. ff. eod. Ratio huius tertij dicti est, quia illa verba videntur significare, quod quamuis author eiusmodi legis habeat animum vt actus transgrediendi illam legem sit vitiosus, licet ante illam fuisset indifferens, & consequenter voluerit obligare ad veniale, quia vt minimum tale est quilibet actus vitiosus: quia tamen non præcipit, nec prohibet, videntur noluisse obligare ad mortale, iuxt. sing. declarationem Caieta. 1. 2. quæst. 69. art. 4. & d. opusc. 25. q 1.

50 Quarto, quod nullū est verbum latinum, quod solum in aliqua lege positum sufficiēter significet suo significatu originarij, mentem illius latoris fuisse transgressorem obligare ad mortale, nec consequenter illa verba, *Tenetur, Debet, Obligetur*, nec illa, *Præcipimus, Obligamus, Vetamus, Inhibemus, Mandamus, Prohibemus*. Tum quia sunt generalia, & non tam apta ad inducendam obligationem ad culpā venialem, quam ad mortalem, arg. cap. 1. de desponsi. imp. & prin. regulæ S. August. & eorum, quæ habentur 6. Ethic. de præcepto, quod sit actus prudentiæ. Atque ideo in dubio intelligenda potius de culpa & pœna veniali, quam de mortali: cum leges, quæ rectè possunt intelligi de pœna maiori, & minori, in dubio de minori intelligendæ sint. l. interpretatione. & l. si præses. ff. de pœnis. & cap. in pœnis. de regul. iur. lib. 6. Tu quia multæ leges, etiam diuinæ, & naturales præceptiuæ ad solum veniale obligant, vt probat Caiet. vbi supra, qualis est lex de non mentiendo iocosè, aut officiosè sine damno alterius, qualis item lex de non furando minima, de non ridendo immoderate, omnes enim hæ leges sunt præceptiuæ: earū tamen transgressio est solum venialis, secundū omnes catholicos. Tum quia S. Thom. agens de præcepris charitatis. 2. 2. q. 44 & prudentiæ. q. 56. & iustitiæ. q. 122. & fortitudinis. q. 146. & temperantiæ. q. 170. ita comprehendit ea quæ obligant ad veniale, sicut quæ ad mortale, quod speciatim tradit Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. & Cast. tacito eo. lib. 1. de leg. pœn. c. 5. & nos nupet in c. fraternitas 12. q. 2. Dixi, *De se, & suo originario significatu.*

51 Nam de accidentali, quem vsus ecclesiasticus, & communis interpretatio Conciliorum, Pontificum, & aliorum Prælatorum, & Doctorum illis tribuit, omnia & singula verba præceptiua, & prohibitiua posita in l. ecclesiastica, significant in dubio conditorem eius habere animum obligandi ad mortale: nisi aliud in ea positum contrarium indicet per dict clem. exiui. §. cum autem. de verbo. signific. quæ habet, sanctum Franciscum noluisse obligare omnes suos religiosos æqualiter ad omnia, quæ sua regula continet, eo quod ad aliqua ex regula

addidit verbum *præcipiens*, quod ex vi sua ad mortale obligat, & ad aliqua non. Et quāuis responderi posset, esse ibi speciale in hoc verbo, *Præcipio*, posito in ore tam magni Sancti, & authoris tam sanctæ, & arctæ regulæ, & ad subditos tantæ perfectionis, & asperitatis: quāuis item forte expediret ita respondere, quo obligatio multarū legum ecclesiasticarum antiquarū suo pristino statui obligandi restitueretur, quia tamen illa clem. dicit, quod ex significatione, & vi verbi præceptiui nascitur eiusmodi obligatio, iurius esse censeo quousq; aliter interpretetur sancta Sedes Apostolica, sequi prædictos patres clarissimos, & consequenter concedendum est vnum, quod est satis durum populo Christiano, quòd intētio cuiuslibet legislatoris ecclesiastici, vtentis in sua lege verbo præceptiuo aut prohibitiuo, est obligare ad mortale, vt tenet communis in d. cap. nam. nisi per aliquod aliud verbum, aut signum exprimatur contrarium, aut significetur. Et à fortiori si ita dicat, *Arctè præcipimus*, vt cle. dudum. de sepul. in prin. & adhuc à fortiori si ita, *in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus*, glo. cle. si dominum §. ideoque. de rel. & vener. aut, *Sub ol testatione iudicij diuini*, cle. 1. de immu eccl. Cum per huiusmodi additiones obligationis incrementū significetur. Propter quod iustus nobis videtur quod doctissimus Medina dicit in Codice de pœnit. tract. de Ieiunio col. 35. quā dictū Castren. in d. cap. 5. scilicet hoc verbum (*oportet*) in lege canonica positum, tantum obligare, quam illud (*debet*) aut (*obligatur*) quia vsus sanctorum canonum, & ipsorum interpretum ita communiter interpretatur, iuxta gl. cap. 1. de præscrip. lib. 6. & Fort. in l. 1. ff. de iust. & iur. à fortiori lex, quæ cōtinet pœnā præsupponētem peccatum mortale ad hoc obligat quamuis verba præcipiētia, & prohibentia non contineat, cum illa magis quàm prędicta verba animum ad mortale obligandi significet: nam qui vult aliquid, videtur velle aliud, sine quo id esse non potest. l. illud. ff. de acquir. hæred. cap. præterea. de offic. deleg. Atque ideo ad mortale obligat lex, quæ præcipit, aut vetat aliquid sub pœna excommunicationis maioris, aut simpliciter sub pœna excommunicationis; quia de maiori intelligitur cap. pen. de sent. excom. siue addatur, ipso iure, siue non, Caiet. in dict. ar. 9. quia excommunicatio maior, præsupponit peccatum mortale, cap. nemo. cap. nullus. 11. quæst. 3. nisi præexquirat monitionē, iuxta Caiet. in d. art. 9. & Castr. vbi supra cap. 5. Nō est tamen idem de pœna suspensionis, interdicti, aut irregularitatis, quæ aliquando sine culpa adhiberur. cap. si ciuitas. & cap. si sententia. de sent. excom. lib. 6. & cap. si quis viduam. cum glo. 55. dist. Sed sic de æternæ indignationis Dei & SS. Petri, & Pauli, aut alia simili, quæ solùm in statu infælici peccati mortalis locum habet. Et idem dicendum est de lege, quæ continet has, & alias coniunctim pœnas temporarias.

54 Quintò, ex hoc quarto dicto sequitur, quod leges sæculares ad mortale non obligant eo solo, quod verba præceptiua, & prohibitiua contineant. Tum quia nec significatio, & vis eorum originaria, nec accidentaria inducta per vsum sæculatem talem obligationem indicant. Cum manifestū sit reges & iudices sæculares nunquā regulariter interpretatos fuisse ita, vt in eiusmodi legibus talis obligatio cōtineretur: quia principaliter pœnas tēporarias (quas infligere, & tollere transgressoribus possunt) respiciunt. c. factæ. 4. dist. & l. 1. ff. de iust. & iur. & non spirituales, quas nec infligere, nec tollere possunt, etiam ministraliter, vt ecclesiastici. c. ipsi sacerdotes. 1. q. 1. c. quem pœnitet. de pœnit. dist. 1. vers. ipsi enim. & c. quodcunque. 24. q. 1. Tum quia eadem ratione neque etiam leges diuinæ obligationē ad mortale inducūt eo solo, quòd per verba præceptiua ferantur, vt rectè notauit Cast. in d. art. 5. cum vsus iuris canonici sicut robur diuino non adimit. cap. sunt quidam. 25. quæst. 2. clem. ne Romani, de elect. ita etiam non addit, vt quatenus est diuinum, obliget magis quàm ante illum obligaret, arg. cap. cum inferior. de maior. & obed. cap. inferior. 21. distinct. atque ideo voluntas Dei, an fuerit obligandi nos ad mortale, vel non per suam legem, in qua ponitur verbum præcipiens, & mandans, colligenda est ex declaratione Prophetarum, Apostolorum, summorum Pontificum, Conciliorum, aut Doctorum sanctorum, & sapientum, qui sua authoritate, aut rationibus efficacibus illam eiusmodi esse persuadent. cap. secundum. 19. distinct. cap. de libellis. 20. distin. clem. ad nostrum. de hæret. cum eis annot. & eorum, quæ notat S. Tho. quodlib. 6. art. 14.

55 Sextò, quòd quousque contrarium à Sancta Sede Apostolica declaretur, probabilius nobis videtur, leges humanas etiam præcipientes (præsertim sæculares, quæ pœnam temporariam constituunt) in dubio ad ęternam non obligare, quatenus sunt leges eius, qui eam pœnam statuit. Tum quia si hoc defendi iustè posset, defendi deberet, quia conueniret, vt leges humanæ, quæ ad mortale obligarent, paucæ essent. Tum quia multi catholici, in quibus sunt Imo. in rep. 1. cap cum contingat. de iureiur. col. 17. & Fel. in c. 1. num. 18. de sponsa. Caieta in summa verb. clericus. §. verum, & verb. Ieiunium. §. quo ad quartam tenuerunt nullas leges quamuis pœnas temporarias non statuant, quatenus sunt humanæ, ad mortale trāsgressorem sine contemptu, & scandalo obligare: licet nobis oppositum videatur, si constat legem esse iustam, & voluntatem legislatoris fuisse, eius simplicem tranigressorē ad mortale obligare. Tū quia in dubio iudicare debemus legem esse minus pœnalem, cap. in pœnis. de reg. iur. lib. 6. & l. si præses. & l. interpretatione. ff. de pœn. Tum quia qui de duobus propositis alterū affirmat, alterum negare videtur. l. cum prætor. ff. de iud. & c. nonne de præsump. Et ita legislator qui ad pœnā ætnam, & temporariam potest obligare, hanc irrogando, illam excludere videtur, vt dixit Matthæus Mathes. doctor doctissimus notab. 78. Tu quia consuetudo antiqua ita videtur interpretata, præsertim leges sæculares, de quarum transgressione nō consueuit fieri scrupulus conscientiæ, neq;

doctis, nec indoctis, neq; pœnitentibus, nec confessariis, neque aliis cuiusuis conditionis, ordinis, vel sexus hominibus, nisi cum per eas etiã lex diuina naturalis, aut reuelata, aut canonica infringeretur.

56 Tum quia gentiles legumlatores de pœna æterna nil curarunt, & pauciſſimi sæculares ex Christianis reperientur, qui dicant suam intentionem, quando eas ferunt, aliã pœnam temperariam imponendo, esse ad æternam obligare, ad quam diuina, vel naturalis nõ obligat. Tum quia satis superq; probat Cast. lib. 1. c. 9. de leg. pœn. legem pure pœnalem, hoc est legem, quæ constituit pœnam absque aliqua prohibitione, ad aliquam culpam non obligare, quatenus est talis, vt dixerũt Henr. quodlib. 3. q. 22. & Angel. in summa verb. Inobedientiã. §. 1. & nõ est magna differentia realis inter hanc, & illam, quam idem mixtam appellat, quę prohibet, & pœnam decernit, vt sentit Henr. & affirmat Syl. eo. verb. Inobedientia §. ii. qui profecto non erat dignus tanta reprehensione, quãta præfatus Alfonsus Castr. eum reprehendit, eo quod hanc distinctionem verbalem, & puerilem appellasset: quia quamuis, sicut efficaciter ille probat, pœna non semper præsupponat culpã, cap 1. de bigam. lib. 6. cap. 2. §. hæretici de hæret. eo. lib. & l. quisquis. §. filij. C. ad legem Iuliam maiestat. & ideo licet qui constituit pœnam, non semper ad culpam obligare velle, nec præsupponere obligationem ad illam videatur: communiter tamen sic, vt probauimus in cap. ita quorundam. de Iudæ. notab. 1. per illum textum, adiuncto cap. quod olim. eod. titul. Regulariter enim ob culpam statuitur, quamuis interdũ ob solam causam, cap. sine culpa. de reg. iur. lib. 6. & cap. 2. cum glo. de const. & prædicti Henr. Angel. & Syl. loquuntur de pœna constituta ob male commissum vel male omissum. Et sicut ex hac nostra consideratione colligit Syl. vbi supra, vtramque legem ad culpam obligare, quia cum altera obliget, & neutra ab altera in hoc differat, etiam altera dicetur obligare, ita nos contra colligimus, quod cum altera non obliget, & neutra in hoc ab altera differat, etiã altera nõ dicetur obligare: quæ nostra collectio eo magis est recipienda, quam sua, quo mitior est, & magis pœnam minuit. arg. d. l. si præses. ff. de pœn. & cap. pœnæ. de pœniten. distin. 1. Dixi in hoc sexto dicto. *Pœnam temporariam, quæ non præsupponit æternam*, ad excludendam eam, quæ imponit excommunicationem, aut aliam prædictarũ, quas in 4. dicto diximus præsupponere culpam mortalem. Dixi etiam, *In dubio*, ad excludendas illas, in quibus vtraq; pœna exprimitur: & eas, de quarum authoris intentione cõstat, eum ad vtranque obligare voluisse per aliam quam legem, aut consuetudinem, aut per alium modum legitimum. Dixi, *Quatenus sunt leges eius, qui solam temporariam posuit*, quia si sunt etiam leges aliorum, qui ad mortale obligare voluerunt, ad illud obligabunt quatenus sunt tales, per quod respondetur ad. cap. perpetuo. & cap. commissa de elect. lib. 6. quæ pro singularibus citantur ad probandum oppositum

positum prædictorum, scilicet, quod illa exprimunt vtramque pœnam: & quod loquuntur de legibus pœnalibus, quæ pœnam temporariam imponunt ei, qui per transgressionem aliarum, æternam incurrit, vt pridem post Dec. in cap. nam in 2. lectura de constitut. respondimus in dict. cap. perpetuo. non enim intendimus dicere, vnam legem, quæ pœnam temporeriam imponit, tollere æternam per aliam statutam, præsertim quãdo sunt diuersorũ legumlatorũ.

57 Septimo, quod sextum dictum præcedens locum habet etiam in legibus, quæ statuunt pœnam amissionis magnorũ bonorum, & etiam famæ, & alicuius membri, & vitæ: quia eadem ratio in istis, quæ in illis militat. Nec obstat, quod aliqui dicunt, eum qui periculum magnæ iacturæ bonorum, aut famæ subit, mortaliter peccare: id enim non est verum, vt diximus in rep. cap. inter verb. 11. quæst. 3. cum non adest alia circunstantia, quæ mortale faciat. Nec etiam obstat, quod saltem est mortale, se periculo probabili amissionis vitæ, aut membri obiicere: & qui contra hanc legẽ facit, huic periculo se obiicit: quia aliud est dicere aliquẽ peccare eo, quod temere se tali periculo obiicit, quod est quintum Decalogi præceptũ violare, & aliud dicere, eum peccare eo, quod facit contra legem, quæ talem pœnam statuit: nam tãta cautione quis hanc legem violare potest, vt probabile pœnæ ab ea constitutæ periculum non incurrat. Nec obstat dicere, quod ex hoc sequeretur, legem, quæ talem pœnam statueret, iniustã fore, eo quod adeo magnã pœnam statuit ob actum, qui non est peccatum mortale. Tum quia ad legis iustitiam satis est, vt præsumatur mortale in foro exteriori, quamuis tale non sit in interiori. Et legislator præsumere potest, imò re vera præsumit, eum, qui sine iusta causa legem suam iustam violat, per contemptum legis, aut ipsius authoris violare, iuxta glo. quæ ita intellecta est vera cap. metropolitanum. 2. quæst. 7. & concordat communi. quod certum est peccatum mortale esse, per gloss. singu. cap. quis autem. 10. distin. argu. à fortiori. Tum quia non esset iniusta lex, in qua eius lator exprimeret, se nolle, vt illa sui transgressorem ad mortale sine dicto contemptu, & scandalo obliget, sed velle, vt qui sine iusta causa eam transgreditur, præsumatur per contemptum id facere, & ob id pœnam illam incurrere, per dicta S. Thom. & Caieta. 2. 2. quæst. 186 art. 9. & nostrorum in cap. relatum, ne cler. vel mon. Et consequenter etiam iusta erit lex, quæ tacite hoc contineret,

58 quod hoc nostrum septimum dictum intendit, cum solum intendat, quod legislator, qui talem pœnam temporariam ob contemptum præsumptũ exprimit, videtur tacite æternã excludere ab eo, qui sine contemptu eam violat, quod etiam satis aperte sensit Ioan. Imo. in c. cũ contingat. col. 17. de iureiuran. respondens ad multa argumẽta, quæ aptius per hoc, quam per eius responsiones solui possunt. Nec quod etiam soluuntur argumenta, quæ pro contraria parte, maiore verborum apparatu, quam neruorum robore adduxit vbi supra Castr. vt olim expli-

cuimus in rub. de pœn. & nuper in Vrbe in d.c. fraternitas. Ad quæ facit, quod aliquot exercituum ductores nostra ætate laudati sunt, eo quod ob minima furta, quæ de se nō erant mortalia, aliquot milites ad disciplinam militarem conseruandam morte affecerunt.

Octauò, quòd seruandum est id, quod antiqua consuetudo declarauit de intentione legum humanarū, quousque à Sede Apostolica aliter declaretur: quia optima est earum interpres, l. minime. ff. de leg. & cap. 59 cum dilectus de consue. Et credimus, quod consuetudo communis non solùm plebeiorum, & indoctorum, sed etiam nobilium, & doctorum habet, non reputari peccata mortalia in foro interiori trāsgressiones legum pure humanarum, aliquam pœnam temporariam continentium in foro exteriori: nisi sint tales, quæ præsupponant peccatum mortale, vel trāsgressiones aliarum legum diuinarum naturalium, aut supernaturalium. Nec transgressiones aliarum legum præcipientium non pœnalium, factas per ignorantiam non crassam, nec affectam, aut optatam: sed per incuriam, aut oblitionem leuis culpæ, aut cum causa probabili vera, aut pro tali habita, bona fide sine dolo, aut credendo intentionem legislatoris non fuisse, ita obligare in tali casu, quod iuri consonare videtur, iuxta mentem S. Thom in 4. dist. 15. q. 3. & 2. 2. quæst. 147. art. 3. ad 2. Collect. in c. 1. de consti. Card. in c. fi. de obser. ieiun. Caiet. 2. 1. q. 147. ar. 3 quod nō videtur contra mentem Arch in cap. vtinam. 76. dist. nec Pan. in rub. de obseru. ieiun. col. fi. & aliorū à Fel. relatorū in c. 1. de const. si bene ponderentur, quin per hoc omnes fortasse conciliari possunt.

60 Nono, quod ex prædictis elicienda est determinatio plurimarū, & perplexarum quæstionū, quas passim interrogantur docti ab his, qui important in regna, vel vrbes, vel exportant ab eis prohibita inferri, vel extrahi, vel permissa, non soluto vectigali, & portorio, quæ Hispani *Alcauala, & Portazgo*, & Sisa, Itali, & Galli, *Gabella*, vel *Dogana* & *Datio* vocant. Qui item piscantur in fluminibus vetitis, aut montes, vel prata prohibita depascunt, aut cædunt ligna in syluis eis vetitis, & de aliis rebus similibus, qui solam legem humanam ecclesiasticam, vel sæcularem pœnalem, vel non pœna-

61 lem violāt. Per quæ respondetur ad primum his noue quæsitum, quod præposita opinione, quod non peccat importans, aut exportans vetita: peccat tamē volēdo ea defendere vi & armis, ne custodes ei auferāt illa: quia qui resistit iuste aggredienti, peccat, iuxta doctrinam Barto. receptam in l. vt vim. ff. de iust. & iur. Dixi, *Vi, vel armis*: quia secus, si fuga, vel blandis verbis, aut alio modo licito, & honesto id faceret. Ad secūdum autem noue quæsitum, quod Prælatus imponēs aliquam pœnam tēporariam ipso iure incurrēdam facienti aliquid, præsumitur excludere spiritualem per dictum 6. etiam si iuberet, ne confessarius absolueret eum nisi prēuia solutione: quia ille iussus potest operari effectus ab isto, & sic nō erit inutilis, arg. l. ii quādo.

62 C. de inoff. test. imò etiā potest absolui

absolui aut horitare bullaru Papę ante solutionē. arg. gl. fing. adiucto tex. ele. 2. verb. officij, de hæret. Ad tertiu demū, quod vidua realiter fornicata, nō potest sana conscientia retinere bona relicta sibi à marito ea conditione, vt caste viueret, per supradicta. Dixi, *Realiter*: quia secus, si tantū verbo, vel alio actu citra copulā lasciuo: quia non videtur hoc intendisse testator, cuius voluntas est primum attendenda. l. in conditionibus. ff. de cond. & demon.

Decimò, quòd sicut lex in nihilo recepta ad nihilū obligat, vt paulo ante dictum est nu. 40. ita lex in vna sola parte recepta, quo ad illam solū obligat: arg. l. quæ de tota. ff. de rei vēd. quo fit vt aliquot leges obligēt, quo ad suā dispositionem principalem, & nō quo ad pœnā: quia quo ad illam sunt receptæ, & non quo ad hanc: & aliquot quo ad vnam partē pœnę, & non quo ad aliam. Exemplū de extrauag. 2. de reb. eccl. quam definitiuè pronunciauimus olim Salamanticæ in illius diœcesi receptam esse quo ad suā dispositionem, & pœnam intrinsecā annullationis locationis factæ vltra triennium: non autē quo ad extrinsecam excommunicationis: & consequenter fieri posset, quòd aliqua lex humana, etiam ecclesiastica, ligaret quo ad pœnam exteriorem, & nō quo ad interiorē, licet eius lator vtranque imponere intendisset: si quo ad hanc non esset recepta, & quo ad illa sic, sicut & quælibet fundata in præsumptione, ligat in foro exteriori, & non interiori, quoties veritas præsumptioni est contraria. iuxta cap. 15 qui. & cap. tua. de spōs. Equidem optarem, multas leges puræ humanas, siue pœnales, siue non pœnales, esse hoc modo, vel alio consuetudinis, vel declarationis; saltem mentalis earum latorum, quo ad pœnas spirituales, & forum conscientiæ derogatas: quin etiam cuperem, vt omnes legislatores in condendis legibus imitarentur authores instituti Illustrissimi ordinis Prædicatorum, quos alij multi clarissimi ordines imitati sunt, quatenus earum authores, ad nullam pœnam, etiam minimam animæ interiorem, & ad grauem corporis subditos obligant, modo etiam imitarentur eorundem in puniendis eis seueritatem, & diligentiam in foro exteriori pœna corporali, vel alia.

63 Porro ad primū hic noue quæsitum, respondeo, quod collega, vel municeps trāsgrediens statutu imponens pœnam exclusionis à collegio, vel municipio, ipso iure, non tenetur in foro conscientiæ relinquere collegium, vel municipium, antequā iubeatur id facere, per prædicta.

64 Ad secundum, quòd pœnam commissi, siue quæ ipso iure committitur, iustè capere potestis, in cuius fauorem committitur, si iustè fuit imposita, c. potuit. de loca. l. 1. & 2. C. de iur. emphy. secus, si iniustè: qualia sunt, quæ in emptione censuum super immobilibus imponuntur sub pœna commissi, siue rei, super qua imponitur in casum non solutionis per biennium dilatæ, quod iniustè solebat olim poni, & nunc, per multa, quæ non oportet afferre: quia fœ. re. Pius V. id. & aliquot alia, quæ in eiusmodi contractibus fiebant, prohibuit per extrauag. *Cum onus*,

latam anno 1568. & relatam ad verbum supra cap 17 nu.234.& in commentario de Vsuris num.84.Ad tertium,quod non tenetur quis in foro conscientiæ manifestare rem in cõmunem scedisse arg. prædictorum.

65 Ad quartum,quod vere donans emphyteusim, non tenetur soluere in foro conscientiæ laudemium,Immo nec in foro exteriori, per allata latè à Iaſ. in l. 2. C.de iure emphyt. Vendens autẽ videtur teneri ad soluendum illud in vtroque foro,quippe quod videtur esse pars pretij, ob quod emphyteusis fuit minori pretio concessa:quod non videtur tam pœna,quàm interesse,quod in vtroque foro debetur, per l. 3. ff. de eo quod cer.loco 1.& l.1. C. de sent.quæ pro eo,quod inter prof. & glo. cap. conquestus.de vsur.

66 Vigesimotertio peccat,qui iussus à iudice soluere notabilem pœnam ob legem violatam non soluit, secundum S. Tho 2.2 q.62. art.3. recept.Dixi, *Iussus à iudice*, quia non soluendo priusquam iubeatur, non peccat,iuxta glo sing in cap. fraternitas.12.q.2.arg. cap.fine.§.in hoc.33. q.2.& Commu in c.1. de const.etiam si pœna ipso iure, & ipso facto incurratur,iuxta communem recẽtiorum,quod tentauit tenere Fel. in c. audiuimus.de simo.& sensit Anch. in cap.fœlicis.col.3.de pœni.lib.6. & asserit.Sylu.verb.pœna.q.15.& verb. hæretis.quæst.8.Mai in.3.dist. 25.q 3. in fi.& Caiet. in d.quæst.art.1. in fin. Tabien, verbo excommunicatio. 5. casu.2.§.1. quam semper sequuti sumus,& etiam probauimus olim copiosè in rub.de pœnis.& nuper in d. cap.fraternitas. veram esse, quando pœna est talis, quæ aliquam executionem requirit: qualis est amissionis bonorum ob hæresim,aut proditionem.cap.cum secundum. de hæret.lib. 6.& l.quisquis C. ad leg. Iul. maiest. qualis est de soluenda tali, vel tali summa, & regulariter alia quæuis. Tum quia regulariter lex humana sæcularis pœnalis ad pœnã peccati mortalis non obligat, vt dictum est supra proximè, & cap. 17. nu.202.Et sub lege gratiæ omnis lex pœnalis continens pœnam temporariam determinatam, est pure humana quo ad illam, quamuis sit quo ad alia diuina, aut naturalis. Tum quia non est credendum,legislatorẽ,(qui præ oculis semper æquitatem habere debet l. quod si Ephesi.ff. quod cer.loc.) velle facere partem ipsam contra se executricem, arg.l.nimis graue.C.de test.& l. humanitatis. C.de excus.tut.præsertim quando pœna est grauis corpori, honori,aut fortunis. Tum quia cle. 2.verb.officij.de hære.adiuncta eius glo. quam didicimus ex solo Franc. Aret. inl.4.§.Cato.ff. de verb. oblig. cuius nemo ex tot commentãtibus meminerat, probat transgressorem legis nõ solùm à peccato, sed etiam ab excommunicatione ob illud incursã absolui posse, ante solutionem pœnæ ob eam debitæ. Tum quia consuetudo,quæ est optima legis humanæ interpres,cap. cum dilectus.de consuet.id habet.

67 Dixi, *Regulariter*, quia id fallit in pœna excõmunicationis,suspẽtionis.interdicti, irregularitatis, amissionis beneficij ipso facto, & aliorũ similium,quæ executionem indicis non requirunt, considerata mente, saltem

saltem tacita,legislatoris,qui voluit vt pars ipsa cõtra se foret executrix. Quod quamuis in aliquibus pœnis spiritualibus, & aliis paruis temporariis iustè velle possit,in aliis tamẽ grauibus,(vt credimus,)non posset: quia præberet magnã subditis peccandi occasionem, qui naturaliter recusant fieri pœnarum contra se ipsos imposirarum executores, contra cap.ex parte. de const.& l.conueniri.ff. de pact.dot.vt sensit Anch. in c.possessor.nu 21. de reg.iur.lib.6. vt vbi supra dicimus respondendo ad fundamẽta Castr.in lib. 1.de leg.pœ. & communis nostrorum in d.c.1. de consti. quorum opinio locum habet in pœna imposita à restatore iuxta gl.in cap.Raynaldus à Pan. & communi ibi recept. de testa.nõ eo solo, quod ipso iure, & facto incurritur, sed quia potius est legatũ conditionale,quam pœna,iuxta Caie.in summa verb. pœna. & ante ipsum. Pan. vbi supra sensit.Est etiam eidem locus in pœna conuentionali,quã partes in suis contractibus adhibent, secundum Fel.in c.1.de consti.nu.43.& Deci.ibidem nu.2.Quorum opinio, quamuis hactenus placuerit,nũc tamen plurimum displiceat. Tum quia Ancha.in d. cap.possessor,cuius illos ad id authoritas mouit non id affirmat. Tũ quia nemo quãlibet iustus, & religiosus eam nisi coactus soluit. Tum quia cum in omnibus ferè instrumentis contractuum apponãtur pœnæ,& frequentissimè incurrãtur, maxima mũdi pars ad magnam restitutionẽ teneretur:duramque confessariis esset, negare absolutionem iis,qui restituendi firmum propositum non haberent:quales essent ferè omnes,qui huiusmodi pœnas incurrissent. Tum quia viros honestos dedecet pœnam accipere,nisi quando ob interesse accipitur, cap.suam. de pœn.& d. cap.fraternitas.12. q.2. quãuis de rigore iuris exigi posset.

68 Tum quia videtur nõ esse partibus eiusmodi pœnas in suis cõtractibus constituentibus intentio, vt qui eas incurrerit, vltro solutionem earum offerat,vt solutionem debiti principalis offerre debet: sed vt per eas.ad obseruationem cõtractuum cogantur, vt per pœnas ad legum obseruationem Tum denique,quòd non solùm communiter tam boni, quam mali ita concipiunt:sed etiam consuetudo ita interpretatur. Quare limitanda est eorum opinio, vt procedat in illis pœnis, quæ in satisfactionẽ interesse debentur,iuxta Ancha recep. cap. peccatum. de reg iur. lib.6.nu.10. Hæc enim pœna licèt sit pœna ex parte soluentis: non tamen est ex parte recipientis, secundum omnes,& hoc sentit glo.recept. quæ vltima est d.c.peccatum. Itaque qui eam incurrit,ad eius solutionem in conscientia tenetur, aut saltem ad tantam eius partem,quãtum est verum interesse eius,cui debetur, iuxta latè tradita per textum,gl. & doctores in l.1.C.de sentẽ.quæ pro eo quod inter.profer.

De Auaritia,secundo vitio capitali, & filiabus eius.

SVMMARIVM.

66 *Auaritia quid, & quæ contraria est iustitiæ.& charitati.& 72.*

69 *Liberalitas virtus inter quæ vitia media.& 70.*

70 *Prodigalitas quid, & quæ mortalis.*
71 *Pecunia dicitur numerata, & quicquid ea est æstimabile.*
72 *Iustitia omni genere suo mortalis.*
73 *Auaritia in retinendo superflua quæ mortalis.*
74 *Beneficiarius superflua retinens, vel profutis impendens, peccat mortaliter.*
75 *Auaritia capitale vitium has septẽ hal et filias.*
76 *Duritia cordis quæ mortalis, & vt confitenda.*
77 *Prudentia vera, & carnis, seu mundi quid, & quod differant.*
77 *Astutia quid, & quod duobus ministris vtitur.*
77 *Dolus, & fraus quid, & sunt genus, & species.*
78 *Pretium rerum iustum quid, & est triplex. & 79.*
79 *Merx penes vnum cur pluris valet, quam penes alium.*
80 *Valor rei iustius est quo præsenti pecunia vendi potest.*
81 *Pretium non augetur periculo recipiendi rem creditam.*
82 *Pretium auget, nec minuit dilata solutio.*
83 *Pretium auget vtilitas vendentis, non vtilitas vel necessitas empntis.*
84 *Pretium minuit copia venditorum, & auget paucitas eorum.*
85 *Pretio maiore, vel minore dimidio, vt peccatur.*
87 *Retinendi pactum diminuit pretium.*
87 *Pretio minore iusto emere quis non peccat.*
88 *Pretium quando taxandum, & taxatum vt seruandum.*
89 *Emens, vel vendens aliud pro alio, vel vtilius pretiosiore, vt peccat.*
90 *Vendens arma timiste bellaturo, vel alia nocua, vt peccat.*
91 *Emens triticum, vel vinum tempore messis vel vindemiæ, vt excusetur.*
92 *Emens vel vendens monopolio, vel solus privilegio, vt peccat.*
93 *Vendens vetita infidelibus vt peccat, & est excommunicatus.*
94 *Pecuniæ publicæ Custos, ea & vtendo, & emendo vt peccat.*
95 *Hominis liberi emptio regulariter illicita.*
96 *Emptio liberi hominis alioqui perituri, licita.*
96 *Emptio Aethiopum liberorum pro seruis vsitata, peccatum.*
97 *Proxeneta vendens pluris, quam sit mandatum, qui restituet & 98.*

89 PRænotandum primò, quòd *Liberalitas*, est vna virtutum attributarum iustitiæ, quæ dicitur pars eius potentialis, de qua sanct. Thom. 2 2. quæstio. 117. Quæ ex eius mente, & Aristo. 4. Ethi. definiri potest, esse *virtus inclinans ad appetitum dandi ordinatè pecuniam*, Datur autem ordinatè, cum datur quid, cui, vbi, quomodo, & propter quod oportet.

Secundò quòd, quia quælibet virtus consistit in medio duorum vitiorum extremorum, quorum alterum opponitur ei per defectum, alterum per excessum, vt dictum est supra eodem cap. nume. 2. Ita liberalitas consistit inter vitia auaritiæ, quod opponitur ei per defectum appetitus dandi, & vitium prodigalitatis, quod opponitur eidem per excessum appetitus dandi. Et consequenter *Auaritia definitur esse vitium, inclinans ad inordinatum appetitum pecuniæ* ex mente eiusdem S Thom. quæst. 118. art. 1. & quod *Prodigalitas est vitium inclinans ad appetitum inordinatum effusionis pecuniæ*, de qua S. Tho. ibidem. quæst. 119. Ille vero appetitus quærendi, vel effundendi pecuniam, dicitur inordinatus, cui deest aliqua prædictarum circunstantiarum.

70 Tertiò notandum, quòd, quia prædicta inordinatio potest contingere in damnum alterius, & sine illo, fit, vt auaritia quæ habetur sine damno alterius, opponatur tantum liberalitati, & de se fit venialis tantum, & quæ fit cum alterius damno opponatur etiam iustitiæ, & de se fit mortalis. Et eadem ratione prodigalitas, quæ fit sine damno alterius, opponatur tantum liberalitati, & de se fit venialis tantum. Prodigalitas verò, quæ fit in damnum alterius opponatur etiam iustitiæ, & de se fit mortalis, secundum mẽtem S. Tho. recept. in prædictis duabus quæst.

71 Quartò, quòd per pecuniam intelligimus hìc pecuniam numeratam, & quidquid est ea æstimabile, iuxta cap. totum 1. quæst. 3. & consequenter quòd appetitus dandi, vel retinendi pecuniam per se nec est bonus, nec malus, sed indifferens. Ita quòd rectè ordinatus est bonus, & praue ordinatus est malus, vt supra eod. cap. nu. 9. diximus de appetitu gloriæ, honoris, & famæ.

72 Quintò prænotandum, quod auaritia est vitium capitale, siue cardinale, iuxta S. Gregorium li. 31. Moral. & S. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 7. quia est fons saltem aliorum vitiorum, quæ suapte natura tendunt in finem, quem auaritia prætendit. Primùm est dutitiæ cordis, quod est vitium à compassione pauperum auertens, & sæpe ad nimium seruandam pecuniam tendit. Secundùm inquietudinis mentis, quod est vitium animum ab ordinata quiete auertens, & frequenter nascitur ex nimio adquirendi studio. Tertium violentiæ, quod est vitium ad vim inferendam inclinans, & frequenter in eundem tendit finem. Quartum, fallaciæ, quod inclinat ad decipiendum verbis, & sæpe in eundem sit finem. Quintum periurij, quod est vitium inclinans ad decipiendum verbis iuratis, quod in eũdem finem sæpe fit. Sextum, fraudis, quod est vitium inclinans ad decipiendum factis, quod ad personas, iuxta sancti Thom 2. 2. quæst. 118. artic. 8. sit quia supra actum est de periurio in secundo præcepto, in cap. 12, & de proditione in cap. 15. de violentia in 17. Et de fallacia, in 18. de reliquis tribus hic agendum est.

73 Circa auaritiam igitur peccat mortifere primo, qui deliberatè, & inordinatè appetit quærere, vel retinere pecuniam in damnũ notabile alterius. ca. pœna. 14. q. 5. adiuncto cap. sæpe. de restit. spol. Dixi, *Deliberatè*, quia ordinatè appetere est virtus. Dixi, *Pecuniam*, quia appetitus aliarum rerum non est verè auaritia. Dixi, *In damnum alterius notabile*, quia sine illo solum est venialè, per dicta in dicto cap. 11. nu. 4.

Secundò peccat mortifere, qui inordinatè retinet, aut prodigit pecuniam in alterius damnum: quia horum prius est actus auaritiæ, non solùm qua parte opponitur liberalitati: sed etiã, qua opponitur iustitiæ:

&

& posterius est etiam actus prodigalitatis vtrique contrariæ: & constat omnem iniustitiam suo genere esse mortalem, vt docet S. Thom. recept.2.2.quæst.59.art.4.& idem de illo qui periculo probabilis mortis corporalis, aut spiritualis propter appetitum pecuniæ quærendæ, vel effundendæ se obiicit, secundum mentem vtriusque Tho. in d. quæst. 118.art.4.ad 3.& 119.art.3.

74 Tertiò peccat, qui pecuniam superfluam,hoc est,maiorem, quàm necessitas vel decentia status requirat seruat,cupiditate inordinata delectandi se illa,indies eam augẽdo; & non subueniendo pauperibus, secundum Caiet. in d.quæst.118.art. 4. sub fin. Quod est certum, si id faciat negando opem extremè egenti,vel trasgrediendo aliquam aliam legem ad mortale obligantem, per supradicta,& etiam secundum eum si id faciat ad solum se delectãdum eius possessione,non erogando pauperibus occurrentibus: quia transgreditur legem, qua diues tenetur superflua illis erogare: licet enim nullis eorum teneatur illa singulis erogare, tenetur tamen erogare aliquibus,quos elegerit,capit. sicut hi. 47.distinct.cum concord. Adeo quidem,vt ad id cogi posset, secundum gloss.communiter recep.& putatam sing.in d.cap.sicut hi.quæ tamen habet duas similes. Ampliatio tamen hęc non videtur tenenda Tum quia æquiparat laicos beneficiatis quo ad necessitatem faciendi eleemosynam, contra S. Thom. & communem, vt infra insinuabitur. Tum quia videtur noua, & nullibi gentium recepta. Tum quia consequeretur,quod quolibet tempore,etiam affluentiæ, posset Iudex cogere laicos diuites ad dandum superflua pauperibus,quod videtur durum & contra præfatas gloss.quæ significãt id solum fieri posse tempore grãdis necessitatis, in quo solo posset procederehæc opinio.Dixi, *Inordinata*, quia coaceruare ad prouidendum futuræ necessitati suæ, vel suorum, maximè filiorum collocandorum matrimonio vel munere aliquo,aut gradu honestandorũ,vel Reip.cuius est Princeps,ab inimicis defendẽdę, non est actus vitiosus: sed prudẽtiæ, immò nec si id faciat ad augendum suum statum,& se in altiorem ordinem promouendum, quo altioribus virtutibus seruiat Deo, & Reipub. iuxta sapientiam, vel prudentiam à Deo immediate, vel mediate acceptam,ex mente Caiet. vbi sup. art. 1. alioquin nullus plebeius iustè suum statum mutare posset, aut nobilis suum augere,quod est absurdum, & ideo non dicendum.l.nam quod absurdum. ff. de bonis liber. nec ob id dicetur habere tale superfluũ, quod de præcepto pauperibus teneatur erogare,iuxta dicenda.in cap.seq.

75 Quartò peccat beneficiarius ecclesiasticus qui non erogat superflua,quæsita ex reditibus ecclesiasticis pauperibus, vel piis operibus, siue id faciat auare retinendo, siue prodigè impendendo, iuxta mentem sancti Thomæ quodlib. 6.artic. 12.quia vt rectè insinuat Caietanus 2.2 quæst.118.artic.4. est contrarium iustitiæ, non solum legum canonicarum sed etiam naturalium, quod nos latius olim probauimus in cap. 1.& cap. cum secundum. de præb. & nuper latissimè in Apologia lib. de red.quæst.1.monit.27.& 38.

De filiabus auaritiæ, duritia cordis, & inquietudine mentis.

76 Per duritiam cordis, & inquietudinem mentis peccant, qui non subueniunt pauperi quoties tenẽtur de præcepto obligante ad mortale, quod quando cõtingat dicetur in c. seq. aliàs enim hæc venialia tantum sunt. Immo,& quia hęc fere nunquã sunt mortalia, nisi coniungantur aliis actibus mortalibus,non sunt necessario confitenda: quia satis est confiteri illa mortalia,quæ per prædictam duritiam, & inquietudinem admittuntur, vt recte adnotauit Caietanus.

De emptione, & venditione, dolo & fraude filiis auaritiæ factis.

77 Per astutiam vero, dolum vel fraudem peccant primo,qui contrahendo, vel quasi contrahendo afficiunt aliũ damno notabili per commutationem rei minoris valoris, vel pretij minoris pro alia maioris, vel pretio maiori, quia id est contra septimum præceptum, & contra illud ad Thes.cap. 4. *Ne quis supergredia tur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* cap.1.de empt.

Pro quibus facit primo,quod prudentiæ veræ duo vitia sunt cõtraria per similitudinem, prudentia carnis, vel mundi, & astucia in malam partem accepta. Nam vera prudẽtia est virtus, quæ inclinat ad quærendum vera bona per verè bona media, iuxta Arist.4.Ethic.& S.Thom. 2.2. quæst.57. art. 1. Prudentia verò carnis, vel mundi est vitium inclinans ad quęrendum bonum apparens, & non existens per bona,vel mala media. Astutia verò est vitium inclinans ad quærendum vera bona per media mala,iuxta eũdem recep.2.2. quæst.55.artic.1.2.& 3. Cuius astutiæ ministri sunt duo,dolus, qui est circunuentio mala ad decipiẽdum adhibita l. 1. ff.de dol.& comprehendit tam eam,quę fit verbo tãtum, quam quæ facto tantum, vel vtroque modo. Fraus autem,quæ tantum facto fit: ita quòd fraus est species doli, quod eleganter insinuat Iurisc. in l. iurisgentium. §. sed si fraudandi. ff. de pact.dicens,fraudem inesse dolo, quod soleter exponit Accurs. de illa inhæsione, qua species inest generi,& clarius S.Tho.vbi sup.

78 Secundo, quod pretium iustum rei (cuius notitia maximè necessaria est plurimis vtriusque iuris, & aliquot Theologię locis intelligendis) est pretium pecuniarium, quo communiter æstimatur res valere tunc, attenta illius intrinseca bonitate,& vendentis vtilitate,loco, tempore, & copia, vel defectu rerum illius generis,& emptorum,& venditorum earum, & modo vendendi eam, statutum,à gubernatione loci, vel domino rei. Dixi, *Pretium*, pro genere,& *Pecuniarium*, ad excludendum pretium affectionis,de quo l. si in emptione,ff.de minor. Dixi, *Communiter*, ad excludendum pretium priuati affectus, quo vnus vel alter rem suam æstimat.l.pretia rerum. ff. ad l.Falcid.Dixi, *Tunc*: quia præsens tantum æstimatio,& quam habetur

vendita

vendita præsentis pecunia, est attendenda, l. in lege falcidia. §. fin. ff. ad leg. Falcid. Dixi, *Attenta bonitate intrinseca*, quia ob eam vna res pluris valet, quam altera eiusdem speciei, & quantitatis. l. vbi autem non apparet. ff. de verb. oblig. Dixi, *Vtilitate vendentis*, quia venditor tanto pluris vendere potest rem aliquam vnius generis, quàm alij similes, quanto vtilior est illa ei, quàm aliæ illis, secundum S. Tho. 2. 2. quæst. 6. art. 1. & Scotum in 4. dist. 15. quæst. 2. communiter receptos, secundum quos vtilitas emptori prouentura, vel necessitas habendi eam, nil pretium auget. Dixi, *Loco*, quia eadem res plutis valet in vno loco, quam alio. l. 1. & toto tit. ff. de eo quod cert. loco. Dixi *Tempore*, eadem ratione. l. vinum. ff. de reb. cred. Dixi, *Copia vel defectu*: quia hic auget, illa minuit, secundum omnes. Dixi, *Emptorum, vel venditorum*: quia copia horum minuit, & defectus minuit etiam secundum omnes. Dixi, *Modo vendendi*: quia minoris valet merx quum rogatur emptor, quàm quum rogatur venditor, iuxta illud vulgatum. *Vltroneæ merces vilescunt*. quo fit vt idem pannus, & idem liber maioris valeãt in taberna mercatoris, quam in manu proxenetæ quærentis emptorem, & longe minoris valeant spolia, quæ victor exercitus vendit statim à direptis hostium castris, quàm alia eiusdem generis, quæ etiam à proxenetis deferuntur, vendenda vrbibus pacaris. Dixi, *à Gubernatore*, quia illius est illud statuere. l. 1. §. cura carnis. ff. de offic. Præf. V. b. Dixi, *à Domino*, quia deficiente æstimatione communi, & Gubernatoris, potest ipse Dominus illud statuere, cõsideratis industria, impẽsa, & labore, quem illis deportãdis de vno ad alium locum suscepit, & periculo, quod transferendis mercibus subiit: sollicitudine item, & impensa illas conseruandi, Gabr. in 4 dist. 5 quæst 10.

79 Tertiò, quòd, vt cum primis dixit Scotus in 4. dist. 15 quæst. 2. pretium iustum non consistit in indiuisibili, immò habet latitudinẽ, cuius extremũ inferius appellatur pium, & superius rigorosum, & quod inter illa duo interiacet medium, vel moderatum. Verbi gratia, vnius vlnæ panni iustum pretium dicentur decem Iulij, vno plus, vel minus: ita quod vndecim erunt rigorosum, nouem pium, & decem, & quodlibet aliud interiacens medium, vel moderatum. Ex quibus infertur primò, non solùm pretium alicuius rei iustum esse illud, quo communiter in aliqua regione venditur: sed etiam illud, quo in hoc loco, tempore, & modo vendendi, communiter haberi potest. Secundò, quòd non est peccatum expectare tempus, locum, & casum, in quo res vilius vendatur, vt aliqui expectant fines nundinarum, in quibus vt plurimum ob copiam venditorum, & defectum emptorum, merces minoris valent: & alij auctiones publicas bonorũ viuorum, vel defunctorum, & alij delationes mercium proxenetarũ: nam necessitas venditoris non facit emptionem iniustam, vt probat Caiet. in d. art. 1. & in summa verb. emere.

80 Quartò, quòd dictum illud commune, *Tanti valere rem, quanti vendi potest*. l. 1. §. si hæres ff. ad Treb. l. quære

l. quærebatur. ff. ad l. Falcid. l. si quis vxori. §. vlt. ff. de furt. intelligendum est de pretio, quo vendi potest in illo loco, tempore, & modo communi vendendi venditoris, præsente pecunia, arg. l. pretia rerum ff. ad leg. Falcid. iuxta Alex. ibi: modo cessent omne monopolium, fraus, & dolus, iuxta S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 16. §. 2. per l. 1. C. de monopol. in quibus est astutia illa depromẽdi in forum multa venalia, quo pretium decrescat, & emendi deprompta, quo pretium augeatur.

81 Contra prædicta facit opinio Medin. in C. de rebus rest. quæst. 39. tenentis res carius vendi posse credito, quam præsenti pecunia, & vilius emi ea anticipata: quia modus vendendi videtur augere, vel minuere pretium propter periculum, quod contingere potest, eo quod debitor fieri potest inops, & impotens ad soluendum pretium, vel tradendam mercem, vel ingratus, & malignus, qui nolit id facere: sed eam neruosè confutat Sotus lib. 6. q. 4 ar. 1 de iust. & iur. & nerosius confutari potest eò, quòd est noua, & contra omnes alios Theologos, & Canonistas, & quòd Ecclesia declarauit id esse illicitum, per cap. in ciuitate. de vsur. per quod soluuntur omnia eius argumenta, cum ex illo inferatur, Ecclesiam Catholicam determinare pericula illa non esse magis considerabilia ad augẽdum pretiũ, quàm ad aliquid dãdum vltra sortem mutuanti, & lege ipsa naturali, & diuina, qua vetantur vsuræ, concluditur illa non esse considerabilia in mutuo ad augendum pretium.

82 Facit secundo, quòd præfatus Sotus tenet licitã esse emptionem lanarum, anticipata solutione minoris iusto pretio, modo illa fiat ante annum: & quod etiam mercator deferens per mare magnam mercium quantitatem, potest credito vendere maioris iusto pretio, quo venderet pecunia præsenti: quæ tamen opinio non est tenẽda. Tum quia noua est, & rationes eius infirmę, & eque fere cõcludentes opinionem Med. quam reprobat, ac suam. Tum quia iustius potuit cõcedere mercatoribus aliatum merciũ facultatem carius vendendi propter verum interesse lucri cessantis (quam tamen eis præfatus Sotus negat) quàm mercatoribus lanarum, & mercũ nauticarũ propter respectus quos tangit. Nã quidquid ille dicat, certum est nobis cum cõmuni, licere in foro cõscientiæ mercatori carius vẽdere propter verum interesse lucri cessantis, monito emptore, quod vere coram Deo cessat lucrari propter dilatã solutionem, tantum quanti maioris iusto vendit ei merces ob dilationem: & quòd si nolit emere ea cõditione, nõ emat, Qua solà ratione possent etiam defendi supradicti emptores lanarum, & venditores nauticarum mercium si vere coram Deo interueniret tantundẽ interesse lucri cessantis, quanti carius ob dilatam solutionẽ vendunt. Dixi, *Foro conscientiæ*, quia in exteriori difficile excusaretur, attẽta præsertim extrauag. Pij. V. relata c. 17. nu. 283. Quare eædem leges seruandæ sunt in lanis, & nauticis mercibus vendendis, quæ in aliis.

83 Ex quibus omnibus sequitur primò quòd nõ peccat qui rem, qua magnopere opus habet, importunitate

tate alterius ei vendit tanto pluris iusto pretio, quanto damno (saltem affectionis) eius venditione afficitur. Secundò quòd peccaret qui hoc faceret ob magnā necessitatem emptoris, vel magnam vtilitatem, quæ inde illi proueniret, iuxta S. Tho. & Scot. sup. citatos: licet honestum esset, vt emptor, qui eo multum lucraretur, aut se iuuaret plus aliquid iusto pretio venditori daret secundum eosdem. Tertiò, quod licet minoris iusto pretio aliquid emere, quando plurimi refert venditoris eam vendere, & emptoris parui eam emere, & pietate motus emit: vt cum quis emit à paupere suam operam solo victu, quē ei præbet, ne fame pereat, Syl. verb. emptio q. 7. Quartò, quòd etiam licet emere minoris prædium aliquod cum pacto, vt vēditor, quādiu vixerit, fructus eius percipiat: aut in tot annos, quam si fructus statim percepturus esset Maior. in 4. dist. 15 q. 40. Pro quo est text. in cap. cum Ioannes. de fid. instr. Quinto, quòd etiam licet venditori vendere dilata solutione, tanto plus addendo pretio iusto postea soluendo, quantum credit se in eo recuperando insumpturum, modo proponat id remittere debitori, si absque impensis stato die soluerit, Maior vbi sup. Quod non videtur tutum Syl. in Rosa Aurea casu. 6. Quia venditor potest mutare voluntatem, aut eius obliuisci, aut mori: & ita emptor cogi totum soluere: sed occurri potest omni periculo, tradente venditore schedam subscriptā, qua promittat se tantum de pretio remissurum, si stato die soluat, quantum iusto pretio adiecit, sine causæ remissionis expressione, ne in foro exteriori præsumatur vsurarius. Per quæ omnia clarent verba posita supra in prædicto 6. peccandi modo. Cui addo, quòd si deceptio fuit vltra dimidiū iusti pretij, deberet rescindi contractus, vel pretium suppleri, vel diminui in vtroque foro l. 2. C. de rescin. vendi. & cap. cum dilecti. de emptio. & vend. cum ann. eis. Immò & si deceptio fuit vltra quartam partē iusti pretij cum pacto de retrouēdendo in regnis Lusitaniæ per statuta regia lib. 4. Ordina. tit. 14. §. *& sefosse*, tit. 27. § 1. & 2. Et si deceptio esset in parte minore dimidio, & etiam quarta parte iusti pretij, modo esset notabilis, peccaretur cum obligatione restituendi in foro interiore, iuxta S. Thom. 2. 2. quæst. 77. artic. 1. & etiam in exteriori canonico per viam denunciationis, vt efficaciter probanimus in cap. nouit. de iudic. notab. 6. nu. 114.

85 Admonemus tamen hoc loco id, quod ibi non fecimus, nempe quòd ad rescindendum hac ratione contractum, non solum oportet probare rem emptam, vel aliàs commutatam, tempore contractus tanto pluris aut minoris valuisse in illa regione, iuxta communem æstimationem: sed etiam, tanto pluris aut minoris valuisse in illo loco, & tempore, & modo vendendi, quando, vbi, & quo modo vendita fuit. Et quod etiam emptor, qui præcenderet rem non esse emptam pretio minore iusto, probare poterit anno illo, tempore, & loco homines laborasse caritate annonæ, bello, vel peste, aut alia simili calamitate, ob quæ fuit tunc abundantia vendentium

tium res venales eiusdem qualitatis, cuius erat empta, & penuria pecuniarum, & emptorum, ob quod venditores rogabant emptores, qui ægre emebant. Quo probato, probaretur res empta multo minoris valuisse, quam alio tempore, vel loco, per dicta supra eod. cap. à nu. 78. Et etiam venditor, qui prætenderet rem non esse venditam pretio maiore iusto, posset probare prædicta contrario modo se habuisse. Et ideo non sunt facile consulendæ huiusmodi lites: Tum quia sunt periculosæ: tum quia nemo facile condemnare debet in iudicio, vel extra eos, contra quos intenduntur, præsertim si damnum passus sciebat se illud pati, & erat talis persona, quæ illam vel eius partem donare poterat, & sponte absque vi, metu, & graui necessitate id passus est. Quia potest iudicari voluisse illud damnum donare, secundum Petr. ab Anch. in c. peccatum. de reg. iur. lib. 6. num. 22. argu. l. quisquis. C. de rescin. vendit. adiuncta l. quod quis sciens. ff. de condit. indeb. quem post Salyc. in aurhen. sed hæc. C. de vsur. quæst. 21. defendimus in cap. nouit. de iudic. notab. 6. num. 61. Tum quia via denuntiationis euangelicæ est fragilis contra negantem deceptionem, per notata in d. cap. nouit. & iudices sæculares iam non permittunt alia via tractari huiusmodi lites apud iudices ecclesiasticos.

86 Admonemus item dicta supra cap. 17. à nu. 247. quod pactum de retrouendendo multum diminuit de pretio, & consequenter leges, quæ loquuntur de deceptione vltra dimidiam, vel quartam partem pretij, debere intelligi de dimidia, vel quarta pretij per tale pactum diminuti, frequenter enim tale pactum quartam partē, vel ampliorem pretij diminuit. a. rgum. extra. u. 1. & 2. de empt. quatenus probat, annuū censum duodecim emi posse iusto pretio 100. cum pacto de retrouendendo perpetuo, qui sine illo valeret 200. & amplius.

87 Secundò mortaliter peccat, qui vult deliberate emere, aut per alium contractum obtinere aliquid minoris iusto pretio pio: aut vendere, vel dare per alium contractum carius iusto pretio rigoroso notabiliter, secundum omnes. Dixi, *Deliberate*, ad excusandos innumeros, qui sensualitate ad id prouocante, sine iusta deliberatione eiusmodi desideria concipiunt. Syl. in Aur. ros. cas. 15. Excusatur etiam à mortali, qui non vult emere rem minoris iusto pretio, quod valet in loco, tempore, & modo, quo emit: sed sic minoris pretio pio, quo venditur in officina, aut vbi emptores rogāt. Ob quod à mortali excusantur scholastici malentes emere libros aliorum discedentium, aut vita functorum, minoris iusto pretio pio, quam in officina bibliopolarum valent apud venditorem, eo modo quo eos vendit. Et qui obseruant occasionem emendi pannum, telam, aut alia in actionibus, vel à proxenetis quærentibus emptores mercium sibi ad vendendum traditarum: quæ minoris æstimantur, & emuntur. Qui verò per ignorantiam probabiliter emit, aut vendit notabiliter iniuste, non peccat, donec id resciuerit, & satisfacere noluerit, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 77.

art.2. & S. Anto.2. part.tit.1. c.16.§ 3. & alios, quos adducimus in repet.c. nouit.de iudi.n.ab.6 nu.66.

88 Tertiò, peccat mortaliter, qui vendit triticum, aut aliquid aliud æstimatū certo pretio iusto à Repub. maiore notabiliter illo, cum obligatione restituendi illum excessum, secundum Med. Codi. de resti. q.36. & Castr. de leg.pœn.lib.1.c.12. nec à peccato excusat pœna in edicto æstimatorio statuta, secundum eosdem: nec donatio emptoris facti in emptione: quia præsumenda est non esse facta voluntate libera: sed necessitate coacta. Dixi, *In emptione*, quia facta postea, cessante necessitate, excusaret, per dicta supra c.17. num.81. Qua in re quod dicitur de laicis, dicendum videtur de clericis, quia quamuis hi legi sæculari non subiiciantur, subiecti tamen sunt legi naturali, & diuinæ, quæ præcipit, ne quis sua vltra iustum pretium vendat. Iustum autem pretium est, quod ab habente in id potestatem præstituitur. secūdum omnes, quod etiam tenendum est in terris, vbi limitatur pretium rei in eis collectæ, & nō aliunde importatæ, etiam si res clericorum æque bonæ sint, ac importatæ. Quia licet ipsi ita sint exempti à iurisdictione edicentis, ac exteri, cap. decernimus de iudi. & cap. si diligenti. de foro compet. & etiam sua quo ad aliqua cap. bene quidem. 96 dist. & c. ecclesia Sanctæ Mariæ. de const. cōfitendum tamen est, illa quo ad aliqua alia magis subiici illi quam extera: & quod causa prouidendi necessitati suæ Reipubli. iuste potest dari priuilegium bonis externis, vt tam subditi, quam externi possint importare illa vendenda in suis terris, excludendo ab eo bona suæ terræ, quæ sunt exemptorum ab eo. Quamuis charitatis christianæ foret, vt Principes ecclesię, qui maiore misericordia resplendere debent, taxas, & pœnas sæcularium, quas ob misericordiā faciunt, suis ædictis iuuarent. Dixi, *Iusto æstimatum*: quia æstimatio iniusta non obligat, saltem in foro conscientiæ, secundum omnes. Arbitror autem rarissime ponendā esse hanc taxam. Tum quia dat occasionem vendendi corrupta, & fere inutilia eodem pretio, quo sincera, & vtilissima. Tū quia, superueniente maxima necessitate, tollitur omnino taxa, & illa non occurrente, parum est necessaria. Tum quia nemo diuitum vult mutuare, nec vendere credito res taxatas nisi pretio taxæ etiam tempore abundantiæ. Tum quia præbet occasionem innumerorum peccatorum mortalium, mille modis taxam fraudāribus: quorum vnus est nolle vēdere rem taxatam, puta triticum, nisi ematur etiam non taxata: puta vinum duplo, & quadruplo maiore pretio, quam valet, quem speciatim reprobat Med. vbi supra.

89 Quartò, qui sciēs emit vili rem pretiosam, ab id ignorante, puta aurum, vel equum sanū, à putante esse aurichalcum, vel iusirmum, aut contra, vendit vile pro pretioso: puta plumbum pro stanno, stannum pro argento, aurum alchimisticum pro naturali. &c. cum obligatione restituendi damnum, secūdum mentem S. Tho. recep. 2.2. q.77. art.2. adiuncto Caiet. in summa verb. alchimia. Idem de venditore, qui sciens rem vitiosam

vitiosam sine declaratione vitij vendit nescienti, & ea de re non monito, secundum eundem S. Thom. vbi supra. Nec satisfacit, dicendo se nolle teneri de aliquo eius defectu, & quod vendit cum omnibus suis defectibus, exprimendo mendaciter longe plures, quam habeat, etiam si occultum inter illos falsos exprimat: ita vt emptor moueatur ad credendum non inesse illi occultum verum, cum iudicat eum mentiri in patentibus. Vt cum ait: Vendo hunc equum tibi pro claudo, cæco, manco, mutilo, & quouis defectu laborante mentiendo circa patentes defectus secundum Specul. recept. de rescin. ven. §. 1. nu. 7 Mai. in 4 dist. 15 quæst. 40. col. 4. Tū quia tenetur specialim declarare defectū, quem ipse scit, & emptor ignorat. Tum quia mouet emptorem ad credendum, ipsum mentiri in occultis, cum in patentibus patenter mentiatur, argu. cap. semel malus de regu. iur. lib 6. Dixi, *Sciens*: quia nesciens celando non peccat: licet cum resciuerit, tenebitur ad resarciendum damnum emptori. Dixi *Occultum*: quia manifestum nō tenetur declarare, veluti si equus patenter est cæcus, vel claudus &c. modo nō faciat, aut dicat, quo id non appareat. Nec etiā occultum, q̄ emptori non erit notabiliter dānosum, nec tale, propter quod desineret emere, licet ægrius esset empturus, modo tanti de pretio detrahat, quanti ob illud vere minoris valet, iuxta eundem Mai. vbi supra. Post venditionem tamen admonere debet emptorem illius vitij. & quod ob id minoris ei vendidit, ne si emptor alteri pluris venderet, esset causa damni illius tertij, vt recte annotauit Caieta 2.2. q.77 art.3. pro quo est c.fin. de iniur. Idem de vendente rem quam sciebat citò corrumpendam ementi ad diu seruandum. l.2. Cod. de petit. & commo. rei vend. Quæritur hic noue, an peccet mortaliter, qui vendit aliquid amissum ipso iure ob hæresim, crimen læsæ Maiest. aut aliam similem causam, emptori id ignoranti, eaq; de re admonito? Respon. quod sic: quia per supra dicta vendens aliquid non manifestando vitium occultum, illud ignoranti, peccat: & satis superque vitiosum quo ad hoc videtur, rem vendendā non esse vendentis, posseque ab emptore iure auferri, etiam non reddito ei pretio, quo emit. eiusmodi sunt prædicta ipso iure amissa, secundum Ioan. Andr. communiter recept. in cap. cum secundum. de hæret. lib. 6. nisi tam occulto modo fuisset amissum, quod probabiliter credit vendens illud nemini detectum iri, nec consequenter rem venditam ab emptore euictum iri. Tunc enim cessante causa, ob quam peccaret, cessat peccatum, argu. cap. cum cessante. de appel. & l. adigere. §. quamuis. ff. de iur. patro.

90 Quintò peccat mortaliter, qui vendit arma ei, quem scit emere ad nocendum iniuste, aut ad bellum, quod scit esse iniustum, vt tener S. Anto. 2 par. tit. 1 cap. 14. §. 11. argum. cap. notum. 2. quæst. 1. vel dubitat, & non est subditus Principis, cui vult militare. Subditus enim potest dubietatem deponere, argu. cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. Quid autem sit dicendum de illo, qui vendit

illa sine vllo malo fine ob iustum lucrum, licet credat, mentem iturum ad bellum iniustum, colligendum ex resolutione posita supra c.19. nu.16. In quo loco colligitur item, quid sit dicendum de vendente, vel habente venialia tòxica, aconita, inutilia, chartas lusorias, taxillos, fucos, & pigmenta, & id genus alia.

91 Sexto peccat mortaliter, qui tempore messis, aut vindemiæ emit tam immoderate oleum, triticum, aut vinum, quo postea carius vēdat, vt caritatem inducat. c. quicunque. 14.q.4 Dixi, *Vt caritatem inducat* alias enim secus, præsertim ad prouidendum suæ domui alēdæ, etiam paulò plus quam egeat, & postea quod superfuerit pretio currente vendat: vel si emit ad prouidendum Reip. vt Ioseph Genes. 41. aut pauperibus egentibus: aut ne exportetur, vel dissipetur: aut ob alios fines honestos, secundum mentem Inno. in c.1. ne cler. vel mon. & S. Anto. 2. par. tit. 1. cap. 23 §. 16.

Ad noue autem quæsita super eo, quod Hispani *Mohatram* vocant, nimirum quum quis, non inueniens pecuniam mutuam, emit credito argentum factum, vel pannum, aut alias merces, quo statim eas minoris vendendo pecuniam cogat. Respondeo primò, quòd vendens illa ei pretio iusto, etiam rigoroso non peccat, alioqui sic, per dicta supra cap. 17. num. 228. Secundò quod non decet eum denuo emere à se vendita, etiam iusto pretio minore illo, quo vendidit, ne pro iniquo mercatore, vel vsurario palliato habeatur, cuius infamiæ periculo probabili se exponendo peccaret, argu. cap. non sunt audiendi. 11. quæst. 3. Tertiò quòd de rigore iuris eis liceret denuo emere illa iusto pretio mediocri, vel pio minore rigoroso, quo vendidit: quia nulli legi iustitiæ videtur contrauenire, & si alicui legi charitatis scandalizando alios cōtrairet, peccaret quidem, sed non teneretur ad restitutionē, ad quam solius legis iustitiæ transgressio obligat, iux. dict. cap. 17. nu. 11. Ad aliud etiam noue quæsitum super venditione census, respondeo, quod quidquid alias hoc in loco dixerim, non licet hodie post præfatam extrauagantem Pij V. emere, vel vendere censum noue imponendum, vel iam impositum pluris, vel minoris, quam in prima impositione fuit emptum, vel venditā propter vitandam fraudem, qua quis posset simulare se emere censum pro se magno pretio ad reuendendum illum postea tertio minore pretio.

92 Septimò peccat mortaliter, qui facit monopolium cum aliis mercatoribus, ne illas, aut illas merces minore pretio, quam illo vel illo vendant, arg. l. 1. C. de monop. aut à principe priuilegium impetrat, ne certi generis merces ab alio, quam ipso vendantur in populi damnum notabile, ex mente Ros. verb. emptio. §. 23. quamuis liceat Principi, aut Gubernatori in bonum publicum obligando ad id aliquos, statuere vt soli ab eis talia, aut talia pretio tolerabili minutatim vēdant, puta vinum, oleum &c. iuxta Rosel. vbi supra.

Octauò peccat mortaliter, qui emit, vel vendit frangendo festa, vt suprà cap. 13. nu. 8. vel peierando, vt supra cap. 12. vel mentiendo, vt supra cap. 18.

93 Nonò peccat mortaliter, qui ad terras infidelium res vetitas exportat, veluti arma, ligna, & alia ad bellum pertinentia, & est excommunicatus per c. ita quorundam. de Iudæ. & bullam cœnæ Domini, quod late declarauimus in rep. prædicti cap. Thesaurarius, item aut receptor ali-
94 cuius ciuitatis, cōmunitatis, aut dominij qui emit, aut negotiatur pecunia publica in custodiam recepta, per tres leges. C. de iis quæ ex pub. colla. lib. 10. adiuncto c. pœnale. 14. quæst. 5. Quod limitandum est procedere solum in eo, qui id facit sine superioris consensu, vel non soluendo, quibus debet statis temporibus absque consensu eorum expresso, vel tacito, vel soluit, sed cum damno notabili, quod restituere tenetur ex mente S. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 15. §. 5.

Item, qui societatem habet cum alio nolens discedere ab eo non resipiscente, per d. supra c. 17. à. nu. 151.

95 Decimò peccat mortaliter, qui emit hominem liberum non constiturū in extrema necessitate se vendendi, vel possessum pro seruo, quem credit aut credere debet illum non fuisse captum in bello iusto, nec ob crimen libertatem amisisse: sed surreptum, aut captum à latronibus: quales, vt fertur, sunt multi Æthiopes, & Indi capti à Piratis christianis, vel latronibus suæ regionis, & postea venditi exteris pro seruis, & obligatur restituere illum suæ antiquæ libertati, arg. & l. liber homo, & l. liberi hominis. ff. de contrahen. empt. Dixi, *Non constitutum*, propter eos qui emunt captos male per Pa-
96 ganos destinātes eos in cibum, ob idque eos impinguantes, quod passim contingit Brasiliæ, ac in aliis terris, quas incolunt Antrhopophagi, licet enim eos emere, & illis emptioni suæ consentire. Tum quia vita pretiosior est libertate. l. seruitutem. ibi, *Ferè*, adiuncta glo. & l. quod attinet. ff. de reg. iur. Tum quia pater tempore famis extremæ filium vendere potest. l. 2. C. de pat. qui fil. distrax. Tum quia id potius est eripere illos à morte iniusta, ad quod tenemur, iuxta illud Prouer. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*, relatum in c. non in inferenda. 23. q. 5. quam emere. Tum per ea, quæ tradit Imol. in l. 2. ff. de pub. iud. & Saly. in d. l. 2. C. de patr. qui fil. dist. Tum quia nemo tenetur ad gratis subueniendum egenti, etiam extremè modo commodando, vel mutuando satis ei succurrat, per dicta supra c. 17. à num. 60. Tum quia emptio illa tēperatur, eo quod huiusmodi emptis per se, vel per alium se redimere licet, reddito pretio, quo constiterunt, vel saltem eo, quod valerent tempore redemptionis, si vere serui essent, etiam inuito possessore: & eo quod redempti fiunt liberi, & non liberti, perinde ac si nunquam fuissent capti, instar filiorum à patre ob famem venditorum, iuxta prædictam. l. 2. desumpto argu. ab æquiparatis ex glo. 1. solenni cap. miramur. de seru. non ord. & gloss. fi. l. si quis seruo. C. de furt. Ex quo fit, vt moneri debeat secundus emptor modum, quo ille fuit antea emptus: vt secundus emptor filij à patre ob necessitatem venditi est monendus

minoris enim valet ob priuilegium redimendi se inuito possessore, vt minoris valet prædium cum pacto de retrouendendo emptum, iuxta supra dicta c. 17 nu 149. Non obstat, quod melius faceret, qui gratis illũ ab extrema illa necessitate liberaret. Tum quia id non arguit, hoc esse malum, quia bono melius datur. l. vbi autem ff. de verbo.oblig. Tum quia vtilius est dicere hoc, quã contrarium, ne bona opera impediantur, quũ illud nemo, vel rarus facturus sit: hoc vero multi facient, & faciunt, quos arbitror iuste posse capere, etiam interesse iustum pretij pro eis dati, arg.l.1.cum ei annot. C. de sent.quæ pro eo, quod inter. & alijs supra sæpe citatis.

Quæritur autẽ hic noue, An peccent, cum obligatione restituendi, ementes Æthiopes, Indos, vel alios delatos è suis terris in alias? Respon. quod non: si sciunt, aut probabiliter credunt eos fuisse à se, vel ab alijs cum consensu eorum venditos, vel in bello iusto captos: aliàs secus. Is autem mala fide credit eos esse seruos, qui scit, aut credit esse famam publicam ex fide dignorum relatione ortam, quod dolo, vel vi extra bellum iustum fuerunt capti, vel in naues introducti, ac postea volentes nolentes abducti, quod aiũt esse frequentissimum. arg.glo. sing. in l. Titio fundus ff. de condi. & demon. & not. per glo. in c. qualiter, & quando. 2. de accus. & c. illud. de cler. excom. min. quod singulariter probat sufficere iure antiquo ad aliquam vitandum famam, quod sit excõmunicatus: & quamuis iure nouo nec fama, nec scientia excommunicationis ad id sufficiat, per extrauag. ad euitanda Martin. V relat. infra c. 27. sufficeret tamen fama, quod est denunciatus vt ibi dicetur.

97 Vndecimò peccat mortaliter proxeneta, vel licitator, qui aliquid ad vendẽdum accipit, & sibi partem pretij notabilem retinet, cũ obligatione restituendi, iuxta Angel. verb. emptio §. 13. nisi pro iusto sui laboris stipendio à domino non soluto acciperet. Et etiam si pro stipendio acciperet, si gratis se venditurum promisit arg. c. non sane. 14. q. 5. quamuis si accipit certo pretio vendendum, retinere potest id, quo pluris illud vendiderit, nisi excesserit pretium rigorosum: talis enim excessus emptori est restituendus, iuxta Ang. vbi supra. Quod limito procedere, quãdo expresse, aut tacitè agitur, vt id sibi retineat. Vt cum conuenit nihil ei pro stipendio dandum. Contrariũ vero, quod tenent S. Anton. 4. par. tit. 8. c. 1 §. 4. & Ioan. Tabien. & Iason. §. actiones. Insti. de act. & etiam Maior. in 4. dist. 15 q. 4. quando id non esset actum. Vt quum quis famulo suo stipendio conducto, vel amico gratis id facturo tradit aliquid vendẽdum certo pretio, vel proxenetæ conuẽto stipendio: proxeneta, qui sua industria illud pretiosius reddit, cum ad id non teneatur, excessum sibi retinere possit Gab. in 4. dist. 15. quæst. 10. art. 3 du 4.

98 Duodecimò peccat mortaliter, qui suo stipendio iusto non contentus, rei domino dixit, neminem pro illa plusquam centum dare velle: & accepta potestate dandi illam eo pretio, vendit centum, & viginti, sibi retinens 20. Caietan. in summa verb. proxeneta. cum obligatione restituendi.

De simonia, quæ per speciem emptionis, & venditionis auaritiæ cognata est.

SVMMARIVM.

99 *Spirituale, etiam vt hic sumitur multiplex.*

99 *Spirituale alterum à solo Deo, alterum ab eo, & homine: sed vtrumque iure diuino vendi vetatur.*

99 *Spirituale humanum antecedens, & consequens.*

99 *Spirituale purum, & mixtum, & hoc vt vendi potest.*

Definitio rei spiritualis.

99 OMissa breuitatis causa inquisitione illa inutili, cur hoc vitium simoniæ potius denominetur à Simone, qui volendo emere spiritualia illud incurrit, quam à Giezi, vel Balan, vel Iuda, qui volendo ea vendere illud incurrerunt, cum per venditionem ita committatur, sicut per emptionem, dicendum primo, quod vt ait Ioan. Maior. in 4 lib. senten. distin. 25 q. 1. non est facilis definitio rei spiritualis. Cuius ratio, licet eã ille non assignet, potest esse, quod spirituale, siue spirituale dicatur omne, quod pertinet ad spiritum. Spiritus autem dicitur propriè halitus, iuxta illud Iob. 17. *Spiritus meus attenuabitur.* Impropriè verò per figurã metaphoram, siue translationem appellatur nunc anima, Io. 18. *Tradidit spiritum*, nunc ventus Act. 2. *Tanquam aduenientis spiritus vehementis*, nunc omne incorporeum, iuxta illud Io. 4. *Spiritus est Deus*, nunc alia, vt ait S. 1 hom. 1. par. quæst. 41. art. 3. ad 4. Et ideo necesse videtur esse, vt spirituale quoque multipliciter, dicatur. Et ita in hoc proposito non capitur pro habitu, neque pro re pertinente ad illum, neque pro vento, neque generaliter pro re incorporea: sed pro re pertinente ad salutem animę, quæ est cuiusdam generis spiritus impropriè accepti. Quare omisso stylo quo in vulgari hoc in loco vti fuimus sequuti Ioan. Andr. Panor. & communem in d. cap. consulere. de simo. adiunctis, quæ S. Tho. & communis ait in 4. distin. 25. Spirituale, vt huc pertinet, est donum supernaturale à Deo datum ad animarum salutem: vel aliquid aliud institutũ supernaturaliter ab eodem ad eam efficiẽdam: vel ab ecclesia potestate supernaturali, & gratis sibi data ad conficiendum illud, & gratis dandum. Quę definitio satis colligi potest ex cap. gratia. & cap. qui studet. 1 quæst. 1. & cap. quam pio. quæst. 2. & Dur. dist. 25. quæst. 1. & ex S. Tho. 2. 2. q. 100 art 13. & 4. Dixi, *Donum* pro genere. Dixi, *supernaturale*, ad differentiam donorum naturalium. quæ naturaliter dantur. Dixi, *Ad salutem animarum*, ad excludenda insignia, seu arma, dotes, & victorias, & alia huiusmodi Regibus, & Principibus aliquot, vel aliis in alium finem, quàm salutem animarum supernaturaliter concessa. Dixi, *Vel aliquid institutum, supernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam*, ad includendum spirituale per causam, qualia sunt sacramenta, quæ ipse solus instituit, & sola efficiunt

instrumentalitèr gratiam: vt dictum est supra cap.22.nu.1. & 2. Dixi, *Vel ab ecclesia potestate supernaturali sibi data*, ad includenda spiritualia quæ à Io.And. & Pan. in c. consulere. de simonia vocantur spiritualia statuta: qualia sunt sacramentalia, & eis annexa ab eadem instituta, quibus sacramenta parantur, cõficiuntur, & conseruantur: vt consecratio, & benedictio Ecclesiæ, vel altaris, vasorũ, ornamentorum, aquæ baptismalis, vel benedictæ, exorcismus, cathechismus, iurispatronatus, beneficia, collationes, præsentationes, renunciationes, & id genus alia. Dixi *gratis dandum*: quia omni rei spirituali repugnant emptio, venditio, & omnis non gratuita donatio, triplici ratione secundum S. Tho. recep. 2. 2. q. 100. art. 1. in cor. q scilicet: quia non est pecunia æstimabilis: & quia nemo alius à Deo est verus dominus eius: & quai origo eius procedit ex gratuita Dei voluntate.

Ex qua definitione infertur, primò, quædam esse spiritualia, vt hic accipiuntur, à solo Deo immediatè creata, vel instituta, vt sunt gratia gratum faciens, septem dona Spiritus sancti, & septem sacramenta, & gratiæ, quas gratis datas apppellant, & iurisdictio Ecclesiastica supernaturaliter primum à Christo domino nostro data, vt diximus in c. nouit. de iud. not. 3. Alia vero ministerio ecclesiæ instituta, qualia sũt reliqua prædicta. Non tamen ex hoc inferas, quod solum priorum venditio est iure diuino prohibita, & consequenter prohibita quia simoniaca: quia etiam venditio posteriorum est eiusmodi, vt infra tangetur nu. seq. Non item putes, quod omne sacrum est spirituale, vt hic accipitur. Bona enim mobilia, & immobilia ecclesiastica sunt sacra iuxta S. Thom. recep. 2. 2. q. 99. art. 3. & probatur in c. nulli & cap. prædia. 12. q. 2. quæ tamẽ non sunt spiritualia, vt hic sumũtur, & ita eorum emptio etiam iniusta non est simoniaca: licèt sit sacrilega, per cap. prædicta, quia definitio eis non conuenit. Nam licèt dedicentur ad sustentationem spiritualium, vt ait S. Tho. vbi supra: non tamen per benedictionem sacri constitutiuam, quæ de sola potestate supernaturali, & spirituali fluere potest, vt nouè resoluimus nuper in cap. non liceat. 12. q. 2. §. 17. à nu. 7.

Secundò, quòd omnia spiritualia instituta ab ecclesia, sunt instituta virtute potestatis diuinitus acceptę, & ideo meritò vocantur annexa spiritualibus, quia sunt superaddita humanitus spiritualibus datis diuinitus. Quædam quidem antecedenter, puta quæ non requirunt in habituro illa, aliud spirituale, quàm Christianismum: vt ius patronatus, ius sepulturæ, calix, & similia. Alia dependenter, siue cõsequenter, quæ requirũt aliquid spirituale vltra Christianismum, qualia sunt beneficia, & officia ecclesiæ, quæ est doctrina S. Tho. communiter recept. 2. 2. q. 100. artic. 4.

Tertiò, quòd quædam sunt spiritualia puta ab omni rei temporariæ mixtione, qualia sunt gratia, & dona Spiritus sancti. Alia mixta ex spiritualibus, & temporalibus, & horum quædam habent plus spiritualis, quam temporarij, vt sacramenta, & actus conficiendi ea, qui constant ex parte pure

re pure spirituali, & labore tẽporali. Alia contra, quorum maior est temporalis, & minor spiritualis: vt calix sacratus, & ornamenta sacra, in quibus materia, quæ est maior pars, est res temporaria, & consecratio & benedictio, quæ est spiritualis, minor. Et quamuis neutra horum pretio vendi possint, quo ad partem spiritualem, neque eius ratione debeant maioris æstimari: tamẽ ea quæ sunt generis posterioris vẽdi, & emi possunt ratione partis temporariæ. Ea vero quæ sunt prioris generis non.

Definitio Simoniæ.

SVMMARIVM.

100 *Simoniæ definitio declarata.*

100 *Emptio & venditio proprie, & improprie sumuntur.*

100 *Simonia absque re temporali formaliter inuenitur.*

100 *Simonia non est emptio, vel venditio artis, vel consilij.*

100 *Simonia omnis datio spiritualis pro pretio.*

101 *Simoniam vt non facit causa minus principalis.*

101 *Causa non omnis, ob quam non fieret actus est principalis.*

102 *Simonia non est dare pecuniam pro alimento, pœna, vexationis redemptione, missa, precibus, vel laude.*

100 SEcundo principaliter præmitto, quòd simonia est voluntas studiosa emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum, secundum glo. solen. in summa. 1. q. 1. receptam ab omnibus Canonistis in rub. de simon. & à Theologis in 4. dist. 25. & à S. Thom. 2. 2. quæstio. 100. artic. 1. Dixi, *Voluntas*, ad significandum quod simonia mẽtalis, qua quis vult committere simoniã conuentionalem, vel realem, est vere peccatum mortale simoniæ, etiam non sequuta conuentionali, nec reali: quia radix malitiæ simoniæ, sicut & cuiuslibet alius peccati, in actu interiori voluntatis consistit, secundum S. Thom. recep. 2. 2. quæstio. 20. iuxta illud Matth. 15. *Non quod intrat per os &c.* Tum quia peccata cordis, oris, & operis eiusdem speciei, & malitiæ sunt: S. Tom. 2. 2. quæst. 72. art. 7. & dictum est supra prælud. 9. & cap. 16. nume. 1. sub fin. & constat admittere simoniam conuentionalem, vel realem esse peccatum mortale. cap. tanta. & toto tit. de simon. Tum quia talis voluntas est peccatum mortale secundum omnes, & non nisi peccatum simoniæ. Ergo est simonia. Propter quod Maior. in 4. distin. 2. q. 1. male deridet glo. dict. cap. si cui concordat gl. præfati cap. consulere. putans eam dicere cõtrarium, quod tamen non dicit, immò expressè aiunt ambę glo. esse peccatum: sed non facere quem simoniacum, id est, de numero eorum, quos iura vocant simoniacos, id est, punibiles pœnis contra eos constitutis. quod quia non satis aduerterunt aliqui grauiter in hoc lapsi sunt. Dixi, *Studiosa*, ad excludendam indeliberatam. Dixi, *Emendi, vel vendendi*, ad includendum omnem voluntatem dandi, vel accipiendi aliquod pro spirituali non gratuito: sed in quoddam pretium, vel interesse formaliter, vel æquipollenter tẽporale iure id non permittente, vel prohibente, per infra dicẽda. Dixi, *Spirituale*, ad includen-

dum omne diuinitus datum, vel institutum ad salutem animarum, iuxta dicta supra nu. 66. Dixi, *Vel spirituali annexum*, tum ad includendum omne spirituale humanitus per potestatem diuinitus datã adhibitum ad conficiendum, & conseruandum spirituale diuinitus datum, per ibidem dicta. Tum ad significandum, quod in nullo alio, etiam sacro committitur simonia, per prædicta numero 99.

Ex qua definitione,& eius declaratione infertur primò, quòd nunquam committitur simonia circa corporea, vel incorporea, quæ sunt naturaliter quæsibilia:quia non sunt spiritualia, vt spirituale sumitur in hac definitione, & cõsequenter nec circa scientiam iuris, vel aliam, & artem,& consiliũ naturaliter quæsibilia, licèt contra senserit glo. violans textum in cap. non liceat. 11. q. 3.quatenus habet non licere Doctori vendere consilium,sine studij labore præstitũ, innuens id esse simoniam. Cui consequens est,quod grauiter labuntur Host.Card.& Pan. & aliquot alij in cap. quia nonnulli. de mag. sentientes committere simoniam illos,qui docent aliquã scientiam pecunia,si habent vnde se aliũde sustententent,quia non vendũt quid spirituale,vt hîc sumitur: & grauius Panor.significans scientiam, vel laborem docendi esse tale spirituale, quod aliquo modo ad quãdam permutationem cum beneficio spirituali accommodari possit arg.c.ad quæstiones.de rerum permu. malè ad hoc applicati.

Secũdò,quòd duplex est simonia. Altera prohibita,quia simonia, idest iure diuino prohibita. Altera simonia,quia prohibita,non quidẽ, quod solo iure humano sit prohibita, vt sentit glo.cap.ex parte. de offi. dele. communiter a Canonistis recepta: sed quia iure humano ab ecclesia per potestatem supernaturaliter, & diuinitus ei traditam instituto, est prohibita. Prioris generis est voluntas emendi,vel vendendi vere spiritualia:siue à solo Deo sint data, vel institura: siue ab ecclesiastica potestate diuinitus accepta, iuxta dicta nu. præced. Posterioris generis est voluntas faciendi collationes, renũciationes, vel recipiendi eas factas cum cõditionibus,modis, vel pactis in aliis licitis: & etiam in his,nisi ab ecclesia prohiberentur, & ita frequenter simonia committitur sine interuentu pecuniæ numeratæ, vel rei ea æstimabilis. Nam cum quis renunciat beneficium suum in fauorem alicuius, vt ille,vel alius renunciet aliud in fauorem alicuius, vel alius renunciet aliud in fauorẽ alterius:vel suffragatur cuipiã in aliqua electione,vt alius suffragetur alteri: vel renunciat beneficium suum simpliciter, vt alius impetret sibi aliud ab Episcopo, vel alio collatore: & alijs similibus casibus, non datur formaliter pecunia, neque aliquid aliud ea æstimabile: & tamen est simonia secundum Raim. quẽ sequũtur Ang.in sum.verb.simonia 3. §. 3. & Syluest verb.simonia.quæst.13.nu. 4.Tum quia id tanquam simoniam prohibet ecclesia. Tum quia id meritò prohibet. Nam in his omnibus datur, vel relinquitur ius spirituale cum onere,vt fiat aliquid quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali

cipali immediata eam habẽdi. quod prohibetur in cap. sicut. 3. & cap. satis de simon.cap quam pio 1. quæst. 2 cap. fin. de pact. & includitur sub declaratione tertia definitionis:quę tamen non procedunt in conditione,& modo,quæ iure insunt. cap.significasti, cum glosſ.de elect & cap. ad audientiam. 2.cum glosſ. de reser. modo exprimantur eo solo modo, quo insunt, vt Felyn. & citati ab eo ibi declarant,arg l. 3 ff de leg. 1 Per quæ pridem defendimus collationem cuiusdam commendæ factam cuidam adiecto modo, vt solueret quadraginta aureos annuos, quos ordinis statuto soluere tenebatur quisquis eam haberet.

Tertiò,quòd permutatio beneficiorum, etiam quo ad titulum est simoniaca, si fiat absque superioris authoritate,cap. quæsitum & c pen. de rer. permut. Quoniam per eam quis vult dare, vel facere aliquid pro quærendo aliquo spirituali in quoddam pretium, vel causam principalem, & immediatam quærendi illud, licèt non sit pecunia æstimabile,vt palam est:quamuis licita sit, si fiat authoritate superioris: quia id iure permittente fit c. cum olim. c. cum vniuersorum de rer. permut. & clarius in cap 1.eod titu. libr 6. & clem. 1. eod. tit. Et quia iura solum permittunt permutationem beneficiorum, quæ sunt permutantium: ideo Simoniaca est permutatio,qua quis ius ad rem, quod habet per regressum accessum,electionem, præsentationem, optionem, vel aliam nominationem, permutat cum alio simili iure, vel beneficio alteri iam quæsito,vel vacanti per d.c.1.cum ei annot. præsertim per Ioan. Andr. & Fran.Et idem de permutatione, qua renuncians beneficium minoris valoris reddit pecuniam,vel constituit pẽsionem annuam alteri permutãti maius ad æquandum illa: quia id nullo iure permittitur:quãuis quum ecclesiæ bona inæqualia habentes permutabtur quo ad proprietatem, refundi possit separatim pecunia, qua bona illa æquẽtur c.ad quæstiones.de rer.permut.per quod idẽ fieri posse authoritate superioris in permutatione titulorum,dicit Anch.in consi 180. quod commendat Fel. in c.quia verisimile.de præsumpt.nu. 1.

Quartò, quòd non est simonia dare,vel accipere alia ratione,quàm pro pretio quærendi spirituale, puta pro sustentatione ministrorum, vel pro liberalitate vel eleemosyna, vel pro solutione obligationis legis, vel consuetudinis, vt sentit S. Thom. & exprimit Caietan. vbi supra art. 3. & melius in summa verb. simonia. Nã præpositio (pro) aliquando significat pretium, vel causam principalem immediatam, in qua significatione accipiendo vniuersaliter est verum, nil pro spirituali posse accipi, vt probat prædictum cap. sicut. & cap. non satis. de simon. & declarat Arch.in cap.ordinationes,& cap. iuuenes 1.quæst.1. Nil inquam,etiam paruum, vel minimum secundum S. Thom.in d.quæst.100 art.3. Aliquando significat causam impulsiuam, vel remotam, vel sustentationem, vel aliam ex prædictis, & in hac significatione verum est posse accipi aliquid pro spirituali, iuxta glosſ. iuncto text.in dicto capit.iudices.& cap.Agatho.63.dist. vbi etiam Arch.

&

Universidad de Deusto

& communis in ca. ad apostolicam. de simon.

101 Quintò, quòd licet dare, vel accipere aliquid temporale minus principaliter, tanquam pro causa impulsiua, & excitatiua pro spiritualibus. Tum per glossam c. cum esset. de simo. & cap. cum ad nostram. de elect. quę aiunt, simoniam quidem admittere illum, qui prælato inseruit principaliter ob beneficium ecclesiasticum præsertim interueniente pacto, non autem, qui principaliter ob alium iustum respectum inseruit, licet secundario & minus principaliter ob illam spem inseruiat, quod pulchrè de more declarat Adrian. quolib. 9. art. 2. sub litera, L. M. N. O. Tum quia glossa illa celeberrima in cap. 1. de cler. non resid. lib. 6. ait peccare quidem eum, qui surgit ad matutinas preces principaliter propter distributiones quotidianas: non autem illum, qui surgit principaliter, vt Deo inseruiat, & minus principaliter, & secundariò, vt eas lucretur. Tum quia Vrbanus Papa in cap. si officia. 59. disti. & Cæles. in cap. quid proderit. 61. distinct. determinarunt licere clericis seruire Deo in ecclesiis ob spem ascendendi ad dignitates illarum. Immò Gelasius in capit. consuluit. 74. distinct. dixit eos ad hunc ascensum spe maioris commodi compellendos. Tum quia glo. recep. in dicto cap. quid proderit. dicit expressè per illũ text. licere clerico seruire in ecclesia ad quærendam aliquam dignitatẽ: modo principaliter ob id non seruiat, cui similis est glo. c. hoc ad nos. 69. dist. Tum denique, quòd gloss. cap. consuluit. de vsur. recepta communiter, cõfirmata multis contra Sotum supra c. 17. nu. 109. habet, quòd licet peccet, qui mutuat principaliter ob lucrũ: non tamen, qui principaliter id facit, vt iuuet proximum, quamuis minus principaliter, & secundario id speret. Causam autem impulsiuam, & excitatiuam voco etiam illam, sine qua non fieret actus: modo ille fiat principalius ob aliam, quam illam, vt in hac specie dixit Maior. in 4. distin. 15. quæst 1. & ante illum sensit S. Thom. quodlib. 8. artic 2 loquens de clerico surgente ad matutinas ob distributiones, aliàs non surrecturo. Tum quia, vt in cõment. cap. cum minister. 23. quæst. 5. nu. 17. probauimus, non est bona definitio illa Bart. in l. 2. § fin. ff. de donat. qua definit causam principalem esse causam, qua cessante, cessat effectus: tum quia multis causis minus principalibus, sine quibus actus non fieret, conuenit: tum quia secundum eam omnis causa, sine qua non esset principalis: quod est falsum, secundum omnes, & per supradictos text. & gloss. quæ habent locum etiam in his, qui non seruirent ecclesiis, vel prælatis, nisi sperarent beneficia: & quia actus virtutum licet fiant vitiosi ob finem principalem temporalium: non tamen fiũt tales ob minus principalem, per adducta in dicto cap. cum minister. post Adrian. ibi citandum. Alioqui enim omnes fere actus nostri essent vitiosi: quia pauciſſimi fiunt pure propter solum Deum, & solam virtutem sine aliquo respectu retributionis, quem etiam Dauid habebat in seruiendo Deo Psalm. 118. ibi, *Inclinaui cor meum*

meum &c. propter retributionem. & vt quidam dixit, *Quis virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas.* Itaque verè coram Deo incurrit simoniam quicunque dat, vel facit aliquid temporarium etiam minimum, vel spirituale pro spirituali tanquam pretium eius, vel causam principalem, & immediatam eius habendi: & econtrario nemo, qui alia ratione, & minus principaliter dat, vel accipit etiam temporale pro spirituali verè coram Deo, & in foro conscientiæ simoniam committit: quamuis in foro exteriori interdum præsumatur committere. Quæ resolutio ex prædictis, & ex Arch. & Caietano vbi supra irrefragabiliter colligitur. Per quæ pridem respondi, non commisisse simoniam, qui mutuauit Episcopo nouè prouiso bonam pecuniæ summam principaliter, & immediate, vt ei benefaceret, & ad ineundam amicitiam, sperans secundario, sibi vel alij gratiam alicuius beneficij: quia non mutuauit pro pretio neque pro causa principali, nec immediata rei spiritualis, vt hic accipitur.

102 Sextò, quòd non est simonia dare, vel accipere aliquid pro sustentatione ministri. Quod proculdubio procedit in sustentatione necessaria quo ad vtrunque forum, & etiam in non necessaria quo ad forum conscientiæ. Quoniam licet diuites accipientes pro illa ex facto præsumi possint eam admittere: verè tamen non admittunt, si non accipiunt pro pretio, vel causa principali & immediata suæ actionis spiritualis per prædicta: & pauperibus licet in vtroque foro, etiam ex pacto accipere, vt dixit Caietanus vbi supra. Quæ differentia non potest defendi, nisi ratione diuersitatis inter vtrumque forum, & inter veritatem, & præsumptionem.

Septimò, quòd dare, vel accipere pecuniam pro impensis, vel pœna excommunicationis, vel absolutionis per iurisdictionem spiritualem imposita, non est simonia, argu. cap. venerabilibus. §. porrò. de sent. excom. libr. 6. etiam si pœna non erogetur pauperibus, arg. ca. dilectus. de pœn. licèt id esset melius. Ad quod reducendum est, quod ait S. Thom. in 4. dist. 25. cum aliis quibusdam.

Octauò, quòd neque datio pecuniæ ob vexationis redemptionem est verè simonia, per text. sing. capit. dilectus. 2. de simon. modo qui dat iam habeat ius acquisitum, etiam in possessione, iuxta communem ibidẽ. Quæ ampliatio per prædicta procedit quidem quo ad forum exterius, & præsumptionem simoniæ: nisi aliquid aliud eam tollat: sed non quo ad interius, quo ad quod non est verè simonia, si dans nil iuris intendit emere, neque eius dationis causa principalis, & immediata est iuris possessionis acquisitio: licèt illa sit causa, sine qua, non daretur: sed alia, vel amicitiæ cõciliandæ, vel litium, vel aliorum scandalorum, & damnorum vitatio: vt respondi de datione cuiusdam nobilis, nil aliud iuris prætendentis, quam potentiæ, vel indignationis, & iræ duraturæ, donec aliquid temporale ei daretur. Dixi, *Modo habeat ius quæsitum*: quia antea non liceret dare aduersariis, etiam malitiosè impedientibus eius

promotio

promotionem secundum S. Thom. 2.2 quæst.100.artic.6. pro quo casus in cap. Matthæus de simon. nisi impedirent vim inferendo: vel procurando pro indigno: vel solus ipse occurreret dignus, qui eligeretur, vt rectè animaduertit Sot.lib.9. q. 6. de iustitia & iure.

Nonò, quòd largiri eleemosynam pauperi, vel sacrifico pro missa, vel orationibus, non est simonia, nisi pro pretio, & animo illa emendi daretur: quo animo dare, etiam pro vita æterna, esset actus simoniacus, quidquid aliqui dicant citantes pro se S. Thomam 2. 2. quæstione 100 artic. 1. ad 3. qui hoc non dicit. Nam & illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, relatum in capit. medicina. de pœniten. distinct.1. non est intelligendum de venditione, & redemptione propria, sed de impropria, & metaphorica, vt idem sanctus Thom. ibidem.& in 4.lib. sentent. distinct. 25. quæst. 3. intelligit. Idem de dante alicui, vt exequias in domo defuncti agat: quamuis accessoriè intelligatur illum psalterium recitare debere. Host.in sum.de simon.§. qualiter.versic si clericus.

Decimò, quòd est simonia dare, vel accipere aliquod munus à manu, lingua, vel obsequio, de quibus in cap. sunt nonnulli. 1. quæst. 1. quando obsequia, vel laudes, vel preces, quæ sunt munera linguæ, dantur, vel accipiuntur pro pretio, & causa principali, & immediata rei spiritualis, vel ei annexæ. Vt dum convenit inter duos vt alter alterum laudet apud illum, vel illum, illo, vel illo loco, vel tempore: aut inseruiat sic, vel sic in illo, vel illo negotio, vt sic, vel sic roget aliquem pro aliquo, & alter dabit ei aliquod beneficium vel ordinem: secus autem si non darentur, vel acciperentur, in pretium vel in causam principalem, & immediatam, vt dantur & accipiuntur cum non exeunt fines suæ naturæ: quamuis laudes essent falsæ, & preces malæ, & obsequia peruersa, iuxta mentem S. Thom. 2. 2. quæst.100.art.5. explicatam à Caiet. ibi,& in sum. verb. simonia. Quãuis gloss.in cap. tuam de ætat. & qualit. cui satis concordant Anton. Card. & communis, contradicat quo ad preces carnales,& pro se,vel pro indigno oblatas,quod tamen singulariter refellit ibidem Innoc. dicens per eas quidem peccari, sed non peccatum simoniæ. Ad quod reducendum est etiam id quod idem S. Thom ait ead.quæst.artic. 5. ad 3. de rogante pro se indigno beneficium. Idem dicendum de dante aliquid causa dicendi missam, vel faciendi alia similia,quæ componuntur principalius ex spirituali, quod est ipse actus, qui fit potestate spirituali ad id concessa, & minus principaliter ex temporali, quod est labor, qui in eis agendis suscipitur. Distinguẽdum enim est an det in pretium, vel causam principalem, an ob minus principalem, vel alias rationes supradictas. post vtrunque Thom. 2.2.quæst.100. artic. 3. Qua ratione Episcopi,clerici, & monachi, & monachæ: siue sint pauperes, siue diuites, siue proprij siue alieni sine peccato accipere possũt portiones,eleemosynas,& stipendia, quæ pia consuetudine, aut lege naturali diuina, aut humana iusta iis,qui tale. vel tale opus spirituale faciunt,debentur, non quidem pro pretio & causa principali immediata eorum, nec laboris, qui in opere suscipitur: sed tanquam pium debitum, vel causa excitatiua, & minus principali, per supradicta, & per cap. significatum. de præben.vbi latius diximus.

Quibus addo, quòd etiam pro pretio,& causa principali immediata potest dare quis aliquod temporale pro obligatione exercendi munus vicarij Episcopi,vel parochi, vel capellani, vel concionatoris vnum annum,mensem,aut hebdomadam, secundum Innoc.recept.in cap.quoniam.ne præl. vic. suas. vel subeundi laborem adeundi aliquem locum longinquum, vbi rogatur missam dicere, aut aliquem aliũ actum spiritualem agere. Quia huiusmodi obligatio, vel labor non sunt de se accessoria illis actibus, vt rectè declarat Caietan. & ante illum sensit Innoc.vbi supra.

Vndecimò, quòd non committit veram in foro interiori simoniam, qui notario Episcopi pro instrumento ordinis dat aliquid, etiam amplius, quam debet: vel etiam ipsi Episcopo pro pastellis, præsertim post susceptũ ordinẽ sine vllo pacto, modo non dederit pro pretio formali,vel æquipolleti ordinis:quãuis in foro exteriori possit præsumi contrarium per caput 1.de simon. Idem arbitror de beneficiario,qui soluit aliquid in possessionis adeptione aliis beneficiariis, ad quod non potest cogi,c.Iacobus.eo. tit. & & c.ex multis 1.quæst.3.etiam stante consuetudine, si dandum vertitur in priuatum cõmodum,quale est prandium vel symposium, aut pretium eorum:secus si pro fabrica, pauperibus,vel alio pio opere, vt per Panor. communiter recept.in d. c. Iacobus. Quod confirmauit cõc.Trid.sess. 24. c.14.de reform.quod tamen videtur in hoc æquale statuum, & consuetudinem:& ita corrigere Panorm.& cõmunem vbi supra,quem sequitur Alexand. in d.c.ex multis, quatenus contra eorum sentẽtiam exequat in hoc constitutionem consuetudini quod ipsum videtur statuere de marcha argenti,vel alia summa, quę alicubi datur pro titulo beneficij, ne pro cõmodo dato possit accipi, etiã stãte cõsuetudine. Quin etiam puto non posse nunc capi pro rebus piis, quod consueuit capi pro commodo proprio:quia non erat cõsuetudo, vt pro illis caperetur:& ea quæ pro cõmodo proprio accipiebatur, sublata est,& iure communi, etiam pro illis non debet capi.d.c.ex multis. Notarium autem, qui magis accipit pro instrumento, quo de ordine maiori datur fides,& Prælatum, qui eo plus exigit pro titulo, quo maius est beneficium, arbitror esse plane simoniacos:quia vẽdunt temporale mixtum spirituali maioris, quàm venderent purum,per prædicta num.99. præterquã quod cõtraueniunt prædicto conc. Idem arbitror de dante aliquid presbytero, vel alteri,vt baptizet aliquem in necessitate constitutum, iuxta Panor. communiter recept.in ca.cum ecclesiæ. de simon. quidquid dicat gloss. secum pugnãs in c baptizandis.1.q.1. Nam & in necessitate licitè accipitur ab hæretico,iuxta gl.in c.præter.§.hęc.32.dist.

Diuisio Simoniæ, & quid mentalis.

SVMMARIVM.

102 *Simonia triplex: mentalis, conuentionalis, & realis.*

103 *Simonia mentalis duplex, & vtraque mortalis.*

103 *Simonia mentalis non obligat ad restitutionem, etiamsi sit diuinitus prohibita.*

103 *Simoniam nullam mentalem obligare restituere, defensum.*

103 *Restituere non obligant opera sola intentione interiori mala.*

103 *Ecclesia non punit interiora, nec exteriora sola intentione mala.*

103 TErtio principaliter præmitto, qđ Simonia est triplex mentalis tantũ, conuentionalis tantum & realis. Simonia mentalis tantum, est simonia mente tãtum concepta, citra omnem conuentionem expressam, vel tacitam, siue res tradatur, siue non. Et est duplex. Altera, quæ neque peruenit ad conuentionem, neq; ad dationem. Altera, quæ peruenit ad dationem citra omnem conuentionem: quarum vtranque esse peccatum mortale simoniæ supra probatum est, & in prædicto comment. c. fin. vbi nume. 12. probo neutram simoniarum mentalium tantùm obligare ad restituendum per eam acceptum, siue id sit spirituale, siue temporarium. Et quidem quo ad priorem, in qua realiter nil datur, nec accipitur, omnes conueniunt: sed quo ad posteriorem, qua aliquid datur, vel accipitur, etiam sine vlla conuentione expressa, vel tacita, contrarium tener Io. Maio. in 4 distin. 25. quæstio. 1. & Adria. in quodlib. 9. & Sot. lib. 9. quæst. 8. art. 1. de iust. & iur. eo quòd vsura mentalis tãtum obligat ad restitutionem, cap. consuluit. de vsur. & dictum est supra, cap. 17. & latius in cap. 1. 14. quæst. 3. Et quod eadem ratio idem debet suadere in simonia mentali, vt in cap. mandato. de simo. Sed nobis semper placuit communis opinio, quam irrefragabiliter probamus in dict. comment. à numero 12.

Primò, quia illud in secunda parte tam manifestè id dicit, vt nimię cuiusdam audaciæ fuerit illud insiciari, adiiciendo ei glossas omnino dissonas.

Secundò, quòd ita in hodiernum diem intellexerunt illud glossæ, & fere omnes doctores Theologi & Canonistæ, in quibus Innocen. quartus ibi, quidquid illi imponat Sylu. tenens tamen cõmunem verb. simonia. quęst. 20. Exponit enim verbum, *Vtrinque*. in eo positum sic, *Id est, ex parte dantis, & accipientis beneficiũ qui ideo seruiuit, vt beneficium acciperet, & ille qui dedit beneficium, ideo dedit: quia sibi seruiuit*, & ita intelligit illud de secunda simonia mentali, in qua datur, vel accipitur aliquid. In iis etiam est S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 6. quidquid dicat Sotus vbi supra, quod in prædicto commentario efficaciter monstramus, vbi etiam idem probamus de Hostien. Ioan. Andr. & Caietan. quos aliqui suspicantur fuisse in contraria sententia: nam alij omnes sunt in nostra communi.

Tertiò, quòd illud cap. non potest intelligi, quomodo illud intelligit Maior. in 4. distinctione 25. quæst. 1. vt

vt clare ibidem monstramus per multa, quæ breuitatis gratia prætermittimus.

Quartò, quòd illud cap. non potest intelligi, sicut Adri. quodlib. 9. sentit, quem Sotus vbi supra sequitur. Tum quia, vt cõtextum in suam trahant sententiam iubent demi notam rubeam (quæ paragraphum, & diuisionem significat) positam ante illa verba, *Et ad &c.* & ita tacite, E, maiusculum sententiis, & periodis aptum, quod semper in prædicta connexione adhibitum est in dicto cap. mandato. de simo, in e, prauum mutari iubent, cõtra perpetuã consuetudinem à Gregorio IX. hucusque seruatam, nullo ad id producto exemplari: sicuti videmus mutatum esse dudum in quadam Parisiorum impressione. Tum per alia omni responsione maiora, quæ in d. Commen. afferimus præsertim quod impossibile est secundum eorum intelligendi modum aptare constructionem aliquam tolerabilem illi versiculo, *Eos, &c.* vt eum construere volenti palam erit.

Quintò, quòd non obstat fundamentum aduersantium, videlicet, quod non potest dari ratio apta diuersitatis, cur vsura mentalis obliget ad restituendum, & non simonia mentalis, eo quod Panor. in d. c. fin. probat non esse idoneas ante ipsum reddidas: nec approbat quas ipse reddit, & merito: quia postrema, quę videtur ei aliis præstare, præsupponit falsum, nempe quod cap. illud loquitur de illo, qui non dat, vel facit temporarium principaliter pro spirituali, sed minus principaliter, & secundario quod est falsum, quia illud c. agit de simonia, quæ est peccatum mortale, vt supra probarum est, quale non est facere aliquid minus principaliter, & secundario pro spirituali, vt supra num. 101. ostenditur. Nihil, inquam, obstat prædicta eorum ratio. Tum qua debemus assentiri humiliter declarationi Papæ: licet rationem, qua ille motus fuit, non attingamus. argu. c. ego solis. 9. dist. credentes non defuisse illa rationem ita declarandi. Vnde dixit Ioan. Ana. ibi, quod ratio iusta illius decisionis ab authore petenda erat. Tum quia satis apta est, quã reddit, Caie. scilicet, quod id, quod pro vsura datur coacte datur, quod autem pro simonia sponte: vt quod datur pro emptione, aut venditione. Nec obstat replicatio Soti vbi supra, videlicet, quod pares sunt in hoc soluens vsuram, & dans aliquid pro beneficio: quia vterque maller habere gratis, & vterque ideo dat: quia non potest, quod desiderat habere gratis. Non, inquam, obstat hæc replicatio contra Caie. quia ad hoc vt consensus dantis impediat restitutionem, non sufficit, quod maller habere gratis, quam pretio: quoniã alioqui etiam omnis venditor teneretur restituere pretium ementi, sed sufficit consensus præstitus via contractus approbari: & quod datur per viam simoniæ, datur per viam commutationis, quæ de se iure probatur: non autem quod datur per viam vsuræ. Et ideo consensum datum per viam simoniæ reputauit Grego. in d. c. fi. insufficientẽ ad impediendam restitutionem: consensum autem dantis per viam vsuræ reputauit ad id insufficientem Vrbanus in

d. c. consuluit. Tum quia etiam alia ratio diuersitatis efficacior suprà dicta nouè reddi potest, scilicet, quod vsura bene soluitur, & male recipitur. Nam vsuram soluere, non est peccatum, c. debitores. de iureiuran. recipere autè sic. c. quoniam. de vsur. & qui male recipit ab eo, qui bene dat, tenetur id restituere danti. c. non sane. cum glo. 14 q. 5. At qui per simoniam mentalem accipit ab eo, qui male dat, bene suscipit ob ignorantiam malæ intentionis, aut saltem accipit à male dante, & consequenter nemini tenetur illud restituere, saltem si præstet id, propter quod datũ est, per regulam suprà c. 17. nu. 32. positam, scilicet eum, qui bene, aut male aliquid accipit ab eo, qui male dat, ad illud restituendum ex præcepto non teneri. saltem si illud cuius causa datũ est, fecit, & nulla speciali lege id iubeatur. Et quamuis de accepto per simoniam realem sit lex specialis, quę id iubet. cap. de hoc. de simon. nulla tamen talis est de accepto per simoniam mentalem, immò contraria expresse ponitur in d. c. si. Concludo igitur proculdubio, quod simonia mentalis non obligat ad restituendum quæsitum per eam: siue illud sit spirituale, siue temporariũ. quod procedit etiam in simonia iure naturali, vel diuino prohibita. Tum quia illud. c. generaliter loquitur, & ita generaliter est intelligendum. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. cap. si Romanorum. 19 distin. Tum quia specialiter agit de simonia, qua temporarium fuit datum pro statu spirituali regionis, quæ iure diuino prohibetur, per dicta suprà, nu. 100. Procedit etiam quo ad vtrumque forum, quidquid dicat. Med. in cod. de resti. in quæst. de vsur. resti. fol. 240. qui nescio cur illa verba. *In quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, non ponderarit. Procedit etiam, non solum quando altera pars simoniam tantum mentalem committit: sed etiam quãdo vtraque quidquid aliqui dicant. Tum quia aperte agit text. de quæsito ab vtraque parte in illis verbis, *Vtrinque taliter acquiruntur*, & nihil facienda est declaratio Maio. vbi suprà. Tum quia Inno. quartus ponit exemplum text. in duobus, quorum alter seruiuit pro beneficio, & alter dedit illud ei pro seruitio. Procedit etiam non solum in eo, qui quærit aliquod temporale, non dato spirituali, sed etiam qui quærit alterum eorum, altero dato: quia verba, & ratio text. æque hunc casum, ac illos comprehendunt, per prædicta quidquid dicat Sot. Procedit etiam in datione cuiuscunq; rei temporariæ à manu, siue à lingua, siue ab obsequio, de quibus suprà, eadem ratione.

Simonia conuentionalis quid.

SVMMARIVM.

104 *Simonia conuentionalis quid, & prior mentali tantum.*
104 *Simonia conuentionalis non fit realis, nisi sit vtrinque completa.*
104 *Emi, obligari, stipulari possunt futura.*
104 *Dominij translatio per simoniam solo iure diuino non impeditur.*
104 *Collatio beneficij pura, quod non possit pendere fallit hic.*

104 *Excom*

104 *Excommunicatio pura, quod non possit pendere, fallit hic.*
104 *Emphyteusis amissio pendet à voluntate domini, cui acquiritur.*
104 *Simoniacus celebrans ante completam vtrinque, an irregularis.*
104 *Pensionarius solo lapsu termini non excommunicatur.*

104 SImonia vero conuentionalis tantum, est simonia conuenta expresse, vel tacite, nõdum tamen ab vtraque parte executa. Et est duplex. Altera ex neutra parte executa. Altera ex vna tantum: & vtraque est peior mentali tantum: quia etiam prior est mentalis, vt illa, quo ad forum interius, & etiam punibilis quo ad exterius: cum sit peccatum mortale graue. c. cum pridem. de pact. & cap. cum esset. de simo. & probabile: quia est exterior actus. Posterior vero adeo quidem quod, (vt audio) grauissimum Rotæ prætorium propter eam comm issam super beneficio soleat priuare eo illam committentem: licet quia non peruenit ad realem, non declaret eum ipso iure illo esse priuatum. Quod satis mite est, quum etiam ab officio deponere posset de rigore iuris: quia pro crimine graui id potest, iuxta resolutionem Panor. & Decij in cap. atsi clerici. nu. 35. de iudic. Tũ quia obligat ad restituendum acceptum ei, qui dedit, etiam ante iudicis sententiam, vt Caiet. adnotauit. Quod verum est, si acceptum est temporale: falsum autem si acceptum sit tale spirituale, quod accipiens non potest reddere danti sine renuntiatione præuia, & collatione superioris subsecuta, quale est beneficium ecclesiasticum: quamuis priuari posset eo propter illud delictum, vt prædictum est: & falsius si acceptum est tale quod nullatenus auferri potest, qualis est character impressus per sacramentum ordinis, qui nulla potestate humana est delebilis. cap. ostenditur. cap. quomodo. de consec. distin. 4. & notat gloss. vlt. in cap. degradatio. de pœn. lib. 6. Dixi, *ab vtraque parte*, quia implementum ex parte promittentis temporale non efficit, vt simonia desinat esse conuentionalis tantum, & fiat realis. quod etiam concedit Caieta. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. & in summ. verb. simonia. quem sequitur Sot. lib. 9 q. 9. art. 1. ff. de iust. & iur. quorum tamen vterque negat idem esse de implemento ex parte promittentis spirituale: quia secundum eos sufficit illud ad cõstituendam simoniam realem. Primum quidem quia S. Tho. ait simoniam esse, conferre beneficium ob obsequia futura. Deinde quod credito vendere, est vendere. Sed contrarium est tenendum, donec aliud statuatur, cum Cass. in decis. 5. de const. & Gomes. in regu. Cancel. de trien. quæst. 12. quos ille non citat, dicentibus collationem beneficij per simoniam conuentionalem factam valere. Tum quia, vt illi testantur, id obseruat antiquus stylus Curiæ Rom. qui facit ius. cap. ex literis. de const. cap. quàm graui. de crimi. fal. cuius in hac re notitiam per eos habitam magnificimus olim, vt scripsimus in c. si quando. de rescrip. in exceptione 4. nu. 3. Tum quia non est sufficiens ratio qua mouetur Sot. dicens, quod conferre, & tradere statim beneficium dilato pretio est simonia mẽtalis, &

conuentionalis ab vna parte perfecta. Nam etiam tenetur confiteri, quod dare, & tradere pecunias statim pro beneficio promisso, & conferendo tempore, quo vacabit, est simonia mentalis, & conuentionalis ab vna parte perfecta: & ita confiteri debet incurri pœnas per vtranque, vel neutram: & cum secundum eum non incurratur per vtranque, per neutram debet incurri. Nō item sufficit dicere quod S. Tho. ait, quod est simonia conferre beneficium ob futura obsequia: sicut etiam est venditio vendere aliquid dilato pretio. Quoniam etiam dixisset esse simoniam dare statim pecuniam pro beneficio postea conferendo: sicut dixisset, quod est emptio dare pecuniam præsentem pro merce postea tradenda. In confesso est enim emi posse merces futuras, etiam nōdum natas imò & spem earum. l. nec emptio. ff. de cōtrah. empt. sicut & obligari. l. quæ nondum. ff. de pign. & promitti. l. interdum ff. de verbo. oblig. & legati. §. ea quæ. instit. de legat. Tū quia idem Sot. fatetur, & recte vbi supra, quod translatio dominij beneficij per simoniam collati impeditur non iure naturali, nec diuino, sed humano tantum ecclesiastico. Quod ipsum est dicendum de translatione pretij per simoniā dati, quicquid ille dicat, secundum Pan. in d. c. fi. & c. de hoc. de simon. Caie. in summa verb. simonia. & 2. 2. q. 100. art. 6. Sylu. verb. simonia, quæst. 20. & communem. Et idem à fortiori de aliis pœnis contra simoniacos statutis: ergo eatenus est dicendum eas incurri, quatenus iure humano id exprimitur, & nullo tali est expressum, quod magis incurratur per simoniam conuentionalem completam ex parte dantis spirituale tantum, quam completam ex parte dantis tēporale tantum. Tum denique quod extrauag 2. de simon. quæ has pœnas induxit, non induxit eas contra omnes simoniacos: sed tantum contra eos, qui simoniam in ordine vel beneficio committunt. Nec etiam contra hos omnes: sed solum contra eos, qui committunt dando, aut accipiendo: ita quod non habet locum nisi in simonia, quæ ad opus dandi, aut accipiendi peruenit. At Caie. & Sot. non possunt dicere dationem vnius eorum, quæ sunt danda, sufficere, quia vterque fatetur non sufficere dationem pretij, nisi ad dationem beneficij perueniatur. Et quum extrauagans non magis de datione vnius, quam alterius loquatur, intelligenda est de vtraque. Multo fortiora sunt argumēta, quæ quemdam magnum Aduocatū cōsistorialem proposuisse in huius grauissimo Rotæ Auditorio refert prædictus Cassador, qui ea vbi supra soluit, & multo magis quam illa obstat vnum, quod nos pridem proposuimus Auditorio nostro Conimbricæ quo se in inuestiganda solutione exerceret, quam numquam inuenit, scilicet: quod nulla collatio beneficij pure facta sine cōditione potest esse pendens, sed statim aut valet, aut est nulla, argum. cap. 2. de elect. lib. 6. & latè traditorum per Felyn. in cap. constituras. de rescrip. At secundum eorum opinionem collatio pure facta cum pacto dandi centum ad finem anni pendet: si enim non soluantur, soluantur, valet, si soluantur, non valet iam inde à principio. Item excommunicatio pure lata, non potest esse pendens. cap. ad hæc quoniam. de appel. At secundum eorum opinionem, excommunicatio lata per prædictam extrauag. esset pendens: quia si soluantur illa centum erunt, excommunicati iam inde à principio, & si non soluantur, nunquam. Post autē maturam cōsiderationem animaduerti, quod hæc omnia æque obstant Caiet. & Sot. ac Cass. & Gomes. & quod ad defendendum omnes eos nouissime responderi posset concedendo quidem, quod iure canonico antiquo nec collatio, nec excommunicatio potest esse pendens: sed quod illud ius est humanum, & non naturale, neque diuinum: & consequenter tolli potest alio iure scripto, vel non scripto nouo cap. fi. de consuet. & quod ius, quod colligitur ex prædicta Extrauagan. inducta modo supradicto, stylo curiæ adiuncto, est nouum, contrariū in hoc prædicto antiquo: & ita tollit illud tanquam posterius. c. 1. de constit. lib. 6. Pro qua solutione vrget, quod amissio emphyteusis ipso iure incurrit per c. potuit. de loca. & l. 2. C. de iur. emphy. est ita in pendenti, quod si dominus proprietarius antequam illam petat, vel declaret se velle petere, moriatur, non censetur amissa: & si petatur sic. Et idem si ipse emphyteuta moriatur antequam ab eo illa petatur, per ea multa, quæ dictus Cass. adducit in decis. 2. & 3. de locat. Facit etiam, & proprius, quod excōmunicatio lata ipso iure contra pensionarium in casu nō solutionis faciendæ in certo termino, eo lapso non censetur incursa, donec is, cui illa debetur declaret, se velle illam esse incursam: & illo etiam post mensem, & annum declarante habetur pro excommunicato iam inde à termino lapso: & si antequam declaret moriatur, vel soluatur pensio, vel fiat concordia, vel pensionarius moriatur, censetur nunquam incursa, vt stylus habet, & prædictus Cass. affirmat in d. decis. 2. & 3. de locat. Itaque dici potest, quod illa extrauagans interpretata per stylum Curiæ antiquum Papa sciente, & tolerante seruatum, probat singulariter quod nullitas tituli, & excommunicatio inductæ per illam sint ita in pendenti, quod non ligent, donec ab vtraq; parte compleatur simonia: impleta vero ab vtraque parte, etiam si longe postea impleatur ab altera, censeri eas inductas iam inde à contracta simonia. Non ignoro facilius responderi posse dicendo, nullitatem tituli, & excommunicationem non inde ab ipso tempore datæ tituli incurri, sed à tēpore simoniæ ab vtraque parte perfectæ: nisi contrarium seruaret stylus antiquus, cui standum est. Succedit tamen quæstio non minus quotidiana, quam grauis, An incurrat irregularitatem, qui celebrat post completam ab altera parte simoniam, & ante cōpletam ab altera? in qua idem videtur respondendum, quod de pensionario celebrante post lapsum termini ad soluendam pensionem sub pœna excōmunicationis latæ sententiæ præstituti. Equidem arbitror eam non incurrere, saltem quo ad forum conscientiæ. Tū quia appellans à decla-

ratione excommunicationis, de cuius valore dubitatur, non incurrit irregularitatem, vt pulchrè declarat Fel. in cap. Rodulphus. nu. 43. de rescrip. Tum quia appellans ante excommunicationem, & fidens appellationi celebrando non incurrit irregularitatem, etiam si declaretur male appellasse, iuxta glo. pen. communiter recep. in cap. solet. de sent. excom. lib. 6. Tum quia vt ait Pan. in cap. pastoralis. §. verum. de appel. & Domi. in d. cap. solet. & Fel. in d. cap. Rodulphus pœna irregularitatis ponitur ob cõemptum, quem prædicti verè non habent: nec præsumuntur habere, attento quòd in casu simoniæ non completæ non est incursa excommunicatio: & in casu non solutæ pensionis credere potest pensionarius se excusatum iri per impotentiam, vel concordiam, vel bonitatem eius, cui debet, quod non volet eum declarare &c. Facit, quòd Rota non iudicat irregularem eum, qui celebrat post intimationem executorialium, antequam declaretur, vt sentit Fel. in cap. ad probandum. nu. 6. de re iudi. quatenus ait. Rotam suo tempore iudicasse validam collationem factam ab episcopo excõmunicato eo, quòd nõ paruerit executorialibus intimatis ante declarationem, quę fieri non potest nisi seruatis quatuor terminis, de quibus ibi per eum. Quare hoc videtur proculdubio tenendum, donec aliud statuatur, excepta simonia confidẽtiali, per quam ipso iure annullari titulũ, & incurri excommunicationem, & alias pœnas probant duæ nouæ extrauag. Pij Quarti, & Pij Quinti, vt infra, nu. 110. notatur. An autem earum exemplo statuere idem in alijs sit è re christiana, scribetur in comment. prædicti. cap. fi.

Simonia realis quid.

SVMMARIVM.

105 *Simonia realis quid, & in quo peior mentali.*

105 *Simonia realis omnem dispositionem beneficialem annihilat.*

105 *Renunciatio per simoniam realem facta non valet.*

105 Simonia realis est simonia cõuenta expresse, vel tacite ex vtraque parte completa, saltem quo ad aliquam partem promissorum vtriusque partis. Dixi, *vel tacite*: quia interdum fit illa sine verbis, solis nutibus, quibus vnus etiam in momẽto, vt ait Caieta significat se facere, vel dare aliquod pro spirituali, & alter velle accipere aliquid pro illo, vel factis tantum: puta spondendo, vel faciendo Scommessam, vt Itali dicunt, vel (vt Hispani) Apuestam, 100. vel 10000. cum episcopo, quod non conferet beneficium tale vacãs suo filio, vel nepoti: & episcopus, vt lucretur illa, confert illud ei. Vel vt, quod quidam magnas fecit, dicendo regi percupienti, vt successor cuiusdam episcopi mortui solueret viginti millia scutorum, quæ illi debebat, si placet suæ maiestati, ego soluam illa omnia ex legitima parte quæ debetur ex bonis maternis filio meo &c. qui erat dignus episcopatu, nihilo expresso de episcopatus præsentatione, pro qua tacitè promittebat: nam si rex nihil aliàs respondendo præsentasset illum eius filium, & magnas soluisset illud debitũ, censenda fuisset

fuisset simonia realis quippe quę esset tacitè conuenta, & ab vtraque parte cõpleta. Dixi, *Ab vtraque parte*, quia non sufficit, quod impletur ab vna parte tantum per supra latè adducta. Dixi nouè, *Saltem quo ad aliquam partem promissorum vtriusque partis*, ad includẽdum simoniam, cuius conuentionem nõ impletur partes in totũ, sed in partem fiç: vt cum quis promittit 100. pro renunciatione duorum beneficiorum, & renunciatur vnum tantum, & soluuntur 100. tantum.

Porro hæc simonia realis vt minimum est æque mala, ac mentalis, & conuentionalis: quia non solum est mortalis in foro interiori, vt mentalis, & punibilis in exteriori, vt conuentionalis: sed etiam punitur annihilatione, siue nullitate, & excommunicatione, restituendique obligatione. Ita quod beneficiarij per eam prouisi, non quærunt verè beneficia, nec faciunt fructus eorum suos, & tenentur relinquere illa, & restituere fructus ex illis perceptos: & ipso iure excommunicantur: & nihil valet præsentatio, electio, confirmatio, & quælibet alia dispositio, & prouiso extrauag. 2. de simon. quæ etiam satis pondetata probat nec renunciationem valere. quod probatur ex cap. cum vniuersorum. de rer. permut. secundũ vnum intellectum; & ibi Inno. per Pan. & alios communiter receptos, & Rot. 7. de renunc. in antiq. & licèt ita renuncians castigari possit, & priuari beneficio: non tamen perdit ipso iure illud. quia renunciatio est nulla, vt prædictum est.

SVMMARIVM.

106 *Missa pro dicenda non debet statuì quid certum.*

106 *Spirituali pro præstito dari consuetũ potest cap.*

106 *Simonia conuentionalis est promissio sine animo soluendi, & quando realis.*

106 *Simoniam an faciat obligationis antideralis remissio.*

106 *Mediator simoniæ, & capiens sibi vt roget, simoniacus.*

107 *Simoniacus non est conferens ob consanguinitatem, amicitiam, vel preces, etiam indigno, nisi &c.*

107 *Simoniæ quædam vsitatæ in Curiâ inter præsentes, & absentes.*

107 *Renunciare beneficio intentione vt detur N. licet, eo non expresso.*

108 *Simoniam interdum Papa incurrit, pœnam eius nunquam.*

108 *Beneficium spirituale in quem sensum est vendibile à Papa.*

108 *Simoniam, quam Papa incurrit.*

108 *Papa, & alij prælati vt possunt spiritualia profanare.*

108 *Papa, & episcopus vt possunt rem spiritualem integram vendere.*

108 *Beneficium vendi, quo ad partẽ temporalem, vt calix, & sacra.*

108 *Papæ beneplaciti reseruatio nihil prodest, antequam ei placeat.*

109 *Confidentia quid, & quotuplex.*

109 *Confidẽtia plus nocet, quam simonia, etiam realis.*

109 *Confidentia inducit nouam reseruationem.*

109 *Confidentiæ huius mediator excommunicatur, sicut simoniæ.*

109 *Confidentiam hanc non facit promissio conferendi.*

110 *Bulla Pij V. de confidentia cum 12. aduotationibus.*

111 *Pensio beneficialis non potest emi nec vendi, sed sic gratis remitti: quia est spirituale dependenter.*

111 *Pensionis emptio, si simoniaca est, non valet, sed non excommunicat.*

111 *Victus spiritualis venditio simoniaca, sed non excommunicat.*

111 *Vicariæ alius iurisdictionis secularis emptio valet.*

111 *Simoniacus qui ipso iure suspensus, vel excommunicatus.*

111 *Simonia omnis mortalis, quæ excõmunicat, quæ dimittere obligat.*

111 *Simoniam committit emens coriut ob spirituale annexum, sed non excommunicatur.*

Cæterũ vltra quæsita decisa circa simoniam in ordine infra cap. 25. nu. 68. & in beneficijs ibidem nu. 115. & in præsentatione ibidem nu. 8. quęruntur multa noua.

106 Ad quorum primum respondeo, quod non licet Episcopo iubere, vt certa pecunię quantitas detur pro missa dicẽda, & nemo minorem accipiat, Tum quia missa non est pecunia æstimabilis. cap. qui studet 1. q. 1. Tum per alia ponenda in c. fi præsertim, illud S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. recep. quod quamuis constitui possit in aliqua ecclesia, vt fiat suppliçatio in funere eius, qui tantum dederit, non tamen ne fiat pro eo qui tãtum non dederit.

Ad secundum, quod consueta dari pro actibus spiritualibus iã præstitis licitè possunt accipi, antequam præstentur, immo & interdum peti ad impediendas cõtentiones, & molestias, quæ alioqui probabiliter putãtur futuræ, quod determinat Caie. in sum. verb. simonia. & per supradicta probatur.

Ad tertium, quod est simonia cõuentionalis tãtum promittere in instrumento publico 100. scuta alteri, vt conferat sibi beneficium sine vllo animo emendi illud, nec soluendi illa. licèt Caiet. in 2. tom. opusc. opusc. 9. q. 2. de simo. & Sotus, qui eum sequitur lib 9 quæst. 5. art. 1. de iust. & iur. contradicant, dicentes eum quidem peccare communicando simoniæ mortali alterius: mentiendo itę, & scandalizando, non tamen simoniam commitendo, & ex eo inferentes non teneri relinquere beneficium eiusmodi dolo acquisitum: quia ad essentiam simoniæ non est necessaria vera voluntas emendi, quod ipsi præsupponunt: sed sufficit voluntas faciendi, aut dandi aliquid quod formaliter, vel virtualiter est temporale pro spirituali consequendo, per dicta supra nume. 110. quod in hoc casu fit, cum vnus eorum velit dare spirituale, & alius promittere in instrumento publico quocunque animo id faciat. Verum autem est quod inferunt, nempe illum non teneri ad relinquẽdum beneficium ratione talis simoniæ: non quidem eorum argumento, scilicet quod non committit simoniam: sed quia illa non est realis sed conuentionalis tantum, quæ vt prædictum est, nec excommunicat, neque annihilat actum, neque ad restituendum obligat vt dictum est. Quamuis possit dici simonia realis conuentio, qua cõuenirent duo, vnus ad dandum spirituale, alter ad dandum instrumentum authenticum promissionis centum, si alter daret spirituale promissum, & alter traderet instrumentum eiusmodi promissum, etiam si nunquam

quam solueret: quia ex bona parte impleret promissum tradendo illud, quod promissum fuit: & vt prædictũ est sufficit eam impleri ex vtraque parte, quo ad partem promissorum. Non tamen arbitror esse realem illam, qua quis promitteret temporale, etiã instrumento publico, quod traderet: quum hoc casu talis traditio instrumenti non sit pars rei promissæ, vt in superiori casu: sed solum probatio promissionis. quod est quotidianum, & ideo notandum. l. legaui. ff. de liber. leg.

Ad quartum, quòd conferens beneficium ei, cui est obligatus tãtum ad antidota, animo se ab illa obligatione liberandi, simoniam committit, secundum Inno. in cap. tuam de ætat. & qualit. quod non est verũ, nisi conferat propretio formaliter, vel virtualiter temporali per supra dicta nu. 100. Nec tunc esset plusquã simonia mentalis secunda, de qua nume. 101. si non deduceretur in pactum illa remissio, quæ in effectu est donatio cap. veniens de testa. in quo sensu videtur intellexisse Inno. vbi supra Fel. in cap. ad audientiam. 1. de rescrip. nu. 10. Sed si res satis perpendatur, nec tunc est simonia: quia nullum debitum legale, sed solum antidorale remittitur, quod non habet vim pretij, vt S. Thom. clarius aperit 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. & probat consuetudo S. Sedis Apostolicæ, & omnium prælatorum, qui conferunt beneficia his, qui bene meriti sunt de se, vel suis ecclesijs, vel republ. quibus sunt obligati sola antidorali obligatione.

Ad quintũ, quòd mediator simoniæ committit eam, & excommunicatur per extrauag. 2. de simon. Immò & dans mediatori, seu intercessori, vt procuret sibi collationem beneficij secundum Inno. in d. c. tuam. de ætat. & qual. quem ibi Anto. Pan. & Bellam. sequuntur, & idem Inno. in cap. tanta. de simon. quem ibi Fel. sequitur: quia, vt ille ait, paria sunt dare collatori, & dare tertio, vt moneat collatorem ad conferendum: nisi daretur illi, quod deceret pro labore, quem suscipit in semel, vel frequenter adeundo collatorem, & redeundo ab eo, vel in compensationem alicuius interesse considerabilis, damni, vel lucri cessantis ipsius mediatoris, vel nisi daret principaliter ad ineũdam amicitiam, & secundario, vt postea per illa moueretur ad monẽdum collatorem, vt conferat ei beneficium per prædicta. Per quæ, & hoc proximum dictum, videtur saluari, qui dat munera à manu, à lingua, vel obsequio familiari Papæ, principaliter ad ineundam amicitiam cum illo, & secundario vt impetret ei à Papa aliquod beneficiũ, cùm se ad id occasio obtulerit: & postea occasione oblata sine alia illicita conuentione impetrat illud ei. Secus autem esset si principaliter daret ei, vt rogaret Papam pro eo, vel vt obtineret ei beneficium: quo casu intelligendus est Sot. lib. 6. q. 7. art. 5. col. 2. de iust. & iur. & Sylvest. verb. simonia. q. 6. contrarium significantes.

107 Ad sextum. quòd non est simonia conferre propter consanguinitatem secundum S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. quidquid aliqui parũ caute dicant: quia illa nec emitur, nec venditur, nec vllo contractu non

gratuito quæritur, quod ad simoniã requiritur, per eius definitionem. quod & Sot. vbi supra probat: quamuis conferens ob illam principaliter peccat secundum Inno. in d. cap. tuã: non tamen incurrit censuram, qua simoniacus inuoluitur. Idem eadem ratione dicendum de conferente ob amicitiam, licèt ob eam indigno cõferret. Idem puto de illo, qui pro se indigno precatus collatorem, obtinet beneficium, nisi preces pro pretio fiant, & accipiantur, quo casu intelligendus est S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. Idem de hypocrita, qui ob laudem humanam spiritualia facit: sed alia ratione, scilicet quia non dat quidquam spirituale propter laudẽ secundum eundem S. Tho. vbi supra ad 4. nam si daret, vel faceret in pretium laudis, simoniacus esset, per prædicta.

Ad septimum respondeo, quòd simonia realis cõmittitur ab eo, qui habito ab Hispania nũcio de aliquo beneficio vacanti, conuenit cum aliquo Papæ familiari, vt impetret illud ab eo pro se: & quod ipse consentiret certę pensioni à Papa constituendæ. Et postea familiaris impetrat illud pro eodem monitore qui consentit prędictę pensionis constitutioni: & expediunt literas nulla mentione facta Papę de conuentione pensionis constituendæ: quia est conuentio simoniaca, ab vtraque parte executa, vt patet. Idem & fortius est dicendum de illis, qui habito ex Hispania nuncio de duobus beneficiis vacantibus, conueniũt, vt vtrumque illorum in caput vni⁹ eorum impetretur, & inter ambos diuidatur ex æquo vtilitas eorum, & impensa facienda in soluendis pensionibus eis, qui ea sibi impetrant. Et postea is in cuius caput impetrata fuerunt, nulla de huiusmodi conuentione facta mentione, renunciat alterum in fauorem alterius qui cõtribuit dimidium impensarum: quoniam est simonia ab vtraque parte completa.

Ad octauum, quòd simonia realis admissa fuit a duobus Hispanis, inter quos conuenit, vt alter existens in Hispania moneret de vacantibus alterum residentem in curia, & is impetraret à Papa illa: & diuiderentur ex æquo vtilitas, & impensa per renunciationes, permutationes, vel pensionum constitutiones ad id necessarias. Contra tamen puto de his, inter quos cõuenit: vt alter moneret, & alter impetraret vtrique, vel vtri eorum vellet, sine vlla obligatione ciuili alia ab antidorali, quæ naturali iuri inest, vt benefaciẽti benefaciamus iuxta l. si non fortem. §. libertus. adiuncta gl. fing. ff. de cond. indebit. & postea liberè ipse impetrat, & resignat, vel consentit pensioni pro sua libera voluntate: quia expressio eorũ, quæ tacitè insunt, nõ inducit simoniam, vt prædictum est post Fel. in ca. ad audientiam. de rescrip. nu. 10. in specie hoc dicentem.

Ad nouum, quòd admittit simoniam, qui habito nuncio de vacante beneficio in Hispania, notum facit illud alicui familiari Papæ, qui obtinet ab eo gratiam conferendi illud cuilibet Hispano, quem ipse nominabit: & postea nominat illum monentem facto pacto, quod illi vel illi pẽsioni annuente Papa consentiet, & ad securitatẽ eius necessaria faciet

faciet, & postea nominat illũ, & ille consentit pensioni prædictæ, nulla de pacto prædicto facta mentione Papæ: quia est cõuentio simoniaca, completa ab vtraque parte, & non purgata authoritate eius, qui de illa nil nouit. Secus autem si nullo pacto præcedenti nominaret eum, & ille consentiret: quia nulla conuentio illicita interueniret.

Ad decimum dico primò, quòd renunciatio facta in fauorem alterius, id est adiecto modo, vt conferatur illi, vel illi, est simonia, iuxta gloss. cap. ex parte. 1. de offic. deleg. & cap. cum pridem. de pact. Nisi fieret in manibus Papæ, secundum stylum Curiæ à multis seculis seruatum, à quo tamen cœpit recedere S. D. N. Greg. XIII. quamuis permittit, vt vna cum renunciatione vnius, præsentetur petitio alterius, cui renuncians vellet conferri. Quibus consequens est conuentionem, quæ alias esset simoniaca, desineret esse talem per causulam adiectam, si, & quatenus S. Sedi Apostolicæ placuerit, & non aliter, nec alio modo. Quod receptissimũ est, sed male intellectum, & peius seruatum ab his, qui prius quam Sedis Apostolicæ beneplacitum accedat eam, saltem ex parte exequuntur. E quibus sunt renunciarij, qui promittunt renunciantibus pẽsionem, vel aliud temporale, si Papæ placuerit. Et qui faciunt concordiam de dando, vel faciendo aliquid temporarium pro quærendo iure aduersarij: & postea prius præstant promissa, vel partem eorum, quam Sedis Apostolicæ beneplacitum accedat, vt sentit Gomes. in reg. Cancel. de Trien. q. 12.

Secundò, quòd renunciatio beneficij facta, etiam in manibus inferioris ea intentione, vt conferatur alicui cognato renũciantis, vel alij, nulla conditione, modo, vel pacto, expressis valet: & renuncians non admittit simoniam etiam mentalem secundum glo. sollennem. cap. ordinationes 1. quæst. 1. verbo pretio, communiter receptam, & expressam sententiam grauissimi hac in re authoris S. Anton. 2. part. titu. 1. capit. 5. §. 13. quamuis Panorm. & Dec. & citati per eos incautè teneãt eum admittere mentalem, quod palam est falsum: quia nullatenus conuenit ei definitio simoniæ supra posita nu. 100. Cum emptio. vel venditio actualis, vel virtualis, nec vllus contractus non gratuitus, nec vlla voluntas faciendi aliquid horum etiãrale, quale in proximo quæsito diximus, interueniat, vt palam est: & cautius loquitur idem Dec. consi. 141. ad secundum: quamuis si velleret renunciare principaliter ob cognationem, vel vt conferatur indigno eo, peccaret, non tamen peccatum simoniæ, sed aliud iniustitiæ, vel acceptionis personæ inordinatè cõceptæ, vel procuratæ. Pro quo facit, quod mandatum datum ad renunciãdum beneficium in manibus ordinarij libere, & ad petendum ab eo post renũciationem libera vt prouideat illi, vel illi, nõ est simoniacum, immò valet, & renunciatio virtute illius facta, & collatio ad petitionem mandatarij cõsecuta sunt validæ, vt Rota declarauit testãte Cass. in dec. 2. de simon. Et negati non potest ex illo mandato colligi intentionẽ renunciãtis fuisse, vt cõferretur nominato

nato per eum; sed quia non fuit id positum sub pacto, modo, vel conditione, cessabit simonia. Et quod his non obstet extrauag. Pij V. de confidentia, annotabitur infra super ea. Quamuis certum sit, quòd velle renunciare cum pacto, vel modo, vt detur illi, vel illi, est simonia mortalis, etiam si nulla subsequatur renunciatio cum pacto, vel sine pacto per dicta supra nu. 100.

108 Ad vndecimum de committẽte simoniam cum Papa dico primò, quidquid alias hoc in loco scripserim, alios in aliis sequutus, Papam peccare posse peccatum simoniæ in emptione, & venditione cuiuslibet rei spiritualis, sicut quilibet alius homo, quæ sunt verba S. Thomæ 2.2.q.100.art.1.ad 7. Ex quo infertur primo non posse ipsum liberare à peccato simoniæ alium vendentem, vel ementem ab ipso rem spiritualem, qua parte est spiritualis: quia nec se ipsum potest ab eo excusare.

Secundò quod Papa non potest efficere, vt actus, qui est simoniacus iure naturali, vel diuino absque adminiculo iuris humani, desinat esse simoniacus: quia sua Sãctitas subest illis legibus, saltem quoad vim directiuam secũdum eundem S. Thomam recept. 1.2.quæst. 96.art. 5.

Tertiò, quòd Papa potest rẽ, cuius spiritualitas iure tantum humano inducta est, frangendo, vel mutando efficere profanam, vt diximus in ca. non liceat Papæ §.§.17.nu.17.10. Immò, & alij Prælati ex iusta causa idẽ facere possunt arg. c. aurũ. 12.q.2.

Quartò, quòd Papa potest rem spiritualem, quę cõstat ex spirituali, & temporali, vt calix, & vestæ sacrę, emere, & vendere, quoad partẽ temporalem, etiam integram, & sanam absque præuia execratione, vel confractione, qua mutatur forma, vt colligitur ex S. Thoma. 2.2. quæst. 100. artic. 4. Imo, & alij Prælati ad vsum ecclesiasticum nihil plus accipiendo ratione spiritualitatis, vt satis colligitur ex eodem S. Thom. lib. 4. sentent. distinct. 25. quæst 3. art. 1. & 2. Quamuis non ad vsus profanos per reg. semel Deo. de regul. iur. libr. 6. & cap. comperimus. de consec. distinct. 2.

Quintò, infertur quòd Papa nullam pœnam temporalem statutam contra simoniacos, etiam qui sunt tales in rebus spiritualibus, etiam à Deo solo institutis incurrit: & quod potest facere ne alius eam incurrat: quia omnis talis pœna est inducta iure humano, cui non subest ipse, & potest alios eximere per prædicta.

Sextò, quòd authoritas eius de facto eximit à pœnis simoniæ omnes, qui cum eo, vel cum consensu eius faciunt actum, qui aliàs esset simoniacus: esto quod expresse eos non liberet, non facta differẽtia inter prædictas simonias: quia quo ad pœnas eadem ratio militat in vtraque. Et ideo quidquid dicat Pan. in rep. §. qui vero. c. extirpãdæ. de præb. sub fi. & Fel eum limitãs in c. de cætero. sub fin. de re iud. in rebus spiritualibus à solo Deo institutis commissa, veritas habet, quod nõ eximit à culpa, sed tãtum à pœna simoniæ, & à culpa, & pœna simoniæ iure tantum humano prohibitæ, tũ per prædicta: tum per l. quidam consulebat. ff. de re iud. & l. idẽ Vlpi. ff. de excus. tut. & eorum, quæ de certa scientia.

Principis

Principis verius, & communius dicuntur ab iis, quos latè citat Fel. in c. cum inter de except. Tum per Stylum Curiæ, qui hoc seruat, vt satis testatur Caisador. decis. 2. de simo.

Septimò, quòd ex his est hauriendа decisio quæstionis. An Papa vendens beneficium, & emens illud cõmittat simoniam? Et quidam aiunt absolute quod nunquam. Alij quod semper. Alij quod nõ, si beneficium est simplex: si autem est curatum, sic. E quibus est Panorm. in cap. 1. de simon. & in c. extirpandæ. §. qui verò. de præb. à num 83. Quorum primorum opinionem sequuntur communiter Theologi, quos sequitur Caiet. 2. tom. tract. 9. quæst. 1. nosque soliti sumus sequi, hoc syllogismo firmo in Barbara. Omne spirituale, vt hic sumitur, est inuendibile iure naturali, & diuino. cap. qui studet. 1. quæst. 1. c. quam pio. ead. caus. quæst. 2. non solum datum vel institutum immediatè à solo Deo, sed etiam ab ecclesiastica potestate supernaturaliter diuinitus ei data, per dicta supra eodem num. 99. & adducta per Caietan. vbi supra. At omne beneficium est ius spirituale, vt hic sumitur c. dilecto. de præbend. & tradit S Thom. 2.2. quæst. 100. art. 4. à quo nullus etiam Canonista recedit. Ergo omne beneficium ecclesiasticum est inuendibile. Et confirmatur, ius spirituale clericale est à Deo solo institutum, cui omnia beneficia sunt annexa: & quidem adeo, quod vendito beneficio censetur vẽditum ius clericale. cap. siquis obiecerit. 1. q. 3. & ius clericale est inuendibile, per prædicta. Confirmatur etiã eo. quòd ius patronatus est inuendibile ca. de iure. de iur. patr. & tenet S. Thom. vbi supra ab omnibus etiam Canonistis recept. quod tamen est minus spirituale, quàm beneficium, quippe quod cadit in laicum tanquam spirituale antecedenter non præsupponens clericatum, nec aliud spirituale, præter christianissimum cum tamen beneficium sit tale dependenter, & præsupponens clericatum ca. cum adeo. de reser. & c. ex literis. de transl. confirmatur item eo, quòd ius decimarum est inuendibile: quia deputatũ ab ecclesia ministris eius, vt ipsemet S. Thom. ab omnibus recept. ibidem ait, & probatur in ca. altare. 1. quæ. 3

Octauo, infertur quòd quidquid aliqui facile detrahant, non arbitror vllum Papam vlla beneficia vnquã simpliciter vendidisse contra conclusionem prædictam: quamuis ceperit aliqua non via vẽditionis, nec permutationis, nec alius contractus non gratuiti, sed aliis viis iustis. Quę colliguntur ex eo, quòd potest beneficia extinguere, & alia aliis vnire, diuidere, & reditus eorum augere, & diminuere c. & ex parte de const. & c. maioribus. & c. extirpandæ, in prin. & §. qui verò præb. c. sicut vnire. de excessib. prælat. cum eis adnot. Potest etiam partem reditum eorum vacantium, & vacantium de consensu beneficiariorum. immò & sine illo, ex iusta causa applicare alicui bello pio, vel aliis piis operibus, & necessitatibus Sedis Apostolicæ, vel alterius, & in iustam pensionem aliquibus: ac consequenter annatas, vel compositiones necessitatibus Sedis Apostolicæ, vel aliis piis operibus applicare.

Nono,

Nonò, quòd quamuis Theologorum sententiam, quam omnium profundissime confirmat Caiet. vbi supra, sequi soleam: puto tamen nouissimè tenendum, primo Caiet. dicere quædam quasi metaphisici in illo tractatu, quæ non satis probat. Secundo quod Papa sua potestate absoluta, & plena potest vēdere absque peccato ex iusta causa beneficia, quoad partem, quam habent pecuniariam, & temporariam: sicut potest vendere alia spiritualia, quæ constant partim ex spirituali & partim ex re pecuniaria: qualia sunt calix, vestis, & vasa consecrata. Tum quod eadem ratio est in omnibus. Tum quia, id quod dicitur vendentem absolutè beneficium, vel aliam rem, quæ constat ex re spirituali, & pecuniaria præsumi, vel videri vendere vtrunque, iuxta prædictum ca. si quis obiecerit est verum, quoad præsumptionem, & non quoad veritatem, quæ tollit eam, si est ei contraria cap. tua. de sponsi. & ita non includeret illū, qui verè solum temporale intenderet vendere: & minus illum, qui expresse protestaretur se solum intendere vendere illam, quo ad partem temporalem. Tum quia, omnes confitentur non solum Papam, sed etiam omnes alios Prælatos posse vēdere calicem, vel aliam rem consecratam, etiam integram ecclesiæ, vel clericis ad vsum spiritualem, quod quotidie fit. Tum quia nemo negare potest, posse Papam ex causa iusta donare, & vendere, vel permutare aliquā rem immobilem vnius ecclesiæ pro alia alterius ecclesiæ, etiam profana: & aliquam partem reddituum vniuſ ecclesię pro aliqua re alterius ecclesiæ, vel etiam laici, quod quidquid dicat Caietan. efficaciter probat c. ad quæstiones, & omnes tit. de rerum permut. Tum quia sic vendendo, donando, vel permutando nihil spirituale vendit, donat, vel permutat, sed solum temporale. Tum quia non obstat illud arg. quod suū Achillem facit Caiet. scilicet, quod omnia beneficia ecclesiastica sunt annexa iuri clericali consequenter: quia non sunt ita annexa, vt nequeant auctoritate Papæ separari multis modis, vt prędictum est. Tum quia etiam aurum, argentum, & sericum calicis, & vestis, consecratorum est annexum calici, & vesti cōsecratis, immo magis quum reditus beneficio: attamen Papa potest ex iusta causa vendere illud aurum, argentum, & sericum alij ecclesiæ, vel clerico, etiam non mutata forma, vt supra dictum est. Ergo etiā ex iusta causa poterit vendere reditus mille ducatorū alicuius episcopatus, vel archidiaconatus habentis reditus decem millium, etiam non separando illos à reditibus episcopatus, vel archidiaconatus: & ea lege, vt archidiaconus teneatur illa quot annis soluere. Reditus enim beneficij nō ita annexi sunt iuri clericali, quod non possint authoritate saltem apostolica diuidi, & vēdi, saluo existente, & non vendito iure clericali: sicut venditur pars materiæ calicis, non vendita eius tota materia, neque consecratione eius. Et Canonistę, qui tenuerunt contrariam partem communis Theologorum noluerunt dicere id, quod Caiet. imponit eis nimium notans eos, & nec per somnium imaginati sunt illa eius

eius quasi methapysica, sed in nostrum hunc sensum videntur dixisse Papam posse vendere beneficia: licet Pan. distinguendo inter curata, & simplicia iure reprehendi possit. Quia voluerūt dicere quod plus rei spiritualis vendere possit vendendo curata quam simplicia: sed quod vtrunque vendere potest ex iusta causa, quoad partem temporalem: & neutrū quoad partem spiritualem quoad ius exercendi curam, vel ius clericale ministrandi officia diuina, cui iure naturali, & diuino debetur stipendium. Sicut potest vendere calicē, & vestes sacras, quoad partem temporalem, & non quoad spiritualem, siue consecrationem. Adde iis illud, in quo sæpe grauiter erratur, scilicet, quod concordiæ, & aliæ dispositiones super spiritualibus, quæ sine Papæ consensu factæ, essent simoniacę, non sunt tales si fiant cum clausuia, saluo, vel reseruato beneplacito Papæ, siue S. Sedis Apostolicæ: quæ tamen si exequuntur ante quā beneplacitum eius impetretur, fiunt simoniacæ: quia fiunt sub conditione, si Papa voluerit. arg. l. à testatore. ff. de cōd. & demo. & dispositio conditionalis nihil prodest, donec conditio impleatur, cap. si pro te de reser. & § omnis. inst. de verb. oblig. & ideo cauendum à tali executione, quę inducit censuras, & annihilat actum.

109 Ad duodecimum, quòd ex responsione 3 præcedentium, quæstionum sequitur non esse simoniacam confidentiam illam, qua quis confidit, quòd collator conferet beneficium renunciatum illi, cui renuncians volet, post renunciationem liberè, & sine vllo pacto, & modo: aut quòd patronus præsentabit ad illud ita renunciatum: quia nullus in ea re contractus non gratuitus nec voluntas illum faciendi interuenit, neque vllo iure naturali vel diuino talis fiducia prohiberur, si aliud non obstat. Eadem ratione non est confidentia simoniaca conferre beneficium, vel procurare vt conferatur alicui ea intentione, & spe, quòd ille aliquando cedet in fauorem alterius à se nominandi, vel sui ipsius conferentis, vel procurantis: dummodo nullum pactum, nullus modus, & nulla cōditio adiiciatur, quod certū est solo iure antiquo attento. Et quòd idē sit attentis extrauagantibus. fœl. rec. Pij quarti, & Pij quinti super confidētia beneficiorū editis, probatur efficaciter eo, ꝙ illæ nihil prohibēt, quod ante illas nō fuisset prohibitum, solum enim disponunt contra cōfidentiam illicitam beneficialem, & non omnem: sed tantum simoniacam, qualis non erat omnis confidentia beneficialis. Tum quia confidentia in genere est certa spes de re aliqua, quod ita fuit, est, vel erit, & interdum sonat in bonā partem, vt in illo Psal. 10 *In Domino confido*: & interdum in malam. Psal. 125. *Qui confidunt in eis*: & cōsequenter est cōfidētia licita, & confidentia illicita: licita est, qua quis ordinatè sperat, illicita qua inordinatè. Tū quia hoc cōsequitur, ꝙ confidentia beneficialis est duplex, licita, qualis est illa qua quis ordinatè cōsulit ꝙ collator cōferet beneficiū fratri suo cū primis eo digno, & illicita, qualis est ea, qua quis inordinatè cōfidit, quòd collator conferet beneficium suo

fratri

fratri eo indigno, arg. c. cum in cunctis. 6. fin. de elect. Tum quia confidentia illicita beneficialis est duplex. Altera simoniaca, qualis illa, qua quis cõfidit, quòd collator conferat beneficium mediante pretio pacto, modo, vel conditione expressa, vel tacita digno, vel indigno. Altera non simoniaca, qualis est illa, qua quis cõfidit, quòd collator conferet beneficium ob cognationem, vel amicitiam indigno: sine tamen pretij, pacti, modi, vel conditionis interuentu. Quod autem extrauagantes prædictæ nõ sint editæ contra omnem confitentiam beneficialem, sed tantum cõtra illicitam: nec cõtra omnem illicitam: sed tantum contra illicitam simoniacam patet.

Primò, quòd principium extrauagantis pij Quarti sic habet. *Sane licet dudum, cum certam simoniacæ pravitatis speciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, &c.* Et ex principio colligitur intentio disponentis. l. fin. ff. de hæred initi.

Secundò, quòd mox declarat se loqui de confidentia, qua quis accepit custodiam alieni beneficij cum pacto, vt postea cedat alteri.

Tertio, quod postea ter se restringit ad eam, adiiciens verb. *Confidentiam*, verbum, *Huiusmodi*, quod restringit ad prædicta. l. huiusmodi. ff. de legat. 1.

Quarto, quod Pius V. de eadem omnino confidentia disponit, de qua Pius IIII. vt tam ex procemio, quam reliquo contextu palam colligitur.

Quinto, quod declarant præteritas, de quibus agunt, confidentias fuisse illicitas quod non potuisset iuste fieri, nisi ante fuissent prohibitæ: cum lex non extendatur ad præterita. cap. secundo, & cap. finali de constitutionibus. Et ita quæ confidentia ante illas erat licita, etiam nunc est licita, & è contrario, quæ nunc est illicita, antea erat illicita: & quæ illicita nunc est simoniaca, antea erat simoniaca. & quæ antea non erat simoniaca, nec nunc est simoniaca, licèt iuste præsumi possit in foro exteriori per modos ad id inductos à Pio V. per extrauag. cuius tenor sequitur *Pius Episcopus &c.*

110 *Intolerabilis. & infra. Bene quidem, & prouidenter fœl. rec. Pius Papa IIII. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit: vt ipso iure vacarent ecclesiæ, monasteria, cæteraque beneficia ecclesiastica im confidentiam à quibuscunque etiam S. R. E. Cardinalibus cuiusuis personæ contemplatione vel intuitu recepta liberam illorum dispositionum sibi, & Apo. S reseruando: nec valere ipsorum collationes seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi & ingrediendi ad ecclesias, monasteria, & beneficia supradicta illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebitè perciperent. Prohibeat quibuscunque etiam sub censuris ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes & quascunque promissiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de ecclesiis, monasteriis, & beneficiis, nec non reseruationes fructuum, pensionem, rerum, & iurium ac etiam transferendi, regrediendi accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, sive per se, sive futuros Romanos Pontifices, etiam motu proprio, ac consistorialiter, sive etiam per ordinarios collatores, etiam ad patronorum præsentationem, cum interuentu confidentiæ huiusmodi, sive expresse, sive occulte, ac de iure præsumpto, & alias contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari: sed ecclesias, monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictæ dispositioni reservata esse: sicque per quoscunque etiam per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constaret) iudicari & definiri debere. Necnon irritum & inane quicquid secus contigerit attentari: quemadmodum confecit super his literis plenius continetur, & infra. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes: alij ne cogantur ad sacros ordines, & ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimices occidant: alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant: alij propter crimina incapaces: quidam vt purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel prosapiam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant: vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris asserunt, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui præstandorum iurium Cameræ Apostolicæ sunt immunes. Alij aut incapaces, aut aliis beneficiis ecclesiasticis onusti, aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, seu pensiones capiant eorundem, aliisve faciant minus gravi. Alia item permutæ eiusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ nervus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculosam talium audaciam omni iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus: vt si quis quacunque auctoritate ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur. Itidem si ordinarius vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quouis modo vacans, ex conditione tacita, vel expressa, postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunque contra iuris commu-*

nis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus alium, vel partem ad vitalitatem, vel tributum conferentis vel cedentis, aut alterius, relinquat & remittat, seu pensionem illi vel illis quos, vel quos idem collator aut cedens, vel alius per se vel alium scripto aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat: & pariter sit à patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si clericus prædictæ Cameræ aut Cardinalis aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ vel etiam Cancellariæ Apostol. exemptus post resignationem, vel cessionem alicuius extranei de ecclesia: monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se Apostolica vel alia authoritate factam & admissam illam, vel illud etiam confectis literis Apostolicis, & possessione apprehensa in eundem resignantem vel cedentem modico spatio interdicto, veluti duorum, aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum ex illa retrocessione fructus ecclesiæ, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum pars seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum: aut regressus, seu accessus, ingressus ad illa vel illud ipsi clerico, vel Cardinali, aut alio exempto sit fuerit ve concessus. Postremò, si quis eximine aliquo absolutus, aut eum qui super irregularitate dispensatum est denuo reuerit, quacunque authoritate ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prædictis comprehendantur, ac si illis specialim expressi fuissent: licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum vero pleniùs confidentiarum abusum inter alias etiam has præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ, videlicet: si quis post cessum ab se ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rei no illius per se, vel alium, seu alios de facto iniecerit, aut fructus perceperit: aut quicunque successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorundem: si recipiens beneficium constiterit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit: si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis expeditis, qua personam recipientis concernit prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alteri facta, quacunque auctoritate de beneficio ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquomodo: deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quacunque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, plureſque huiusmodi præsumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum

rum criminosi, & ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendo contra se iudicij incrimine perseueret: vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vbique prohibeatur, & omnes, & singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasque res intercedente hac confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint: & qui quid tale admiserint in futurum etiam omnibus, & singulis aliis monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis & beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus: necnon fructibus, pensionibus, & aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præfatum authoritate primamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam à Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno quarto.

Ex qua nota primo, quod intentio prædictorum Piorum non fuit, vt supra dictum est, inducere aliquam prohibitionem nouam confidentiæ beneficialis: sed Pius Quartus intendit renouare antiquam, & Pius Quintus iuuare illam inducendo modos probandi eam, quæ difficile probatur: ita quod non intendit asserere esse veram in foro interiori confidentiam illicitam simoniacam in casibus, in quibus statuit pro tali esse habendam: sed quod in exteriori est præsumenda talis.

Secundo nota, quod simonia conuentionalis confidentiæ beneficialis est peior alia conuentionali beneficiali, qua palam emitur, vel venditur beneficium: quia per illam non annullantur acta, nec inducitur censura, antequam ab vtraque parte impleatur, vt dictum est supra num. 103. per hanc autem fit: quia simul ac quis accipit beneficium in confidentiam prædictam, antequam impleat, quod promisit, ipso iure est excommunicatus, & ipso iure collatio ei facta est nulla, & tenetur ad restitutionē omnium fructuum, quos perceperit à die acceptionis.

Tertio nota nouam, & amplam reseruationem, qua omnia beneficia collata, & accepta in confidentiam illiciram, & simoniacam sunt reseruata Sedis Apostolicæ collationi, qua ratione peior est hæc simonia conuentionalis etiam ex vna tantum parte completa, quam alia realis ex vtraque parte executa: quia non auferr ordinario potestatem conferendi, nec reseruat illam Papæ, hæc autem vtrunque facit. Quam ob rem caueant sibi, qui eiusmodi beneficia accipiunt per ordinariorum collationem, vel per Papæ prouisionem non facta mentione de huiusmodi reseruatione, saltem per clausulas generales ad id sufficientes: quales tamen communiter in

impetrationibus Apostolicis inseruntur.

Quartò nota, quòd non solum collationes per huiusmodi confidentiam factæ sunt nullæ: sed etiam omnes accessus, regressus, pensiones, & alia quæcunque etiam auctoritate Apost. reseruata fiduciariis, siue confidentiariis huiusmodi, in cessionibus, vel retrocessionibus quibus postea illa admittunt: quorũ de numero arbitror esse plurimos, qui debent sibi cauere. Salua limitatione posita infra eo. c. nu. iii.

Quintò nota casum nouum, in quo fructus beneficiorum per huiusmodi confidentiam collatorum, & pensionum cõfidentiariis constitutarum, reseruata Cameræ Papæ à die collationis, & constitutionis. quod est notandum ad consulendum eis, qui hac in re peccarunt.

Sextò, quòd hæc extrauag. in illis verbis; *sola admittentis intentione*, & in illis *Conscientia tantum vnius partis*, videtur significare contrarium eius, quod supra responsum est ad quæsitum decimum. Scilicet quod sola intentio absque pacto renunciandi beneficium vt detur alicui, non facit simoniam. Sed respondetur quod non intendit asserere per illa verba, quod sola talis intentio constituat in foro interiori simoniam, sed quod probatio eius faciat in exteriori præsumi illam. Tum quia, vt supra probatum est prædicti Pij nil noui prohibuerũt, & Quintus solum addidit quatuor modos præsumendi simoniam in exteriori foro. Tum quia non ait per hoc fieri confidentiam: sed quòd censeatur, hoc est, præsumatur confidentia, vt in simili habet cap. fin. de vsur. quod ibi ponderauimus.

Septimò nota, octo coniecturas ad præsumendam simoniacam confidentiam in foro exteriori. Prima probatio intentionis, etiam tantum vnius partis, quæ tangitur in ver. *Quare*. Secunda in ver. *Itidem*, scilicet quod collator ita conferat, vel patronus præsentet, vt postea de beneficio, vel fructibus eius sic, vel sic disponatur. Tertia, in ver. *Ad hæc*, scilicet, quod exemptus à solutione iurium Curię beneficium acceptum per resignationem alicuius etiã post literas expeditas, & possessionem acceptam retrocesserit in eundem, reseruato sibi aliquo infra spatium duorum aut trium mensiũ. Quarta, in ver. *Postremò* quòd absoluzus à delicto vel irregularitate denuo accepit beneficium, quod renunciauit, ante, vel post delictum, vel incursam irregularitatem. Quinta in verſic. *Ad probandum*, quòd quis post cessum beneficium, & publicata cessione, & capta possessione à cessionario se in il ud per se vel alium ingerit, & fructus, vel partem eorum accipit, aut successor ipsi, vel propinquis eius aliquos fructus remiserit. Sexta, in illo versi. *Si recipiens beneficium, &c.* Septima, in versſ. *Vel sola probatio, &c.* Octaua, in ver. *Denique quod intercesserit, &c.*

Nota octauò, quod ver. *Ad probandum*, & clarius versi. *Testes* significant, quod vnaquæque harum coniecturarum sola non sufficit ad plenam probationem: quod equidem arbitror æquum. Nam durum videtur quòd prima, & octaua, & aliquot aliæ per se solæ sufficiant. Quare videtur

detur id arbitrio iudicis librandum. arg. l. 1. ff. de iur. delib. cap. de causis. §. 1. de offic. deleg.

Nota nonò, casum in quo testes singulares sufficiunt cõtra regulam cap. bonæ. 1. de elect. quod autem subdit, *vt testes criminosi, &c. admittantur*, commune est omni simoniæ cap. per tuas. de simo.

Nota decimò ex verſic. *Sed ne quisquam*. duos casus nouos, quibus duo genera beneficiariorum ipso iure priuantur beneficiis omnibus etiam iuste obtentis, & fiunt inhabiles ad illa, vel alia obtinenda. Alter est eorum, qui ante hanc extrauag. acceperunt beneficia per simoniam confidentialem, & statim habita notitia de ea non resipuerunt, & dimiserunt illa beneficia, & pensiones per eam obtentas. Alter est eorum, qui post eam acceperunt, vel acceperint aliqua beneficia, vel pensiones, per eiusmodi confidentias quæ est pœna terribilis, ferenda tamen: quia statuta est. l. prospexit. ff. qui, & à quib. & cap. in memoriam. 22. distin. quam tamen relaxare, vel saltem in ea dispensare iustæ misericordiæ fuerit. Et an, vel quos ignorantes liget, dicemus in comm. c. fraternitas. 12. q. 2.

Adde noue vndecimò, quòd mediator confidentiæ veritæ à præfatis Piis ipso facto est excommunicatus: quia per præfata omnis confidentia, de qua ipsi agunt, est simonia beneficialis, & omnis mediator simoniæ in beneficio, vel ordine est excommunicatus ipso facto, per extrauag. 2. de simon.

Adde itẽ noue duodecimò, quòd promissio simplex conferendi, vel restituendi alicui beneficium, nihilo alio addito, non est confidentia in præfatis bullis damnata. Tum quia earum verba non aptantur ei, & cui verba legis non aptantur, nec illa aptatur cap. indemnitatibus. §. penult. de electio. lib. 6. & l. 4. §. toties ff. de damno infect. vbi Bart. & Paul. Tum quia non erat simoniaca ante illas bullas. Quoniam licebat olim huiusmodi promissio simplex cap. accedens. de concess. præbend. & licet postea in cap. 2. eodem titul. lib. 6. fuerit statutum, ne illa promissio obligaret: non tamen fuit statutum ea ratione, quod esset simoniaca: quia si talis esset, non potuisset vnquam valere: & præfatæ bullæ non damnant confidentiam, quæ ante illas non erat simoniaca, per prædicta.

111 Ad duodecimum quæsitum respondetur, quod pensio solitata constituti super beneficio Ecclesiastico, non potest pecunia redimi, neque constitui; quod nuper neruose probaui coram Illustrissimo, eodemque clarissimo, Cardinali Alciato, in disputatione quæ inseretur prædicto comment. cap. fina. de simon. vbi breuiter monstro pensionem, vt in hac materia sumitur, à nemine ante nos iuste definitam. Et quod non est beneficium, nec portio fructuum eius, sed ius non temporarium, sed spirituale, aut illi annexum, non antecedenter, vt ius patronatus, sed dependenter, aut consequenter instar beneficij, & subinde non potest magis, immo minus, emi vel vendi, quàm ius patronatus: & potest gratis remitti, etiam sine authoritate constituentis, nõ tamen

redimi anticipata solutione sine authoritate Papæ. Et quòd redemptio sine illa pretio facta non valet, & non obstante illa, lapsis annis, pro quibus anticipata est solutio potest per Episcopum, quòd simonia committitur in emptione, & venditione illius: sed illa non inducit excommunicationem ipso iure, plusquã simonia, commissa super iure patronatus: quia extrauagans 2. de simonia. solum excommunicat simoniacum in ordine, & beneficio, quorum neutrum est pensio: & ideo tanquam pœnalis, & restringenda, non extenditur ad simoniam super ea commissam.

Ad decimumtertium de emente, conducente, vel per alium quemlibet contractum non gratuitum quærente Vicariam, & quamuis iurisdictionem, vel potestatem spiritualem, etiam ad tempus Episcopi, vel parochi, vel cuiuslibet alius beneficiarij; respondeo in summa, quòd latius dixi coram eodem Illustrissimo Cardinali Alciato, & inferetur prædicto comment. cap fin. de simon. primo, quòd committit simoniam, cap. licèt. de pœn. & cap. ad nostram. de simo. Secundò, quod meretur priuari: sed non est ipso iure priuatus officio clericali secundum Hostien. Panor. & communem in cap. 1. per illum text. & sequen. ne prælat. vic. suas. Tertiò, quòd ipso iure talis contractus est nullus: & consequenter non quærit talem vicariam: & ita tenetur eam relinquere, vt fuste pœniteat. argum. cap. si res. 14 quæst. 6. Quartò, quòd non est ipso iure excommunicatus, per extrauag. 2. de simon. quia non admittit simoniam simoniam in ordine, vel beneficio, quale non est talis vicaria per adducta, à Felin. in cap. postulasti. de reser. Quintò quod non est ipso iure inhabilis ad illam: quia nullo iure id cauetur, & ita non est dicendum gl. famosa in cap. fi. de iure patro. Sexto, quod prædicta non procedunt in iurisdictione seculari secundum Panor. in cap. 1. ne præl. vic. su. quia circa eam non potest committi simonia, per dicta supra eod. nu. 100. Septimo, quod neque procedunt in vicaria perpetua, quæ est beneficium cle. 1. de offi. vica. & consequenter in illa incurreretur simonia, & excommunicatio illi annexa.

Ad decimumquartum, de pœna simoniaci dico primo, omnem simoniacũ pœna æterna esse dignum: mentalem autem tantum nulla pœna temporaria etiam restitutionis: conuentionalem autem tantum pœna temporaria ordinaria restitutionis accepti, si est restituibile: alioquin, si non est restituibile extraordinaria arbitraria, per dicenda ibi, & supradicta. nu. 13. Secundo simoniacum realem in ordine tam occultum quam publicum esse ipso iure suspensum quo ad se & alios, per tex. in hoc omnium optimum in extrauag. 2. de simo. & per c. tanta. eo. tit. vt hoc ibi dicit Innoc. communiter recept.

Tertio dico, quod simoniacus in beneficio non est ipso iure suspensus, vt ibidem dixit Innoc. quatenus ait simoniacum in beneficio, acta pœnitentia, & relicto illo posse celebrare, quem sequimur, quidquid vterque Tho. dicat 2. 2. q. 100. art. 6. & Sot. lib. 9. quæst. 8. art. 2. de iust. & iure.

iure. quia nullo iure antiquo, nec nouo prædictæ extrauagantis id cauetur.

Quarto, quod simoniacus realis, tam in beneficio quam in ordine, est ipso iure excommunicatus, excommunicatione reseruata Papæ, per dictam extrauagantem nouam.

Quinto, quod hæc consequitur simoniacum realem in ordine egere absolutione ab excommunicatione, & suspensione: simoniacum vero in beneficio, ab excommunicatione tantum.

Sexto dico, nullum aliũ simoniacum, præterquam in ordine esse ipso iure suspensum, & excõmunicatum: quia si quis esset, maxime foret simoniacus in beneficio, qui tamen non est, per tertium dictum.

Septimo, quod nullus simoniacus, præterquam in ordine, & beneficio est ipso iure excommunicatus quod rectè affirmat Syl. verb. simonia. q. 19. & probatur: quia nullo iure antiquo vllus simoniacus ipso iure est excõmunicatus, per prædicta, & ius nouũ prædictę extrauagantis solum excommunicat ipso iure simoniacũ in ordine, & beneficio. Nam verba illa ipsius, *In officiis ecclesiasticis*. intelligenda sunt tantum de officijs, quæ sunt beneficia, vt in cap. de multa. de præb. & in cap. cum accessissent. de constit.

Octauo dico, quod simoniacus ordinatus recipit quidem characterem, sed nõ executionem, per rationem S. Tho. vbi supra: & quia character est indelebilis cap. quomodo. c. ostenditur. de consecr. dist. 4. non potest illum relinquere.

Nono, quod omnis præsentatio, electio, collatio & quęuis alia dispositio beneficiaria per realẽ simoniã est ipso iure nulla, & consequenter quæsitum per illam debet relinqui etiam ante simoniam: quia iure naturali debẽt relinqui aliena c. si res. 14. q 6. & quidem cum fructibus, vt dictum est supra c. 17. nu. 15

Decimo dico, quod committere cũ Papa simoniam super re spirituali nondum profanata, incurrit quidẽ pœnam æternam, sed non temporariam, per supra dicta nu 109.

Vndecimo, quod simoniacus etiã tantum cõuentionalis ob confidentiam, nil iuris quærit in beneficio per eam obtento: & ipso iure excommunicatur, & perdit alia beneficia bene quæsita: & fit inhabilis ad omnia An autem, & quos excuset ignorantia à prædictis pœnis, præsertim ab hac huius noui iuris, dicetur in comment. cap. fraternitas 12. quæst. 2. Et quidem non audetem earum dãnare illos qui ante præfatos Pios confidentiam, etiam realem admisissent tempore, quo confidentiæ, etiam ex se illicitæ, adeo proh abantur in Curia, quod redderetur ius contra non reddentes beneficia in custodiam, & confidentiam accepta. Tum quia illa iure tantum humano est illicita, & ita permissione Papæ approbatoria potuit fieri, & facta fuit licita, arg. cap. 1. de constit. lib 6. Tum quia, licèt ipsa iure diuino esset prohibita, pœnæ tamen nullitatis titulorum, & aliæ, iure humano sunt statutæ, & sic quo ad illos dicta permissione potuerunt tolli l. qui condemnare. ff. de reg iur. & ita iuri stricto defendi posset, non fuisse per ipsos annihilatas renunciationes,

collationes, & pensionum impositiones factas antea prædicto tempore: & consequenter non teneri ad relinquenda beneficia, aut pensiones, neque ad restituendos fructus vi earum perceptos, quia legitimè factum præsumeretur. l. Gracchus. C. ad l. Iul. de adulter. Ex quo inferretur limitatio eius, quod supra dictum est, omnem confidentiam, quæ post dictos Pios est illicita, fuisse talem etiam ante illos, ne procedat in ea, quam præfata permissio Papæ approbatoria fecit licitam.

Duodecimo dico, quod peccat, qui emit, aut vendit earius bona ratione iuris præsentandi ad aliquod beneficium illis annexum: aut aliquem calicem, aut corporalia, eo quòd sunt consecrata, aut rosaria, aut alia eo, quòd sunt benedicta per dicta supra nu. 99. licèt non incurrat excommunicationem: quia non cõmittit simoniam circa ordinem, vel beneficium, per dicta supra numero 110.

De Luxuria tertio vitio capitali, & eius filiabus.

SVMMARIVM.

112 *Luxuria quid in genere, & quid in specie.*
112 *Luxuriæ quibus modis maximè resistitur.*
113 *Luxuria vitium capitale gignit has octo filias.*
113 *Castitas quibus modis seruatur.*
114 *Cæcitas, præcipitatio, inconsideratio & inconstantia, quæ mortifera.*
114 *Amor sui, huius mundi, horror futuri, quis mortifer.*

112 DE luxuria dicendum primò, quòd luxuria, & luxuriari generaliter sumpta significant omnem nimiam diffluetiam, tam esus, potus, & vestitus, quam venereorũ: sed specialiter, vt hic sumitur, Luxuria est vitium inclinans ad inordinatum venereorum vsum: & actus, ex quo illud gignitur, & augetur est inordinatus vius venereorum, qualis est omnis, excepto vsu matrimonij, quippe qui est prohibitus sexto præcepto Decalogi, de quo cap. 16. supra, & cap. nemo. & c. meretrices. 32. quæst. 4. Et quoniam omnis habitus, quale est vitium, augetur ex actibus, ex quibus gignitur, & ad eos inclinat, vt dictum est supra prælud. 7. consequitur vsu venereorum augeri luxuriam, & consequenter illo non sedari, immò accendi, volentesque eam sedare debere id facere, resistẽdo, vel fugiendo, & nullatenus eam experiendo: errarèque grauissime, qui secum constituunt, vna vel altera vice experiri, & nũquam amplius. Tum per illud Apost. ad Corint. 6. *Fugite fornicationem.* Tum per illud Cassiani de instit. monach. (quem S. Thom. 2. 2 quæst 35. art 1. ad 4 & omnes alij sequuntur.) *Nullo faciliori modo luxuria, quàm suarum occasionum fuga vinci potest: illa enim experientia crescit habitus, qui quo auctior est, additus naturæ corruptæ, tanto est fortior hostis fortiùs, que impugnat.*

113 Quo fit vt facilius seruari possit castitas virginalis, quam vidualis: immo & vidualis, quàm coniugalis absente diu coniuge. Quæ magna consolatio vtentium coniugatu est, vt latius diximus in c. quia sanctus. de pœni. dist. 1.

Secun

Secundò dico, quod hoc vitium, præter sex, aut septem, aut plures species, quas habet, de quibus supra c. 16. nu 3. dicitur vitium principale, & capitale, eo quod ex eo nascuntur octo filiæ infernales iuxta S. Greg. lib. 31. Moral. & S. Thom recept. 2. 2. q. 153. art. 5. scilicet Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Amor sui, Amor huius mundi, Horror futuri, & Odium Dei. Quæ licèt etiam ex alijs nascantur: ex hoc tamen frequẽtius. Hoc enim inclinando ad delectationem venereorum, quæ est omnium vehementissima, occupat partem animæ inferiorem in appetenda, & procuranda illa: & rursus illa adeo trahit ad idẽ superiorem sibi valde cognatã, quasi vim inferendo, vt non permittat illi circa vltimum, & alium debitum finem satis intendere, nec media in illam deligere: & impellat ad se, mundumque hunc nimis amãdum, futurumque horrendum, tandemque ad Deum vltorem odio habendum. Quo fit, vt eo longius cæteris abesse debeant ab hoc obcæcante vitio contemplationi addicti, literis dediti, Gubernatores, Duces, & Iudices, quo lucidiori prudentia, sapientia, consilio, circunspectione, & constantia indigent tam ad præfigendos fines, & scopos, quam ad deligendos media, quibus eos assequantur.

Circa quod peccatum luxuriæ, & filiæ eius peccat mortaliter primo, qui peccat contra 6. præceptum, de quo dictum est supra c. 16.

114 Secundò peccat, qui per cæcitatem, vel socordiam mentis nõ proponit explicitè pro vltimo fine Deũ, & vitam æternam, per dicta in prælu. 4. nu. 11. aut per præcipitationem, & inconsiderationem, non deligit media de præcepto diligenda: aut per inconstantiam desistit ab eo, in quo de præcepto tenetur præstare: aut ob amorem sui præceptum aliquod transgreditur. Raro autem per has Luxuriæ filias quis peccat mortaliter alio genere peccati, quam transgressionis præceptorum Decalogi, ecclesiæ, vel aliorum peculiarium ipsum ad mortale obligãtium. Dixi, *Raro*: non ratione Caiet. parum tuta: sed quia interdum peccat exponendo se periculo transgrediendi præcepta propter præcipitationem, inconsiderationem, & alia prædicta vitia: non perueniendo ad ipsam transgressionem, iuxta prædicta in prælu. 9.

Tertiò peccat mortaliter, qui deliberatè vult semper, & perpetuo viuere in hoc mundo, sine Dei visione intuitiua, per dicta supra c. 11. nu. 16. Aut deliberato Deum odio habet, quod est suo genere omnium peccatorum maximum, per ibidem dicta. nu. 14.

De Ira quarto vitio capitali, & eius filiabus.

SVMMARIVM.

115 *Ira sepius passio: & est vitium capitale.*
116 *Indignatio quæ christiano mala, 118. & quæ mortalis.*
117 *Maledictio sui, vel Diaboli, vel irrationalis creaturæ, quæ mortalis.*

115 PRæsupponẽdum primò, quòd Ira primũ accipitur pro passione animę sita I potẽtia irascibili,

quæ non habet contrariam, vt aliæ passiones eiusdē, quæque interdum est bona, & interdum mala, vt dictū est in prælud.5. Ira verò prout habitum vitiosum sonat, vt hic, est vitiū animæ ad appetitum inordinatum vindictæ inclinans. iuxta S. Tho. 1. 2. quæst. 158. Peccatum autem iræ est actus inordinatus volendi vindictā. Quis autem actus dicatur inordinatus, dictum est sup. eo. cap. nu. 1. Hoc autem vitium iræ ea ratione est capitale, aut cardinale, quia ex eo nascuntur alia septem vitia, scilicet Indignatio, Tumor, Clamor, Blasphemia, Contumelia, Opprobrium, & Rixa, iuxta S. Tho. in d. q. 158. artic. 7. quem copiosè defendit ibidem alter Tho. Alij addunt istis alias quatuor, scilicet. Maledictionem, Seditionē, Bellum, & Vindictā: sed maledictio ad contumeliam, seditio, & bellum, ad rixam redigūtur: vindicta autem est proprius actus iræ.

Peccat mortaliter circa iram, & filias eius primo, qui per eam transgreditur quintum præceptū, de quo supra, c. 15. & consequenter, qui deliberatè vult vindictam notabilē immeritam, vel maiorem merita, vel meritam auctoritate propria; vel contra iuris ordinem, vel principaliter in malum proximi, & non in bonum iustitiæ: quia hic est inordinatus actus iræ, per dicta, & remissa supra proxime.

116 Secundò peccat, qui committit prohibitum sub pœna mortalis, vel iussum sub eadē per indignationem inordinatā, qua debita subtrahitur affabilitas: aut per tumorem inordinatū, quo quis nimis cogitationibus vindictæ tumet, vel clamorem inordinatum Dixi, *Inordinatum*: quia hæc tria ordinata, non vitia, sed virtutes sunt, arg. not. in d. c. 11.

Tertiò, qui blasphemat eo modo, quo dictum est supra. cap. 12. num. 85. vel maledicit creaturæ irrationali quatenus creatura est, iuxta dicta ibidem.

117 Quartò, peccat qui ex animo deliberato maledicit imprecādo sibi malum cui non licet consentire, vel proximo malum notabile sub ratione mali, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 6. *Maledici regnum Dei non possidebunt.* & eo grauius, quò maiorem reuerentiam cui maledixit debet, iuxta illud Exod. 21. *Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur.* cap. plerunque. 1. quæst. 7. & Gen. 9. Dixi, *Ex animo deliberato*: quia indeliberatè, vel ore tantum maledicere, non est mortale, vt communiter maledicunt parentes filijs, & coloni, & muliones bobus & mulis. Sufficit tamen id facere ex animo deliberato, etiam momentaneo, licèt illico pœniteat: sicut sufficit consensus deliberatus etiam momentaneus voluntatis ad quodcūque aliud peccatum mortale, vt rectè declarat Caie. 2. 1. q. 76. art. 1. Dixi, *Sibi malum, cui non potest consentire*: quia imprecari sibi damnum boni, quod posset prodigere, non est peius, quam eius prodigitas, quæ non est mortalis, per dicta sup. eo. c. ip. nu. 70. Dixi, *Notabile*: quia paruitas excusat, vt sæpe dictum est. Dixi, *Sub ratione mali*: quia sub ratione boni non est peccatum, vt imprecari aliquod malum auerso à Deo, vt ad eum conuertatur, iuxta dicta supra. 1. 15.

Quintò, peccat qui maledicit Diabolo ratione suæ naturæ: quia illa est bona, & à Deo facta, secus si ratione suę culpæ Iob. 3. & tradit sanct. Tho. vbi sup. art. 1. ad 4. modo nec plus, nec aliter quam meretur, per proximè dicta num. 116.

Qui autem maledicit ex animo dicendo tibi, vel committo te Diabolo: vel maledicit aliquā creaturam irrationalem, puta equos, mulos, boues, & alia sensibilia, aut ventos, aquam, calorem, frigus, lapidem, puluerem, arenam, & alia insensibilia, si id faciat, qua ratione sunt creaturæ Dei, blasphemat, si vero qua ratione est res proximi, perinde est ac si proximo malediceret: si autem neutra prædictarum rationum id faciat, solum venialiter peccat: quippe qui rem vanam exoptat: cum neque bonum, neque malum conueniat rei rationis experti, per se consideratæ: quæ resolutio est S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 6. Quare confessarius debet interrogare confitentem si maledixit alicui rei, an id fecerit ore tantum, aut ore & animo, nulla ratione Dei, vel proximi habita, quibus casibus non est plusquam veniale: aut ex animo, ea ratione, qua est creatura Dei, quo casu est blasphemia, aut qua ratione est res proximi, quo casu perinde peccat, vel non peccat, ac si malediceret proximo.

Quis vero, & quomodo peccet per rixam, vindictam, seditionem & bellum, quæ sunt quatuor filiæ iræ dixi supra capit. 13. & quis per contumeliam, & opprobrium, aliàs duas eius filias, in cap. 18.

De inuidia quinto vitio capitali, & eius filiabus.

SVMMARIVM.

117 *Inuidia quid, & genere suo mortalis*

118 *Nemesis quid, & quæ mortalis.*

118 CIrca inuidiam est dicēdum, quòd est vitium inclinans ad inordinatè tristandum de bono alieno; eò quod suam excellentiam minuit iuxta Arist. 2. Rhet. & S. Tho. 2. 2. q. 36. ar. 1. quem pulchrè Caie. ibi defendit. Dixi, *Inordinatè*, ad excludendam tristitiam ordinaram, ad quam sæpe charitas inclinat, iuxta illud Matth. 5. *Beati qui lugent.* Dixi, *cætera*, ad excludendam tristitiam de bono alterius eo, quòd sit suum, quæ pertinet ad odium, & eam, quæ est de bono alieno, quatenus est damnosum sibi, vel alteri, quæ potest esse bona & mala, & eam, quæ nascitur ex eo, quòd ille indignus est eo, quæ pertinet ad indignationem, quę est mala iuxta legem Christianam, quamuis non secundum Aristot. vt dicit S. Thom. vbi supra, & ad includendam eam, quæ nascitur ex eo, quòd minuit excellentiam suam: & hæc sola pertinet ad inuidiam, quæ semper est peccatū, & suo genere mortale, secundum S. Tho. vbi supra art. 3. quia est contra charitatem inclinantem ad gaudendum de quolibet bono proximi, quatenus est bonum ei. Ratio vero cur inuidiæ vitium dicitur capitale est: quia parit alia quinque, scilicet Odium, Susurrationem, Detractionē, in aduersis aliorum lætitiam, & in prosperis

prosperis tristitiam.iuxta S. Greg.31. Moral.declaratum per S.Thom. vbi supra art.4.

Peccat autē mortaliter circa inuidiam,& filias eius primò, qui deliberatò dolet de bono notabili proximi,scilicet scientia,honore,fama, diuitiis, fauore, veneratione, & id genus aliis,ea ratione, quòd sua per illud excellētia diminuitur, per proxime dicta. Dixi,*Deliberato, & notabili*:quia surreptio, & paruitas semper à mortali excusant, vt sæpe dictum est,præsertim in cap.11.nu.4.

Secundò peccat mortaliter, qui tristatur eo,quod non sunt ei tanta bona temporalia,quanta aliis, ob finem mortiferū : quia eiusmodi finis omnem actū efficit mortalem,iuxta dicta in præl.9.nu.16.Tristari autem de hoc ob finē venialem, est veniale tantum, & tristari ob bonum, virtus si cæteræ circunstantiæ adsint, sicut & tristari eo,quòd careat virtutibus quas in aliis videt, ad finem eas quærendi iuxta mentem S. Thom. vbi supra.

Tertiò,peccat qui deliberatò tristatur eo, quod Deus bona malis largitur, quod est verum, si id faciat, diuinam in diuidendo bona prouidentiā incusando, secundum omnes, quod explicat Caietanus latè secunda secundæ quæstione 46. articulo secundo,& in summa,verb. Nemesis,definiens idem de illo, qui proponit imitari malos in actibus mortalibus,vt fortunarum copia similis eis euadat, contra illud Psalm. 36.*Noli emulari in malignantibus*, quæ omnia tradimus in capit. si quis semel. de pœnitentia distinctione secunda.

De Gula sexto vitio capitali, & filiabus eius.

SVMMARIVM.

119 *Gula quid, & habet quinque species, & quinque filias.*

120 *Gula non est edere carnes in terra aliena, vbi id licet.*

121 *Ebrietatem scienter sibi vel alij procurare, mortale.*

122 *Carne humana vesci non licet.*

122 *Anthropophagi carnibus humanis vescuntur.*

119 DE Gula dicimus primò, & illa ex mēte vtriusque Th. 2.2.q.149.artic.1.& 156.art.1.& eiusdem & aliorum in 2.lib.senten. dist. 42. est vitium inclinans, ad comedendum, & bibendum inordinatè: & actus eius est esus, & potus inordinatus, vel voluntas eum faciendi.

Secundò,quòd quinque sunt species gulæ iuxta S.Gregor.30 Moral. relatum in cap.quinq;de consec.dist. 5.contentæ in hoc versu,

Præpropere,laute, nimis, ardenter,studiosè.

Declaratæ per S Thom. in d.q. 148. id est,ante tepus,nimium,aut nimio ardore, nimia festinatione, nimio apparatu,& nimio sumptu,quæ vtinam vtriusque gladij principes suis sanctis sanctioribus arcerent ab occupandis prouinciis, quas nondum occuparunt, expellerentque ab eis, quas occupatas adeo in carnalia desideria dimittunt, vt ad cælestia mentes erigere non sinant.

Tertiò dicimus, quòd gula dicitur vitium capitale,ea ratione, quia quinque fœdę filiæ ex eo nascūtur, puta,Hebetudo mentis,Immoderata lętitia,Multiloquium,Scurrilitas, &

& Spurcitia.

Quartò dicimus, quòd gula regulariter est venialis, etiam si absque vtilitate vsque ad vomitū etiam intentum sese quis cibo, & potu ingurgitet. vt sentit Caiet. in summa verb. gula. quidquid dicant Angel. verb.Mūditia. & Sylvest. verb. gula. incaute dicentes S.Anton.2.part. tit. 6 cap.4.§ 6. affirmare hoc esse mortale,quod nō affirmat Dixi, (*absque vtilitate*) quia ob illam licet sumere ad vomendum amplius, quàm par est de consilio medicorum.

120 Quinto dicimus,quod est mortalis, cum in ea vltimus finis ponitur : cum per eam aliquod præceptum admortale obligans violatur, cum notabile damnum salutis propriæ, aut proximi infertur, aut procuratur:cum debita lege iustitiæ ob eam non soluuntur.

Sexto peccat, qui vescitur carnibus, vel alio cibo vetito in aliqua regione etiam eo tempore,quo liceret ei vesci in sua : sicut è contrario non peccat vescendo eis in regione, qua transit,vel in qua moratur: licèt in sua id ei non liceret. Nauarrus enim,& Lusitanus vescentes in Castella die Sabbatho extremis vel interioribus partibus animalium,non peccant : licèt in suis terris id eis non liceat .Castellanus autem idem faciens in Lusitania, vel Nauarra peccaret,per c. illa,12. dist. per quod eius gloss. probat illud vulgatum,

Si fueris Romæ,Romano vivito more,
Et si sis alibi,vivito sicut ibi.

Quidquid dicat Alexandrinus ibi, & quidam alij alibi,vt sentit Panor. in c.cōsilium.de obser.ieiun. & Car. in clem.2.quæst.5 de celebr. miss. & ibi. Imo.& Bonif.& Porcius in §.sed & quod Principi. instit. de iure nat. num. 26. & alij alibi. quod & communis consuetudo seruat. Idemque seruandum est circa festa,& ieiunia, & alia varia variarum terrarum præcepta.

121 Septimò peccat quis, cum se sciēter inebriat, aut procurat alium inebriari secundum S. Thom. 2.2. q. 150 art.1.quia notabiliter vult nocere alteri,& sibi esse nocumento: cui renunciare non potest,volens se, vel alium rationis vsu priuare. Dixi, *scienter*: quia secus, si id fecit ignorantia qualitatis potus,vel inaduertentia nimietatis eius,quia tunc,aut nihil,aut solum venialiter peccaret. Idem est de scire debente. l. q te. ff. de reb. cred. vt quia consueuit tali, vel tanto potu inebriari,& eum bibit,non credendo se inebriatum iri; non quod iteratio actus ex veniali mortale faciat:sed quia consuetudo facit,vt ille scire debeat,se eiusmodi potu inebriatum iri : quod satis est secundū Caiet.2.2.q.150.art.2.

122 Octauo peccat, qui humanis carnibus vescitur,vel præbet eas alteri edendas citra maximam necessitatem:etiam si neminem ob id occidat,nec occidi procuret : quia vt recte ait Caiet.vt sola fœmina humana est ad copulam licitam aptā, ita sola caro animalis, irrationalis est licita, qua vescamur. Quare de more prouide patres Illustrissimæ Societatis Iesu renuūt, baptizare gentiles Anthropophagos catechumenos,non proponentes abstinere perpetuo à carnibus humanis,etiam in bello iusto interfectorum:quia non sunt contriti,nec satis attriti, & cōsequenter

sequenter non baptizandi.c.fi missime 15.quæst 1. & per dicta per nos sup.cap.1.nu.39.

SVMMARIVM.

123 *Hebetudo mentis quæ mortalis.*
123 *Lætitia inanis, quæ mortalis.*
123 *Multiloquium, quod mortale,*
123 *Scurrilitas, & spurcitia, quæ mortalis.*

123 CIrca vero præfatas quinque filias gulæ peccat mortaliter, primo, qui per mentis hebetudinem se terrenis miscens, & à cælestibus auocans, conscientiam suã non discutit, quando, & quomodo præcepto tenetur. Ang. verb. hebetudo.

Secũdo peccat mortaliter, qui ob immoderatam lætitiam, obscœnis cantilenis, verbis, aut gestibus vtitur, intendens inducere, vel credens aut credere debens, se, vel alium per eam inductum iri in consensum alicuius actus mortalis cordis, oris, vel operis, vt recte declarauit Caiet. 2.2. q.184.art.6.& probatur per c.notum 1.q.1.& c.fi.de iniur. Idem de eo, qui saltat, choreas ducit, & irreuerenter psallit, aut canit, & præsertim in ecclesiis, & cœmeteriis. argu. cap. cum decorem. de vit. & honest. cleric. & eorum, quę diximus in rep.c.quando.de consec.dist.1.& supra c.18.nu. 75. Maximè verò, si est sacerdos: nisi parum, & secreto id faceret arg. cap. clerici. de vit.& honest.cler.

Tertiò peccat mortaliter qui multiloquio in irreuerentiam Dei notabilem vtitur: aut adeo eo delectatur, vt paratus sit id præferre implemento alicuius præcepti, secundum S.Anton.2.part.tit.6.cap.4.§.4.

Quartò, qui per scurrilitatem, vel spurcitiam verba valde impudicas gestat, aut aliàs intentione expressa, vel tacita prouocandi ad luxuriã, vel alium finẽ mortalem, per prædicta.

De accidia septimo vitio capitali, & eius filiabus.

SVMMARIVM.

124 *Accidia quid, cur ita, & pigritia dicta. filias quinque parit*
125 *Desperatio filia accidiæ, quæ mortalis.*
125 *Pusillanimitas filia accidiæ, quæ mortalis.*
125 *Rancor filia accidiæ qui mortalis.*
125 *Euagatio mentis quæ mortalis.*

124 DE accidia dicẽdum primo, quòd illa generaliter sumpta continet omnem tristitiam de quocunque spirituali bono, secundũ S.Tho.2.2.quæst.35 art.2. sed sumpta specialiter, vt hic sumitur, est contraria charitati, & definiri potest, esse vitium inclinans ad tristandum de bono spirituali diuino, quatenus est diuinum in eo, qui tristatur, secundũ mẽtem vtriusque Tho.vbi supra. Dixi, *De spirituali*, ad excludendum tristitiam de bono temporali. Dixi, *Diuino*, ad excludendum tristitiam de bonis spiritualibus virtutum moralium. Dixi, *Quatenus est diuinum*, quia contristari de eo quatenus est laboriosum, vel aliorum operum impedimentum, non est accidia, vt aduertit vterque Thom. vbi supra. Dixi, *in eo qui tristatur*, quia tristari de eo quatenus est in ipso Deo, pertinet ad odium eius, & quatenus est bonum diuinum in ipso, pertinet ad accidiam, vt subtiliter conciliando S.Thom.

S.Thomam sibi ipsi, distinguit ibidem Caietan. Nam bonum spirituale diuinum, vt est in homine, consistit in charitate, & amicitia inter ipsum & Deum, qua se conformat ei, volendo ea, quæ ipse vult, & gaudendo colloquio, & conuersatione eius, tanquam verissimi & supremi amici, & patris, reuelado ei cũ delectatione viã suã, iuxta Psã 138. *Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Cum ergo quis tristatur, & eum tædet eiusmodi colloquij, sermonis, & gaudij, hoc peccatum committit cognatum odio Dei, suo genere omnium peccatorum grauissimo, secundum S.Tho.2.2. quæst.34. art.2.& quæst.39.art 2.ad 3.& 2.2. qu. 37.art 4 ad 3. vt supra cap 11.num 14. dictum est. Quare etiam hoc peccatum est valde graue, genereque suo mortale, cum deliberato, & aduertente animo admittitur, quòd raro videtur contingere. Ex quo infertur, merito vitium hoc vocari accidiam: quia vt acidum frigefacit, & repefacit calorem, ita hoc amorem, & desiderium boni diuini spiritualis sui, in animo iam aliunde excitatum, & actus ille sic tristandi, siue tristitia inordinata, est actus, seu peccatum accidiæ.

Ex quibus instruor, primo quòd qui tristatur de bono spirituali aliarum virtutum moralium, veluti de reddendo suum alteri, quod bonum iustitiæ, aut moderato esu, & potu, quod est bonum temperantiæ, &c. non peccat hoc peccatũ: sed vitij contrarij virtuti, de cuius bono tractatur.

125 Secundò, quòd ratio, cur hoc vitium dicatur capitale seu principale est: quia ex eo sex improbæ filiæ nascũtur iuxta S.Greg.31.Moral. declaratum per S.Thom.2.2. quæst. 35.art. 4. scilicet Desperatio, Pusillanimitas, Torpor animæ, Rancor, & Euagatio mentis. Ratio vero cur à vulgo vitium hoc appelletur pigritia, licèt incaute, quia omnem iguauiam & tarditatem significat, videtur esse quòd facit hominem pigrũ ad bonum diuinum prosequendum, ea ratione, qua vt delectantia ad sui prosequutionem mouent, ita contristantia remouent, iuxta illud Aristotel.8.& 10.Ethicor. *Delectatio tenet operantem in opere.*

Peccat autem mortaliter circa accidiam, & filias eius primò, qui per eam omittit aliquid sub pœna mortali præceptum, vt communionem, missam, vel preces horarias: non tamen inducit circunstantiam necessariò confitendam, sufficit enim confiteri, qui omiserit, non exprimendo, quòd per accidiam id fecerit. Dixi, *Præceptum*: quia omittere aliud in summum esset veniale ex mente Arch & Cardinalis S.Xist. in cap.qui bona 17.q.1.

Secundò peccat mortaliter, qui per accidiã, vel pigritiam, vel aliam negligentiam vel non ediscit, vel non credit ea, quæ de præcepto mortifero secũdum suũ statũ tenetur, de quibus sup.c.11.nu.18.& prel.3.nu.19.

Tertiò, qui desperat peruenire in vltimum finem, nẽpe beatitudinem, & visionem intuitiuam Dei, & vitam æternam, iuxta dicta in præl. 4.

Quartò peccat, qui transgreditur aliquod præceptum mortiferum per pusillanimitatẽ, qua fugimus ardua, vel

vel per torporem, quo fugimus mediocria, vel per rancorem, quo indignamur in bene monentes, vel per malitiam, qua nos bonorum spiritualium tædet, vel per euagationem mentis, qua fugiendo sancta diuertimus in illicita: quod tamen, vt prædixi, non addit peccato circunstantiam necessario confitendam, quod ob hæc sit transgressus.

De peccato in spiritum sanctum.

SVMMARIVM.

126 *Peccata in Spiritum sanctum, sunt desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio agnitæ veritatis, & inuidia fraternæ gratiæ, & cur irremissibilia.*

126 PEccatũ in Spiritũ sanctum, aliquo nomine accidiæ cognatum, definiri potest secundum mentem Mag. & recentiorum communiter in 2. lib. sentẽn. dist. 43. & S. Tho. 2.2. q. 14. art. 1. & glo. c. si sacerdos. sub fi. de pœn. dist. 1. & aliorum alibi, esse peccatum contra bonitatem Spiritui sancto attributam commissum. Sicut enim quod committitur ex infirmitate, dicitur contra patrem, cui attribuitur potentia, & cõmissum per ignorantiam contra filium, cui attribuitur sapientia, ita commissum per malitiam dicitur contra Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas. Peccatum autem in Spiritum sanctum est sextuplex. Desperatio, qua tollitur spes veniæ, Præsumptio, qua impeditur bonus timor. Impœnitẽtia, qua fugatur dolor præteritorum. Obstinatio, qua omittitur cautio futurorum. Impugnatio agnitæ veritatis, qua relinquitur cognitio veritatis. Inuidia fraternæ gratiæ, qua de gratia proximi quis tristatur. Quodlibet enim horum sex peccatorum tollit medium venię à bonitate Spiritus sancti consequendæ, & dicuntur irremissibilia Matth. 12. nõ quidem quia sit vllum peccatum, quod vere contritio non condonetur, cap. quia diuinitatis. de pœn. dist. 1. & cap. nemo. de pœn. dist. 7. sed quod hæc secundum suam naturam repellunt media, & principia, quibus remittuntur peccata, videlicet spem, timorem, dolorem, &c. vt tradit S. Tho. vbi supra, ar. 3. Quamobrem merito dicuntur grauissima, quoties pars animæ superior consentit in eis: aliàs enim solum sunt venialia: quia subreptio in omni materia excusat à mortali. cap. sed pensandum dist. 6. & per sæpe dicta, præsertim cap. 11. nu. 14.

De quinque sensibus exterioribus, & de operibus Misericordiæ,

Cap. XXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Sensus exteriores quinque & quis eorũ vsus malus, & mortalis.*
2 *Misericordia quid, & est virtus moralis maxima.*
3 *Eleemosyna actus misericordiæ, cur dicatur charitatis.*
4 *Misericordiæ opera spiritualia septem, corporalia totidem.*
5 *Eleemosyna spiritualis præstat corporali, quando vtraque præcepta. & 6.*
5 *Necessitas extrema quæ sit.*
6 *Superfluum duplex, naturæ tantum, & naturæ, & status.*
7 *Status decenter conseruandus, vel mutandus.*
7 *Restitui cur non debeat damnũ ob eleemosynam denegatam consecutum.*
8 *Eleemosyna potius in vita, quam post eam agenda.*
9 *Eleemosyna spiritualis quando cum vitæ periculo præcepta. nu. 10 & 11.*
9 *Animæ proximi salus præferenda corporis proprij saluti.*
10 *Franciscus Azpilcueta & Xabierre Societatis Iesu laudatur.*
11 *Eleemosyna à damno egenti extremè nullum votum excusat.*
11 *Consilium dolosum, vel damnosum, quod mortale.*

1 IN præludio secundo dictum est, quinque esse sensus exteriores, per quos veluti per quasdam fenestellas omnium externorum species, siue similitudines in animos nostros intromittuntur, videlicet visum, auditum, tactum, gustum, & olfactum, cum multis aliis ad eos pertinentibus: de quibus dicendũ primò, quòd eorum vsus suo genere indifferens est: ordinatus quidem bonus: inordinatus vero malus. Ordinatus est, quem omnes circunstãtiæ ad actum bonum necessariæ circunstant. Inordinatus verò contra, cui aliqua deest, iuxta definitionem actus boni positam in præl. 7. num. 1. Est autem mortalis, cum ei conuenit definitio peccati mortalis posita supra præl. 9. Venialis autem cum non conuenit illa ei, & deest aliqua circunstantia ad bonitatem necessaria.

Quare per hos sensus ille solus, & omnis peccat mortaliter, qui videt, audit, olfacit, aut gustat aliquid, transgrediendo aliquod præceptum obligans ad mortale: aut, vt aliquod horum faciat, se, aut alium periculo probabili mortaliter peccandi obiicit, aut infert damnũ notabile animæ, saluti, honori, aut bonis proximi: aut animæ, aut saluti propriæ, per proxime dicta. Et ideo non videtur necesse interrogare aliter pœnitentem de peccatis per hos sensus patratis, nec vt ipse confiteatur, tamquam facta per eos: quia non inducunt circunstantiam necessario confitendam, vt dictum est cap. proximo de peccatis accidiæ, & filiarum eius.

2 Secundo dicendũ, quod ex mente Augu. 9. de ciuit. Dei, & S. Thom. 2.2. q. 30. art. 1. 2. & 3. misericordia est virtus moralis inclinans ad miserendum ordinate patientis aliquod malum, vel defectum, & ei subueniendum. Dixi, *Virtus moralis*: quia non solum est talis, sed maxima earum, quæ dirigunt ad proximum, vt idem ibi probat art. 4. Dixi, *Ordinate*: quia misereri inordinate, etiam ad subueniendum, vitij est, cap. est iniusta misericordia. 23. quæst. 4. Dixi, *Subueniendum*: quia misereri ad puniendum, etiam ordinate, pertinet ad iustitiam, cap. omnis. & cap. qui emendat. 45. distin.

3 Tertiò dicendũ, quòd interdum actus, & opera misericordiæ vocantur etiam opera charitatis, cap. inter opera charitatis. de spon. & cap. duæ. 45. distinct. Quia licet immediate procedant à misericordia: mediate tamen frequentissime procedũt à charitate, quatenus amor proximi ex ea immediate procedens, est causa miserẽdi, & volendi ei subuenire. Vocantur etiam eleemosynæ: nam verbum, eleemosyna, vt in d.

comment. diximus, interdum accipitur pro re spirituali, vel temporali, qua necessitati alicuius subuenitur, vt in c.tria. & in c. duæ. 45. dist. & in illo Matth. *6. Cum facis eleemosynã, &c.* & in illo Luc. 11. *Date eleemosynã, &c.* & interdum accipitur pro actu virtutis, quo fit illa subuentio, secundum mẽtem S. Tho. 2.2.q 32. art. 1. & eiusdem, & S. Bonauen. & aliorũ in 4. lib. sent. dist. 15. & nostrorum in d. c. tria. & aliorũ alibi. Nam verbum, eleemosyna, idem sonat quod miseratio. Sicut enim hoc verbum latinum eleemosyna deriuatur ab illo verbo latino, misereor, ita illud Græcum ἐλεημοσύνη ab ἐλεῶ verbo græco, quod sonat misereor.

4 Quarto dicendum, quod cum malorum & defectuũ, alia sint corporis, alia spiritus, duplicia sunt opera, seu actus misericordiæ, siue eleemosynæ. Altera corporalia, contenta in illo versu declarato per S. Tho. 1.2. quæst. 32. artic. 2. & per Archid. in dict. cap. tria. scilicet.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Id est, esurientem pasco, sitientem poto, captiuum redimo, nudum operio, peregrinum hospitor, ægrotum visito, mortuum sepelio. Altera spiritualia, contenta in illo altero versu per eosdem declarato, scilicet,

Consule, castiga, remitte, solare, fer, ora.

Intelligendo per consule, etiam doce: id est, indigenti consilio consule, ignorantem doce, tristem consolare, peccantem corrige, offensam remitte, onerosum porta, ora pro alio. Et quãuis inueniantur alia mala, & alij defectus, ratione quorũ miserendum sit, vt frigus, & æstus: non tamen ideo hæc diuisio antiqua omittenda est, quod quidam nouatores faciunt. Tum quia alia possunt reduci ad hæc. Tum quia hæc sunt communiora, & frequentiora.

5 Quinto dicendum, quod misericordia, seu eleemosyna, siue sit spiritualis, q̃ melior est corporali, iuxta S. Augu. in d.c. duæ. & S. Tho. d.q.32. art.3. siue sit corporalis, est de consilio, vel saltẽ non præcepto obligante ad mortale, exceptis duobus casibus. Alter est, cum quis habet superflua naturæ, & occurrit, & petit ab eo aliquis egens extreme, c. pascε. 86. dist. l. necare. ff. de liber. agnosc. Alter, cũ quis habet superflua naturæ, & status, & est alius egens necessariis ad suum statũ: vt sentit S. Aug. in c. quid dicam. 14. q. 4. c. hospitales. 25. dist. & S. Ambro. in c. sicut hi. 47. dist. & S. Tho. 2.2.q.32. art.5. & quodlibet. 8. ar. 12. quod probatur per adducta ab eo, & à Caiet. ibi, & neruosius in 2. & de præcepto eleemosynæ. quæst. 6. & Maio. in 4. dist. 15. quæst. 5. quamuis Panor. communiter receptus in cap. si vero. de iureiuran. S. Anto. 2. part. tit. 1. c. 14. & summa Rosel. verb. eleemosyna, oppositũ teneant, non recte S. Tho. in d. ar. 5. intelligẽtes: quorum tamen opinio est vera, quo ad hoc, vt non teneatur alicui occurrenti egenti: tenetur tamen illi, vel alij quem elegerit, vt clare resoluit S. Thom. in d. quodlibet. art 12. In quibus tamen duobus non est de præcepto subuenire donando: sed satis est subuenire commodãdo, vel mutuando, vt diximus supra 17. nu. 61. & in apolog. lib. de reditib. ecclesia. q. 1. monit. 3. nu. 4.

Extreme

Extreme autem egere dicitur, non solum qui iam animam agit, vel spirat: sed etiam cum indicia probabilia apparent eo deuenturum, nisi ei subueniatur, & non se offert, nec expectatur probabiliter alius, qui ei subueniat, iuxta S. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 4. & declarat Caiet. in d. tract. c. 2. Quo fit, vt ratione necessitatis extremæ non possit defendi opinio 5oti, dicentis lib. 5. 93. art. 4. de iustit. & iure, ei, qui est in periculo amittendi suum honorem, de præcepto esse subueniendum. Tum quia ipsemet lib. 4. quæst. 6. artic. 3. vbi supra dicit & bene, hominem esse dominum sui honoris, & famæ, ad cõdonandum communiter cum merito, ei qui ademerit. Quamuis alia ratione infra eodem nu. 17. defendatur.

6 Sexto, quod superfluum naturæ, de quo supra, dicitur omne id quod alicui supereſt, demptis necessariis ad vitam suam, & suorũ. Superfluum vero status est id, quod supereſt alicui deductis necessariis ad vitam, statumque decentem suum, & suorum, habita ratione casuũ, non omnium qui contingere possunt: sed eorum, qui probabiliter timeri, vel expectari debent, secundum omnes, quibus Caie. addit, quod ad eundem etiam statum pertinent ea, quæ necessaria sustentandis filiis, filiabus, mancipiis, famulis, hospitibus, conuiuiis, muneribus honestis, & magnificentiis moderatis, sed & sentit S. Tho. & exprimit Caiet. vbi supra, & melius Sylu. verb. eleemosyna. q. 1. §. 3. in Rosa aur. cas. 53. quod necessariũ ad status decentiam non consistit in puncto indiuiduo, sed habet latitudinem eo maiorem, quo maior est status: quia in vno erit decem plus, aut decem minus, in alio centum plus, centum minus, & in alio mille plus, mille minus, &c. arg. l. 1. ff. de iure delib. & cap. de causis. de offic. deleg. & eorum, quæ de pretio iusto, pio, mediocri, & rigoroso dicta sunt supra c. 17. nu. 228.

Septimo dicendum, quod ex hoc sequitur, facile iudicandũ non esse, aliquem secularẽ plura, quam quæ suo statui necessaria sunt habere, cum etiam ille, qui ad aliquod dominium emendum, & mutuandum suum statum in alium maiorem, ad quem idoneus est, pecunias congerit, non habet plus, quam suum statum deceat, vt dictum est cap. præceden. num. 73. Dixi, *secularem*: quia ecclesiastici non possunt in tot fines, ac illi pecunias coacceruare, vt infra seq. c. attingetur. Sequitur item Rosellam sine iusta ratione dixisse paucos diuitum confessarios saluatum iri, si eleemosyna in prædictis duobus casibus de præcepto foret: non enim tot sunt, quot putat, huiusmodi diuites, quibus sit superfluum status, cum nec Reges, & magni principes, qui habent thesauros ad bella, quæ probabiliter contra suas respublicas timent, aut quæ pro illis gerere debent, superflua habere censeantur.

7 Octauo dicendum, quod nemo tenetur ad dandam eleemosynam de suo statu decenti necessario, nisi egenti extreme: quia quisque debet decenter viuere, aut statum suum in alium mutare, vt singulariter sanct. Tho. docuit in d. quæst. 32. art. 6. pro quo est cap. quorum. 24. quæstio. 1.

& princ.cap.1.& 2.41.distin.

Nono, quod quamuis non soluens debitum, quando, vbi, & quomodo debet, ad restituendum damnum, quod ex illa mora creditor accepit, teneatur, iuxta supradicta c.17. nu.15. qui tamen pauperi eleemosynam non dat, etiam sub peccato mortali debitam, non tenetur ad restituendum ei illam eleemosynam, nec damnum, quod inde illi prouenit. Quia vt latius in repet. c. inter verba.11.q.3. cõclus.6. & in Apol.lib. de reditib. ecclesiastic. q. 2. Moni.2. diximus, charitas non obligat ad restituendũ illud, ad quod alicui dandum, aut faciendum, sub pœna peccati mortalis obligat. iuxta Alexan. Ales.3.part.q.87.& cõmunem, quam pulchre defendit Adri. in 4. de rest. q. 1. col. 9. concludendo ad restitutionem nõ teneri eum, qui cum verbis, aut factis posset, furtum & damnum proximi non impediuit, nisi ex officio, & iustitia ad id teneatur.

8 Omittimus autẽ hic gratia breuitatis encomiũ eleemosynæ, quam sibi gratissimam esse Christus ipse testatus est Luc.11.& Matth.15.& per totam suam sacram scripturam, & suos sacros doctores: quorum summus Augusti. in sermone 45. ad fratres in Eremo, sic dixit, *Non memini me legisse, aliquem male mortuum fuisse, qui viuens opera pietatis bene exercuerit.* Quibus adde si placet ea, quæ scripsimus, in c.medicamentum. de pœnit. dist.1. Quare, vt alienũ est ab omni iustitia, per fas, & nefas, quo iure, qua ve iniuria coacteruare diuitias, ita quoq; à prudentia christiana seruare illas, eleemosynis dum vita manet parcendo, & ad hæredes relegando, iuxta illud Agonis gloriosissimæ eiusdemque patronæ nostræ Luciæ ad matrem.

Res seruata perit, miseris data porrigit alas.
Ad superos, alæ duplices, argentea læua,
Aurea dextra, viamque datori ad sydera pandit.
Certa præit viuos pietas, incerta sepultos
Consequitur, nam quod nostri est dum vita superstes.
Ad arbitrij mox est alieni, vt vita recessit.

Non est itẽ benignitatis euangelicæ, immò neq; humanitatis ethnicæ pauperẽ petentẽ à se asperis verbis repellere, etiam cum ad largiendum ei eleemosynam non tenemur, licet non sit mortale. iuxta S. Aug.c. vnũ. sub fi.25.dist. quamuis enim nõ debeatur eleemosyna realis: debetur tamen benigna responsio, vt recte aduertit Maior.in 4.dist.15.q.7.

9 Circa vero prædicta opera misericordiæ, siue eleemosynæ peccat mortaliter primo, qui habens superfluum, etiam tantum naturæ, nõ cibat, potat, vel vestit egentẽ extreme, & occurrentẽ. Dixi, *Occurrentem*: quia non tenetur quis quærere alios, nisi id ei ex officio incumbat, per prædicta. Idem de non redimente, saltem mutuãdo, captum, quem credit alias iniuste occisum iri. Idem de non visitante, nõ hospitante, non sepelientẽ, cum extrema necessitas proximi ea exegerit, per supradicta. Per quod respõdetur ad noue quæsitum, quod non tenetur sub culpa mortali quærere eiusmodi egentes in carceribus, hospitalibus, & aliis locis.

Secun

Secundo peccat mortaliter, qui grandi, licet non extrema necessitate presso, nõ fert opem necessariam, quam commode ferre potest, & credit, neminem alium eam ei laturum, per dicenda infra.

Tertio peccat mortaliter, qui non facit aliquam de septẽ eleemosynis spiritualibus prædictis eius extremã necessitatem, quo ad animæ salutem patienti, etiã si id non posset absque iactura vitæ corporalis facere: quia tenetur quis præferre animã proximi suo corpori, vt probat vterque Tho.2.2.q.26.art.5.ad 3.& q.32.art.5. & 6. Rarò tamẽ eiusmodi necessitatem patitur christianus, vt diximus in c.inter verba.11, q. 3. quũ per contritionẽ absq; alia ope saluari possit, cap.dixi & c.magna.de pœnit. dist.1. Patitur tamen illam, qui existens in culpa mortali, & proximus morti, putat se quauis peccatorũ attritione saluum fore, & ideo non curat eam augere, ad perfectionẽ necessariam, iuxta d.c. 1. nu.1. tunc enim videtur extreme indigere doctrina de vera contritione. Eandem etiam necessitatem patiuntur paruuli christianorum morti proximi existentes apud infideles, vel apud fideles nescientes baptizare. Dixi, *Christianorum*: quia secundum sententiam S. Thom. receptiorem 2.2.q.10. artic.12. & 3. par. q.68.art.10. filij infidelium adhuc expertes rationis, sine parentum consensu nõ debent baptizari. Eandem etiam pati dici possunt multi Gentilium in Indiis Brasiliæ, & Peru, morti propinqui, qui conuerterentur, si fide catholica erudirentur.

10 Qualem habuisse satis videtur arbitratus magnus ille Dei seruus Magister Franciscus ab Azpilcueta, & Xiuiere, vnus ex primis vndecim Illustrissimi, vtilissimiq; nostro seculo ordinis Societatis Iesu, cognatus noster, & amicissimus, Gentiles cuiusdã Insulæ, ad quibus prædicandum per varios casus, variaq; discrimina rerũ, cum probabili periculo vitæ profectus fuit, vt copiosius in repet.cap. si peccauerit. 2.q.1. explicuimus: qui postea ibi, & alibi Euangelio magno cum fructu prædicato, anno 1552. traiecit in amplissima Chinarũ Regna literarum studiis, & seculari politia florentissima, Tartariæque vt creditur cõtermina, quamuis etiam licite, & heroice potuit ille eiusmodi pericula subire pro animarum illius gentis salute: licet non iudicasset eam in extrema necessitate constitutam, nec se ad id de præcepto obligatum: vbi admirabili cum exẽplo cruces nostras tollendi, & Christum Opt.Max.crucifixum sequendi, vitam Apostolicam mortalem, quæ illi quoddam martyrium iam inde ab initio prædictæ Societatis fuit, cũ immortali commutauit. Cuius rei Altissimus, cui tam feruẽter inseruiuit, multa signa dedit, corpus eius in dura casa montis asperrimi solitarie mortui illæsum præseruando: Lusitanosq; aliquot casu illuc appellẽtes nullo alio vinculo, quam charitatis cõiunctos mouendo, vt terras sibi vetitas intrare ausi, quærerẽt illud, quæsitumque naui inferrent, in ea quæ ad Goã bis mille leucis, & à Lusitania quatuor millibus distãtem transueherent. Mouendo item innumeram multitudinem, primum Malacæ, deinde Goæ, ad excipiendum eum de

naui honorificentissimè,&reponendum in ecclesia,simul magna deuotione colendum,vt & nunc colitur: exemplo suo adhortans nos omnes, vt Deum Opt. Max. ex animo oremus, & flagitemus,quod multos tanto muneri apros efficiat, essque fortem animum inspiret cõmigrandi eo,vbi tanta messis, & tam pauci sunt operarij: vbi etiam ipse iam pridem vitã finissem,nisi ille quando Vlisippone discessit, me iam senescentem,laboribus animo suo cõceptis imparem iudicasset,scribens, vt absentiam patiẽter ferrem in terris,præsentiã sperans in cœlis. Amẽ. Quæ prædicta consequitur primò, eum,qui non est parochus, nec prælatus, non teneri cum probabili periculo vitę suæ corporalis, ad inuisendum pestilentia, aut morbo contagioso infectum,& in extrema necessitate vitæ corporalis constitutũ: quamuis secus si in extrema spirituali versaretur, in quod resoluendum est,quod dicit Gab.in quodam sermone.

11 Secundò,nullo statu, voto, aut præcepto humano excusari quem, si alioqui potest,à subueniendo proximo in extrema necessitate constituto:adeo quidem,vt etiã clericus religiosus debeat detegere proditiones, & coniurationes contra remp. factas:& si opus fuerit in remedium etiam coniuratores ipsos, nec fieret irregularis, licet ob eas illi morte plectantur:modo id faciat protestatus se id facere,vt periculo imminẽti,citra sanguinis pœnam, obuietur, iuxta cap.prælatis.de homicid. lib.6. quod rectè adnotauit Caiet. 2.2. q. 26.art. 5.relatus supra c.18 nu.54.

Tertiò,sequitur magna laude dignos esse,qui sæuiẽte peste, ægrotãtibus spiritualia ministrant, licèt ad id non teneantur, per ibidem dicta.

Quartò peccat mortaliter,qui cõsulit mortale aliquod proximo, aut dolo, vel culpa lata aliquid notabiter noxium, per prædicta.c.11.nu. 9. nisi id faceret, quo minus peccaret, iuxta S.Ang.relatum,in c.si quod verius.33.q.2.Quædam hic antea posita de non docente,de ignorantia,cõsilio,rancore,tristitia, & oratione prętermittimus, ne supra opportunius dicta repetamus.

De correctione fraterna.

SVMMARIVM.

12 *Correctio fraterna quid, & qui ad eam teneantur.*

13 *Correctio fraterna de solis mortalibus facienda.*

14 *Correctionis fraternæ ordo, & quando non seruandus.*

15 *Corrigens intentione mortali, vel cum damno notabili, vt peccat.*

12 Dicendum primò, quod fraterna correctio vna de septẽ eleemosynis spiritualibus, est monitio proximi secreta,aut coram testibus, vt se à peccato emendet, arg. cap.nouit.de iudic.& cap.si peccauerit.2.q.1.ad quam præcepto naturali tenemur omnes, etiam infideles, & etiam euangelico Matth.18. Omnes fideles, prælati, & subditi, iusti, & peccatores, quamuis magis prælati, quàm alij, & qui maioris sunt authoritatis,quàm qui minoris, modo quatuor concurrant.Primum, quod certum sit proximum peccare peccatum mortale, vel veniale periculosum.

Secundum,quod speretur emẽdatio, aut saltem non timeatur deterioratio. Tertium, oportunitas non solum personæ, ita quod magis ipse, quam alij ad id teneatur, saltem considerata eorum, ad quos id magis spectat,negligẽtia, sed etiam temporis, quæ colliguntur ex vtroque Tho.2.2.quæst.33.& S.Thom. in 4.lib.senten.distinct.19.Adri.in 4.de correct. frater. Sot. lib. de rat. teg. membr.2.quæst.2.Innocen.Panor.& aliis in cap. nouit. de iudic. Archid. & aliis præsertim Turrecrem.in c. si peccauerit.2. quæstio. 1. quamuis de nonnullis horum inter illos sit controuersia, quam tollere in d.cap.si peccauerit.nisi fuimus. Quartum,vt ea commodè fieri possit, ideſt, absqua damno notabili salutis, honoris, famæ,& fortunarum corrigentis: nisi emendandus sit in extrema eiusmodi correctionis necessitate, quod raro contingit per supradicta. nume.13.

Nec,(quidquid aliqui dicant) excusatur quis ab ea facienda,eo quod sit in peccato mortali, cum nemini sua malitia prodesse,aut bonitas nocere debeat.cap.1.de post.præl.l. itaque fullo. ff.de furt. Cumque quilibet possit ope diuina(quæ nunquam facienti, quod in se est, denegatur) suorum peccatorum pœnitere,& eorum veniam consequi,cap.ponderet. 60.distin.

Secundò dicendum,quod ex his sequitur responsio ad noue quæsita: primò,quod non peccat quis peccato mortali omissionis correctionis, eo quod non corrigat eum, qui per ignorantiam probabilẽ diei ieiunij, vel festi non ieiunat, vel non audit missam: quia in eo non peccat ille mortaliter,nec venialiter periculosè,quo cessante,cessat præceptum de corrigendo,per prædicta.

Secundò,quod peccat si non corrigit eum,qui peccat ex ignorantia non probabili,vel fragilitate:præsertim quum id commodè facere potest,iuxta posita infra nu.23.

Tertiò,quod non peccat negligẽtia corrigendi, qui transiens per terrã hæreticorum,non reprehẽdit eos tractantes sacramenta,vel imagines irreuerenter, vel docentes aut prædicantes hæreses, si nulla est eis spes emendationis,immò timor auctioris mali:quia deest secũdum eorum quatuor, quæ dicta sunt ad obligationem corrigendi requiri.

13 Ex quibus sequitur,quòd quamuis laudabile sit corripere proximũ de peccatis venialibus, pura risu inordinato,sermone otioso, nimia audiendi curiositate: non tamen est mortale id non facere,iuxta S.Anto. 2.part.tit.16.c.6. Confessarius autem nullatenus, nec publicè, nec secreto debet corripere quemquam de peccatis ab eo sibi confessis,vt rectè monuit Sot. vbi supra memb.2.quæstio.1.&probatur copiosè per ea,quę dixi in cap. inter verba.conclus.7.& in cap. sacerdos.de pœnit dist.6. nisi pœnitens significaret, id esse sibi gratum, inducendo colloquia, vel consulendo super eis.Sequitur item, non esse interdum peccatum, immo meritum, differre correctionem cuiuspiam,quousque in maius delabatur, quo aptius correptus emenderur ab vtroque. Dixi,*interdum*, vt cum is, qui debet corrigere probabiliter credit eum, qui

Peccauit per negationē peccati, vel aliquas alias circumstantias eius nō emendatum iri, si nunc corrigatur: & si expectetur alius casus, in quo deprehēsus corrigatur, fic: quia hoc est tēpus, & temporis opportunitatem expectare. Qua cōsideratione excusari videntur, qui pueris ad furtum & alia vitia procliuibus permittūt occasiones in ea labendi, vt in eis cōprehensi vtilius castigari queant.

14 Quartò dicendum, quod ordo corrigendi est, vt primum secreto, & fraternè peccās corripiatur. Deinde, si se ob id non emendat, coram duobus testibus. Et postea iudici denuncietur Matth.18. & cap. si peccauerit. 2.q.1. nisi damni periculum esset in mora, & nō esset ei certum sua monitione illum ab eo cessaturum. Si enim de hoc certus esset, non deberet statim iudici denunciare, secundum S. Tho.2.2.q.31.art.7. ab omnibus receptum in cap. nouit.de iudic. & in 4.dist.19.& ab Adr.in 4.de correct.frat.& à Soto de ratio. tegendi. membr.2. q.4. Dixi, *si certus esset*: quia si dubitaret, statim deberet iudici denunciare. Quod consequitur raro opus esse fraterna correctione secreta circa proditiones reipub. & hæreses fidei catholicæ: quia raro quis pro certo habere potest talem proditionem, aut heresim penitus cessaturam. Non est item opus secreta admonitione, quando peccatum publicum est, iuxta S. Tho. receptum 2. 2.q.33.art.7. Est autem publicum (vt paulo clarius quam Caiet. & alij, diximus, in d.cap. Interverba.) ad hunc effectum, quod est notorium, iure, vel euidentia facti, vel saltem fama. arg.cap.fin.de cohab.cler.cap.fin. de tempo.ord.c. si fama. & c. si presbyter.2.q.5.

Quinto dicendum peccare mortaliter eum, qui proximum de aliquo peccato cum intentione mortaliter mala corripit: aut de peccato occulto coram illius ignaris, non seruādo ordinem supradictum: cum damno notabili illius famæ, aut illius probabili periculo per dicta c. 17.nu.16. Nam etiam peccat, qui reuelat illud superiori, nō seruata forma prædicta, etiam in finem, vt prouideat ne illud iteret, vt rectè asserit Sot. vbi supra memb.6.q.2.pag.11. & ante illum Adria. quem ille non citat, contra Richar. in 4.lib.sent. dist. 19.art.8.q.1.

15 *Emendatur cap.non in inferenda. 23 quæst.3.*

16 *Iniuriam inferre, imbellicitas, propellere, virtus.*

17 *Defendere omittens peccat, si consentit, & etiam dissentiens: si tenetur etiam cum incommodo.*

17 *Defendere vitam, & bona proximi, & impedire damna, vt tenemur.*

18 *Defendere qui lege iustitiæ tenentur.*

18 *Defendere omittens, non omnis consentit, & quis præsumitur consentire.*

19 *Defendere omittens opitulando peior simpliciter omittente.*

19 *Defendere omittens quis præsumitur consentire, & opitulari.*

19 *Irregularis non est simpliciter consentiens homicidio facto, vel faciendo.*

20 *Defensionis omissio etiam sine consensu, cur peccatum.*

20 *Defendere qui omittit consentit, vt verum,*

rum, triplici opinione confutata.

21 *Intellectus nouus cap. quantæ. de sentē.excom.*

21 *Scientia sola apparatus delicti, cur interdum morte plectitur.*

21 *Defensionis ex charitate omissio cur impunis in foro exteriori.*

22 *Defensionis, quæ omissio irregularitatem, & censuras induxit.*

22 *Defendere proximum à damno magis præceptum, quàm subuenire ei ad lucrum.*

22 *Damnum proximi etiam mediocre quando impediendum.*

23 *Peccat mortaliter, qui proximi mortale peccatum non impedit.*

23 *Eleemosyna cur necessario fiat, etiam inuito, non egenti illa extremè.*

15 HVc loco ad id opportuno, pie lector, inseram summam eorum, quæ huc pertinentia continet comment.cap.non in inferenda. 23. quæstio.3. qui est quintus eorum, qui Manuali Hispano adiungebantur. Ea igitur est, quod ibi num.1. admonui, cap. illud esse decerptum ex c. 36.lib.1.de offi. S. Ambrosij: sed vitiosè, quatenus habet, *ferēda*, pro, *inferenda*: & *imbecillis*, *siue imbellis*, pro *bellica*: & post verbum, *fortitudinis*, verbum, *repellere*, superfluum: ita quod est sic legendum.

Non in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest: tam est in vitio, quam ille, qui facit. Vnde S. Moyses hinc prius orsus est tentamenta becillicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem, defendit, ita vt Aegyptium prosterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait, Eripe eum: qui ducitur ad mortem.

16 In nu.autem 2. & 3. colligimus ex eo, quemuis Principem magnanimamque virum debere sibi persuadere imbecillitatem esse, & non fortitudinem iniuriam inferre, indignámque eis esse persuasionem illam, qua quidam putant se, vel suos amicos nil posse, aut nil facere, nisi possint aut faciāt impunè ea, ob quæ alij puniuntur, per multa ibi adducta. Verbum enim *virtutis* in illo c. positum more castius loquentium, fortitudinem significat, vt in illo Cicer.ad Plan. *Omnia summa cōsequutus est virtute duce, comite fortuna.*

In nu.4. & 5. quòd peccat, qui proximum non defendit, quod ipse S. Ambro. ibidem comprobat exemplo Mosis Exod.2. & auctoritate Salom.Prouerb.24. & idem ait in cap. pasce.86.distinct. cui concordat August in cap. fin.ead.cau.& q.& Symmachus 83.distin.in princ.& grauius Innoc. III. cap. quantæ. de senten. excommu.

17 In nu.6 7.& 8. multa dubia contra conclusionem hanc adduximus. Pro quorum resolutione in nu.9. posuimus primam sex declarationum, scilicet eam planè procedere in eo, qui non defendit cōsentiendo: quia siue defendere possit, siue non: siue sit præsens, siue absens, consentiendo iniuriæ peccat, & tale peccatum, quale qui iniuriatur, iuxta illud Apostoli ad Rom. 1. relatum in cap. 2. de offic.deleg. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt* & tradit S. Thom. speciatim. 1.2.quæstio.60.artic.8.& 2.2.quæstio. 154.art.2.

In nu.10.& 11. continetur secunda

declaratio, scilicet quòd non procedat prædicta conclusio in eo, qui ad defendendum non tenetur, secundũ vtrunque Thom. 22. quæst. 61. art. 7. Non tenetur autem ad defendendum, qui sine damno honoris, existimationis, aut pudoris, id facere non potest, secundum Fel. in cap. 2. de hæret. & in d. cap. quãtæ. relatum à nobis supra. cap. 14. num. 6. cui nemo contradicit, nec nos vnquam in cathedra contradiximus ante prædictum commentarium: in quo tamen id facimus ob multa, quorum summam ex præmissis, & subiectis declarationibus colligas. E quibus est, quòd in extrema necessitate nostræ defensionis constituto, subuenire tenemur, etiam cum dãno omnium eorum, quæ ad conseruandam vitam nostram non sunt necessaria, & consequenter honoris, pudoris, existimationis, & fortunarum sustentandę vitę non necessariarum, iuxta illud S. Ambro. relatum in cap. non satis. 86. dist. *Si, quum rapitur quis ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri, non est leue peccatum.*

In num. 12. & 13. resoluimus, quod charitatis lege tenemur ad defendẽdam proximi vitam, ne iniustè ei adimatur, etiam cum incommodo omnium prædictorum, sine tamen vitæ periculo. Dixi, *Ne iniuste ei adimatur*: quia non tenemur ad redimendam vitam iustè condemnati, etiam si rex, vel lex, & statutum, aut sententia, pecunia redimendi facultatem facerent. & ita limitandum est prædictum. cap. non satis. Tum quia sanctum, & vtile est eius animæ, vt ea sic ei adimatur, per doctrinam Scoti. in 4. distin. 15. quæst. 3. §. de secundo, relatam supra. cap. 15. nu. 21. Tum quia alioqui rex ipse, vel iudex damnans eum, in primis peccaret, non redimendo, quod est absurdum. Posset autem eiusmodi damnatus vendere se in seruum redimenti pretio redemptionis, per ea, quæ dicta supra cap. 23. nume. 96. Et quòd eadem lege charitatis tenemur etiam ad defendenda illa eius bona, sine quibus vita eius seruari nequit, argumen. l. 2. ff. de iurisdict. omn. iud. cap. præterea. de offic. delega. & etiam ad impedienda eius damna externa, etiam cum incommodo nostro pecuniario, si probabiliter credimus, nullum alium id facturum, arg. Exod. 23. & Deuter. 22. nisi damnum proximi esset tam paruum, vt arbitrio boni viri, non debeamus nobis incommodare tantum, quantum opus est ad illa impedienda, arg. l. præses. C. de seruit. cap. si non licet. 23. quæstio. 5 vel nisi scandalum, vel maius damnum inde sequeretur. Dixi, *Nullum alium id facturum*. Tum quia id significãt prædicta cap. quatenus loquuntur de boue errante, & de asino iacente in via, ad quem reducẽdum, vel leuandum frequenter alij non inueniuntur. Tum quia tollitur necessitas, si est alius, qui occurrat ei. Dixi, *Pecuniario*: quia nõ tenemur ad id cum damno honorario: nisi quando damnorum magnitudo, & honoris paruitas aliud suaderent: quia vt dictum est cap. 18. numero 47. maioris fit honos, quam pecunia. Per quod excusantur multi viri graues à defensione puerorũ, & leuium hominum, quos alij pugnis cædunt, nisi ipsi citato gradu,

gradu, & cum notabili honoris, & existimationis iactura, eis succurrant. Dixi, *Vel nisi scandalum, vel damnum inde sequeretur*: quo excusatur qui clara voce non contradicit concionatori alicui ex pulpito grauiter detrahenti, & qui non liberat iniusta morte damnatum, & ad supplicium tractum, ne ex eo tanta seditio inter exequutores, & alios excitetur, & probabiliter mortes, & vulnera innocentum timeantur, vt rectè tetigit Adrian. in 4. de correct. frat. addens, nõ teneri quem ad detinendum hedum aliquorum, ne se de rupe præcipiter, si credit se interfectum iri ab eis suam intentionem bonam ignorantibus.

18 In num. 14. quòd aliqui tenentur defendere se, & alios, non solum lege charitatis, sed etiam iustitiæ. Reges enim, & alij superiores lege iustitiæ tenẽtur defendere se, & suos subditos: & contra, subditi suos superiores, arg. cap. regum. cap. administratores. 23. quæst. 5. & cap. ego de iureiur. præsertim feudatarij, & eorum domini. cap. de forma, 22. quæst. 5. & cap. 1. de form. fidelitat. in vsib. feud. Patres item, tutores, curatores, heri, pędagogi, parochi, custodes, & alij similes: & e contrario, eos filij, pupilli, minores, famuli, mancipia, parochiani, & custoditi, per notata à Pan. in c. 1. de restit. spol. nu. 9. arg. l. vt parentibus. ff. de iust. & iur. cap. duo ista nomina, 23. quæst. 4. l. 1. Cod. de emendatione propinq. & præcep. 4. Decalogi, quod ad eos extendi dictum est supra. cap. 13. nu. 3.

In num. 15. est tertia declaratio conclusionis prædictæ, videlicet, quòd multi ab iniuria non defendentes, ei verè non consentiunt. Vnde textus pro conclusione citati, habentes, quòd qui non defendit cum possit, consentit, non sunt intelligendi de vero consensu: sed de præsumpto: & tum demum etiam de præsumpto, quum tenetur defendere, & commode potest. Quamuis enim quis teneatur ad defendendum aliquem cum damno omnium suarum facultatum: præsumi tamen non debet consentire, si illud non, nisi cum tali damno, facere potest. Tum quia in dubio non est præsumendum delictum. cap. 1. de regul. iur. & l. merito. ff. pro soc. & dubium est, an qui omittit defendere cum tanto damno, omittat defendere ob complacentiam iniuriæ, vel ob dãni euitationem: & hoc posterius præsumẽdo vitatur præsumptio delicti. Tum quia experiẽtia, quę est rerum magistra cap. quam sit de elect. lib. 6. docet, multos principum, & aliorum familiares minime impedire innumeras iniurias ad quas impediẽdas etiam cum damno facultatum tenentur, non quidem quòd illæ eis placeant, sed ne gratiam eorum, & spem donorum amittant. Ex quibus infertur, frequentissime quem præsumi consentire iniuriæ, cui verè non consentit: & contra non consentire, qui verè consentit.

19 In nu. 16. est quarta declaratio, scilicet quòd multum interest inter non defendere solum, & non defendere, & consentire ex vna parte: & inter cõsentire, & auxilium præbere ex altera. Tum quia prius tantum, est peccatum contra charitatem, aut misericordiam, & contra præceptum de diligendo proximo, vt

recte

vt recte sensit Sotus lib. 4. quæst. 7. art.3. de iustit. & iur. Posterius verò, videlicet, cõsentire, & auxiliari iniuriam inferenti, est contra iustitiam, vt ibi latè probatur. Tum quia prius non obligat ad restituendum, posterius vero sic: quia vt supra. cap. 17. nu.10.& in d. Apolog. lib. de restitib. ecclesiast. quæst.2.mon.2. & in locis ibi allegatis diximus, qui solum contra præcepta charitatis & misericordiæ peccat, damnum inde sequutum restituere non tenetur: qui verò contra iustitiam peccat, sic.

In num. 17. est quinta declaratio, scilicet, quod non omnis, qui iniuriæ consentire præsumitur, iniuriam inferenti auxiliari præsumitur, saltem auxilio, quod delicti participem eũ directè faciat. Tum quia duæ præsumptiones speciales non debent circa idem concurrere, præsertim ad augendum delictum. l.1. Cod. de dot. promis. & not. per Card. in cap. quia circa. de consang. quod fieret, si non solum cõsensus, sed etiam auxilium præsumeretur. Tum quia communis opinio, quam tenet Panor. in c.1. de restitut. spol. quamque ait communem Dec. in cap.1. de offic. deleg. & in l. culpa caret. ff. de regul. iur. & Iaſ. in l. vt vim. ff. de iust. & iur. tenet, non delinquere communiter iure ciuili, qui solum non defendit: & quamuis iure canonico regulariter delinquat, non tamen est puniendus in foro exteriori: & si præsumeretur auxiliari, cõtra dicendum esset, cum vtroque iure opem ferentes delinquenti puniendi sint secundum omnes in cap. 1. de offic. deleg. cum ei a nnot. Tum quia vt sentit gloss. in capit. si quis viduam. 50. distinct. & clarius Innoc. communiter recept. in capit. Petrus de homicid. qui non impedit homicidium, quod nouit tractari, non fit irregularis eo sequuto: & si præsumeretur opem tulisse, censeretur talis. Tum quia, vt quis incurrat excom can. si quis sua dente. 17. q. 4. non sufficit, vt consentiat, etiam malitiosè clerici percussioni, si eius nomine non fiat, nec aliquo modo iuuet, per c. cum quis. de sent. excom. li. 6. & si præsumeretur iuuare cẽseretur excommunicatus, per c. sicut dignum. §. eos. de homic.

In nu.18. est declaratio, sexta, quod præcedens declaratio fallit, cum quatuor cõcurrunt, scilicet, potestas impediendi, obligatio id faciendi, commoditas eiusdem, & notorietas delicti, hoc est, vt manifestum sit illud esse delictum, & manifestò fiat: iis enim concurrentibus, non solum præsumitur consensus, sed auxilium per cap. quantæ. de sent. excom. per quod ibi late ostẽdimus, non solum probari hanc fallentiam, sed etiam præcedentem declarationem regulariter esse veram. quod ad interpretandum plurimos canones, & leges, memoriæ mandandum est.

20 In nu.20. Ex prædictis potest inferri, ꝙ ratio, qua non defendẽs proximum peccat, non est, quia consentit offẽsioni, siue defendat, siue non: nam consentiendo peccat, & non peccat, si non consentit, siue defendat, siue non, si alia lege ad id non tenetur. Ratio autem vera cur peccat est: quia omittit facere, quod ei lege charitatis, vel iustitiæ præcipitur, vt faciat, interdum cum damno suarũ facultatũ, honoris, interdum si ne eo, vt prædictum est: quamuis cæteris

cæteris paribus cõsentiendo magis peccet. Et ita iura dicentia, eum, qui non defendit consentire, non significant, non consentientem non peccare: sed potius non defendentem præsumi consentire: quod est verum de illo, qui debet, & potest commodè: immo & præsumi auxiliari, si eũ his tribus concurrat euidentia iniuriæ, vt prædictum est.

In nu. 26. dicitur quod ex prædictis inferuntur decem & octo, quo aliqua subiicimus. Primum, nullam trium opinionum celebrium exponentium prædicta iura, esse omnino veram. Non opinionem Ioannis, quam Bernardus refert in dicto ca. quantæ qui nimis ea extendit ad omnes, qui quomodolibet possunt, non defendunt. Non etiam opinionem Bernardi, qui nimis ea restringit ad solos habentes publicam potestatem: nam ex multis eorum constat loqui etiam de priuatis. Non item Innoc. & Pano. & communem, qui partim ampliant, & partim restringunt pluſquam prædicti, dicentes, ea loqui de omnibus personis, tam publicis quam priuatis, sed de solis dolo id facere omittentibus. Veritas enim habet, quod ad effectum peccandi loquuntur de omnibus personis, tam priuatis, quàm publicis, & tam de omittentibus dolo, quàm negligentia, & deferendo, vel non deferendo opem: modo lege iustitiæ, vel charitatis ad id teneantur. Dixi, *Ad effectum peccandi.* nam ad effectum incurrendi censuras, & restituendi damnum solum comprehendunt obligatos ad illud non solum lege charitatis, sed etiam iustitiæ, quia hi soli incurrunt censuras per adducta latius ibi, & tacta supra. cap.17. num.25. & in prædicta Apolog. quæst.1. monit.3.

In 28. nu. & duobus sequentibus ponitur, quòd nec glo. nec doctores attigerunt verum sensum prædicti capituli quantæ. de sentent. excom. quem tamen nos ibi damus nu. 30. scilicet quod quicũque potest commode, & non defendit clericum ab iniuria manifesta, quæ manifeste infertur, est excommunicatus, vel censendus talis, ratio eius noua est: quia opitulatur, aut præsumitur aliquo modo ei opitulari, & ita legem iustitiæ violare. Dixi, *Est excommunicatus*: ad includendum eum, qui vere omittit defensionem ad opitulandum. Dixi, *vel censendus*: ad includendum eum, qui non vere omittit ad opitulandum, sed ob timorem, pudorem, vel negligentiam. At quia non obuiat manifesto delicto, manifeste facto, cum commodè possit, præsumitur velle opem ferre, vt ibi latius deducitur.

In num. 22. quòd ratio à nemine reddita, qua niti potest rigida illa, sed iusta decisio Bartol. in l. verum. ff. ad l. pomp. de patri. scilicet, quòd quamuis regulariter nemo puniri debeat, eo quòd sciat parari delictũ, & non indicet: fallit tamen in filio, seruo, & subdito sciente parari illud in patrem, dominum, aut alium superiorem, præsertim supremum. Est, inquam, ratio, quòd alij solum regulariter delinquunt contra præcepta charitatis, hi vero contra præcepta iustitiæ, quæ iubet, vt superiores defendant inferiores: & cõtra inferiores superiores, vt supra tactum est, quã rationem Bald. si considerasset,

&

& qui eum sequuntur relati à Felyn. in d.cap.quantæ,non tam acerbe in Bar.inuectus esset.Qua ratione merito acrius animaduertitur in eos, qui magistratus, vel ministros eorum non defendunt, quàm qui aliquos priuatos non tuentur.

21 In nu.33.dicitur ex eisdem colligi rationem nouam, cur regulariter,qui alium non defendit, quamuis in eo peccet, non punitur in foro exteriori,neque canonico, iuxta communem supra relatam,& in foro conscientiæ sic, quòd scilicet omissio defensionis regulariter non est contra iustitiæ leges:quamuis sit frequenter contra leges charitatis, & ideo legum iustitiæ pœnis puniri non debet.

22 In 34.& seq.dicitur, neminem incurrere censuras, vel irregularitates non defendendo alium,nisi lege iustitiæ ad id teneatur. ideoque recte nos respondisse clerico cuidam insulano, non incurrisse irregularitatem propter homicidium sequutum, eo quod ipse sciens illud tractari non monuit occisum, arg. glo. cap.si quis viduam.5.dist.& doctrinę Innoc in cap. Petrus. de homicid. & S.Anton.2.par.tit.28.cap.2.

In nu.39.& 40.dicitur,quòd recognoscens Manuale Hispanum antea compositum die gloriosissimæ Magdalenæ sacro, anno 1556. eius vt puto, beneficio inueni solutionem cuiusdam antinomiæ,quæ medio,multumque torserat inter conclusionem communiter receptam,& supra nu. 3. positam quòd nemo regulariter tenetur ad præstanda opera misericordiæ corporalia sub culpa mortali, nisi egenti eis extremè: & inter illam certam,quòd quilibet tenetur bonum proximi etiam inimici errantem reducere,si potest ad illum:asinum item sub onere iacentem subleuare,vel subleuandum iuuare, si credit probabiliter alium id non facturum,iuxta d. c. Exod.23.& Deuter.22. quod probat idipsum faciendum esse de veste, & de qualibet alia re proximi amissa. Quæ proculdubio locum habent, etiam cum proximus nõ egeat eis extremè. Solutio autẽ vera,& noua est, quòd illa procedit quoad opem dandum egenti, & de lucro tractanti, hæc quoad opem dandum,de damno vitando tractanti. Pro quo discrimine facit,quòd & plus fauent iura agẽti de damno vitando, quàm agenti de lucro captando.l.2.§.portio.ff.ad leg. Rhod.de iactu. & dicta l. si. ff. de peric.& commod.rei vend.l.si is, cui. §. si.ff de furt. & l. si sterilis. §. cum per venditorem.ff.de actio.empt.Ex quo, & positis supra num.17. infertur ad iter facientem, qui offendit mulionem egentem ope alterius, ad eleuandum mulum luto hærentem: nam si est iter à multis frequentatum, quos credit probabiliter ei auxiliaturos, non peccat mortaliter non opitulando ei: alioqui sic, vt peccaret, si iter esset à paucis frequentatum: & ad inuenientem iumenta proximi segetes depascentia: & ad videntem ædes, segetes, aut supellectilem proximi ardere,& non extinguit cum posset ignem: & ad audientem famę proximi grauiter detrahentem, qui licet ei non credat, putat tamen alios creditu ros, si ipse non resistit:& alios id genus innumeros, videntes notabiliter lædi proximi

proximi salutem mentis, vel corporis,& honorem, vel rẽ familiarem: nam si credunt alios non impediturос illa mala, & ipsi non impediunt, peccant mortaliter. E quibus etiam esse videtur, qui videt alium ementem animalia,pannos, prædia, vel alia vitiosa, vel longe minora, vel peiora, quam putat ipse, & non monet illum.

23 In nu. 41. & septem seq. probatur,& defenditur conclusio huc pertinens posita supra in cap. 14. nu. 36. scilicet,peccare mortaliter eum, qui cum possit non impedit peccatum proximi. Quæ quidem conclusio probatur primo, quòd per dictum cap.non inferenda,& alia multa concluſum est supra lege charitatis obligari nos omnes ad impedienda mala vitam corporalem proximo adimentia.At vita animæ pretiosior est,& magis diligenda quàm corporis,secundumS.Thomam receptum. 2.2.quæst.26.art.5.& probatur in c.si habes.24.quæst. 3. Ergo magis tenemur ad impedienda mala, quæ ei vitam animę adimunt:sed peccatum mortale ei adimit vitam animæ, cap. resuscitatus. & capit. omnis. de pœnit.dist.1.ergo.&c.

Tertiò, quòd mortaliter peccat, qui proximum volentem se præcipitare non retinet, cum possit. c. nimium. 23. quæst.4.& qui non extrahit, etiam inuitum e domo iam ruitura d.cap.ipsa pietas.

Quartò, quòd peccat mortaliter, qui, vt supra proximè dictum fuit, potest impedire damnum proximi, quod credit ab alio non impeditum fri,& non impedit,Exod 23.& Deut.

22 At nullum damnum est maius proximo,quàm mors animæ, quam peccatum mortale infert. Ergo, &c.

Quintò,quod magis tenemur ad impediẽda futura peccata,quàm ad punienda præterita; argumento capite præterea.2.de sponsal.& eorum, quæ late citamus in capite inter verba. 11. quæst. 3. At constat, ad corrigenda præterita proximi peccata nos teneri, Matth.18.& capite si peccauerit, secunda quæst. prima. A fortiori ergo tenebimur ad peccatum nondum commissum impediendum. Vnde ad impedienda peccata futura in omni casu inquiri potest, iuxta quoddam dictum sing.Innoc. iiij. in c. 2. de postul. prælat. communiter recept.non tamen ad punienda præterita, nisi certis casibus, vt dictum est in capite 18. & dicetur infra capite sequen. & à laico clericus capi potest, ne committat, non tamen pro commissis, iuxta Panormitanum in capite 3. & capite vt famæ.de sentent.excommunic. & capite cum non ab homine. de iudi. communiter receptum.

Sextò, quòd ad euitandum scandalum, quo proximus peccatet, debemus facere, aut omittere omnia etiam in Euangelio consulta, quæ sine peccato possumus, & cap. 2. de noui oper. nunciat. vt sunt aliquot eleemosynæ.Ergo,&c.

Quæ conclusio procedit primò, non solum quando sine dãno,pudore, & dedecore id facere possumus, vt dixit Felyn.relatus, & confutatus supra num.18. sed etiam si oporteat ob id amittere facultates, & honorem, immo & vitam, quando eius anima in extrema nostræ opis necessitate constituta est.Procedit etiã quando

quando non est in extrema nostræ opis necessitate: ob suam tamen imbecillitatem, vel ignorantiam crassam, aut affectatam, aut ob alias causas, & occasiones peccandi in ea est necessitate, vt nisi nos ei opitulemur, peccatum mortale commissurus sit, & spiritualiter moriturus, & si opitulemur, non quæ est singularis doctrina pientissimi, eiusdemque doctissimi Adr. in 4. de correct. frat. col. 12. quæ prædicto die Magdalenæ sacro, casu reperta magna me liberauit animi angustia, simul affecit, quod nulla eam ratione fulciat, solum inferens ex ea eleemosynam spiritualem arctius præcipi, quam corporalem. Pro qua tamen adduximus rationem, quam nunquam alibi audire, vel legere meminimus, videlicet, consentire nos teneri ad impedienda mala proximi, etiã quæ ille vitare potest, si vult: modo sint eiusmodi, quibus iuste non potest consentire, qualia sunt præcipitium, suspendium, domus ruentis oppressio, de quibus prædictum c. nimium. & d. c. ipsa pietas. Quales item cibi, vel potus, vel medicinæ ad vitam necessariæ tenetur, iuxta gl. solen. in §. 1, 83. dist. mors item, & mutilatio membri. l. liber homo. ff. ad l. Aqui. c. contingit. de sent. excom. At mors animæ, quam peccatum infert, est eiusmodi, ergo tenemur ad impediendam eam, etiam illi, qui non est in extrema nostræ opis necessitate constitutus. Itaque inter eleemosynam spiritualem, & corporalem in hoc non est discrimen, vt per suã illationem significauit Adri. quamuis sit discrimen in eo, quòd eleemosynam spirituale tenemur largiri constituto in extrema illius necessitate, etiam cũ periculo vitæ: corporalem autem non, nisi citra illud, per quod eius illatio verificatur.

Procedit 2. præfata conclusio etiã si ad impediendum mortale proximi oporteat nos non vti iure nostro spirituali, vel temporali, quo absque peccato possumus non vti, argu. illius Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis.* & cap. 2. de ope. nou. nunc. S. Thom. 2. 2. quæstio. 43 art. 7. & 8.

Non autẽ procedit prædicta conclusio, nisi concurrẽtibus tribus, quę requiruntur, vt nos præceptum fraternæ correctionis obliget, videlicet, certitudo quòd peccatũ est mortale: spes effectus impeditionis: & opportunitas tam personæ, scilicet quòd sit, quæ magis ad id teneatur, saltem ob negligẽtiam magis obligatorum, quam etiam temporis, vt colligitur ex rationibus S. Thom. & aliorum vbi suprá citatorũ, quibus prædicta esse necessaria, quo præceptum fraternę correctionis obliget, monstrauimus.

Non item procedit, quando proximus non est peccaturus ex ignorantia vel fragilitate, sed ex malitia & ad impediendum oportet, vt quis desinat vti iure, vel bono suo spirituali, vel temporali, iuxta illud Matt. 15. *Sinite illos, cæci sunt, &c.* & allata per S. Thom. vbi supra, & notata per nostros in cap. qui scandalizauerit. de reg. iur. & d. cap. 3. de ope. nou. nun. Quod confirmatur eo, quòd diximus supra scilicet non teneri quem ad donandum centum (etiam si possit) ei, qui sese furca suspensurum affirmat, nisi ea donentur.

Per

Per quas declarationes facile soluuntur quatuor argumenta contraria. Primum, quod non peccat mortaliter, qui petit mutuum ab vsurario, quem credit non, nisi ad vsuram daturum. Secundum, quòd nec qui à parocho petit, vt suum filium baptizet, credens eum peccaturũ mortaliter: quia credit esse in mortali, & antea non contritum iri. Tertium, quod neque mulier, quæ ob vanam gloriã venialiter sine alio fine mortali se comit: quamuis credat, aliquem ob id concupiscentiam mortalem cõcepturum. Quartum, quod nemo tenetur ad eleemosynam impartiendam sub pœna peccati mortalis, nisi in extrema illius necessitate constituto, vt dictum est supra nu. 11. Et qui vult mortaliter peccare, sciens id esse tale, nõ est in extrema necessitate opis alienæ, cum voluntarie id faciat. 15. q. 1. §. 1. Possunt etiam solui duo prima per duas declarationes postremas: tertium vero de muliere se comente per adducta supra c. nu. 5. & cap. 23. num. 19. Quartum autem soluitur per primam, & secundam declarationem: quatenus habent, teneri nos ad impedienda mala proximi, quibus ille iuste consentire non potest: quamuis non sit in extrema nostræ opis necessitate constitutus.

De peccatis diuersorum statuum, & primum Regum.

Cap. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Rex vt peccat aliena capiens, & capta non restituens, male, vel ob malum finem gubernans.*
11 *Rex seditiones excitans, vel subditos non exercens peccat.*
2 *Rex arces non muniens, vel armamentis carens vt peccat. & 3.*
4 *Rex legem pœnalem ferens, vel viat, & lites negligens vt peccat.*
5 *Rex disponens circa legem naturalem, vel suam, vt peccat.*
6 *Rex tollens subditis bona sua, & libertates, vt peccat*
6 *Rex bellans iniuste, vel malo fine, vt peccat.*
6 *Rex iura noua indicens, & visitantes impediens, vt peccat.*
7 *Rex cogens operari subditos, & eorum delicta non puniens, vt peccat. & 8.*
7 *Rex officia sua vendens, & indignis conferens peccat. & 8.*
8 *Rex matrimonium contrahere cogens, vt peccat.*
8 *Rex beneficia indignis conferens, & malam consuetudinem seruans vt peccat. vt & 9.*
10 *Rex damnans inauditum, vel auditum male, vt peccat & 11.*

1 Dicendum quod peccat mortaliter primo Rex, vel monarcha, qui aliena regna, & dominia iniuste quærit; vel iniuste quæsita non restituit, nulla iusta causa ab hoc excusante cap. quid culpatur. 23. q. 1. cap. si res. 14 q. 6. adiuncto c. sæpe. de rest. spol. Venialiter autem periculose qui ea, etiam iuste quæsita gubernat principaliter ob voluptates, vel diuitias, aut gloriam, & honorem, per supradicta cap 23. nu. 73. Nam vt sancte resoluit S. Thom. de regim. princ. lib. 1. c. 7. & 8. finis primarius laborum eius vix tolerabilium debet esse ipse Deus, cuius vices in terra gerit, & vera beatitudo de qua supra, prælud. 4.

Secundò peccat, qui iustè possessa iniustè gubernat nō reddendo suum cuique ius, vel excitando factiones, vel non sedando eas, non prouidendo annonæ, vel aliarum rerum caritati, aut præficiendo rectores indignos, aut non ferendo leges necessarias, vel constitutas non exequendo, aut non cōmuniendo armis, artibus, & exercitiis ad se, & illa tuēda necessariis, adeo, vt iudicio prudentis, ea vel partem eorum, probabili amissionis periculo subiiciat, iuxta mentem eiusdem S. Tho. vbi supra. cap. 15. & probatur per cap. administratores. 23. quæst. 5. & cap. alius. 15. quæst. 6.

2 Tertiò peccat, qui per incuriam non habet propria armenta boum, & greges ouium, aietū, porcorum, & mares selectos, quo habeat carnes in obsonium suum, & suorum: aut non colit agros proprios, quo triticum, hordeum, & alia frumenta sibi, suisque necessaria colligat: aut non habet equitia producēdis equis ad bella necessariis. Hæc enim sunt mortalia, aut certe venialia periculosa, secundum S. Tho. vbi sup. lib. 2. c. 5. & 6. Dixi, *Per incuriam*: quia iudicio nostro nō sunt peccata omissa ad vitandos sumptus: & ad quærendū plus ex prædiis locatis, quā per se cultis; & de suis herbis locatis, quàm per armenta sua, & greges depastis; aut ad melioribus curis occupandū tempus, quod his impendendum est, argum. cap. non mediocriter. de consec. distin. 5. quod miror, nec. S. Thomam, nec alios animaduertere: quum fere omnes reges ea facere omittant.

Quartò peccat, qui adeo negligit coacetuare diuitias artificiales, auri, argenti, pecuniarum, & aliorum similium, vt se, suúmque regnum exponat probabili periculo pereūdi fame, bello, & aliis malis, quæ probabiliter defectu pecuniarum euenire possunt. E quibus est mutuari à subditis cum pudore, & periculo deserendi iustitiam in eorum fauorem, vel à nummulariis sub vsuris, aut interesse, ad quæ postea soluenda nimium sic grauaturus populum, ex mente eiusdem vbi supra cap. 7.

3 Quintò peccat, qui pecunias congerit grauādo notabiliter subditos ob auaritiam, nullo iusto fine proposito, iuxta S. Anto. 2. par. tit. 1. cap. 2. quia id est contrauenire præcepto de dando superflua pauperibus, iuxtā dicta sup. c. 23. nu. 73.

Sextò peccat, qui prodigis largitionibus ita indulget, vt se exponat probabili periculo vsurpandi aliena, vel tributa maiora, quàm par est exigendi; aut debita statis diebus non soluendi, aut onere grauissimo interesse, ac cambiorum se, suumque regnum in maximam paupertatem inducendi propter rationes Arist. in epist. ad Alex. & per leg. part. Castellæ tit. 14. 2. part. titu. 5. & mentem S. Tho. vbi supra.

Septimò peccat, qui adeo negligit munire suas arces, vt occasionem populo præbeat irreuerentiæ, vel rebellionis, aut aliis inimicis occupandi regni, aut partem illius, iuxta mentem eiusdem S. Tho. vbi supr. lib. 2. cap. 11.

4 Octauò peccat, qui negligit per incuriam imperare refectionem, & custodiam viarum publicarum sui regni: ita vt viatores notabilia ob id damna

damna incurrant, aut de suis publicis reditibus, pauperibus extreme egentibus, à se petentibus non subuenit, iuxta eundem S. Tho. vbi sup. c. 12. & 15. Dixi, *Negligit*. quia secus si per ignorantiā, aut impotentiam id omittit. arg. l. impossibilium. ff. de reg. iur. & c. ignorantia eo. tit. lib. 6. quāuis hoc alij non animaduertant.

Nonò peccat, qui habet cum alio Rege Christiano super aliquo regno, vel dominio aliquam dubiam, & antiquam controuersiam, quæ de iure non potest extingui: quia non habent superiorem, neque bello, quippe quorū arma adeo creuerunt, vt neuter ab altero omnino superari possit, nisi facta per strages copia Turcis inuadendi quod reliquum est Christiani orbis, vel bonam partem eius: & non vult in arbitros suspicione carentes conuenire, nec petere, vel accipere conditiones honestas, quibus pax firma fiat. quod probauimus in recept. ca. quando. de consec. dist. 1. cap. 9. nu. 90.

Decimò peccat, qui aliquam legem pœnalem constituit principaliter propter suam vtilitatem priuatam, quo eius transgressione, aut dispensatione multas pecunias cogat. ea. erit autem lex. 4. dist. & communis in cap 1. de const.

5 Vndecimò peccat, qui dispensat in legibus diuinis, aut naturalibus, absque iusta causa: & qui in propriis cum notabili damno, aut scandalo publico vel priuato: & qui delicta diuina lege aut naturali damnata, sine iusta causa condonat, vidēs, aut videre debens, se ad alia similia occasionem præbere: aut lites, vel solutiones debitorum sine iusta causa suspendit. Tum per gl. sing. cap. non est. de vot. cap. ex parte. de consu. ca. ex iure. de iureiur. cap. si ecclesia. 23. quæst. 4. cap. regum 23. quæst. 5. Tum quia omnis iniustitia rei notabilis est mortalis, iuxta S. Tho. 2. 2. quæst. 59. art. 4. Dixi, *Sine iusta causa* quia cum causa, & sine scandalo notabili, illa licita facere potest, l. 1. C. de leg. 6 Duodecimò peccat, qui non permittit populo suo tueri suas libertates, sibi ex iure diuino, aut humano iurato debitas: aut bona populi vsurpat, & restituere obligatur, arg. c. reges. & c principes 23 q. 5. & l. 1. C. si quacunque præd. pot. & c. si res. 14. quæst. 6.

Decimotertiò peccat qui minis, aut precibus importunis adigit aliquem ad donandum sibi sua bona, absque iusta in id causa, cum obligatione restituendi, argu. cap. conuenior. 23. q. 8. 2. Reg. c. 21. & totius tit. ff. & C. quod met. caut. & Barto. in tract. de tyran. nu. 20.

Decimoquartò peccat, qui gerit bellum iniustum defectu authoritatis, aut iustæ causæ cum obligatione restituendi: aut iustum ex se, sed animo, & fine iniusto fine obligatione restituendi, iuxta vtrunque Tho. 2. 2. q. 40. art. 1.

Decimoquintò peccat, qui impedit visitationem monialium iuridicam. cle. attendētes. de stat. monach. & est excommunicatus, si admonitus non desistit. ead. clem. §. fi.

Decimosextò, peccat, qui exigit à suis subditis aliqua tributa noua, absq; necessitate publica cum obligatione restituendi: quamuis in bonum finem ea exigat. cap. militare. sub fin. 23. q. 1. Et multo magis si ad

superfluũ vsum, vel vestitum, pompas, conuiuia, prodigalitates, quas vulgus liberalitates appellat. Sum. confes. lib. 2. titul. 5. quæst. 35. num. 31. Dixi, *Nouo* quia si antiqua bene statuta ita prodigit, non tenetur restituere, nec mortaliter peccat, nisi aliqua circunstantia finis, formæ, materiæ, aut alia mortalis interueniat, per supradicta. cap. 23. num. 75. Dixi etiam, *Absque necessitate publica* quia cum hæc exigere, & accipere posset, si ad eam sui reditus non sufficerent, argu. cum secundum. de præb. & cap. 1. 11. quæst. 2. & eorum, quæ ibi citantur.

Decimoseptimò peccat, qui adigit subditos suos, ad id non obligatos, sibi domos ædificare, agros colere, vineas fodere, aut alia similia facere sine integra sui laboris compensatione, S. Anto. part. 3. titul. 3. cap. 4. §. 4. subdens, bis eum peccare, qui diebus festis ad hoc eos adigit.

7 Decimooctauò peccat, qui officia sui regni vendit tam care, & talibus personis, vt probabiliter credat, aut credere debeat, eas male illis vsuras, aut subditos oppressuras, per rationes Auth. vt iudi. sine quo. & Auth. de mand. princip. §. 2. alias secus, iuxta S. Thom. ad Ducissam Brabantiæ in opusc. 21. q. 1. quamuis præstaret non vendere. Quo fit, vt dictum Panor. communiter receptum in c. 1. & 2. ne prælat. vic. suas. (scilicet,) id quod domini pro officiis secularibus suæ iurisdictionis accipiunt, lucrum sordidum esse, & accipiendo mortaliter peccare, restringendum sit ad personam, quæ superiorem agnoscit, & locum, vbi vectum est lege obligante ad mortale, cui consuetudo præscripta non derogauit, sine licentia eius, qui eam dare potest ad vendendum honesto pretio personis idoneis. Et consequenter non sunt damnandi reges, & principes, qui ea dant pro pecunia in dotem, vel meretedem obsequiorum; neque etiam ipsi officiarij illa vendentes tam honesto pretio talibus personis: vt probabiliter credatur, eas illis non male vsuras, quo pretium male datum peius extorqueant. Quare ob ea, quæ in curiis monarcharum fieri vidimus, eorum confessarios, consiliarios, & regni procuratores admonemus, videri è republica, & animarum salute fore, lege aliqua circunspecte statuere vnicuique officio, vel muneri certum pretium, vltra quod nihil dari, vel accipi posset; declarando eum, qui plus acciperet, plus iusto pretio accipere; & addendo, ne remissioni locus esset; & tempore quo titulus confertur, cogerentur partes iurare de non plus dando, vel accipiendo: cum indies adeo eorum pretia crescant, vt ementes honeste viuere nequeant, nisi magno reip. malo, illa, quæ forte mutuo & sub vsuris, vel interesse acceperunt, recuperent.

Admonemus vero hic, fœ. rec. Pium V. tulisse legem an. 1571. mense Decembri, contra ambientes officia iurisdictionis administrationem habentia, in hæc verba: *Nemini de cætero liceat, mediante pecunia, vel solutione, & traditione, ac promissione aliarum rerum, & per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas aliquas dignitates, & officia, exercitium & administrationem iurisdictionis habentia procurare, assequi, vel obtinere: ac si quis his præsentibus contrauenisse quoquomodo dici, aut censeri potuerit, ipsum contrauenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis, tam priuilegij doctoratus, quam quorumcunque per eum obtentorum officiorum tam secularium, quam ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij pœnam irremissibiliter incurrere volumus, & infra. Et quod vicunque, & quandocunque compertum fuerit per interpositam personam, aliquas pecunias, seu alias res traditas seu promissas fuisse alicui curiali, familiari, vel cuicunque alteri personæ pro officiis, & dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus, is qui officium huiusmodi obtinuerit, se à præmissis attenta interpositione personæ huiusmodi nullatenus excusare queat: quinimò nulla admissa ignorantiæ excusatione, ipso iur. præsumatur solutionem, & promissionem huiusmodi de eorum, qui officia & dignitates similia obtinuerunt consensu, & mandato penitus esse facta, eisdemque propterea pœnis subiacere omnino intelligatur.*

Decimononò peccat mortaliter, qui cogit aliquem ad certum matrimonium contrahendum, vel à contrahendo impedit S. Anto 3 part. tit. 3. cap. 4 §. 5. quod Concil. Triden. sess. 24. c. 9 de reform. matrim. in hæc verba confirmauit. *Præcepit S. Synodus omnibus cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directo, vel indirecto subditos suos, vel quoscunque alios cogant quo minus libere matrimonia contrahant.*

Vigesimò peccat, qui præficit officiarios indignos, imperitos, aut malæ conscientiæ, credens, aut credere debens eos tales esse, aut per iustam ignorãtiam præfectos: postquam id resciuerit non deponit, cum possit absque suæ vitæ periculo, & damno reipub. cum obligatione restituendi damna, quæ fecerunt. Scot. in 4. lib. senten. dist. 15. quæstio. 2. art. 4. per ea, quæ copiosè diximus in prælect. c. si quando. de rescript. excep. 16. numero 3. & 4.

8 Vigesimoprimò peccat, qui ad sacerdotia, vel beneficia ecclesiastica, quorum est patronus, præsentat personas nõ idoneas ætate, scientia, vel moribus: aut inducit legatos, episcopos, & alios prælatos ad cõferendum talibus, aut patronos ad tales præsentandum contra c. cum in cunctis. de elect. & c. graue. de præb. & alia latè dicta exceptione 16.

Ad nouè autem quæsitum respondeo, non peccare possidentem virtute bullæ Iulij Secundi aliqua bona tanquam profana, quibus pater eius imposuit onus aliquarũ missarum, constituens eum patronum eorum, & earũ: quia etiam absque tali bulla poterat ea iustè possidere, vt talia; quippe quæ nullius speciei sacrorum sunt, vt colligitur ex S. Th. 2. recep. 2. 2. q. 99. art. 9. non enim sunt bona ecclesiastica, licèt oneri ecclesiastico sint subiecta, arg. cap. ex parte de censib.

Vigesimosecundò peccat, qui non cohibet suos subditos ab vsurpando alieno, per furtum, rapinas, munera, aut per alium quẽuis modum illicitum, cum obligatione restituendi. Rich. in 4. lib. sent. dist. 15. art. 5. q. 5.

Vigesimotertiò peccat, qui negligit abolere praua iura terræ consuetudines, veluti vsurarum, ludorum periculosorum animæ & corpori, cū scandalo id possit: aut permittit falsas mensuras, aut pretia iniusta rerum venalium, cum obligatione restituendi Rich. vbi sup. arg. cap. error 8. dist.

9 Vigesimoquartò peccat, qui per se, vel alium condemnat aliquem, præsertim ob crimen indicta causa, aut non concessa se defendendi facultate, aut sine scientia publica per publicam probationem habita, ductus scientia priuata per priuatam probationem quæsita, secundū mentem S. Thom. 2. 2. quæst. 67. artic. 2. & clarius Caiet. ibid & in summ. verb. homicidium. Tum quia sententia, qui actus publicus est, auctoritate & scientia publica, & non priuata ferēda est. Tum quia iuris naturalis est, ne quis inauditus, & indefensus damnetur. cle. pastoralis. §. cæterum. de re iud. glo. memorabilis in extrauag. 1. de dol. & cont. Quo fit secundum eos, grauissime peccare reges, & principes, & esse homicidas, qui aliquem etiam subditum, inauditum & indefensum veneno, aut alio mortis genere interfici iubent, vel beneficiis, officiis, honoribus, aut aliis bonis ad nutum non amouibilibus priuāt, sola scientia priuata ducti. Eodē itē modo peccare exequutores talium mandatorum, neque excusari obedientia, quam suis regibus id præcipientibus debent: quo niam contra ius naturale, vel diuinum non est eis obediendum cap. si dominus. cap qui resistit. 11. quæst. 3. & Caiet. in dicto verb. homicidium.

10 Contra vero non peccare eum, qui secundum allegata, & probata iudicat, quamuis vti priuatus oppositum iustum esse sciat: adeo quod eum, quem priuate scit innocentem, iuste condemnare possit probatum nocentem, saltem quando quo ad eius fieri potuit, omnia fecit vt veritatem cognosceret, & ne de illo casu iudicaret, iuxta S. Tho. in d. quæst. 67. artic. 2. & alios graues auctores, quos Caiet. ibi adducit. Pro quibus est text. in l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præsid. & in cap. pastoralis. §. quia vero. de offic. deleg. & vtrobique communis. Dixi, *Ad nutū amouibilibus*. quia in aliis secus est, arg. l. qui potest inuitis. ff. de reg. iur. qualia sunt officia Castellæ regia, lib. 1. ordin. tit. 76. Idem quum res notoria est, vel ex natura rei, vel actis constat, nullam condemnando defensionem competere cap. bonæ. 1. de elect. vbi Panor. adiuncto cap. cum olim. de re iudi. vbi post alios Felin. col. 5. quia scientia rei publicæ notoriæ publica est, & non priuata, vt sentit S. Tho. 2. 2. quæst. 67. art. 2. & facit. cap. ad nostram. de iureiur. Idem quum aliqua magna, & iusta de causa non recognoscens superiorem, omittit audire & vocare reum, vt probauimus in c. 1. de caus. poss. per glo. sing. in l. antepe. ff. in quib. caus. ma. laudatam per Rauen. in dicto c. 1. & Decium in cap. ex parte. 2. de offic. delega. col. 2. & cap. quæ in ecclesiarum. de constit. colum. 9. modo curet allegari, & probati pro parte absente, quęcūque possit. Per quod excusauimus magnum quēda Monarcham, qui virtute processus in absentia facti, & sententia sine citatione

tione latæ, fecit capite plecti quendam suorum militum ducem, sibi in alio regno militantem: quia nec capi, nec sine metu rebellionis illius, & magnæ partis exercitus, audiri poterat.

11 Non autem omnino placet consilium Raymundi probati à S. Anto. 2. part. tit. 2. c. 7. §. 3. quod rex, aut dominus, qui suis subditis aliqua de superioribus causis restituere tenetur, & non potest, aut certè difficilè id facere, condonet eis aliquas operas, vel iura sibi debita in perpetuū. eisue annuam pensionem perpetuam, aut temporariam in id sufficientem super bonis regni constituat: aut aliquod Xenodochium, aliudue opus pium de illorum consensu si haberi possit, instituat: non, inquam, omninò placet. Tum quia impotentia eum excusat per dicta supra in cap. 17. nu. 60. Tum quia nō potest iura regni diminuere, nec onera augere. cap. intellecto. cum ei annot. de in. iur. Tum quia non sufficit dare piis, quod debetur aliis, arg. c. ea te. de iur. iur. & c. cum tu. de vsur. Tum quia consensus subditorum in eiusmodi raro est spontaneus, iuxta illud, *Preces Principis iussa sunt*. gl. in l. 1. ff. quod iussu. Quare serius consilium esset, vt superflua sui status resecando, & parcius viuendo, & à donis gratuitis abstinēdo, quantum posset de reditu suo decenter reliquaret, quo debita solueret, & restitueret, iuxta mentem Aristotelis 4. Ethic. & S. Thom. 2. 2. q. 117. artic. 1. & melius q. 58. art. 1. ad. 1.

Vigesimoquintò peccat mortaliter Rex, qui vt Iudex facit aliquid, quod iudici esse mortale § seq. dicetur.

De peccatis Iudicis superiorem agnoscentis.

SVMMARIVM.

12 *Iudex vt peccat mortaliter sustipiendo officium, cuius est impar.*

12 *Iudex iudicans iniuste, aut accipiens pretium pro sententia etiam iusta, vt peccat.*

13 *Exemptus hodie multo plus subiacet ordinario, quàm olim.*

13 *Iudex vsurpans iurisdictionem, non seruās ordinē iudiciarium, vt peccat.*

13 *Iudex male capiens, & victum non condemnans in expensis peccat.*

13 *Iudex nē satis studens, nec cōsulens, affectu condemnans, & miseris non deferens, vt peccat.*

14 *Iudex appellationi non deferens, vel eam non admittens, vt peccat.*

14 *Iudex pœnam legis augens, vel diminuens, vt peccat.*

15 *Appellatio ab interlocutoria in quibus causis criminalibus hodie sublata.*

15 *Iudex sententiam nullam superioris exequens, vt peccat.*

16 *Iudex non obediens ecclesiæ, non seruāt interdicta, prælendens iudicem ecclesiasticum, qui eum excommunicauit, cogens absoluere, libertatem ecclesiæ minuens, res intra ecclesiam capiens, vt peccat.*

17 *Ecclesiæ immunitate qui gaudent. & seqq*

18 *Iudex extrahēs quē ab ecclesia, approbās falsitatem officiarij, negans dānato confessionē vt peccat. & seq.*

19 *Ecclesiæ immunitate gaudet regulariter omnis Christianus tantum, & non alij. & seqq.*

24 *Iudex partibus æquales aduocatos, nō assignans, non visitās carcerē, exci-*

municatum admittens clericum suo iudici non reddens, iudicãs die festo, iura nimia exigens, singẽs quo sicumnam adeat procedẽs sine accusatore, vt peccat. & seqq.

16 *Iudex non inquirens generaliter, interrogans, & inquirens specialiter, vt peccat.*

17 *Homini terrarum culturum à Sarracenis ex decimantibus hoc agant.*

12 Dicendum, quòd peccat mortaliter primò iudex petens, aut suscipiẽs munus gubernadi, aut iudicandi, quo ita est indignus, vt sit verisimile inde notabile aliquod dãnum proximo euenturum per c. nõ est putanda. 1. q. . & ea, quæ late adduximus in prælect. c. si quando. excepti. 12. cũ trib. seq. & in c. inter verba. concl. 1. ponendo exemplũ de eo, qui noscens se contra potentes sententiam ferre non ausurum, iudex efficitur, contra c. 7. ecclesiast.

Secundò peccat, qui sciens, aut scire debens, tententiam iniustam fert: aut iustã ferre negligit amore, odio, precibus, metu, vel alia de causa c. si quis dixerit. cap. quatuor. 1. quæst. 3. cum obligatione restituendi, non solum principale, sed omnes impensas, damnum, & interesse, quæ ex eo consequuta fuerint. cap fin. de iniur. siue appeller, siue nõ. glo. cap. pastoralis. §. quia vero. de offi. deleg. communiter recepta: nisi consentiat in sententiam animo remittendi debitum, de quo intelligi potest Medin. in C. de restit. q 3. caus. 7. in fi. Et si est ecclesiasticus, & tulit eam etiam cõtra conscientiam, ipso facto est suspensus: & irregularis, si antequam absoluatur ab ea, celebret. c. 1. de re iud. lib. 6.

Tertiò peccat, qui pecuniam accipit vt bene, vel malè iudicet, aut vt iudicare omittat. cap. iubemus. cum 4. seqq. . q. 1. cum eadem obligatione restituendi (vt dictum est in cap. 17. nu. 28. cum seqq.) ea, de quibus in §. præcedenti: & etiam quod accepit, si pro bene iudicando accepit, iuxta distinctionem positam supra cap. 17. num. 33. Adde extrauag. quæ incipit, *Ab ipso*. Gregorij XIII. quæ innouat extrauag. 1. de sent. excom. inter communes: in quam latè nuper cõmentari fuimus.

13 Quartò peccat, qui iudicat aliquid esse iustum, vel iniustum, etiã si re vera sit tale, sed non habet in id iurisdictionem, eo quod reus est exemptus, licet aliquado contra eũ ordinatio concedatur. cap. 1. de priuil. lib. 6. quod Conc. Trid. sess. septima, cap. 14. de reform. innouauit, & ampliauit in hæc verba: *In causibus causis mercedum, & miserabilium personarum clerici seculares, aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem à sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis verò si ipsum iudicem non habuerint, eorum locorum ordinarii tanquam in hoc ab ipsa sede delegatis conuenti, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint, priuilegiis, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.*

Quintò peccat, qui iudicat etiam rectè, sine tamen probatione sufficienti: siue quia testes sunt suspecti, vel iniustè torti, aut nõ vidit saltem mediocriter processum, aut probationem legitimam non admisit. S. Thom.

Thom. 2. 2. quæstio. 60. art. 3. & 6. addens peccare quoque eum, qui probationem maiorem necessaria exigit. Pro quibus omnibus sunt c. ira. 11. quæst. 3. & cap. 2. de probat. & cap. ad nostram. 3. iuncta glo. antepẽ. de iureiur. Et qui ordinem iuris non seruat, procedendo sine libello, aut sine contestatione litis, vbi sunt necessaria, aut sine dilationibus necessariis, aut superfluas concedendo: non admittendo iustas exemptiones, aut iniustas admittendo. clem. sæpe. de verbo. signifi. interrogando ea ad quæ pars: respondere non tenetur, glo. magna, cap. 2. de confess. lib. 6. Et qui in sentẽtia aliqua clausula obscura vtitur, qua condemnatus aliquo tempore se contra iustitiam defendere possit. Et qui appellationem, aut recusationem, quam non debet, admittit, vel cõtra quam debet, non admittit, præsertim propter preces, aut munera. quod est peccatum quotidianum. S. Anton. 3. part. tit. 9. cap. 14. §. 2. aut differt sine iusta causa expeditiones iudiciorum 14 petitorum. Et qui propter pietatis famam pœnam absque facultate id faciendi remittit totam, aut partem, aut eandem auget, vt seuerum se ostendat. S. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 4. Alexan. 3. part. de leg. iudic. quantum ad personam iudicis. q. 4. art. 4. S. Anto. 3. part. tit. 29. cap. 1. §. 7. non faciendo ea in ipsa sententia, vel faciẽdo ea, sed sine iusta causa, & probatur per l. respiciendum. ff. de pœn. & l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de iis, qui not. infa. Dec post alios in cap. at si. §. de adulteriis. de iudic. vbi latius diximus: & quamuis qui superiorem non habet, totam pœnam, aut illius partem remittere possit, aut mutare corporalem in pecuniariam, si videt illud in honorẽ Dei, aut in vtilitatem reipu. cessurum: vt cum reus vtilis est populo. l. ad bestias. ff. de pœn. & Alexan. vbi supra: & etiam si videt nullum inde damnum publicum emergere, de consensu partis aduersæ, si tamen præuidet, vel præuidere debet, occasionem delinquẽdi per illud præberi, quæ vt plurimum præbetur ignoscendo homicidis, latronibus, iniquis iudicibus, & id genus aliis, grauiter peccat: quamuis pars aduersa in id consentiat. Caiet. in sum. verb. Iudicis peccata. Et qui sententiam superioris exequitur, sciens eam nullã esse, & irritam, siue quia errorem contineat intolerabilem, siue manifestã iniustitiam. gl. recep. cap. pastoralis. §. quia vero. de offic. deleg. Alex. Alen. 3. par. tract. de quinto præcepto. memb. 1. art. 4 circa fin.

15 Dixi, *sciens nullã esse*: quia validam licet (iniusta sit) exequi potest, postquam procurauerit ne exequutioni mandetur, per dictum. §. quia vero. & supradicta. Et qui iubet aliquem sine iusta causa comprehendi sicuti supradictum est ca. 15. nu. 14. Et qui sine iusta causa omittit condẽnare victum in impensis petitis à victore. c. calumniam. de pœn. l properandũ. §. sin autẽ alterutra. C. de iud. ũt qui ignorans ea, quæ ad iudicandũ sunt necessaria, quem debet, nõ consulit. Qui autem assessorem habet: & quẽ debet consulit, & eius consilium sequutus malè iudicat, non peccat: assessor autem & consultor sic, cum obligatione restituendi. cap. statutum. §. assessorem. de rescrip. lib. 6.

Pan.& Anto. in cap. tua nos. de homicid.& Dec.post, & ante alios in l. consilij.ff.de reg.iur.Et qui mortali odio,malóue animo, aut fine (licet alioqui iuste) aliquem damnat morte,mutilatione, vel alia pœna, per.c. cum minister, 11.quæstio.5.& multa ibi per nos nuper adducta, quamuis non teneatur restituere, secundum mẽtem vtriusque.Tho.2.2. quæstio. 40.art.1.

Adde,quòd Conc.Trid.sess. 12. c. 1. de refor. sic circa hæc statuit , *in causis visitationis , & correctionis , siue habilitatis , & inhabilitatis , necnon criminalibus ab Episcopo , seu illius in spiritualibus vicario generali ante definitiuam sententiam ab interloquutoria , vel alio quocunque grauamine non appelletur.* Circa quod nota primò, consonare illud iuri antiquo quo ad causas visitationis,correctionis,habilitatis, & inhabilitatis, per cap.licet.de offic.ordinx. cap. reprehensibilis. de appellatio. cum eis annotat.

Nota 2.quòd dissonat illi, quo ad causas criminales:& videtur solum esse locus ei in criminalibus , quæ tractantur coram episcopo, & vicario generali eius,& non in eis , quæ tractantur coram inferioribus , vel delegatis à Papa,legato, vel episcopo. Tum quia proœmium illius habet id statui in auctoritatem episcoporum , quo libentius resideant in suis episcopatibus. Tum quia verba sæpius repetita solum loquuntur de episcopis, & vicariis eorum , & non quibuscunque,sed tantum generalibus. Tum quia est ius correctorium, & nouum , per quod non recedimus ab antiquo , nisi quatenus in eo exprimitur. l. præcipimus. C de appellat.

Nota.3.quòd iura remouentia appellationem in aliquot casibus , & admittentia regulariter in omnibus iuxta glo.sing.in l. qui restituere. ff. de rei vend.solum procedunt in foro exteriori , quia in interiori iudex,qui grauat,peccat non admittendo appellationem , vel alia via grauamen non remouendo; siue sit casus,quo liceat appellare, siue non, arg.l.3.ff.de appel.&cap.ad nostram. eo.tit. Qua in re quamplurimi litigantes,& aduocati, ac procuratores eorum,passim grauissimè peccãt cũ obligatione restituendi.

Nota 4.quòd ad hoc vt iudex peccet,non admittendo appellationem, & pars appellando , non requiritur, quòd sententia sit iniusta,secundum acta : sed sufficit quòd credatur esse ipsa re iniusta, & per agẽda de nouo possit monstrari esse talis,arg. cap. per tuas. de sent. excom. & c. solet. eo tit lib.6.

Sextò peccat mortaliter,qui peregrinos,viduas,pupillos , & alias miseras personas negligit notabiliter præferre aliis in iure sibi reddendo. cap.regum.23. q.5.Richar.in 4. dist. 15.attic.5.q. 4. Et qui iudex secularis mandatis Papæ, aut aliorum prælatorum non paret,aut eorum excommunicationes,aut interdicta, vt debet,nõ seruat.c.2.de maior.& obed. & c.1.11.q.3.

16 Septimò peccat,qui cogit , aut præcipit tẽpore interdicti celebrare, aut ne denunciati excommunicati à diuinis officiis egrediantur , & est excommunicatus.clemen.grauis.de sentent. excom. Et qui vi , metu ve absol

absolutionẽ extorquet , aut excommunicationem aut interdictũ reuocari facit.ca.1.de his quæ vi,met.lib. 6. Et qui facultatem facit comprehendendi , aut vexandi iudices ecclesiasticos in personis,aut bonis,eo quod contra ipsum censuras tulerunt , vel suo iussui non paruerunt. cap.quicunque.de sent.excom.lib.6. de qua infra cap.27.nu.99.

Octauò peccat,qui prohibet subiectis ne vendant , vel emant ab ecclesiasticis:& est ipso facto excõicatus.cap.eos.de immuni.eccles.libr.6. Et qui cõpellit vt bona immobilia, aut iura ecclesiæ subiiciantur laicis, aut ad eosdem transferantur.ca.2.de reb.eccl.nõ alien.libr.6.Et qui iubet capi cruces , ornamenta , libros aut alia ecclesiæ bona.c.indigne.12.q.1. 17 Nonò peccat, qui extrahit , aut vult , vel iubet extrahi per vim ex loco sacro eos , qui ad illum confugerunt , per c.definiuit.c.si quis contumax.& ca.reum.17.q.4.& multas leges regias citatas à Don Remigio à Gogni Pampilonen.libro de immunit.eccles. & per leges Lusitaniæ circunspectissimas.Pro cuius rei notitia dico quatuor.

Primum,quòd per locum sacrum hoc in loco intelligitur quælibet ecclesia,capella,basilica,eremitorium, & quodlibet aliud sacellum , pro missa dicenda, episcopali authoritate constructum,sine qua destrui non potest, iuxta mentem Card.cons.11. & dictum Remig.vbi supra ampl.1. 2.& 3 Cœmeterium item , quod est locus per episcopũ sepeliendis mortuis sacratus:siue sit continuum,siue contiguum ecclesiæ,siue ab ea separatum , capitul.quisquis.17.quæst.4. Dormitorium item commune clericorum,& religiosorum, argu.capi. cum pro causa.de sent.excom. Et ianua,& porticus ecclesiæ , aut cæmeterio adnexa,d.ca.si quis contumax. Panorm.in ca.pen.de immun.eccles. Claustrum item, & pauimentum,licet spacium plusquam 30. passuum 18 contineat, ex Remig.vbi supra ab ampliat.5.vsque ad 15. Domus itẽ episcopalis , quamuis ab ecclesia seiuncta sit,capitu.id constituimus.17. quæst.4. Innocent.& communis , in d.cap.inter alia , de immunit.eccles. Domus etiã ecclesiæ ad habitationem clericorũ intra 40.aut 30 passus constructæ , aliàs non,nisi alicui capellæ adnexa essent,d.ca.quisquis. Spatium item 40.passuũ in circuitu ecclesiæ maioris , & 30. in circuitu ecclesiarum minorum cap.sicut antiquitus.& dict.cap.quisquis.17.q.4. vt affirmat Oldrad.consil.55.& Fel. in d.ca.cum pro causa.Admonemus tamen nullo in loco hoc seruari,nisi quoad fines cœmeterij , foriũ,claustrorum , graduum : & sic videmus plus obseruari opinionem, quam ridet ibi Oldrad.quam suam. Hospitale item episcopali authoritate cõstitutum,Panormi.in capi.pen.col.2. de immunit.eccles. Et presbyter qui defert sanctum sacramentum extra ecclesiam,Hothens.& communis in capite sane. de celebr.missarum. & Remigius vbi supra amplia.18. Cardinales etiam hoc priuilegio vtuntur : quod tamen nullo iure scripto probatur, quamuis fortè sic nõ scripto consuetudinis. Andr. Siculus de præst. Cardin.quæstio.9.part.1.& à fortiori eo vtentur Imperatores, Reges,& ipsorum Regiæ , quamuis

non

Universidad de Deusto

non ipsorum statuæ, neque domus aliorum magnatum, nisi priuilegio donatorum. Remig. vbi sup. ampliat. 21. In vrbe tamen nulla ecclesia vtitur hac immunitate aduersus iudices etiam seculares Papæ, licèt domus Cardinalium cum certo ambitu, & legatorum regum, & rerumpublicarum ea gaudere videamus.

19 Secundum, quòd hac immunitate gaudẽt omnes, & soli Christiani liberi, qui ad prædictum locum sacrum, siue ob delicta, siue ob debita confugiunt. d. c. inter alia. vbi Panormit. nu. 4. & Remig. vbi supra. Et etiam serui ob delicta, quæ grauissimè à iure puniri possunt, cõfugientes, aut ob sæuitiam dominorum, aliàs non: & ideo suis dominis reddi debent, præstita tamen cautione saltem iuratoria, de non sæuiendo in eos, iuxta Pan. & communem in d. cap. inter alia.

Tertium, quòd ex hoc infertur, hac immunitate gaudere excommunicatos, interdictos, & suspensos iuxta Imol. Bonif. & communem in clem. 1. de pœnit. & remiss. quia non excipiuntur à regula prædicta. Et eadem ratione, qui de licẽtia custodis carceris, vel sine illa, etiam violato iuramento de non egrediendo è carcere, confugit: quia licet teneamus cum gl. singul. clemẽ. pastoralis. verb. per violentiam. de re iud. quòd iustè in carcerem coniectus exiens à carcere, præstito iuramento de redeundo, teneatur redire, per vim tamen educi non potest. Stepha. decis. capell. Thol. 422. & etiam qui violato carcere confugit. Et qui comprehensus per locum sacrum ducitur, Nicol. Boër. decis. 100. col. communis contra Archid. in capi. sicut 1. 17. quæst. 4. etiam si iam damnatus ad supplicium ducatur: quia iam est intra eam receptus: & à fortiori, qui à iustitiæ ministris fugiens in eam est ingressus, Remig. vbi sup. fallent. 31. Gaudet etiam percutiens clericum, aut occidens, & consequenter omnis sacrilegus, qui in loco sacro non committit, quicquid relati per Remig. fallẽ. 32. & 34 dicant sine textu, & iuxta rationẽ, cum à regula prædicta non inueniantur excepti. Exules item, siue banniti, etiam ita, vt impunè occidi possint: & obligatus ad reddendas rationes: & mercator, qui decoxit, aut fidem fefellit: & qui transfugit ad hostes quicquid dicant relati à Remigio, & quos ipse sequitur fallẽt. 37. & duabus sequen. modo non delinquant in ecclesia, neque alia delicta excepta committant: quia non est textus, nec vlla ratio firma, quæ eos à prædicta regula excludat.

20 Quartum, quòd non gaudent hac immunitate ludæi, mauri, pagani, hæretici & alij infideles, nisi quãdo confugiunt, vt vere fideles efficiantur. l. 1. cum glos. C. de his, qui ad eccles. confu. Nicol. Boër. decis. 100. neque blasphemus, iuxta Nicolaum Boërium in d. decis. 100. & alios quos refert & sequitur Remig. vbi supra fallen. 24. Quod nostro iudicio non probatur, per rationes dicti Nicolai male digestas: cum (quidquid ille dicat) certum sit, blasphemum, quatenus tantum talis est, non esse hæreticum, iuxta vtrunque Tho. recep. 2. 2. quæst. 13 artic. 1. & si vna cum blasphemia hæresi tenetur, non quidem qua parte est blasphemus, sed qua parte

parte est hæreticus, & infidelis, desinit gaudere hac immunitate. Non item gaudet viarum grassator, neq; nocturnus segetum, & aliorum fructuum vastator, capitul. inter alia. de immunit. eccles. Neque qui occidit, mutilat, vel aliud graue crimen in loco sacro admittit, ea ti. de immun. eccles. iuxta communem, quam copiosè tractat prædictus Remig. quia à prædicta regula excluduntur per iura præcitata. Nec refert, an delinquant cum spe immunitatis, an sine illa, secundum Panorm. in d. cap. fin. Quod quamuis sit contra communem in theorica, est tamen in praxi recepta, secundum Stephan. in decis. 422 cepell Tholos. quod Lusitania non seruat, cuius leges ita distinguere videntur lib. 2. ordin. titul. 4.

21 Neque qui insidiosè occidit, aut animo occidendi percutit, iuxta cõmun. dicto cap. 1. de homicid. contra Panor. quam prædictus Remig. copiosè refert, vbi supra fall. 11. & duabus seq. quamuis sic, qui absque tali animo percutit, secundum ius commune. Sed iuxta leges Lusitaniæ vsu receptas, nemo qui alium de proposito, vel in duello occidit, aut percutit, hac immunitate gaudet. libro 2. ordin. titul. 4 & §. 3. Nemo item ea gaudet, qui ex ecclesia alterum extra ecclesiam existentem percutit, neque contra, qui existens extra illam, existẽtem in illa percutit, iuxta Panor. & communem, in d. capit. fin. quia in ecclesia dicitur delinquere. Neque qui existens intra ecclesiam iussit extra ecclesiã delictum fieri, quo ad delictũ, quod iubendo committit: quia in ecclesia patratum fuit, quamuis sic quo ad delictum patratum ex iussu suo, Remigi. vbi supra fallẽ. 5. Neque qui eum, qui in ecclesia erat, per vim extraxit, saltẽ per vestes trahendo: quia in ecclesia deliquit. Neque qui extrahi eum iussit, quo ad delictum, quod in hoc commisit: quamuis sic quo ad delictum, quod interficiendo, aut percutiendo, post eum extractum, committerer Remig vbi supra, à fallẽt. 4. vsque ad 11 quia hoc extra, & illud intra commissum est. Neque qui sponte egreditur, iuxta Hostien. & communẽ in d. c. fi. Neque is, quem Papa educi iubet. capit. vxor fœlicis. 22. 16. q. 4. Neque personæ ecclesiasticæ, iuxta Panorm in d. ca. fi. vsu receptum. Quod videtur limitandum quo ad iudicem ecclesiasticum, non autem quo ad iudicem secularem, quem arbitror non posse extrahere ab ecclesia clericum in minoribus cõstitutum, etiam ob delictum, licèt quo ad illud post conc. Trid sess. 23. ca. 6. habeat in eum iurisdictionem. Neq; qui ex ecclesia iniuste defendens, pugnat: quia intra ecclesiam delinquit. Neque qui prope ecclesiã delinquit, animo ad eam cõfugiendi, iuxta Hostien. in sum. de immun. §. in quantum. nu. 8. & alios quos refert, & sequitur Remigius vbi supra fallẽ. 2. quamuis quo ad Lusitaniam, nihil refert, prope ecclesiam, aut lõgè delinquat: sed an casu, aut data opera id faciat. lib. 2. ordin. tit. 4. §. 3. neque etiam secundum ius commune, nostro iudicio. Tum quia, non est textus, qui ita distinguat. Tum quia, supra proximè sequuti sumus opinionem Panormitani dicentis, nihil referre, an qui in ecclesia delinquit, id faciat cũ spe immunitatis

eius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius,vel sine illa. Neque etiam gaudet, qui ab ecclesia sponte egreditur,licèt subdolis aliquorum verbis deceptus: quàuis qui promittit reddere ecclesiæ,aut eiusmodi dolis vtitur, (siue sit iudex,siue alia persona particularis)ad fidem seruandam tenetur,vt videtur æquius, iuxta relata per prædictũ Remigium vbi supra fall.25. Neque qui comburit,aut deiicit ecclesiam: quia in ea delinquit.c.fi.de immuni.eccles.quidquid dicant relati à Remig.vbi sup.

23 Decimò peccat mortaliter qui consentit suis officiariis aliquo dolo,vel falsitate in notabile partium damnum vtentibus:quia facientes, & consentientes, &c.cap.1.ad Rom. c.1.de offic.deleg.& clemẽ.2.§.notarij de hæretic. aut nõ seruat consuetudines, & statuta, quæ se seruaturum iurauit, si sint licita, possibilia, & non derogata saltem per consuetudinem contrariam.capi.1.de iureiur.lib.6.

Vndecimò peccat, qui damnato ad mortem non permittit locum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ ab eo petitum, nec contraria eum consuetudo excusat, cle.1.de pœnit. & remiss.idem esse de sacra communione tenet ibi gl.communiter recept.quam latè Rauennas defendit in tracta.incip. Valete,in fine alphabeti aurei:quæ tamen in Gallia non obseruatur,secundum Stepha.de potestat. eccles. cas. 118 & Robertum Gaguinum in vita Ludouici XI. dicentes negatam fuisse Conestabili Galliæ Ludouico Luceburgensi, quando anno 1475. iugulatus fuit. Neque etiã in Hispania, & quidem non malè nostro iudicio: quamuis prædictus Rauennas cum communi oppositum teneat,vt in d.clemen. pridem defendimus,eo quod ita fieri expedit ob multa: ne exequutio sententiæ criminalis differatur plusquam differri oporteret, si ea condemnato tribueretur. Tum quia irreuerentiæ esset sumere supplicium de aliquo eo ipso die quo communicauit, cum non constet species sacramenti esse digestas. Tũ quia non est tanta ratio cõcedendi hoc sacramentum,quanta pœnitẽtiæ, cui suscipiẽdæ prædicta clem.præcipit dari locum. Est tamen cõsuetudo vrbis (vt diximus in Enchiridio de orat.c. 22.nu.11.) digna maxima Maximorum Pont.prudẽtia,quam orbis imitari deberet, vt damnato ad mortẽ denuncietur sententia post mediam noctẽ,vt liceat ei cõfiteri, & cõmunicare ante quatuor horas, quàm ducatur ad mortem, & (si libuerit) etiam testari:vt iam corrupta tanto temporis spacio panis specie, sine vlla irreuerentia Sacramenti cum magno eius fructu moriatur semper victurus.Amen.

24 Duodecimò peccat,qui coram se litigantibus æquales aduocatos, & procuratores exeis, qui coram se aduocati, aut procuratoris munere vtuntur,non concedit, cum damno notabili alterius partis.l.prouidendum.C.de postula.præsertim personis miserabilibus, quibus interdum etiam nõ petentibus prouidere debet.l.nec quidquam.§.fin.ff.de offic. proconsl. Imo & interdum sine stipendio,scilicet, quando soluere nequeunt, & aduocati sine tali stipendio illis patrocinari possunt. Sylu. verb.aduocatus quæst.18.

Decimo

Decimotertiò peccat mortaliter, qui non visitat carceres,aut nõ procurat, vt in eos coniectis necessaria vitæ suppeditentur cum illorũ damno notabili,arg.l.iudices.C.de episc. aud.& cap.pasce.86.distin.aut in suo iudicio excommunicatum denunciatum admittit in actorem, aduocatum,aut testem, contra superioris iussum, aut iustam partis requisitionem.cap.decernimus.de sentent.excommunic.lib.6.& Innocẽ.in c.1.de offic.ord.Dixi,*Contra eve.*aliàs enim non videretur nobis plusquam veniale, si ex eo damnum notabile alteri non sequatur.

Decimoquartò peccat iudex laicus, qui non restituit statim ecclesiastico captum dicẽtem se esse clericũ, si eum in habitu clericali inuenit, aut manifestò constat eum clericum esse, & est excommunicatus. cap.si iudex.de sentent.excom.lib.6. Dixi,*In habitu clericali.* Alioqui enim nõ tenetur reddere ecclesiastico,donec ei de clericatu constet,d.ca.si iudex.& ibi omnes:nec tunc si est clericus coniugatus,nisi probet, quòd vnam solam, & virginem vxorem duxerit,& habitũ, & tõsurã clericalẽ gestauerit.ca.1.de cler.cõiug.lib.6.

Ad nouè autem quæsitum respõdeo,peccare iudicem laicum capientem clericum, qui vi abstulit ab eo processum, & retinentem donec illum restituat, si post factũ delictum vel in flagranti eum capiat, & non remittat ad iudicem ecclesiasticum infra tempus debitum, per nota.in cap.cum non ab homine.de iudic.à Panor.Aret.Fely.& Dec.qui à nu.10. dilucidius aliis hoc resoluit.

25 Decimoquintò peccat, qui die in Dei honorem feriato testem iurare facit,aut aliquem alium actum iurisdictionis, qui non esset meræ exequutionis.c.1.& fin.de feriis.nisi necessitate excusetur per eadem capitula,& ibi annotata.Et qui accipit plusquam valet cera, & labor sigilli signandi,secundũ Gab.in 4.lib.sent. dist.15.q.6.artic 5.dub.5.litt.R.S.quod non seruatur,nec est verum, vbi est lex,aut cõsuetudo, quæ contrarium induxit,quidquid ille sentit,argu.ca. fin.de consuet.& ca.ad apostolicam. de regula.quidquid ille respondeat.

Decimosextò peccat, qui fingit aliquid,quo eat, aut mittat ad accipiendum testimonium alicuius fœminæ,& est excommunicatus, capi. mulieres.de iud.lib.6. Aut ex officio suo procedit sine petitione partis,ad vtilitatem priuatam, aut etiam publicam, in delictis sine accusatore, exceptis casibus, in quibus id ius permittit, qui sunt multi secundum multos,quos nos quasi ad vnum reduximus in d.c.inter verba.conclus. 6. scilicet quando principaliter inteditur cohibitio malorum futurorum, & materiæ illorũ generaliter.

26 Decimoseptimò peccat,qui cessante iusto impedimẽto omittit visitare, aut inquirere ad noscendum delinquentes, & delicta sui territorij,& illud eis expurgandi arg.l.congruit.ff.de offic.præsid.& c.1.de offi. ordin.cum annotat. Et qui in huiusmodi visitatione,& inquisitione generali interrogat quẽquã speciatim, an ille, vel ille, illud,ãt illud delictum fecerit.Et qui generaliter edicit, aut speciatim adiurat quemquam, vt notũ faciat sibi quidquid scit,siue sit occultum,siue publicum,

quia

quia non debet velle, vt quidquid scitur sibi dicatur, sed solum illud quod est notorium, vel famosum, per dicta supra cap. 18 nu. 59. Et qui procedit per viam inquisitionis contra aliquem particulariter; vel interrogat de sociis, contra supradicta cap. 18. nu. 58. Aut facit, vel consulit aliquid eorum in quibus supra eodem, reges, & monarchas mortaliter peccare dictum est.

27 Ad noue autem quæsitum respondeo, Dominos terrarum in quibus prognati à Saracenis degũt, & omnes reditus ecclesiasticos capiũt, teneri ad dandam congruam sustentationem parochis ecclesiarum, arg. cap. de monachis. de præbend. & ad denunciandum sacrosanctæ Inquisitionis officio eos, quos nouerint cęremoniis mahometicis vti, per mandata Inquisitorum, quæ in hoc sæpe fiunt.

De peccatis Aduocatorum, & Procuratorum.

SVMMARIVM.

28 *Aduocatus, vt mortaliter peccat: necessaria ignorans, aut fouens litem iniustam. Aut est in causa, quod aduersarius suam iustam causam perdat. Aut ob nimias dilationes, & illicitas subornationes testium, notabiliter illi officit. &c.*

29 *Aut aduersario secreta suæ partis pandit: aut pauperi non subuenit.*

30 *Aut stipendium immoderatum, aut ex eo, quod non debet accipi aduersæ parti fauet: aut de suo stipendio sic, aut sic conuenit.*

29 *Prœuaricator est aduocatus, qui parti aduersæ fauet.*

30 *Stipendium aduocati quale iustum, quando in pactum deduci possit.*

28 Dicendum primo, quod mortaliter peccat aduocatus, qui non existens ad id idoneus patrocinatur l. nemini. C. de aduoc. diuer. Pan. in rub. de postul. Bar. in l. 1. ff. eo. S. Tho. 2. 2. q. ar. 2. & ita peccat, qui sine iuris peritia id facit, nisi ob defectum iurisperitorum id faciat ad tribunal, in quo patrocinatur mediocriter instructus ex libris sermone vulgari scriptis, arg l. certi. C. de iudic. & glo. cap. ad audientiam. de consuetud.

Secundò peccat, qui defendit causam, quam scit esse iniustam, cum obligatione restituẽdi damna parti aduersæ, & etiam suæ, si eam id non admonuit, arg. cap. 1. ad Rom. & cap. 1. de offic. delega. Et qui licèt nesciat eam omnino esse iniustam, magis tamen reputat esse iniustam, quam iustam. Anton. Butr. in cap. breui. de iureiur. Et qui à principio credit iustam, & nõ desistit, postquam nouit nõ esse talem: quia quamuis aduersario id indicare non debeat, neque secretum detegere, à patrocinio tamen suæ partis desistere debet, ei suam sententiam declarare, immo & inducere eum ad cõcordiam honestam S. Thom. 2. 2. quæst. 71. arti. 1. Quamuis si causa est dubia ob varietatem opinionum magnorum virorũ, aut ob diuersos intellectus legis, qua est decidẽda, poterit ad finẽ vsque sine peccato prosequi, si pars sua id admonita voluerit. Sylvest. verb. aduocatus. q. 10.

29 Tertiò peccat, qui notabili sua negligentia, aut ignorantia, partis suæ causam iustam perdit, cum obligatione

gatione ad dãna & interesse. l. idem iuris. §. 1. ff. ad l. Aquil & Host. in c. calumniam de pœn. si pro doctore se gerit, & pars eius ignorãtiam ignorat: aliàs secus, nisi sit in dolo, vel lata culpa, iuxta mentem Inno. in c. sicut dignum. de homic. quem ad hoc applicat Syl. verb. aduocatus. q. 24.

Quartò peccat, qui facit aliquid quo causam iustã aduersarius amittat: aut infert ei aliquod damnum notabile, petendo superfluas dilationes, dando, aut subornando partem, aut testes, ne verum fateantur, aut id genus aliis modis, cum obligatione restituendi omnia damna. & interesse. Host. in d. c. calumniam. communiter recept. Et qui facit præsentari instrumentum, aut testes falsos, aut allegat iura falsa, aut asserit aliqua, quæ scit esse falsa, summa confess. lib. 2. titu. 5. quamuis possit prudenter occultare, & tacere id, quod ius suæ partis impedire potest. glo. c. ne quis. 22. q. 2. & honestè simulando suum aduersarium fallere. glo. c. dominus 23. q. 2. absque tamẽ mendaciis, arg. d. c. ne quis.

Quintò peccat, qui aduersario indicauit secreta notabilis momenti suæ partis. l. 1. §. si is qui. ff. ad leg. Corn. de falsi. cum obligatione restituendi damna. Et qui non subuenit pauperi in extrema necessitate sui auxilij constituto, eo quòd ex defensione illius causæ vita ipsius aut suorum pendet, c. pasce. 86. dist. & aliàs non, per dicta supra c. præced. & sentit S. Tho. & declarat. Caiet. 2. 2. q. 71. art. 1. Quia non tenetur magis ad faciendam eleemosynam de sua arte, quam diues de suis bonis, quidquid dicat Host. de pœnit. & remiss. §. quibus. versi. quid de aduocatis. Ang. Ros. & Syl. verb. aduocatus. q. 16. in suis summis.

30 Sextò peccat, qui stipendiũ exigit de eo, propter quod non debetur, vel notabiliter maius debito pro patrocinio, c. non sanè. 14. q. 5. Peccat etiam qui patri aduersæ publicè, aut secreto fauet quod est prœuaricatorẽ agere. l. 1. ff. de prœuarie. adiuncta doctrina Bar. ibidem. Stipendium verò, siue honorariũ moderandum est iuxta magnitudinem causæ, & laboris, & scientiæ, & consuetudinis regionis. l. 1. §. in honorariis. ff. de var. & extraor. gl. c. non liceat. 11. q. 3. Conuentio autem nõ est facienda in medio litis, sed in principio, vel fine. c. infames. §. præterea. 3. q. 7. quamuis verè iusta sine vi, & scandalo facta, non videtur peccatum, saltem in foro cõscientiæ: quia in ea cessat præsumptio, qua in hoc casu nititur forum exterius, arg. not. in c. is qui. & c. tua. de sponsi.

Septimò peccat, qui conuenit, de quota parte litis, puta dimidia, aut tertia, aut quinta, aut decima, contra l. sumptus. ff. de pact. l. litem. C. de procur. & §. arcentur. 3. quæst. 7. quibus id vetatur, ne præbeatur occasio, volendi per fas, & nefas vincere. Idem si paciscatur, vt victa ea tantum sibi soluatur glo. l. sumptus. ff. de pact. quamuis sine peccato conuenire potest, vt sibi certa quantitas iusta pro sua labore soluatur, siue vincat, siue non. iuxta cõmunem in dictis legib. immo & de certo aliquo palmario sibi dando, præter stipendium, si vicerit, iuxta Alex. in d. l. 1. ff. de var. & extraor. modo sit moderatum, iuxta Salic. in d. l. litem.

De peccatis Accusatoris, Denunciatoris, & Custodis.

SVMMARIVM.

31 *Actor aut accusator, vt peccat mortaliter, mouens, aut prosequens litem iniustam, aut ob malũ finem: sententia iniusta vtens, discedens à lite, aut falso iurans, mentiẽs etiam pro iusta lite, non accusans, iurans non accusare.nu.3.*

33 *Denunciator, vt mortaliter peccat denunciando, quod, aut quo fine, vel modo non debet, aut non denunciando, quod debet.cum exemplis.*

33 *Denunciator secum, & cum alio teste probat.*

34 *Custos apparitor, & Alterius, vt mortaliter peccant, non accusando inuentum, aut damnũ non intimando, aut non restituendo hoc, & hoc.*

31 DE iis dicimus primo quod peccat mortaliter, qui accusat aliquem in iudicio criminis falsi vel petit debitum falsum, cum obligatione restituendi omnia dãna inde sequuta.c.calumniator 2. q.3.cap. calumniam. de pœn.c.fin. de dolo & contu. aut ignoranter, sed simul ac nouit illud esse falsum, non desistit, arg.c.si quem.2.q.3.& qui etiam post definitiuam sententiam pro ipso latam nouit suam causam iniustam fuisse, & nõ restituit, quod per illam accepit, Inno. in c. quia plerique. de immu.eccl.communiter recept.

Secundò peccat, qui accusat aliquem veri criminis, vel petit verum debitum, animo tamen, vel fine malo mortaliter, sed non obligatur ad restituendum cap. cum minister. 23. quæst. 5. cum ibi à nobis late notatis. Dixit, *Mortaliter*: alias enim tantum venialiter peccaret, Ang.verb. accusatio.§.4.

Tertiò peccat, qui post citatam partem, nõ renunciata lite procurat eam suspendi cõtra voluntatem aduersarij, argu. cap. prout.de dolo & contu.auth.qui semel.C.quomod. & quando. Aut deserit causam spiritualem contra ius, argu.c.super eo. cum glo.de cogn.spirit.

23 Quartò peccat, qui paciscitur, aut trãsigit in causa criminali adulterij, vel alius criminis, in qua pœna sanguinis non est imponenda.l. transigere.C.de transact.iuxta communem intellectum: quamuis nostro iudicio, si ex eo damnũ reipub. aut proximi non sequeretur, in foro conscientiæ non esset mortale: quia causa principalis, quare id vetatur, videtur esse damnũ, vel scandalum publicum, quod inde nascitur:& ita cessante illa, videtur cessare prohibitio.c. cum cessante. de appel. In omnibus autem casibus esset mortale, si transactio fieret interueniente periurio, vel mendacio perniciosõ, S. Tho. vbi supra q.68.art.3. & etiam si ob discessionem à lite iniusta quidquam accipit, cum obligatione restituendi, iuxta notata in c.dilectus.1.de simon.

Quintò peccat, qui ad obtinendum in causa iusta iuramentis, instrumentis, vel testimoniis falsis vtitur, sine obligatione restituendi S. Tho.2.2.q.71 art.3.ad 3.

Sextò peccat, qui omittit accusare aliquem, cuius delictum in magnum damnum spirituale, aut temporarium reipub.redundat, & alias id impediri non potest S. Tho.2.2.q. 61. art. 1. quod plurimum commendat ibidem Caieta. Idem de eo, qui iurat, aut promittit non accusare de peccato mortali nondum patrato, aut eum iniuste accusare. l. si vnus. §. pacta. & §. illud. ff. de pact. Dixi, *Nondum patrato*: quia secus de patrato, dicto §. pacta gloss.cap. quemadmodum. de iureiur.Sylu.verb. accusatio.q.6.

33 Septimo peccat, qui denunciat, quod non debet notabiliter nocendo, vel quãdo debet, intentione mortali.S.Tho.2.2.q.33 art.2. aut omittit denunciare tractatũ criminis committendi in damnum spirituale, aut corporale, publicum, aut priuatum, vt proditionis, coniurationis, hæresis, aut aliorum similium, quamuis esset secretus, & iurasset se non denunciaturum. Inno. in c. qualiter.1. de accus. & Panor. in c. dilectus. de excess prælat per adducta in d. c. inter verba.conclus.6.Idem si non denunciat alia delicta pernicioſa soli auctori, à quibus per correctionẽ fraternam non respiscit, modo ea probare possit, vt in eadem concl.6. Dicitur autem posse probare, si habet vnum testem integrũ: quia denunciator in hoc iudicio locum alterius testis tenet.c.in omni.de testib.

34 Octauò peccat, præfectus custodiæ vrbis, qui iurans se accusaturum, quos post sonum campanæ inuenerit, nõ accusat: quia frangit iuramentum iustum, c. si vero. de iureiur. quamuis sine obligatione restituendi pœnas, quas accusati incurrissent, iuxta S. Bernardũ, quem citauit Sylu. verb. restitutio. 3. q. 5. vers.7.& ex dictis in c.23.num.40.& 62.deduci potest:neque etiam quod recepit, ne accusaret, tenetur ad necessario restituendum, iuxta opinionem, quam sequuti sumus supra c. 17.nu.32.& seq. quamuis si videt aliquem aliquod damnum facientem, & ei, qui damnum accepit non indicat, contra id, quod iurauit, aut promisit ratione sui officij, non solum peccat mortaliter, sed etiam ad sarciendum damnum tenetur, Sylu. vbi supra. Idem videtur dici posse de custodibus, & de præfectis circa importandas, & exportandas merces in confinibus regnorum, prouinciarum, & ciuitatum, qui permittunt exportari, vel importari vetitas, scilicet peccare mortaliter, & esse periuros, nec absolui posse, sine firmo proposito nunquam id amplius permittendi: sed non tenentur ad restituendũ pœnas, quas soluissent transgressores, si denunciati fuissent: neque bona, quibus ob id priuarentur. quamuis tenerentur ad restituenda vectigalia, quæ importatores, vel exportatores deberent: quia hoc non est pœna, sed interesse: faciunt infra dicenda, de teste falso nu.40.

De peccatis Rei accusati, & inquisiti.

SVMMARIVM.

35 *Reus carceratus per iniustam causam se defendens, vt peccet.*

35 *Reus iuridice interrogatus veritatem, eam negans, vt peccet nu.36.*

36 *Confessarij cauerent ne reos vitam aut animam perdere faciant.*

37 *Reus non detegens socios, aut non hauens excommunicanti, vt peccet, nu.38.*

38 *Confiteri an debeat, qui negauit, & damnatur.*

39 *Reus defendendo se mendacio, aut à iusta sententia appellans, vt peccat.*

35 Dicendum, quòd peccat mortaliter primò reus, qui scienter suscipit defendendam aliquam litem iniustam, aut non desistit ab eius defensione, postquam sciuerit eam iniustam, cum damno notabili aduersarij argu. c. sæpe. de rest. spol. adiuncto c pœnale. 14. q. 5.

Secundò peccat mortaliter, qui interrogatus à suo iudice seruato iuris ordine, non fatetur verũ, etiam si sit crimen morte plectendum, secundum S. Tho recept. 2. 2. q. 69. ar. 1. Gab. in 4. lib sent. dist. 15. q. 6. art 2. vt latius tradimus in cap. inter verba. concluſ. 6.

36 Dixi, *Seruato iuris ordine*: secundum quem tria in hoc requiruntur, Primum, vt delictum sit notorium, famosum, aut semiprobatum, quod cõtingit, quando est vnus testis oculatus, & omni exceptione maior, aut vnum indicium, vel plura illi æquipollentia, vt sentit Bar. in l. fin. nu. 7. ff. de quæst. Secundũ, vt probatio sit iam posita in processu. Tertium, vt sit reo notificata, quo videat se ad obediendum mandato iudicis teneri, secũdum vtrunque Tho. 2. 2. q. 69. art. 1. & 2. tunc autẽ adeo obligatur, vt à cõfessario non sit absoluendus, nisi proponat illud cõfiteri. Nam, vt recte ait Sor. lib. de ratione tegen. memb. 2. q. 7. talis reus in non confitendo peccat, neque eum peccati pœnitet, immo in eo perseuerat: & consequenter veniam non meretur, nec absolutionem. c. peccati venia. de reg. iur. lib. 6. quæ est singularis, & quotidiana conclusio.

37 Quare diligenter confessarius consideret, ne præcipiendo confiteri inducat reum in iacturam corporis, & in non præcipiendo, in iacturã animæ, vt vbi supra, & c. 18. supra eod. nu. 58 monuimus addendo quid dicendũ de illo, qui confessus suum delictum socios occultos, etiã iussu iudicis detegit, & de illo cui à Prælato præcipitur, vt sub pœna excommunicationis aliqua occulta intra certum tempus reuelet.

38 De fugiente autem è carcere, & nõ implente iuramentũ de redeũdo ad illum, dictũ est supra c. 12. nu. 18.

Ad nouæ autem quæsitũ respondeo, eum, qui rite interrogatus, negauit delictum, quod confiteri tenebatur, & nihilominus damnatus ducitur ad supplicii, nõ teneri ad confitendum illud, nisi notabile aliquod damnum inde alioqui probabiliter sequeretur: quia nullo iure contrarium euinci potest, quũ ad eius animæ salutem sufficiat iusta confessio cum absolutione sacramentali. cap. quem pœnitet. de pœnit. dist. 1.

39 Tertio peccat, qui scies se iuste condemnatum, ad differendum exequutionem appellat, argu. l. 1. ff. de appel. & cap. ad nostram. eo. tit. cum obligatione restituendi omnia damna, & interesse, S. Tho. vbi supra art. 4. & probat c. omnino. c. quicunque. 2. quæst. 6.

De peccatis testium.

SVMMARIVM.

40 *Testis vt mortaliter peccat asserens falsum, & tacens verum.*

40 *Testis dubitãs, & non reuocans suum dictum verum, quod putat falsum.*

41 *Testis iurans se testem non fore, excusans se illicite, absentãs se, vt peccat.*

42 *Testis detegens quod non debet, mercedem accipiens. nu. 45. non parens edicto iubenti testari, sine aliqua edicto excusationum, quibus non se excusat inhabilis, vt peccat nu. 45. & 46.*

43 *Testis quid faciet interrogatus de eo, quod tacere debet.*

48 *Testis, quis tenetur se offerre. & quis non, & quis potest, & non tenetur, nu. 49. & 50.*

49 *Testes quando dicuntur deesse, vt admittantur inhabiles, & cogantur priuilegiati.*

51 *Testis falsè testans, vt non restituit fisco bona quærenda ei si verum testaretur.*

40 Dicendũ, quod peccat mortaliter primo testis, qui iuratus, aut iniuratus verũ esse in iudicio affirmat, quod scit esse falsum, aut dubitat esse verum, aut tacet verum, in notabile alterius partis damnum. Prouerb. 12. & c. 1. de crim. fals. cum obligatione restituendi, iuxta mentem S. Tho. recept. 2. 2. q. 70. art. 4. quia Deum, iudicẽ, & proximum offendit, c. 1. de crim. fals. & quãuis timor iustius à non testificando excusare possit, non tamen à testificando falsè. arg. c. ne quis. 22. q. 2. Dixi, *Quod scit*: quia si mediocri diligentia in reuocanda ad memoriam veritate adhibita errat, non peccat, saltem mortaliter, iuxta mentem eiusdem optime per Caiet. declaratam in d. art. 4. Sed si nouerit errasse, debet suum dictum reuocare, si reuocatio prodesse possit. Potest autẽ prodesse si statim post attestationem, se corrigat. cap. præterea. de testib. cog. & etiam ex interuallo, antequam sententia feratur, saltem ad debilitandum suum primum dictum, iuxta Innoc. recept. ab omnibus, in d. cap. præterea. adeo quod desinet esse testis integer, id est, omni exceptione maior, iuxta Card. in c. veniens. 2. de testib. Quin interdum secundo testimonio, & non primò credetur, scilicet, quando consideratis circunstantiis personarum, causæ, & temporis, iudici videretur non reuocare suum dictum, per subornationem, sed stimulo conscientiæ, iuxta Hostiens. recept. per Anton. & Panor. in dicto cap. præterea. argum. l. 3. ff. de testi. cap. si testes. §. testium. & §. sæpe. 4. q. 3. vt quum (quod est exemplum Panor. in dicto cap præterea.) episcopus probus, & diues diceret aliquid in alicuius plebei lite, & post aliquod tempus elapsum iuratus diceret se per errorem, vel obliuionem ita dixisse: sed si per magnam negligentiam, vel defectu saltem mediocris cõsiderationis dicat falsum, mortaliter peccat, cum obligatione restituendi, iuxta Sanct. Thom. vbi supra. & S. Anton. 2. patt. tit. 1 cap. 19. §. 7.

41 Secundò peccat mortaliter, qui testatur verum, quod credit esse falsum, vel solo timore periurij testatur, per dicta in dicto cap. inter verba. 11. q. 3. conclu. 6. nu. 700. sed sine obligatione restituendi: quia quamuis nocere velit, nõ tamen nocet, & qui iurat non testificari etiã iubente superiore in casu, quo tenetur.

Tertiò peccat, qui casu, in quo ad testificandum tenetur, quo se ab eo excuset, falsò dixit parte aduersam sibi inimicam esse, sciens, aut scire debens, suum testimonium ad seruandam iustitiam necessarium esse,

cum obligatione restituendi. Angel. verb. testis. §.17. Idem de latente: vel absentante se, ne testificetur, vt post Soc. lib. de ratio. regen. membr. 2. q. 7. diximus vbi sup. num. 74. aut se non offerente testem, sciens id esse necessarium ad impediēdum aliquod notabile damnum publicum, vel priuatum, per dicta vbi sup. nu. 702. post S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. etiam si promisisset, vel iurasset seruare secretum.

42 Et qui alienum peccatum secretum detegit, cuius cognitio non est necessaria ad mala, & damna impedienda, quamuis particulariter de eo interrogetur, iuxta eundem S. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 1. maximè, si illud per solam confessionem sacramentalem, vel consultationem didicit, iuxta 43 dicta cap. 18. nu. 51. Quo fit aduocatos, cōfessores, medicos, & alios similes, quibus deteguntur secreta litium, dubiorum, & morborum, peccare testificando de secretis communicatis secreto cum eis: nisi aliunde illa nouerint, vel nisi sint talia, quæ non detecta in aliorum damnum redundarent: nec tunc est detegendum aliquod vltra necessarium: neque quantum est necessariū, si maius ex eo damnum famæ, in eum, qui detegitur, quam in damnificatum bonorum redundat, per multa tradita vbi supra nu. 9. & breuius supra cap. 18. nu. 60. donec concurrant tria supradicta.

Porrò, qui non tenetur ad testificandum, debet dicere iudici se ad respondendum interrogatis nō teneri, quamuis sciret: & si illum cogere velit, appellare debet, si nō timet iudicem in eum sæuiturum: & si hoc timet, respondere potest, se nihil scire, intra se intelligendo, quod dicere tē neatur, vt dictum est supra cap. 18. nu. 61. discedendo in hoc ab eloquentissimo, & doctissimo doctore Genesio Sepulueda lib. de ratio. redden. testi. c. 13. olim condiscipulo nostro, in artibus liberalibus, quem credo non meminisse legere Palud. quia dicit, vsque ad Gabr. neminem hoc dixisse: quum tamen antea ille dixisset, quodque verū esse probauimus in cap. 2. de confess. & in cap. humanæ. 22. q. 5.

44 Quintò peccat mortaliter, qui sciens alium esse in extrema sui testimonij necessitate: quia sine illo vi tam amissurus est, vel ea, sine quibus vita eius, vel suorum probabiliter peribit, nisi se ad id in testem offerat, & non se offert, per dicta in dicto cap. inter verba. concl. 6. Dixi, *in extrema necessitate*. quia ob aliam, quamuis magna sit, sub pœna mortalis non tenetur, nisi eo modo, quo offendens bouem proximi errātem tenetur, vt sup. cap. 24. nume. 17 Non tamen tenetur restituere, eo quod iniussus non se offert: quia lex charitatis, qua se tenetur offerre, non obligat restituere, vt dictum est supra cap. 17. nu. 25. & in Apolo. libri de reditibus, q. 2. monit. 2. & in locis ibi citatis. Secus autem si iussus non testificetur, & ob id aliquis suum ius amittat: nisi timor periculi in quod incurrere posset, eum excusaret, vt supra tactum est: lex enim iustitiæ, qua iuste iussus tenetur testificari, obligat restituetur, vt sæpe dictū est.

45 Sexto peccat, qui mercedem accipit, vt verum testetur, cum obligatione restituendi ei, qui dedit, c. non sanè. 14. q. 5. & qui accipit, vt falsum testetur, testetur, sine tamen necessitate restituendi, nisi de consilio pauperibus, per dicta sup. c. 17. nu. 32. & seq. Omne tamen, quod per suum falsum testimonium alterutra partium amiserit, restituere debet, d. cap. non sanè. Accipere tamen potest impensas itineris faciendi ad ferendum testimonium, & mercedem operatiam dierum, quibus se occupauit in eo, vna cum interesse damni emergentis, & lucri cessantis. cap. si testes. §. venturis. 4. q. 3.

46 Septimò peccat, qui absque causa non paret iudici præcipienti, vt denunciet talia, & talia crimina, vel debita: & est excommunicatus, si mādatum fuit sub pœna excommunicationis latę sententię, teneturque damna restituere. Dixi, *Absque causa*: quia multa excusare possunt, vt copiosius aliis dixi in d. cap. inter verba. concl. 6. tractando de magna prudentia, qua est opus ad rectè parendum eiusmodi mandatis. Quorum primum est, quòd peccatum est occultum, & peccator iam emendatus, aut sola fraterna correctione probabiliter emendabilis: tunc enim nō est parendum ante fraternam correctionem, etiam si præciperet, vt fieret denunciatio, non habita ratione fraternæ correctionis, secundum S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. & S. Anto. 2. par. tit. 9. cap. 6. §. 4. Secundum, defectus probationis peccati denunciandi, vt dictum est supra cap. 10. nu. 61. Tertium, quod à talibus, & taliter audiuit, vt ob id moueri nō debeat, præsertim si denūciaturus esset talis, qui leuitatis ob illam denunciationem notaretur, aut cuius testimonium iudicem magis, quam conueniret, moueret, vt ibidem dictum est. Quartum, denūciatio eius, à quo audiuit. Quintum, nosse eum, qui furatus est, vel tenet illud, retinere in compensationem alterius tanti, vel pluris, quod sibi debetur. Sextū, quòd per solam sacramentalem confessionem nouit. Septimum, quod per solā consultationem secretam, pro consilio habendo nouit.

Ad nouè autem quæsitum respōdeo, eum, qui nō denūciauit delicta intra tempus in edictō contentum, teneri ad denunciandum post illud, quam cito commodè potest, arg. c. cum dilectus. de dolo, & contu. cum citatis à gl. & docto. ibi.

47 Octauò peccat, qui nō se offert in testem, eum ad id tenetur, vel se offert, cum nō deberet. Est enim qui se tenetur offerre, & qui tenetur se non offerre, & qui potest se offerre, & non tenetur, vt copiosè & vtiliter tractamus vbi supra, & contractius hic in Manuali Hispano quorū aliqua, quæ parū inseruiunt cōfessariis, omittēdo, dico primò, quod offerre se tenetur, sciens præparari aliqua mala notabilia, quæ sine suo testimonio probabiliter euenirēt: sciens itē crimen de quo aliquis accusauit, aut denunciauit alium, ob solam conscientiæ obligationē iuxta Caie. per nos relatum in d. c. inter verba. concl. 6. Secundò, quòd regulariter nō debent se offerre, nec oblati admitti ascendentes contra descendētes, nec è contrario: & idem fere de vxore pro, vel contra maritum, & econtrario: & de liberto contra patronum iuxta decisio. 3. Capell. Tholos.

48 Tertio, quòd regulariter nemo tenetur ad se offerendum in

testem,arg.eorum, quæ de operibus misericordiæ supra cap. præced.diximus: & quilibet iussus testificari tenetur id facere exceptis priuilegiatis.

49 Quarto, quod regulariter priuilegiati possunt cogi ad testificandum, in defectum aliorum testium, etiam maritus contra vxorẽ, & contrario, iuxta decis.4. Capell. Tholos.quia iura statuentia, vt aliqui non admittantur, quia sunt inhabiles: & alij vt non cogantur ad testificandum, quia sunt honorati, aut coniuncti,intelliguntur, quando alij non desunt,iuxta glo. cap.quanquam.14.quæst.1.per illud cap.& gl. receptam ab Archid.& Alex.ibi, & communiter alibi. in cap.statuendũ. 2.q.6.& alia vbi supra adducta per Fel.in rub.& cap.dilectorum. de test. 50 cog. Quinto, quod excusatur, qui probabiliter timet sibi ex suo testimonio aliquod magnũ damnum spirituale, aut temporarium, personæ,honoris, aut bonorum euenturum,secundum Bal. recept. in c.cum nuncius de testib.& eundem, & Fel. in d.cap. dilectorum. & nos vbi supra,vt si ex eo scandalum oritur, vt ait Syl.verb. denunciatio.quæst.1.& verb.correctio.quæst.7.sub fi.citatus à nobis vbi supra. Sextò, quod quãuis ad effectum admittendi testes inhabiles ob defectum aliorum,non sufficiat non esse alios idoneos: quia opus est quòd neque sint,nec soleãt, nec possint interuenire communiter in eiusmodi factis, nisi tales personæ priuilegiatæ,aut inidoneæ,vt sentit gl.1.communiter recep. c.3. loco. de probat. vt vbi supra diximus: ad effectum tamen compellendi priuilegiatos, satis esset iuramẽtum partis dicentis non adfuisse alios,quam priuilegiatos,& eos,sic nulla interueniente in contrarium coniectura, arg.c.2.§.fi. de iura. calum. lib.6. & per ea,quæ ibi, & in alijs locis doctores docent:nisi ex eo aliquod dãnum timeatur, vt vbi supra dictum est:addendo,quod quamuis tenetur filius ad denunciandam hæresim patris,& ad testificandum de illa, si alij desint,nisi sciat,eum iam pœnituisse, aut certo credat, quòd monitus ab ipso,aut ab alio verè resipiscet: Inquisitor tamen debet ei prouidere adhibendo magnum secretum,ne id sciat pater,& ne illi aliquod magnũ damnũ ex eo eueniat. Septimò,probare nos ibi, quod inhabilitas non excusat à parendo eiusmodi mandatis: licet aliquando excuset priuilegium.

51 Ad quæsitum autem è longinquo à viro vndequaque doctissimo, & pientissimo respondeo, quod testis qui in iudicio legitimè interrogatus super crimine,ob quo dbona publicãtur,negat veritatem, propter quod reus absoluitur, non tenetur ad restituendum fisco id, quod ad eum peruenisset,si damnaretur.Tum per dictum S Bernar. relatum à Syl. verb.restitutio.5.vers.7. quem sequimus supra eodem nu.54. Tum quia pœna nõ debetur in foro animę ante condemnationem,gl.cap. fraternitas 12.quæst.2.Tum quia etiam in teresse remorum, & extra rem non debetur l.si sterilis. §.cũ per venditorem ff.de actio.emp.Tum quia leges humanæ,præsertim pœnales,nõ ligant potissimum in foro animæ, nisi quatenus sunt receptæ,vt traditur supr., cap. 23. a nu.49 & seqq.Et nullibi

hullibi vlla lex damnari iubendi aliquem publicatione bonorum est ita recepta,vt ante damnationem bona ad fiscum deferantur. Tum denique quod alioqui sequeretur omnes custodes confinium regnorum deputatos ad custodiendum, ne quis aliqua exportet ex illis, vel importet in illa,vel non saltem,nisi soluto vectigali, vel portorio,siue gabella sub pœna priuationis bonorum, teneretur restituere, non solum iura, sine vectigalia debita,sed etiã bona,quæ ob id debent fisco applicari: quod nullus,vt arbitror,hactenus dixit.

De peccatis Notariorum, & Tabellionum.

SVMMARIVM.

52 *Notarius cum fit, quæ,& quot capitula iurat.*

53 *Notarius vt peccat faciens instrumentum falsum,& rescindens, vel delens verum.*

53 *Notarius, vt peccat male componens, & non tradens illud.*

53 *Notarius non informans satis renunciantem, aut transcribens die fes, peccat.*

53 *Notarius conficiens pauperi, vt debet peccat.*

54 *Notarius conficiens instrumentum de re illicita,& scribens statuta vsuraria peccat.*

54 *Notarius non retinens protocollum, & faciens testamentum insano, peccat.*

54 *Notarius stipendium nimium capiens, litteras ordinum carius tradens, peccat.*

52 Dicendum,quòd peccat mortaliter primò notarius, qui non seruat aliquod capitulorum à se iuratorum,cũ creatus fuit notarius. Hostien.in cap.ficut. ne cle.vel monachi.recep.per Ioan.And. Panor. & Comm.ibidem.& S.Anto.3.par.tit.6. cap.3.§.1.Quorum primum est,quòd conficiet instrumenta,de quibus fuerit rogatus,nil veritatis tacendo, nec falsitatis miscendo.Secundum,quòd non reuelabit,quod secretò ipsi cõmissum fuerit,nisi iusta de causa, secundum Panor. in d. c.sicut.num. 9. Tertium,quòd nõ conficiet aliquod instrumentũ scienter de aliquo contractu vsurario, nec de alio quouis illicito.Panor. vbi supra. Quartum, quod retinebit de omnibus instrumentis quæ dederit, protocollum, aut regestum. Quintum, quòd erit fidelis ei,à quo est creatus notarius: & admonebit eũ ea,quæ sciuerit in eius damnum vergere.Sextũ, quòd nullo amore, odio, spe, vel timore officio suo abutetur.

53 Secundò peccat,qui instrumentum conficit falsum:aut verum vtile,& parti necessarium,occultat, aut rumpit, vel delet. Et qui per malitiam, aut ignorantiam notabilem male aliquod testamentum, aut instrumentum conficit, addendo aliquas clausulas obscuras,aut necessarias omittendo,propter quod aliquis suum legatum, aut debitum perdit. Et qui solennitas necessarias dolo,aut lata culpa omittit:puta suum nomen,signum,testes,diem, mẽsem, aut annum.

Tertiò peccat, qui rogatus ab aliquo, vt sibi det aliquod instrumentum quod dare tenetur,non dat, ne

aduersario, aut amicis eius displiceat. Et qui non informat partem ignorantem, quæ renunciatura est alicui iuri, quale est illud, secundum S. Anto. 3. par. tit. 6. c. 3. §. 6. Et qui die festo, absque necessitate ob auaritiã instrumenta conficit, cum in alium diem cõmodè differre possit. Et qui rogatus à pauperibus non valentibus soluere iura, non vult ipsorum instrumẽta scribere, aut iam scripta in publica forma tradere, secundum eundem vbi supra: quæ tamen non tenetur dare gratis, per dicta supra, eo. cap. nume. 19. & 44. & cap. 24. nume. 3. & 4.

54 Quartò peccat, qui excipit, aut in publica forma scribit statutũ, vt soluantur vsuræ, aut non repetatur solutæ, & est excõmunicatus, cle. 1. de vsur. Et qui excipit, aut in publicam formã statuta contra libertatem ecclesiæ redigit, c. graue. de sent. excõ.

Quintò peccat, qui conficit testamentum carentis iudicio, aut ratione non vtentis, cum obligatione restituẽdi ei, qui ab intestato successurus erat, arg. eorum, quæ ait Bal. in l. 1. C. de sacrosc. eccle. nu. 17. Et qui stipendium notabiter maius debito accipit, etiam sponte datum, si publicum stipendium constitutũ illi erat, Bal. in auth. sed hodie. C. de episc. & cler. Et qui aliquid accipit pro literis ordinatorum, iuxta Anto. Butr. in c. 1. not. 3. de simon. quamuis, si non datur ei ob id aliquid ex publico, licitè potest aliquid pro suo labore considerata illius qualitate, & non ordinis, accipere, hoc est, vt non accipiat plus eo, quod de maiori ordine fidem faciat, per supradicta cap. 23. nu. 111.

De peccatis Magistrorum, & Doctorum.

SVMMARIVM.

55 *Doctor, vel Magister, vt peccat mortaliter lauream immeritam, vel principaliter ob honorem petens, vel suscipiens.*

55 *Doctor docens Theologiam in peccato mortali notorio: admittens excõmunicatos, vel malos scholasticos, aut admittens religiosos, vel presbyteros nu. 56.*

57 *Doctor approbans ad lauream indignum, falsa docens, vel inutilia, aut malo fine mortali, præsertim vltimo, subornans auditores, procurans vt indignus ad munera studij delegetur.*

57 *Doctor perlegens die festo, & seruans nouum festum vt peccat.*

58 *Doctor vt peccat stipendium priuatum accipiens, vel beneficium cum pacto legendi, castigans discipulos, aut cõtemnens simplices.*

55 Dicendum, quòd peccat mortaliter primo, qui errat aliquo ex quindecim modis relatis ab Aluar. Pelag. de planct. eccles. lib. 2. quorũ vnus est, petere, aut accipere lauream theologiæ, aut canonum, qui nõ meretur. S. Ant. 3. par. tit. 5. c. 2. §. 10. & 2. par. tit. 3. c. 5. §. 6. Idem de accipiente laureã aliarum facultatum per dicta in d. cap. inter verba. nu. 87. post. gl. sing. cle. 2. de mag. & per rationẽ S. Anto. in d. §. 6. Et qui (licet sit idoneus) tamẽ principaliter petit illã propter honorem, & vtilitatem propriã, secundum S. Anto. vbi supra §. 6. Quod non esse tenendũ probamus post Syl. verb. doctor. q. 4. vbi. sup. Et qui prælegit in scholis peccato mortali notorio infectus, iuxta S. Anton. vbi sup. dicto §. 10. quod limitãdum est, ad prælegentẽ sacrã scripturam, vt ait S. Tho. in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. ad 4. quod non aduertit S. Anton. Ratio autem cur magis peccet legẽs prædictam scripturã, redditur à S. Tho. 56 vbi supr. Peccat itẽ qui ad scholas suas admittit excommunicatos, aut prauis moribus vtentes, iuxta mentem S. Anto. in dicto §. 10. quod non videtur verum, quo ad excommunicatos, nisi essent excommunicati cum participantibus expresso doctore, iuxta c. statuimus. c. constitutionem. c. presenti. de sent. excom. lib. 6. nec quo ad praua exercentes, si doctor non habet iurisdictionem ad eiiciendos eos e scholis, quam communiter hodie doctores in magnis vniuersitatibus nõ habẽt, quidquid in authen. habita. C. ne fil. pro patre, statuatur, licet præcepto correctionis ad id procurandum plusquam alij teneri posset, iuxta dicta in cap. præced.

Secundò peccat, qui professor legum aut medicinæ, ad suam prælectionem religiosum, presbyterum, aut clericum aliqua dignitate ecclesiastica præditum ad se audiendum admittit, & est excommunicatus. cap. 2. ne cler. vel monachi. li. 6. adiuncta glos. cap. non magnopere. c. super specula. eo. tit. Et qui professor cuiusuis facultatis etiam theologiæ, admittit aliquem religiosum in suo habitu sine licentia superioris, aut cum licentia, sed sine habitu, & est excõmunicatus per rationem participationis in crimine, iuxta S. Anton. 3. part. tit. 24. & 38. vt infra c. 27. nu. 134. dicetur. Et qui prælegit, aut docet principaliter ad humanam gloriam, quod principaliter ad gloriam diuinã institutum est iuxta Angel. verb. honor. §. 7. cuius oppositum, scilicet non esse plusquam veniale per multa, & firma tenuimus. in dicto cap. inter verba. concl. 6. & breuiter repetimus supra capit. 23. num. 13.

57 Tertiò peccat, qui statuta à se iurata non seruat. S. Anto. 3. part. tit. 5. c. 2. §. 11. Et qui existẽs examinator indignum laureæ ad eam probat: vel contra dignum reprobat, idem vbi sup. §. 10. aut alio modo illicito quem piam à consequenda laurea impedit, cum obligatione restituendi.

Quartò peccat, qui sciẽs aut scire debens, falsa in alicuius notabile damnum spirituale, vel temporale docet; vel subtilia magis, quã vtilia docendo auditorio notabiliter nocet. Et qui docet malo fine mortali, per sæpe dicta, vel ponendo vltimũ finem in docendo: quia fruitur vtendis, contra doctrinam B. Augustin. relatam à Magist. lib. 1. sent. dist. 1.

Quintò peccat, qui per se, aut alios inducit auditores alterius doctoris, vt eum non audiant, cum notabili damno profectus eorum, vel honoris doctoris, cum obligatione restituendi S. Anton. 2. part. tit. 2. capit. 2. §. 1. Et qui per factiones, aut subornationes, aut alias malas artes procurat, vt aliquis indignus creetur rector, aut prælector alicuius cathedræ, iuxta mentem Aluari, vbi supra. & S. Anton. dict. 3. part. tit. 5. c. 2. §. 11. sentientes idem de procurantibus, vt creetur notabiliter minus dignus. Quod est verũ saltẽ, quando, & vbi electores, aut prouisores iuramento,

mento, statuto, aut alio mandato, ad dignissimum eligendum sub pœna peccati mortalis tenentur, & etiam in aliis, exceptis ad summum sex casibus, quos nuper scripsimus in miscellaneis de orat. nu. 76. in miscell. 43. Et qui prælegit die festo, illis horis, aut tamdiu, vt probabiliter credat auditores ob id omissuros missam. Et qui facit seruari festum non seruandum, cum damno notabili auditorij non consentientis. arg. cap. fin. de iniur. & l. 1. ff. de fort. Dixi, *Non consentientis*: aliàs enim secus. cap. scienti. de regul. iur. lib. 6.

58 Sextò peccat mortaliter, qui habens stipendium publicum, vel beneficium in id ei collatum, exigit aliquid ab auditoribus, arg. cap. pœnale. 14. quæst. 5. Dixi, *Habens*. alias enim etiam a pauperibus non egentibus extreme, exigere potest. l. 2. §. fin. ff. de orig. iur. iuxta prædicta supra eod. nu. 19. & cap. præced. num. 3. & 4. quidquid dicant Host. Raym. & alij ibi citati. Et qui canonicatum, aut præbendã, aut aliud beneficium cum pacto docendi in scholis suscipit, & est simoniacus, per dicta cap. 23. nu. 100. Dixi, *Cum pacto*. quia secus si cum onere tali beneficio vacanti imposito cap. significatum de præb. & notat. in c. 1. vt eccles. benef.

Septimò peccat mortaliter, qui scholasticũ crudeliter castigat: quia solum leuis castigatio est ei permissa, cap. presbyterum. de homic. & l. præceptoris. ff. ad l. Aquil. Et si castigatus est clericus, est excommunicatus, nisi excusetur per infra dicenda cap. 27. à num. 80. & seq. Et qui simpliciores contemnit, S. Anton. d. §. 10. quod videtur restringendum ad contemptum, per quem notabile damnum honoris, aut bonorum illis ex iustitia legali debitorum infertur, per dicta sup. cap. 23.

Qua quidem in re Concil. Trid. sess. 5. cap. 1. de refor. statuit, primò, quòd habens beneficium, cui est annexum onus prælegendi sacram scripturam, cogatur prælegere per se, si est idoneus, alioqui per alium eligendum à nominatis ibi: & quòd posthac non conferatur nisi idoneo ad per se id faciendum.

Secundò, quòd in omnibus ecclesiis cathedralibus, & collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, in monasteriis quoque monachorum, & conuentibus mendicantium sacræ scripturæ lectio habeatur: in ecclesiis vero tenuioris prouentus sit saltem magister, qui gratis grammaticam doceat.

Tertiò, quòd docẽtes sacram theologiam, dum publicè in scholis docuerit, & in scholis eam discentes priuilegiis omnibus de quinquennali perceptione fructuum in absentia à iure communi concessis gaudeant. Quod ipsum dicendum est de discente, aut prælegẽte canones, vt probat Felyn. in cap. fin. de magist. Cuius rationi hanc vnam addo, quod nulli scientiæ capessendæ tanto tempore est opus, ac canonicæ: vt enim quis perfectus canonista euadat, opus est, vt canonicæ prudentiæ non mediocrem legum, & theologiæ adiungat eruditionem. Rata itaque anis est perfectus canonista, etsi vtrique fore perneccssarius: vt qui multo tempore prædictas tres disciplinas professus esse debeat, arg. c. ponderet. 50. dist.

Quartò,

Quartò, quòd nemo ad huiusmodi lectionis officium admittatur, qui non prius ab episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus fuerit.

De peccatis Scolasticorum.

SVMMARIVM.

59 *Scolasticus, vt mortaliter peccat ob finem mortalem studens, non seruãs præcepta studij, discens vetita, ano cans auditores concurrenti, negligenter studens, male insumens viaticum, non soluens salarium, arrogans sibi gradum, quem non habet.*

59 Dicendum quòd peccat mortaliter primò scholasticus qui ob finem mortalem studet arg. cap. cum minister. 23. q. 5. cum ei nuper à nobis adnotat. Et qui statuta præcepta academiæ iusta, & ad mortale obligantia, non seruat, iuxta mentem S. Anton. in d. §. 11 nisi iusta de causa fecerit, quam quo ad mortalis excusationem in proposito putamus esse illam, quę pro tali communiter in academia habetur, arg. eorum, quæ de causa non ieiunandi diximus supra caput. 21. nu 14.

Secundò peccat, qui suffragatur, aut curat alium suffragari alicui indigno, vt fiat prælector, rector, beneficiarius: immò & si sit dignus, si tamen competitor esset dignior, præsertim si iurauit suffragari digniori, iuxta proxime dicta in simili.

Tertiò peccat, qui scientias vetitas, aut superstitiosas discit. arg. c. nõ magnopere. & c. super spec. ne cler. vel monach. Et quia alicui lectori adimit scholasticos, aut adiicit, vt proxime de doctoribus dictum est. Et qui in studendo notabiliter negligens fuit, iuxta mentem S. Anto. in d. §. 11. & aliorum. quod restringẽdum videtur ad eum, qui impensis alienis vel redituum suorum ecclesiasticorum, & non propriis studet, per supradicta de prodigalitate cap. 23. nu. 71. & multo magis, si prædicta bona in comportationibus, venereis, vel lusibus, & id genus aliis impendit: quin fratribus partem sibi à patre datã restituere tenetur, iuxta cõmunem, quam bene Iaf. defendit, in auth. quod locum. col. 2. C. de col.

Quartò peccat, qui contra veritatem, quã scit, altercatur modo prædicto supra c. 23. nu. 34. Et qui stipendium debitum præceptori, cum possit, nõ soluit, arg. c. sæpe. de rest. ipol. & tradit S. Anton. vbi supra. Aut qui dicit habere se gradum, quo caret l. reddatur. C. de profess. & med. lib. 10.

De peccatis Medici, & Chirurgi.

SVMMARIVM.

60 *Medicus, & Chirurgus vt mortaliter ob ignorantiam peccant.*

60 *Medicus non curans secundum præcepta, & negligens visitare, vel studere peccat.*

60 *Medicus præbens medicinã dubiam. & deserens ægrotum, vt peccet.*

61 *Medicus abscindens membrum, minuens sanguine, & non admonens confessionem, vt peccet.*

61 *Medicus medicinas non eligens, aut curationem differens, vt peccet.*

62 *Medicus consulens, vel concedens animæ noxia pro salute corporis, vt peccet.*

63 *Medicus non admonens mortem vitandam.*

cinam, & tali casu nimium stipendium petens.

64 *Medicus nimias medicinas ordinans, pauperi non medens: vel diuiti nolenti soluere, vt peccet.*

64 *Medicum detrahens alijs medicis, vt peccet.*

60 Dicendum, quòd peccat primò medicus, vel chirurgus, qui absque sufficienti scientia medicatur, etiam si sit laurea donatus. Et qui artem satis callet, sed eius præcepta non sequitur. Et qui notabiliter negligit studere, aut infirmos visitare. capit. tua. de homic. & ibi Innoc. & omnes: quamuis ægrotus sanetur, iuxta S. Anton. 3. part. tit. 7. c. 2. §. 1. cum obligatione restituendi, iuxta mentem Panor. & omnium in dicto cap. tua. Et qui adhibet medicamenta morbo, antequam eum cognoscat. Caier. in sum. verbo medicus. licet qui per diuturnam experientiã didicit curare aliquos morbos, puta scabiẽ, offium fracturam, nubeculam ocularem, fistulas, dolorem dẽtium, & molarium, aurium, & aliorum similium possit licitè curare: quamuis regulas medicinæ ignoret, modo absque aliquo incantamento, aut fascino id faciat l. 1. §. medicus. ff. de var. & extraor. & modo superueniente febri infirmo medicum adhibeat peritum: & modo ne quid, quod ignoret, intenter, arg. c. non est sine culpa. de reg. iur. lib. 6.

Secundò peccat, qui dubitans de aliquo medicamento, an esset notabiliter noxium, an nõ, præbuit illud vt experiretur, aut lucraretur, aut nõ haberetur ignarus, &c. Anton. But. in d. c. tua nos. nu. 14. & magis qui præbet rem quam scit notabiliter nociuam: etiam si ob misericordiã, aut vt ægroto placeret, præbeat, Pan. in d. c. tua. Et qui ægrotũ derelinquit,

61 antequã debeat, ob quod mors, aut prolongatio morbi euenit, cum obligatione restituendi damnum. Asten. lib. 6. tit. 14. art. 8. q. 14. Et qui cum membrum aliquod necessariò est abscindendum, non quærit quem credebat bene abscissurum: aut dubitans de necessitate abscindendi, iussit abscindi. Et qui nesciens minuere sanguinẽ, vel abscindere mẽbrum, alterum eorum, vel vtrunque facit, idem in c. tua. nu. 20. & Asten. vbi supra. Et qui sciẽs pharmacopolam medicamentis corruptis vsurũ, non eligit incorrupta. Inno in d. c. tua. Et qui quo plus stipẽdij accipiat, morbi curam differt. Ant. vbi sup.

Tertiò peccat, qui non persuadet infirmo confessionẽ, antequam medicinã ei applicet c. cum infirmitas. de pœnit. & remiss. cui non est locus, quando manifestum est morbũ non esse periculosum, iuxta Angel. verb. medicus. §. 6. & Rosel. ibidem §. 3. quidquid dicat Syl. ver. medicus. q. 3. nec etiam, quando credit esse periculosum, & lethiferum, si iuxta consuetudinem bonorum, & honoratorum medicorum monet eius parochum, aut qui eius curam gerunt, vt illi sacramenta præbeãt, & ipsi omittunt dicere id per se: non quia nolũt id facere, sed quia putant id infirmo nociturum, iuxta Caier. verb. medicus. Nam vt ipse ait, & nos in d. ca. cum infirmitas. illa constitutio hoc modo recepta est, & obseruata: & quãuis infirmus confiteri nolit, non ideo à medico relinquẽdus est, iuxta

62 omnes. Et qui propter salutem corporalem, contra salutem animæ consulit, vt illicitè coeat, aut se inebriet, au abortiat. d. cap. cum infirmitas, etiam si per ignorantiam id consulat: immò & si non consulat, sed dicit, ego non tibi consulo, sed si tale quid faceres, sanareris. Ioan. Andr. d. cap. cum infirmitas.

Quartò peccat, qui prægnãti prębet aliquid, quo abortiat, etiam si præbeat, vt eam à morte seruet, si credit, vel dubitat fœtum esse animatum, Ioan. de Neap. in 10. quodl. probatus à S. Anton. 3. part. tit. 7. c. 2. §. 2. & à Syluestro verbo medicus. q. 4. & communiter. Sed si probabiliter credit, non esse anima rationali animatum, in quo inuestigando debet diligentiam maximam adhibere, licite poterit illud præbere, quo vitam matris seruet, cum nõ sit culpa mortis alienæ nec corporalis, nec spiritualis iuxta eosdem.

Quintò peccat, qui sine iusta causa concedit debilibus facultatem frangẽdi ieiunium, aut vescẽdi carnibus diebus vetitis, & qui affirmat ieiunia præcepta corpora destruere &c. arg. c. fin. de iniur. & cap. consilium. de obseru. ieiu. cum obligatione contrarium persuadẽdi, si potest quamuis infirmus vtens facultate, quam putat sibi iuste datam, non peccat, secũdum S. Anto. vbi sup. §. 1. Et qui

65 credens infirmum moriturum, & quod eius admonitio est multum illi profutura, ad exuendum peccãtum mortale, & ad testandum, quo rixæ grandes inter hæredes impediantur, & neque per se, nec per aliũ admonet, vt peccatum exuat, & restituetur. Ioan. Neap. quodlib. 11. & B. Anto. vbi sup. §. 7. Dixi, *Credens:* quia secus si iuste putat suam admonitionem parum profuturam: quia credit eum in bono esse statu, & de suis bonis testatum fuisse secundum eosdem, vbi supra.

Sexto peccat, qui petit stipendium notabiliter nimium publico carens: aut accipit mediocre habens publicum, cum pacto nihil præter id accipiendi pluſquam præscriptum, etiam vltro sibi datum, cum obligatione restituendi, nisi per alia obsequia, & visitationes tempore valetudinis id compenset S. Anton. vbi supra §. 3. probatus ab Angel. verb. medicus. §. 6. Syluest. eod. quæst. 5. Et qui exigit stipendium nimium quod ægrotus propter mortis metum promittit, si aliunde habet vitæ necessaria, l. medicus. ff. de var. & extra cog.

64 Et qui facit vt infirmus plura, quam opus est, medicamenta emat, ob conuentionẽ inter eum, & pharmacopolam, vel aliam causam iniustam, cum obligatione restituendi, Astensis lib. 6. tit. 4.

Septimò peccat qui non vult gratis mederi pauperi ægroto, iuxta gl. celeb. & recept. in sum. 83. distin. & S. Anto. vbi sup. & alios, verb. medicus. Quod nostra sententia restringendum est ad eum, qui credit illum probabiliter moriturum, nisi ei medeatur, & non est alius qui id faciat, nec qui soluat salarium, & non vult mederi salario credito: nam neque constituto in extrema necessitate tenetur quis subuenire gratis, modo eum eximat ab ea mutuando, commodando, vel operas credendo per supradicta capit. 17. num. 118. & cap. præcedent. num. 17. & supra eo. capit. nu. 29. Et qui non vult mederi diuiti

diuiti soluere nolenti, iuxta eandem glo. in §. 1. 83. dist. & c. pascc. 86. dist. quod intelligendum est de eo, qui vellet quidem ab eo curari, sed ob auaritiam nō quærit medicum existente non magna eius necessitate, & si medeatur illi, post eius mortem, vel curationem exigere potest suum stipendium, iuxta prædicta gl. & mentem omnium. Et qui detrahit aliis medicis idoneis, ne ad curationes, se omisso, accersantur, per d.c.18.

De peccatis Exequutoris testamenti, Tutoris, Curatoris, & Hospitalarij.

SVMMARIVM.

65 *Exequutor testamenti vt peccat mortaliter non soluēs legata, & debita.*

65 *Exequutor testamenti nimis tardans vt peccat, & qui excommunicatus.*

66 *Rem pupilli non seruans, eius pecuniam lucro iniusto deputans, vt peccat.*

65 *Viduus, aut vidua, cui aliquid relinquitur quoad caste vixerit.*

67 *Vxor transiens ad secunda vota peccat tutela fugiens.*

67 *Hospitalarius vt mortaliter peccat.*

65 DE iis dicendum, quod peccat primo exequutor, qui non soluit debita, aut legata præsertim pia defuncti, qui reliquit bona ad veraque sufficientia. Et qui, vt soluat legata, nō sufficere vtrisque soluendis, argum. l. scimus. §. & si præfatam adiuncta glo. C. de iur. delib. l. 1. §. pen. ff. ad Trebel. S. Anton. 3. part. tit. 10. cap. 3. §. 14. Debita autem sunt etiam vota realia defuncti per supra dicta c. 12. 56. & 57.

Secundo, quæ vidua cui maritus reliquit vsumfructum suorum bonorum quo ad caste viueret, stuprum cōmittit: & perinde bonis vtitur, ac si id nō commisisset, cum obligatione restituēdi, iuxta Caiet. in sum. ver. pœna. & ea quæ diximus in c. 23. nu. 62. secus tamen, nostro iudicio, si vsumfructum reliquit quoad nuberet. Et idem eadem ratione videtur de marito, cui relinquitur ab vxore vsufructuarius.

Tertio, qui soluit quidem, sed post moram notabilem, arg. cap. nos quidem cap. tua. & cap. Ioannes. de testamentis, & excommunicatur, si qua cōstitutio synodalis excommunicans non exequentem intra certum tempus eum comprehendat, arg. cap. præterea 2. de appel.

66 Quartò peccat, qui tutor, aut curator nō cōseruat, nec defendit bona sui pupilli vel minoris: & qui sine vtilitate vel necessitate alienat: & qui est in culpa vt actionē, vel aliud ius perdat: & qui non vendit res mobiles, quæ obseruatæ nullam vtilitatem pariant, & pretium nō conuertit in bona immobilia, quæ vtilitatē parerent, si inuenitur emptor, cum obligatione damna restituēdi. l. tutor qui repertorium. §. 1. 2. & 3. ff. de adminis. tut. Barr. ibi & alij. Tutor autem dicitur, qui præficitur pupillo, hoc est minori 12. annorum, si est fœmina, aut 14. si est masculus ad protegendum, personam, & bona eius, instit. de tute. §. 1. Curator vero, qui maiori 12. vel 14. & minori 25. præficitur, aut furioso, aut prodigo administrandis eius bonis, Instit. de curat. in principio & vterque iurat se officio suo rectè vsurum, glos. cele-

celeb. clem. quia contingit. §. vt autem. de relig. domib. quæ gloss. omnia hæc ponit, post Specul. titul. de tuto. & tit. de curat. & ante Panor. in c. ex parte. de appellat.

Quinto, qui tutor notabiliter est negligens in pupillo bonis moribus imbuendo, & à vitiis, & peccatis seruando, arg. c. 1. 12. q. 2. & c. duo ista. 23. quæst. 4.

Sexto, qui dedit ad lucrum pupilli, vel minoris pecuniam salua sorte, nisi per tres contractus, de quibus supra cap. 17. nu. 112. & tenetur restituere: si pupillus, vel minor non restituat: sed potest secreto de rebus eius accipere, quod huic rei satisfuerit, siue eorum administrationem habeat, siue non, seruatis supradictis in c. 17. nu. 112. cum seq.

67 Septimò peccat mulier, quæ officio tutelæ fungitur post secundas nuptias. l. fi. C. quando mul. offic. tutel. fung. potest. vel post stuprū commissum per eandem legem, quam in hoc ponderat Salic. & glo. memo. auth. sacramenta eo tit.

Octauo hospitalarius, qui reditus hospitalis non insumit in ea, in quæ sunt destinati. Et qui sinit eos perdi: aut in alia dispendit, cle. quia contingit. de relig. domib. ex mente S. Anto. 3. par. tit. 11. c. 1. §. 1. Et qui nimis tarde recuperat bona eius alienata. c. quicūque. 12. q. 2. Et qui adeo negligit reficere ædificia, quod ob id cadāt, cum obligatione restituendi. glo. d. cle. quia contingit.

Porrò Concil. Trid. sess. 25. c. 8. de reform. cōmendata plurimum clericis hospitalitate statuit: quod hospitalarij hospitalium onera commeant, quæ si commode non possint fructus illorum in alium pium vsum conuertant, prout ordinario eum duobus peritioribus de capitulo videbitur. Et quod omnes hospitalarij etiam si sint laici, non tamen regularibus subiecti vbi viget regularis obseruantia ad præiecta ab episcopis compelli possunt: & propterea in foro conscientiæ teneantur ad restitutionem fructuum, quos contra hospitalium institutionem perceperint, nulla eis remissione profutura. Et quod administratio huiusmodi vni & eidem personæ vltra triennium non committatur, non obstantibus etiam priuilegiis, & immemorabili consuetudine, &c.

De peccatis Clericorum quo ad ordines.

SVMMARIVM.

68 *Ordinando prima tonsura hæc sunt necessaria, & hæc minoribus sacris.*

68 *Ordinando cui Capitulum, vel alius sede vacante nō potest dare licentiā.*

68 *Ordinandi facultas Papæ, quæ legitima, & qualiter intelligenda.*

68 *Ordinandi ætas mutata, & multa noua ab ordinatis, & ordinandis facienda.*

68 *Missa pro noua nil detur, nec merces pro aliis. Ignotus non missetur: nec quis extra sacrum.*

69 *Dispensat quis ad ordines, & cum male ordinato.*

69 *Ordinem sumens vt peccat, si est indignus, si per simoniam.*

69 *Si ab episcopo excommunicato, si existens illegitimus etiam occultus.*

70 *Si extra tempora legitima, si ante iustam ætatem, si sine iusta licentia, si furtim aut per saltum.*

71 *Si non supplet supplenda, si eodem*

die multos ordines sumit.

72 *Si deformis, si extremum vnct. epileticus, aut insanus, excommunicatus, aut mortali infectus.*

73 *Clericus, vt peccat sacramenta in mortali ministrans, sacra tangens, aut post notorium peccatum etiam alla pœnitentia missam nu. 74*

73 *Ordinem, & eius vsum, quod peccatum notorium impedit.*

73 *Notorium quid dicitur.*

74 *Dispensat Papa aliter quam inferior, etiam in quo vterque potest.*

75 *Interdictus ingressu ecclesiæ, rebaptizans chrismate veteri vngens post cibum celebrans num. 75. non confessus, concubinarius notorius. nu. 76.*

77 *Dispensat vt episcopus in irregularitate peccati notorij.*

77 *Concubinarius clericus & fornicarius vagus, parce non humantur in sacro. & 78.*

78 *Missam concubinarij audire vt mortale. & cur melior boni quam mali, nu. 79.*

80 *Concubinarius notorius quis euitandus.*

81 *Concubinarij clerici pœnam innouat Concil Trid. addens nouam. num. 109.*

82 *Iacobus Sabellus Cardinalis multis nominibus suspiciendus.*

82 *Missam extra locum sacrum celebrandi facultas non datur, & vt peccat si celebrat intra illam.*

83 *Et vt si in ecclesia interdicta, si super aram fractam, si ante preces matutinas.*

84 *Si sine alio necessario, etiam si timore mortis.*

85 *Si sine lumine aut aqua, si in pane, & vino corruptis, si in amphacio, si nocte, si post meridiem nu. 86.*

87 *Si pluries quam semel eodem die, nisi his septem casibus*

87 *Si non bis, aut ter in anno, si effundit sanguinem, si reliquias corporis post ablutionem sumit.*

87 *Benedicat quis vestes sacras, stola pro cingulo seruit.*

87 *Missa triplici faciendæ die Natiuitatis, quis optimus modus.*

87 *Missam quotidie audiat Episcopus, nemo eam nisi semel in die faciat, nisi iis septem casibus, nec in his vnquam ter.*

88 *Nec semel die Parasceues, & Sabbatho Sancto.*

92 *Missa cui, & quomodo applicanda, non dicenda ab ligato censurio. num. 93. nec coram interdictis. nu. 94.*

94 *Clericus vt peccat alios clericos ad diuina officia admittens.*

95 *Interdicta non seruans, excommunicatos sepeliens, absoluens indebite confessum & non monens eum.*

96 *Vota male commutans, omittens aut volens omittere horas canonicas, aut partem earum, male eas recitans, non attendens ad eas &c. à nu. 96. & seq. Hostias multas consecrans. nu. 91.*

90 *Missans sic sumat reliquias calicis, patenæ, & oris, & suppleat defectum vini nu. 91.*

92 *Missæ triplex valor, quis cui applicandus, quid de vna dicta pro multis.*

92 *Missans pro duabus pithantiis non audendus ob missam.*

101 *Author ob nullas occupationes, vel morbos, omisit horas, nisi bis 70. annis quibus recitat.*

101 *Horariæ preces ob quas causas iuste omittuntur. & seqq.*

105 *Attentio ad horas sufficiens triplex, & sufficiens virtualis. & seq.*

96 *Horæ ad quas tenentur clerici sacri, & ad quas minores. nu. 108.*

108 *Clericus vt peccat ducens vxorem, cohabitans fœminæ, eam inuisens. nu. 109. Monasteria sequentans, habitum & tonsuram non deferens, arma gestans, ludens, mendicans, lanius, tabernarius, mercator, aut mensam non benedicens, aut facient. quæ antiquo, nouo iure hic relato retentur, in quibus sunt omnia officia secularia, cum arte medica nu. 101. & 111.*

68 Dicendum, quod peccat mortaliter primò, qui se facit ordine insigniri cõtra canones Concil. Trid. quod in sess. 23. cap. 4. de refor. sic statuit. *Nemo imitietur primæ tonsuræ, qui confirmationis sacramentum non susceperit, & fidei rudimenta edoctus non fuerit, quique legere, & scribere nesciat, de quo probabilis coniectura non sit eum non secularis iudicij fugiendi fraudesed vt Deo fideliter inseruiat hoc vitæ genus elegisse* Et c. 5. sic. *Ad minores promouendus ordines bonum à Parocho, & magistro scholæ in qua educatus est, testimonium habeat. Assumendus vero ad singulos maiores vno mense ante ordinationem episcopum adeat, qui parocho, aut alteri: cui magis expedire iudicauerit committat, vt nominibus, aut desiderio volentium promoueri publice in ecclesia propositis de eorum natalibus, ætate, meritis, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & testimonium quam primum ad ipsum episcopum transmittat* Et sess. 7. c. 10. *Non licet ecclesiarum capitulis sede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias concedere alicui qui beneficij obtenti, vel obtinendi occasione ordinatus non fuerit. Et quidquid contra ecclesiastico sub-*

iaceat interdicto: sic vero ordinatus, si in minoribus constitutus sit, priuilegio clericali non gaudeat. In maioribus vero, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sit ipso iure suspensus. quod ipsum statuitur sess. 23. cap. 8. de refor. de impetrante dimissorias ab alio quam eo, qui loco capituli succedit in iurisdictionem episcopalem. Et sess. 7. cap. 11. sic, *Facultates de promouendo à quocunque non suffragentur, nisi habentibus iustam causam in literis exprimendam, ob quam à propriis episcopis non ordinentur, & tunc non ordinentur, nisi ab episcopo in sua diœcesi residente, vel pro eo pontificalia exercente, idque præuio diligenti examine.* Et sess. 23. cap. 8 sic. *Nemo ordinetur prætextu cuiusuis rescripti, aut priuilegij, nisi eius probatas, & mores ordinarij testimonio commendentur.* Et cap. 11. *Ordines minores per temporum interstitia conferantur: nisi episcopo aliud expedire videbitur, idque latinam linguam callentibus. Ordinandi vero, non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros promoueantur, nisi necessitas, aut ecclesiæ vtilitas iudicio episcopi aliud exigat.* Et cap. 12. sic. *Nullus ad subdiaconatum ante 22. ad diaconatum ante 23. ad presbyterium ante 25. ætatis annum promoueatur & quod nulli etiam regulares, nisi præuio episcopi examine, ordinentur.* Et nota, quòd huic non obstat bulla Pij V. quæ hoc onus, & aliquot alia prædicti Concilij abstulit mendicantibus, ob reuocationem eius per S. D. N. Gregorium XIII. cuius tenor est Ad perpetuam rei memoriam. In tantam, vt infra in fine c. 29. postea à capite 8. sequitur in eod. Concilio,

In minoribus constituti non promoueantur ad maiores, nisi bonum habentes testimonium in minoribus sint probati, & per annum in iis sint versati, sperantes se Deo assistente continere posse. Et mox sic. *Decreuit eos, saltem diebus dominicis, & solemnibus cum altari ministrarint, communicare.* Et mox sic. *Duo sacri ordines eodem die, etiam religioso non conferantur.* Et cap. 14. *Assumendi ad presbyterium in minoribus probati sint, ac bonum habeant testimonium, & anno integro diaconatum exercuerint, populoque docendo, & administrandis sacramentis necessaria scierint, à quibus castitatis, & vitæ bene exempla expectentur. Et quod cum promoti per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex causa dispensare possit.* Et cap. 16. sic. *Nullus ordinetur, qui non ascribatur illi ecclesiæ, aut loco pio, pro cuius necessitate, vel vtilitate ordinatur. Et si eum locum episcopo inconsulto deserat, ei sacrorum vsus interdicatur. Et nullus clericus peregrinus, sine commendatitijs ordinarij sui literis, ad diuina officia admittatur.* Et cap. 17. sic. *Episcopi in ecclesiis id ferre valentibus assignari stipendia minores ordines exercentibus procurent. Et quod nulli exerceant officia minorum ordinum, quibus carent, vt in iis constituti se iis illis exerceant.* Et sess. 21. Decret. de obser. & euit. in celeb. miss. sic. *Vt episcopi omnino prohibeant, ne quid pro missis nouis celebrandis detur, & importune, ac illiberales eleemosynarum exactiones. Et ne cui vago, & ignoto sacerdoti missas celebrare liceat. Et nemo publice, ac notorie criminosus sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittatur. Et ne sanctum hoc sacrificium extra ecclesiam, ac ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria à secularibus, aut regularibus quibuscumque celebrentur.*

Secundo peccat mortaliter, qui suscipit aliquem ordinem etiam minorem per simoniam propriam realem ante ordinationem commissam, quamuis occultam, quæ est causa ordinationis: & est excommunicatus extrauag. 2. de simo. de qua infra cap. 27. nu. 196. etiam si committatur dando tertio, & non ordinatori secundum Inno. in cap. tanta. de simo. nu. 2. Dixi, *ante ordinationem*: quia datio post eam, non efficit simoniam, arg. glo. c. emendari. 1. q. 1. vel certe non talem, quæ excommunicet. Dixi, *Propriam*: quia si alius dat, aut promittit aliquid episcopo, aut alteri, vt cum ordinet ipso inscio, vel scio sed contradicente non peccat: & accipit, non solum characterem, sed etiam eius exequutionem iuxta Bellam. quem sequitur Cardin. Alexan. in cap. statuimus, & in cap. si quis. 1. q. 1. quidquid glo. in cap. si quis. & alij dicant. maxime post extrauag. ad euitandam. Martini V. de qua infra cap. 27. nec postea soluendo illud, quod se inscio datum fuit, suspensionem, aut excommunicationem incurrit, secundum Syl. verb. simonia. q. 8. §. 5. nec peccat, saltem in foro conscientiæ, quidquid ille sentiat, si non habet ratam, neque gratam illam dationem: quia nulla id lex verat, quo ad illud forum. Dixi, *quæ est causa ordinationis*: alias enim contra, per dicenda infra nu. 113. & dicta supra c. 13. nu. 100.

69 Tertio peccat mortaliter, qui scienter ab episcopo excõmunicat denũciato ordinatur: immò & postea vtens ordine illo absque dispensatione Papæ: quia licet characterem accipiat, non tamen illius exequutionem, quo ad quam solus Papa dispensat. c. si quis à simoniacis. 1. q. 1.

Quartò, qui non existens legitimus sine dispensatione ordinatur, c. 1. de fil. presbyt. in antiq. & lib. 6. Ad minores autem episcopus dispensat cap. 1. eod. tit. lib. 6. Ad sacros vero ordines solus Papa. & cum intrante religionem ius commune ad omnes ordines etiam sacros dispensat. d. cap. 1. de fil. presb. lib. 6. Et nil refert quo ad forum conscientiæ, an illegitimitas (vt ita dicam) sit secreta, vel publica, quidquid aliqui existimauerint absque textu, & iusta ratione. Idem de qualibet alia irregularitate, quo ad peccatum, licet non quo ad dispensationem, de qua cum aliis pertinentibus ad irregularitatem, infra cap. 27. num. 191. vsque ad 250. dicimus.

70 Quintò peccat mortaliter, qui ordinatur ordine sacro extra tempora à iure statuta, aut ante legitimam ætatem, aut absque literis dimissoriis: & est ipso iure suspensus: & si ordine illo vtitur fit irregularis, in quo solus Papa dispensat per extrauag. Pij I. cum ex sacrorum quæ nuper fuit impressa, de qua meminit Villad. de irregul. col. 9. quam nos declaramus in recept. c. accepta. oppos. 8. nu. 14 de rest. spol.

Dixi *Ordine sacro*: quia licet sic minores capiendo peccet, non tamen est ipso iure suspensus: quia iuxta cõmune ius defectu ætatis suspensio ipso facto non incurritur. c. vel non est compos. de tempor. ordina.

Per quod omnes, qui prædictam extrauag. non nouerant, contrarium dixerunt, putantes non suspendi quem ipso iure, propterea quod ante legitimam ætatem ordinem sacrum etiam presbyterij suscipiat, in quibus sunt Anto. 3. part. tit. 14. cap. 16. & Maio. in 4 dist. 24. q. 5. nec videtur prodesse in hoc fratribus obseruantiæ suum priuilegium, per supradicta. nu. 68.

Sextò peccat mortaliter, qui furtim contra prohibitionem ordinantis ordinatur: & si prohibitio fiat sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ, est excõmunicatus, & irregularis, in quo solus Papa dispensat. c. innotuit. de eo, qui furt. ordi. suscep.

71 Septimò peccat mortaliter, qui scienter per saltum, id est, minore ordine, omisso maiore, ordinatur, & est suspensus. Super facultate autem dispensandi super hoc sequuti fuimus hic opinionẽ Hostiens. in summa de cler. per sal. prom. §. 4. quam videtur etiam elegisse Concil. Trident. relatum supra num. 68. scilicet, quod episcopus potest dispensare antequam ministret. quod tamen est intelligendum, modo antequam vtatur dispensatione, omissum ordinem susceperit, quod nos hic post Host. addidimus per cap. vlt. de cler non ordin. minist.

Octauò peccat mortaliter, qui ordinatur omisso aliquo necessario necessitate præcepti: licet non de necessitate sacramenti, & non supleto defectu, eo vtitur: non tamẽ fit irregularis, Sylu. verb. irregularitas. q. 12. Et qui eodem die duos ordines sacros suscipit, non solum peccat, sed est etiam à posteriore suspensus, in

quo solus Papa dispẽsat. c. literas. c. dilectus adiuncta glo. de tempo. ordin. & ii. cap. innotuit. Et qui eodem die ordines minores, & subdiaconatum suscipit, c. 2. de eo, qui furt. ordi, & hoc etiã qui duos ordines sacros eodem die suscipit, etiam si sit religiosus per prædictum Concil. supra nu 68. relatum: non tamen, qui quatuor minores eodem die suscipit, secundum gl. cap. de eo. de tempo. ord. & cap. 2. de eo, qui furt. ordin. quod etiam post Concilium prædictum procedere potest in eo cũ quo episcopus dispensaret, vt non seruatis temporum interstitiis posset accipere. Quin videtur, quod posset accipere illos, & subdiaconatum eodem die. vbi est talis consuetudo, quæ valet, secundum S. Anto. 3. part. tit. 14. c. 16. §. 16. Concilium enim eiusmodi consuetudinem non tollit.

72 Nonò peccat mortaliter, qui ordinatur habens faciem, vel manus notabiliter deformes: vt si oculo careat, vel habet nasum & digitos abscissos, vel compactos, vel superfluos. c. ii euangelia. 55. dist. non tamen fit irregularis, licet promotus celebret, Pan. in c. si celebrat. de cler. excom. minist. Et idem de eo, qui postquam semel à dæmone obsessus, aut morbo caduco in terram elisus, ordinatur. cap. maritum. & cap. seq. 33. dist. adiuncta glo. Et qui antequam in hos morbos incideret ordinatus, postea frequenter eis correptus, celebrat, iuxta gloss. & communem ibidem.

Admoneo te pie lector, quòd in Manuali Hispano nihil dixi de verso in insaniam vel furorem, licet prę dictum cap. maritum. etiam de illo agat: ne iniicerem scrupulos iis, qui ante, vel post ordinationem alienantur à mente per ebrietatem, frenesim, lethargiam, aut alium morbum, quibus adimendis non occurrebat tunc ratio sufficiens, quæ postea in casu cuiusdam nobilissimi viri occurrit, videlicet illud c. restringendũ esse ad eos solos, qui alienantur mente directè, & immediatè per inordinationem organi sensiũ, non autem, qui mediatè, & indirectè vi morbi, vulneris, irę vel alicuius passionis brevis. Quæ declaratio multis viris eruditissimis Illustrissimi ordinis Dominicani placuit.

Decimò peccat mortaliter, qui excommunicatus ordines quamuis minores suscipit. cap. si celebrat. de cler. excõ. minuist. & sit irregularis, si excommunicatio erat maior: cum quo solus Papa dispensat, Panor. & Commun. in cap. cum illorũ. de sent. excom. nec Sylu. verb. dispensatio, q. 10. §. 10. contrarium sentit: quamuis nonnullis ita visum est. Et qui in peccato mortali existens ordines suscipit, aut aliquod sacramentum ministrat cap. illud. 95. dist. Rich. in 4. dist. 24. art. 4. q. 1 & etiam si res sacras tãgit, vel aliquid aliud tãquam minister ecclesię facit suo officio fungẽs, iuxta mentem S. Tho. in 4. dist. 5. & 24. & 3. par. quæst. 64. art. 6. & Sylvest. verb. ordo 4. q 2. sed non si eas tangit, ita vt laicus non ordinatus posset, vt si tempore necessitatis baptizat, è terra sacramentum leuat, aut epistolam sine manipulo cãtat, iuxta S. Thom. 3. par. q. 64. art. 6. per Sylu. verb. baptismus. 3. quæstio. 4. benè defensum.

73 Vndecimò peccat mortaliter q.

qui notatus aliquo peccato notorio depositione digno suscipit ordines ante dispẽsationem, etiam post actã pœnitentiam c. fi. de tempo. ord. Dixi, *Notorium*: quia ad hunc effectum. non sufficit esse famosum, nec testibus probabile. Notorium autem dicitur quo ad hoc, quod est cõfessum à parte in iudicio, vel super quo est lata sententia, quæ transiuit in rem iudicatam: aut est adeo manifestum, vt nulla tergiuersatione celari possit: vt est peccatum eius, qui tam publicam habet concubinam, ac maritus habet vxorem, & publicè filios alit. cap. vestra. de cohab. cleric. & mul. & cap. fi. de tem. ordin. & etiam illud, quod scit euidenter, maior pars populi vicinorum, aut collegij modo in eo saltem sint decem. Itaque scientia pauciorum quàm sex nõ facit rem notoriam, neque sex, quãdo illi non sunt maior pars illius congregationis, cuius respectu illud dicitur notorium, quidquid dicat Syl. verb. notorium. q 4. §. 4. & alij per ipsum citati cõtra communem Anto. in d. c. vestra. nu. 31. quem Pan. ibidẽ nu. 16. & communis ibi, & in aliis locis sequuntur.

Neque obstat id, quo nititur Syl. scilicet, quod ex hoc sequeretur, nihil posse dici notorium in magna aliqua ciuitate, cum fere nihil agatur, quod maior pars videat. Tum quia multa fiunt tota ciuitate euidẽter vidente, vt obseruatio festi, tormentorum explosio in ouatione publica, & id genus alia. Tũ quia multa sunt in magna vrbe, quæ licet non sint ei toti notoria, sunt tamen talia regioni, viciniæ, aut collegio, quod satis est, vt aliquid notorium dicatur. Dixi, *Depositione digno*: quia ex aliis hîc effectus non dicitur, iuxta Cardin. in d. cap. fin. per exempla illius text. quæ sunt adulterium, periurium, homicidium, & falsum testimonium: Dixi etiam, *Post factam pœnitentiam*: quia ad excusandum à peccato non sufficit illa sine dispensatione.

74 Sed dubium est, An episcopus, qui cum eo potest dispensare, cẽsetur ipso facto ordinando eũ, dispensare. Ad quod respondet Sylu. verb. irregularitas. quæst. 28. affirmatiue, si talis est eius intentio: licèt nullis verbis vtatur. Et idem de prælato, qui suum subditum ad suscipiendos ordines mittit. Quod quamuis fortassis locũ habeat in foro conscientiæ interiori, non tamen in exteriori: cum iuxta communem, & veram opinionem quæ concilians Inno. in cap. veniens. de fil. presbyt. sibi ipsi in cap. diuersis fallaciis. de elect. coniug. tenet, quòd inter Papam & Episcopum hoc interest, quòd Papa præbens aliquid ei, quem scit iure humano ad id inhabilem, ipso facto, sine dispensationis expressione censetur habilem facere, non autem Episcopus. Cuius diuersitatis ratio est, quòd episcopus non potest absque causa dispensare, Papa verò sic, vt copiosè scripsimus multos referendo. in c. fi. quando. de rescript. & in comment. cap. non liceat. 12. q. 1. §. 3. Nunc autem addimus ex prædicta ratione sequi, limitandum esse, quod dictum est de episcopo, vt procedat, quando dispensat circa ius commune: non autem quando id facit circa suam constitutionem synodalem, cum dispensatio

eius circa eã sine causa facta, valeat.

65 Duodecimo peccat mortaliter, qui interdictus ingressu ecclesiæ diuinis officiis interfuit: & si celebrat est irregularis c. is cui. de sent. excom. lib. 6. cum aliis per Domi. ibi: sed nec est irregularis, nec peccat celebrando extra ecclesiam secundũ gl. 2. d.c. is cui. nec intrans etiam precãdi causa tempore, quo diuina officia non peraguntur, iuxta Archid. & cõmunem in d. cap. is cui.

Decimotertiò peccat mortaliter, qui baptizat, quem certo scit esse baptizatum: & est irregularis, vt declaratur infra c. 27. nu. 246. Et qui in baptismate vngit chrismate veteri eũ, qui erat extra mortis periculum. c. si quis de oleo de consec. dist. 4. Et qui celebrat aduertens sumpto aliquo cibo, vel potu post mediam noctem cap. liquido. de cons. dist. 2. etiam pro medicina, iuxta S. Tho. recept 3. par. quæst. 80. art. 8. Dixi, *Aduertens*, quia secus si non aduerteret ante missam inchoatam: licet aduerteret post eã cœptam, etiam ante cõsecrationem, & eam sine scandalo non posset imperfectam relinquere, iuxta Angel. verb. eucharistia 2 §. 6. & Sylu. verb. eucharistia 2. q. 7. dicentes idem esse de illo, qui post inchoatam missam meminit se suspensum, excommunicatum, vel irregularem esse nec ob id nouam irregularitatem incurrit.

77 Decimoquartò peccat mortaliter, qui aduertens ante missam inchoatam, se esse in peccato mortali, cõque non prius confesso celebrat, per dicta supra c. 21. nu. 49. Dixi *Aduertens, &c*, quia aduertens post inchoatam non debet à missa desistere, etiam si absque scandalo posset: debet tamen illud ante secretã confiteri, si sine scandalo facere potest: sin minus, cõtritus, missam perficiat, vt Syl. resolait in q. 7.

Decimoquintò peccat mortaliter, notorius concubinarius, aut fornicarius, qui ante pœnitentiã celebrat, & fit irregularis: quia est suspensus ipso iure cap. præter. 31. dist. saltem donec pœnitentiam agat. cap. si qui sunt. 81. distin. & qui suspensus celebrat est irregularis. c. 1. de senten. & re iud. lib. 6. Idem est de diaconis & subdiaconis c. si quis 8 distin. & d. c. præter. & etiam de initiatis solis minorib⁹ ordinibus, si aliquem actum sui ordinis proprium exerceant, iuxta Archid. in d. cap. præter. hæc de malis. & Cardin. Turrecr. in d. §. verum in qua irregularitate solus Papa dispensat secundum eosdem. Dixi, *Notorius*: quia non sufficit ad has pœnas incurrendas, quod sit infamatus, vel probari possit esse talis: quãuis mortaliter iuxta omnes peccet. Dixi, *Ante actam pœnitentiam*:

77 quia post actam celebrans, aut sui ordinis actum exercẽs, quamuis peccet mortaliter celebrando sine dispensatione. cap. si. de temp. ordin. vt alij peccatores notorij peccatis depositione dignis notati, nouam tamen irregularitatem nõ incurrit, quam ante actam pœnitentiam celebrando incurreret, super qua solus Papa dispensat: licet remaneat in antiqua, quam peccatum notorium induxit, super qua Episcopus dispensare potest, vt expressius aliis resoluit Ioan. Imol. in cap. 1. col. 4. de iud. Dixi *Concubinarius, aut fornicarius*: quia quo ad effectum incurrendi suspensionem

sionem à sacramentis, & excludendi ab officiis diuinis idem est de fornicario vago, qui cum multis se permiscet, quod de eo, qui vnam concubinam habet, Syl. verb. concubinarius. q. 1.

77 Est autem non mediocre dubium inter recentiores, An qui audiunt missam publici concubinarij mortaliter peccent. Ad quod resolutorie dico tria. Primum quod peccãt illi, quorum auditio est causa, vt ille eam dicat, & sine iusta causa eã audiunt: quia mortale peccatũ est præbere causam mortaliter peccandi sine iusta causa. vt dictum est supra c. præc. nu. 15. Quo fit, vt prudentiæ sit potius commendare missam sa-

79 cerdoti bono, quã malo. Tum quia commendare illi est aliquale peccandi periculum: commendare autem huic, nullum. Tum quia licet quo ad essentialia missæ, scilicet cõtinẽtiam realem corporis, & sanguinis Domini, & quo ad effectum operis operati pares sint missa boni sacerdotis, & mali. cap intra. 1. q. 1. quo ad tamen preces, & effectum operis operantis, multo melior & efficacior est missa boni, quam mali, secũdum omnes, vt diximus in Enchirid. de orat. & hor. canonic. super cap. quando. de consecr. dist. 1. c. 19. nu. 59. & c. 20. nume 67.

80 Secundum, quod qui probabiliter ignorat legem prohibentem, ne quis missam cõcubinarij nototij, aut fornicarij audiat, non peccat: quia ignorantia probabili iuris positiui excusatur. c. 2. de consti. Neque confessarius tenetur ad docendum eam pœnitentẽ: immò imprudentiæ esset facere vt ait Gab. in 4. dist. 13. q. 1. dub. 4. & Ros. ver. clericus 3. §. 2. quod nostra sententia intelligendum est, quando consideratà qualitate pœnitentis, & clerici illa admonitio nihil prodesse crederetur.

Tertium, quod scientes, aut scire debentes prædictam legem, peccant mortaliter audiendo eam. Tum per cap. præter. cap. nullus. 31. dist. & cap. si qui sunt. cum multis aliis. 81. dist. & cap. vestra. de cohab. cleric. & alia multa. Tum quia S. Tho. in quod l. 11. artic 8. cum omnibus fere antiquis hoc tenet, & Card. Turrecrẽ. in multis locis, præsertim, in dictis c. præter. & cap. nullus. & si qui sunt. addens, se dignissimam sententiam, in d. cap. præter. scilicet quòd mortui in eiusmodi peccato non sunt in loco sacro sepeliendi. Quod notandum est contra eos, quibus morientibus candelam in manu tenendam tradunt concubinæ. Tum quia idem asserit Pan. cum communi in d. cap. vestra, & alibi sæpe, & communis Theologorum, in. 4. dist. 9. quidquid dicat Gab. vbi sup. & Maio in d. dist. 9. & Adria. in 4. de sacram. eucharist. col 3. cum aliis quibusdam. Nã Conci. Trid. canones antiquos super hoc latos approbat adiiciẽdo pœnas graviores, quam illi adiecerunt in c. 14. de refor. sess. 25.

81 Decimosextò peccat mortaliter, qui sacrificat extra locũ. de consecr. dist. 1. cap. missarum. & quamuis ante Concil. Trid. de licentia episcopi, vt in Manuali Hispano diximus, celebrari poterat extra illum super ara sacra portatili aliis necessariis interuenientibus cap. concedimus. de consec. distin. 1. post illud tamen, non licet episcopis illud concedere

per decretum eius supra. nu. 68. descriptum. Nec ipse Papa eam concedit, saltem non episcopis, etiam in vrbe morantibus, neque aliis quam Cardinalibus: licet nobis in singulare beneficium ea data sit, cuius concedendi pars magna fuit Illustrissimus, & Reuerendiss. Cardinalis Iacobus Sabellus S.D.N. Vicarius generis Sabellorum antiquitate, recondita prudentiæ, & immotæ in recto cõstantiæ, aliisque nominibus Vibi, & orbi gratissimus.

82 Credimus autem quòd sicut de licentia, d.c. concedimus, poterat ante prædictum Consilium celebrari, propter necessitatem sine licentia episcopi: ita posset etiam hodie: quia non videtur quo ad hoc esse illi derogatum per concilium: & consequenter ei adhærendum, arg. l. præcipimus. C. de appel. Quod est notandum pro terris, in quibus frequentissimæ supplicationes fiunt, ad aliqua parua eremitoria, præ quorum foribus solet dici missa, vt ab omnib⁹ audiatur: & pro primitiis seu primis missis sacerdotum, ad quas maxima multitudo, quã ecclesia capere non potest, solet conuenire. Multò minus autem posset dari licentia celebrandi in mari, vel flumine, vbi effusio sanguinis timeri posset, etiam vrgẽte quauis necessitate, S. Anto. 3. par. tit 13. cap. 6 §. 4. per quod ipsum decretum videtur sublatum priuilegium Prædicatorum, & Minorum, in quoui s loco honesto celebrandi, allegatum per Angel. verb. Missa. §. 39. cuius in Manuali Hispano meminimus.

83 Decimoseptimò peccat mortaliter, qui in ecclesia interdicta celebrat, & sit irregularis, & qui in polluta sanguine, vel semine, non tamẽ sit irregularis, c. is qui. in princ. & §. 1. de sent. excom. lib. 6. Et qui scienter, aut per ignorantiam crassam celebrat super ara enormiter fracta, aut non consecrata, aut in consecrata, quæ hostiam & calicem, quo celebrat, non capit, c. 1. cum ei annot. de consecr. eccle. Dixi, *Enormiter*, per c. quod indubiis. eo tit.

Decimooctauò peccat, qui ante recitatas horas matutinas celebrat: quia est contra consuetudinem generalem Ecclesiæ: nisi incidente aliqua repentina necessitate ad vitandum graue aliquod damnum, aut scandalum id faciat, Syl. verb. missa. q. 6 Ante tamen recitatam primam celebrari potest, nisi esset consuetudo, vel constitutio contraria, quę & si esset, intelligenda foret, de missa maiore, & recitatione in choro, & non de alia, secundum Ang. vbi sup. §. 1. & Syl. vbi sup.

Nec quidquam obest cibus, & potus sumptus post matutinas preces, recitatas ante mediam noctem: modo post eam nihil sumatur, iuxta Adria. in 4. de euchar. col 27. & alios, quos retulimus in c. liquido. de consecr. dist 2.

84 Et qui sine omnibus vestibus sacris, aut sine corporalibus, aut sine libro, saltem continente canonem, scilicet, *Te igitur*, vsque ad communionem, celebrat. iuxta S Anto 3. par. tit. 13. cap. 6 §. & Direct. lib. 1. tit. 7. §. 55. etiam si festum vrgeret, iuxta eũdem ibidem: etiam si aliter mortem vitare nequeat, secundum Caietan. 2. 2 quæst. 96. art. 4. (quod nobis satis durum videtur) licet si celebrat non fi-

fiat irregularis. Et potest loco cinguli stolam longam adhibere, & loco stolæ manipulum longum, iuxta Palu. in 4. dist. 13. q. 2. col. 5. Quoniam cingulum non benedictum adhibere potest, iuxta Richard. in 4. dist. 13. q. 4. art. 3. & Scot. in 4. dist. 13. q. 2. quia cingulum, & calcei, secundum ipsos, benedici non solent, contra quos facit, quod etiam pro eis benedictio in Pontificali nostro reperitur. Hæc autem benedictio ad episcopum spectat iure cõmuni: priuilegio autem Papæ ministri, & prouinciales fratrum Minorum possunt benedicere corporalia: & iidem, & custodes, & guardiani alia ornamenta pro suo ordine, & pro monialibus S. Claræ, & tertij ordinis, & non pro aliis com pend. priuil. verb. benedicere.

85 Decimononò peccat mortaliter, qui sine aqua, aut lumine celebrat. capite fin. de celebr. missarum. Et qui consecrat in pane fermentato, aut corrupto, ita vt substantiam panis perdat, Richard. in 4. distin. 11. art. 2. quæst. 2. ad 1. & quæst. 5 Aut in omphacio, aut in vino adeo acido, aut adeo lymphato, vt substantiam vini amittat, & consecratio nulla est. Dixi, *Substantiam amittat*: aliàs secus, idem Richard in 4. distt. 10. Et qui solum vinum sine aqua consecrat, licet valeat consecratio, cap. 1. & c. cum glos. Archid. Cardin. & commun. de consecr. dist. 2. Et qui noctu ante lucem celebrat, iuxta omnes, excepto episcopo, secundum Palud. in 4. dist 13, quæst 2. conclus. 2. arriè. 2. post glo. c. fin. de priuil. lib. 6. Quæ quamuis nulla ratione firma videatur nisi (vt aliàs hic, & in cap. ecte sancta. de consecr. dist. 1. dixi) quia tamen vt audio, vsu recepta est, defendi posse videtur ob episcopi prærogatiuas, quas glos. prædicta refert, & quia etiam, vt nos vidimus Tholosæ ab hinc sexaginta circiter annos in Gallia Aquitanica, vbi omnes ferè quotidie audiebãt missam quo operarij, filij & famuli eam audirent, longe ante lucem incipiebãt fieri missæ. Quod ipsum & in Gallia Belgica etiam nunc fieri audio. Quem vsum, difficile puto relictum iri, etiam post receptum concilium Trident. iubens horis tantum debitis celebrari: nam & de episcopi, aut alterius superioris licentia, propter necessitatem communicandi infirmum morti proximum, & defectum eucharistiæ eam ante lucem dici posse, ait S. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 6 §. 4. quem Angel. & Sylvest. & posteriores sequuntur: immo & nostra sententia in tali casu etiam sine licentia episcopi absentis, arg. capit. quod non est. de reg. iur.

Est etiam communiter illicitum celebrare post præteritam notabiliter horam sextam, secundum Ioan. Andr. in cap. 1. de celeb. missar. communiter receptum: sed, nostro iudicio, minus bene. Tum quia non est textus, neque ratiò, quæ prohibeat ieiuno, vbi sine scãdalo potest, facere eam ante nonam. Tum quia est oblatio, & sactificium ineuentum à sacerdote in persona Christi oblatum, & idem, quod ea hora ab ipsomet Christo fuit oblatum cruentum, quod quædam prima missa fuit, vt copiosè probaui in cap. solent. de consecr. dist. 1. & breuius in præfecto Ench de orat. c. 3 nu. 44. & frequenter id feci, præsertim diebus festis

festis: vt ego & mei iter facientes, & post meridiem peruenientes ad loca intenta, satisfaceremus præcepto. Cui consequens est, priuilegia de dicenda missa circa, vel post meridiem, continere ius commune, & tantum prodesse ad sedandos animos scrupulosorum, qualia esse etiam alia multa diximus in d. c. quando. c.3.nu.57.& c.19.nu.84.

36 Nec videtur obstare prædictum decretum sess. 22. quatenus prohibet, ne sacerdotes aliis horis, quàm debitis celebrent: quia id intelligendum est de his ante lucem, vel post nonam, qua prædicta oblatio Christi cõsummata fuit: nam & quadragesima dici debet post nonã, quam constat esse post meridiem, & horam cœnandi in die ieiunij, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 147. artic. 7. consequenter videntur sublata priuilegia Sixti IIII. Innoc. V. & Leonis X. de dicenda missa ante horam legitimam, quorum tenores in Manuali Hispano hoc in loco relatos prætermitto.

Ad nouæ autem quæsitum de presbytero non potente finire missam cœptam, resp. primo, quod potest relinqui imperfecta, si non erat facta consecratio: quia capit. nihil. 15. q. 1. quod habet officium diuinum non debere relinqui imperfectum, intelligitur sine iusta in id causa. Nam in capit. 27. num. 34. dicetur missam cœptam relinquendam etiam superueniente excommunicato, qui nolit abesse.

Secundo, quod si facta sit consecratio, est perficiẽda per alium ieiunum, qui continuabit eam à loco in quo alter reliquit d. cap. nihil. vel per non ieiunium, si deest ieiunus quia maioris momenti est præceptũ de missa post consecrationem per alium presbyterum perficiẽda, quod est diuinum, aut diuino proximum cap. comperimus. & cap. relatum. de consec. distin. 2. quam de communicando ieiunè, quòd est humanum. cap. liquido. eod. dist.

Tertiò, quod quamuis nec prædictum cap. nihil nec ei concordantia præcipiãt, vt alius presbyter eiusmodi casui præsens teneatur illam perficere: arbitror tamen teneri, etiam si non esset ieiunus, deberique se vestire sacras vestes, & concipere contritionem, & confiteri, si opus foret, & copia id faciendi adesset: tum ad euitandum scandalum, quod ex ea imperfecta oriri posset: tum ob conseruandum tanti sacramenti honorem, ad quod longè magis tenemur, quam ad seruandas fortunas proximi: quas tamen, si sunt notabiles, præcipimur seruare, saltem quum commodè possumus, per citata in commen. ca. non in inferenda. 23. quæst. 3. & redacta in summam cap. præced. à nu. 15.

Quartò, quod non est tamen perficienda per laicũ, nec per clericum presbytero minorem: quia non potest, arg. c. fin de sum. Trin.

37 Vigesimò peccat mortaliter, qui pluries quam semel eadem die celebrat c. consuluisti. de celebr. mis. & cap. sufficit. de consec. dist. 1. (per quod probatur rectè dici facere missam, quod moneo, ne quis mali consulat eam phrasim, qua interdum vtor, & grauiter vtitur illustrissimus Cardinalis Sabellus, in edict. refor. clericorum) nisi in 7. casibus, iuxt

Palu

Palud. in 4. dist. 15. quæst. 2. & S. Anto. 3. part. titul. 13. cap. 6. §. 4. Primus die Natiuitatis in quo tres dici possunt, d. capit. nocte sancta. quarum dicendarum optimus modus videtur, vt prima, media nocte: secunda, diluculo: tertia, hora tertia dicatur: quamuis etiam bene dicantur interdiu omnes tres, sine intercapedine, aut cum ea: sed ante lucem non potest dici recte, nisi vna: vt post Angel. verb. missa. § 40. & Syl. verb. missa. 1. quæst. 6. & 7. & diximus in d. cap. nocte. Secundus casus est, quando superuenit dicta iam missa aliqua persona notabilis, veluti episcopus, quem singulis diebus decet eam audire, vel dicere. d. cap. fin. de priuil. lib. 6 Et eadem, vel maiori ratione, cum superueniunt peregrini, etiam si non sint tanti status, si præcepto illo die audiendam missam teneantur. Tertius, cum repente post dictam missam corpus defuncti occurrit sepeliendum, & consuetudo habet, ne sepeliatur sine missa, quando ea celebrari potest. Quartus, quando aliquis ita ægrotat, vt communicare necessario debeat, & non est eucharistia. Quintus cum quis præest duabus ecclesiis vnitis duabus missis indigentibus, & non est alius, qui alteram dicat. Sextus, ob nuptiarum benedictionem Septimus, cum occurrit causa, quę iustè aduocatur ad hoc arbitrio boni viri per d. c. consuluisti. quòd habet licitum esse celebrare pluries, quam semel vrgente necessitate.

38 Notandum tamen, quòd neque in prædictis casibus est licitum, si sacerdos, qui semel celebrauit, non sit ieiunus: etiam si nihil præter solitam calicis purificationem sumpserit, neque si iam eodẽ die duas dixit, excepto die Natiuitatis: neque si adsit illius sacerdos, qui possit, & velit illam missam necessariò dicere, iuxcommunem prædictorum. Notandum est etiam omnibus diebus missam dici posse, cap. visum. de consec. distinct. 1. exceptis feria sexta, & sabbatho hebdomadæ sanctæ, cap. sabbatho de consecr. distinct. 3. Nec obstat consuetudo, quam contrariam in sabbatho sancto videmus: quia missa, quæ nunc in illo dicitur, non est eiusdem diei, sed noctis resurrectionis: quamuis eam paulatim inbecillitas humana tanti ieiunij impatiens, ad horam reliquarum retraxerit: vt significat collecta, quæ incipit. *Deus qui hanc sacratissimam noctem, &c.* & in prædicto Enchirid. siue Manuali de orat. cap. 3. num. 43. probauimus. In sexta vero feria sancta nec dicitur, nec dici debet, nec publicè, nec secretò: sed solum suscipitur hostia, quæ ex præcedenti die consecrata remansit. At in die Iouis sancto, aut feria quinta eiusdem hebdomadæ, & publice & secreto dici potest: quia id nullo iure prohibetur: imò dictum cap. sabbatho bene ponderatum, permittit: licet illo die fere omnes à celebrando abstineant: alij ob defectum commoditatis: quia in illo die Sacristæ altaria denudant: alij quia falsò putant non licere: alij ob auditionem confessionum.

39 Vigesimo primò peccat presbyter, qui non celebrat sine iusta causa saltem ter, aut quater in principalibus festis anni, in quibus laici religiosores communicare solent.

S. Tho

S.Tho.3.part.q.82.artic.10.& Rich. in 4.dist.13.artic.2. vt latius tradimus. in d.Enchir.de orat.arg.c. dolentes. de celeb. miss. etiam si non habeat curam animarum,nec alia ratione, qua presbyteri) sit obligatus. Quin Concilium prædictum tcil.13 ca.14. iubet Episcopis curare, vt presbyteri saltem dominicis, & festis solennibus sacrificent,& qui curam habent animarum tam crebro, vt muneri suo satisfaciant. Per quod tamen ante præceptum episcoporum, non videtur presbyter teneri plurics ad missandum, quam ante Concilium, quum id non præcipiat: sed tantum curam ad id cogendi episcopis committat.

89 Vigesimosecundò peccatis, cuius negligentia sanguis in terra, aut altari effunditur: & quid fit tunc faciendum statuitur in cap. si per negligentiam.de consecr.dist.2.in hæc verba, *Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & sacerdos quadraginta diebus poeniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus poeniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium nonem diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat. calice supposito: & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.* Ex quo infertur non debuisse eremare ob hoc quædam corporalia pretiosa amicum cuiusdam,qui è longinquo me super hoc consuluit.

Vigesimotertiò peccat mortaliter, qui reliquias sacramenti, quæ in calice, aut in patena remanent quamlibet exiguas,post ablutionem sumit, iuxta mētem Palud. in 4. dist. 9.q.1.in fi.& Rosel. verb. eucharistia 3. § 13.quod est verum, si ex interuallo id faciat, secus, si incontinenti, vt neruose probat Caie.3.tom.de celeb. miss. q.1. quia quæ incontinenti fiūt inesse videtur.l. lecta.ff. de reb. cred. Quare quas ex interuallo inuenerit custodire debet in alterum diem sumēdas:aut certè ministrare eas ali cui ad communicandum dispositō, iuxta eosdem. Porro humor in calice remanens post sumptionem sanguinis, quoad omnino exsiccetur, magna cum reuerētia tractādus est, quia ibi est sanguis D.N. Iesu Christi: & ideo prima ablutio facienda est vino, & summa cum reuerentia sumenda. c. ex parte. de celebr. miss. 90. & quamuis post sumptionē corporis, & sanguinis aliqua particula hostiæ in ore remanserit, licite potest sumi ablutio: licet ea prius deglutiatur:quin & toties potest sumi quoties opus fuerit ad hostiā deglutiēdam:quod decentius videtur,quā ad id digitum ori inferre secundum Rosel.ver.eucharistia.3.§.22. Syl. eo. q.8. Et si sumpto sanguine, aliquid hostię in calice manserit,debet eam digito ori calicis admouere, & ante mistionem vini sumere, iuxta Scot. in 4.dist.8. q. 3. Decentius tamen videtur,quod Ang.dicit verb. missa. §. 20. & Sylvest. verb. eucharistia 2. q. 9.& eucharistia 3. q. 8. quodque ego soleo facere, scilicet vt vinū infundatur,& simul cum particula hostiæ sumatur,arg.d.l.lecta. ff. si cert. pet. & l.continuus ff.de verb.oblig.

91 Præterea notandum,quòd cum post hostiam sumptam, volēs sumere sanguinem adeerterit, nihil, vel solam aquam esse in calice, debet secundum Scotum in 4.dist.8. accedere ad cornu altaris,quasi ablutionem accepturus,& sumpto vino, & aqua,vel solo vino, cum aqua, quæ remāsit in calice,redire ad medium altaris, & ibi consecrare, incipiens ab illis verbis: *Simili modo, &c.* prosequens vsque ad illa: *Vnde & memores, &c.* aliis prætermissis, ne populus propter moram errorem intelligat,sanguinem Domini cum reuerentia percipere, & mox purificatione accepta reliqua prosequi.Quę praxis videtur præstare praxi S.Tho. qui in 3.part quæst.83.art. 6. censuit, quòd deberet alteram hostiam non consecratam, cum nouo vino aqua mixto sumere, & incipiens à verbo. *Qui pridie.* consecrare sub vtraque specie, & missam in finem vsque prosequi perinde, ac si alteram hostiam non cōsecrasset, nec sumpsisset neque aquam calicis degustasset. At si is, cui hoc contingit, ignorat præceptum ecclesiæ: quo qui celebrat tenetur sub vtraque specie consecrare, & sumere,capit. relatum de consecr. distin. 2. aut inopinato casu perturbatus non suscipit, nec consecrat vinum, non peccat ob id mortaliter, iuxta Adrian.in 4. de sacrament.eucharistiæ colum.23.Subnotandum item, quòd qui multas hostias consecrandas accipit, & memor tantum illius, quam manibus tenet, verba consecratoria profert,omnes consecrat. Quia quamuis non habeat intentionem actualem eas consecrandi, habet tamen virtualem manantem ex actuali, quam habuit consecrandi, quando illas accepit consecrādas. Scot. in 4. dist.12.& Ang. verb.eucharistia 1. §. 27.Pan.cum communi in cap. sacerdos.de offic.ordin.

Vigesimoquartò peccat mortaliter, qui aliquam pecuniā accipit, ad per se, vel alium dicendas missas: & facit eas ab aliis dici, aliquid sibi retinendo de pithantiis pro eis tradendis,secundum Maio.in 4.dist.45. q.3. Contrarium tamē sentit Sot.li.5. art.1.de iust.& iur. Nobis vero videtur,quòd opinio Maioris procedat, quando qui pecuniā accipit non habet vllum officium,ob quod lex,aut consuetudo aliquod illi stipendium pro eiusmodi cura ex quaque pithantia missæ cōstituit,impensis eorum, qui eas dicere debēt: quia licet omnes sibi commissas dicere faciat: nō tamen quantū debet eas dicentibus persoluit,& sic iniustitiam cōmittit. Soti vero,quando est persona, quæ officiū prefato modo habet,& etiam quando qui dat pecuniam, dat plusquā ad salaria ordinaria sufficit, cū voluntate saltem tacita, vt quod supereſt retineat sibi pro cura,& industria,quam ei rei impendit, arg. cap. scienti, & consentienti non fit iniuria. de reg. iur. lib. 6. Cuiusmodi videntur esse aliquot parochi,& sacristæ, quibus consueuerunt commendari missæ dicēdæ, & tradi eleemosynæ pro eas dicturorum pithantiis.

92 Vigesimoquintò peccat mortaliter, qui obligatus ad dicendam missā pro aliquo non applicat ei totam illam eius partē, quam tenetur

ei applicare. Tum quia vt diximus in Enchirid. de orat. c. 20. num. 77. & in c. visum. de consec. dist. 1. & cap. non mediocriter de consec. dist. 5. & infra eo. nu. 111. vna missa pro multis dicta non tantum valet cuilibet eorum, quantum valeret dicta pro eo solo. Tum quia secundum Scot. pulchre quodl. 20. hac de re differentem, triplex est valor missæ, scilicet generalis, qui debetur toti ecclesiæ iuxta intentionem illius, medius, qui ei pro quo dicitur, & specialis, qui dicenti. & ita qui totum valorem generalem non applicat toti ecclesiæ secundum ordinationem eius: & qui non applicat totum medium ei pro quo dicit peccat: quia iniustitiam committit: quamuis valorem specialem sibi debitum iuste possit applicare sibi, vel alij cui voluerit, siue addat plures collectas, quam debeat, siue non, iuxta Maio. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. cui consentit ibidem Vuend. in addi. ad 4. Gab. licet repugnare videatur in hoc vltimo Scoto, vbi supra. Quæ tota est doctrina singularis, vsu ecclesiæ merito recepta: licet S. Tho. 3. part. q. 76. art. 5. post ipsum Syl. verb. missa. 1. quæst. 9. & Caie. in opus. tom. 2. tract. 3. de celeb. miss. & nonnulli alij aliud tenuerint. Tum quia qui tenetur ad dicendum vnam missam alicui, siue quia liberaliter eam illi promisit, siue quia pro ea dicenda pithantiam accepit, nõ satisfacit illi, eam etiam pro alio dicendo: nisi ille tacitè, aut expresse cõsentiat, vt vbi supra cum communi diximus. Tum quia paupertas dicentis non sufficit, vt pro vna missa duæ pithantiæ capiantur, quamuis Sot. lib. 9. quæstio 3 art. 1. de iust. & iur. cõtra minus benè teneat. Tum quod nullo ad id textu, ratione, vel alio authore fulcitur. Tum quòd ipsemet ait in eo. ar. 3. quòd qui habet vnde sustentetur, duas pithantias pro vna missa accipere non potest, & paupertas dicentis non tollit iustitiam, nec debitum alteri, arg. cap. ex tenore. de for. compe. & cap. denique. 14. quæst. 3. Tum quòd ecclesia non instituit missas ad alendos pauperes clericos: immò sanxit, vt nullus pauper ordinaretur. cap. non liceat. cap. episcopus, cap. tuis & cap. cum secundum. de præb. & qui ordinatus in paupertatem inciderit aliqua arte, siue agricultura sibi victum quærat. capit. clericus victum. 61. dist. Tum quòd non obstat illud 1. ad Corinth. 9. *Qui altari seruit, de altari viuat*. per ea, quæ ad intelligentiam illius diximus. in d. c. cum secundum, & quia quilibet sacerdos plus in alis, quàm in dicenda missa ecclesiæ seruit, siquidem vt minimum horas canonicas recitat. cap. 1. cum ei adnot. de celebrat. missar. & ideo non tenetur ei victum præbere solus ille, pro quo celebrat: & quia quælibet pithantia dari solita communiter sufficit pani, & vino emendis, quibus solis, quinimò pauciores multi laici etiam coniugati sustentãtur tota die laborantes. Ex quibus infertur responsio ad nouæ quæsitum, scilicet, quòd neque parochus, neque aliquis alius, qui tenetur dicere missam pro vno, satisfacit dicendo pro illo, & alio: nisi de consensu eius, pro quo tenetur expresso, vel tacito: qualis colligitur ex consuetudine seruata in parochia, vt parochus, dicat missam publicam de defunctis pro parochiano defuncto sepeliendo, vt sentit Scot. in d. quodl. art. 2.

93 Vigesimosextò peccat mortaliter excommunicatus, interdictus, aut suspensus suspensione maiore, qui aliquem actum particularem, & proprie siue specialiter ad suum ordinem pertinentem exercet; & fit irregularis, in quo solus Papa dispensat. c. is cui. de sent. excom. lib. 6. cum moderatione adhibenda infra c. 27. num. 244. & seq. Et qui missam, aut alia diuina officia celebrat. in loco non interdicto corã personis interdictis; & est ab ingressu ecclesiæ suspensus, c. episcoporum. de priuileg. lib. 6. & si stante illa suspensione celebrat, fit irregularis, d. c. is cui.

94 Quod quantum ad suspensionem, & irregularitatem intelligendum est de exempto à iurisdictione ordinaria, & non de non exempto: quia cap. episcoporum. quod de hoc loquitur, non comprehendit non exemptos, iuxta opinionem Arch. ibidem receptam per Domin. Perus, & Io. Colon. & Villadiego de irregular. col. 7. & Cald. consi. 4. de sent. excom. quo nonnullos consolati sumus: quamuis S. Anto. 3 part. tit. 15. c. 1. & aliqui Summistę sequantur gloss. eiusdem c. quæ oppositum tenet, non perpendentes Ioan. And. eius authorem super eadem gloss. postea ob multas rationes tenuisse, quod à nobis dicitur.

95 Vigesimoseptimò peccat mortaliter clericus vnius ecclesiæ, qui clericos alterius ecclesiæ ad diuina officia tempore interdicti generalis admittit, iuxta opinionem Arch. in c. alma mater. de sent. excõ. lib. 6. quam obseruari in Gallia vidimus. Cuius tamen contrariam Ioan. Andquæ in tota Hispania obseruatur, vetiorem iudicamus.

Vigesimooctauò peccat mortaliter, qui interdicta generalia, aut particularia (de quibus in c. 27. dicetur) non prout debet obseruat: & qui aliquem excommunicatum, aut nominatim interdictum, aut manifestum vsurariũ sepelit: & est excommunicatus. cle. 1. de sepul. de quo c. 27. nu. 168. & seqq. dicemus.

96 Vigesimononò peccat mortaliter, qui non habens ad id facultatem scienter, aut per ignorantiam crassam confessum à cæcis & censuris, à quibus non poterat, excepto mortis articulo, absoluit: sed irregularitatẽ non incurrit, nec aliam censuram: tenetur tamẽ monere sic absolutum, si commode, & sine scandalo potest, Syl. verb. confessor 3. in prin. Et qui commutat vota, aut in eis absque authoritate dispensat, vt dictum est supra c. 12. nu. 72.

97 Trigesimò peccat mortaliter clericus ordinis sacri, aut beneficiarius, monacha, aut monachus, qui deputatus ad chorum omittit, vel vult omittere per totũ diem horas canonicas, aut aliquam partem notabilem earum, aut notabiliter male eas recitat, sine proposito iterum recitandi, absque iusta causa, aut absq; attentione necessaria: quia vt probamus in Enchir. de orat. c. 7. nu. 2. & 5. hæc tria hominum genera tenentur ad legitime recitandas omnes horas canonicas singulis diebus. argu. cap. 1. de celebr. missar. & cap. fi. 92. dist. adiuncta ratione forti S. Anton. qua probat, ad id teneri

monachos. Dixi *ad chorum*: qui enim prohibentur ad alia obsequia extra chorum; puta bellica, vel ad alia opera seruilia, non tenetur ad illas, sed ad alia illarum loco eis ab ordine statuto. Dixi, *omittit, vel vult omittere*: quia toties peccat mortaliter, quoties id facit vel deliberat id facere, argum. supradictorum in c.11. à nu.2. Dixi, *per totum diem*: quia licet peccet; quia eas non recitat, etiam priuatim extra, aut intra ecclesiam horis debitis sine aliqua causa, (vt probamus, in d. Ench cap.3.num. 45. per cle.1.de celebr.miss. & per cap.1. eod.tit. vbi Ioan. And. id tenuit) non tamen peccat mortaliter, si ante mediam noctem eas dicat, vt post S. Anto.2.part.tit.9.cap.12.§.3.& 5 probamus in d. Ench.c.3. nu.97 addentes primo, melius esse anticipare illas, quam postponere; quando per occupationem debitis horis dici nequeunt: quia illud prouidentiæ, hoc negligentiæ videri potest. Secundò, non esse peccatum, immò meritum propter honestas occupationes matutinas horas vespere præcedēti recitare, & mane vsque ad nonam inclusiue, & post meridiem reliquas simul, argu cap.1.de celeb. miss. quia vt ait ipse S.Tho.quodl.5.art.18. melius est anticipare laudes Dei, & postea alium actum studiosum agere, quam vnum per alterum impedire; quamuis anticipans, vt voluptuosius mane dormiat, venialiter peccet, arg.c.clericus.191.dist.

98 Dixi *partem notabilem*: quia omittere paruam, puta, vnam dictionem, aut partem versus, etiā sine voluntate repetendi, non est plusquam venialem: modo ne ob contemptum, aut cum notabili scandalo omittatur, per dicta in d. Enchiri c.10. num.18. in fin.& nu.13.& supra cap 11.à nu.2. quidquid sentiat S.Anto.2 part tit.9. cap. 12. §. 3. Dixi, *Sine proposito supplendi*: quia cum eo ne veniale quidem est aliquam partem notabilem cum aliqua causa omittere, veluti ob tussim, collocutionē, aut responsionem ad aliqua rem necessariam recitando cum aliis non expectantibus. Dixi, *aut notabiliter male recitat* propter eos, qui toties contrahunt syllabas, dictiones deglutiunt, & suos versus incipiunt, antequam ij, quibus cum recitant, suos absoluant: quod est graue peccatum, & omnium, quæ in horis recitandis, & cantandis admitti vidi frequentissimum: & propter eos, qui recitāt cum iis, qui toties hoc faciunt, vt iudicio boni viri fiat notabilis confusio: ij enim mortaliter peccant: quamuis qui parum, non nisi venialiter, per dicta in d. Ench.c.10 nu.11. per cle.1. de celeb miss. & c. dolentes.eo tit. & in statutis Ecclesiæ Gallican. titulo,

99 Qualiter horæ. Dixi, *sine proposito eas iterum recitandi*: quia qui cum eo recitat, & postea iterum eas repetit, non peccat mortaliter: vt faciebant quidam amici mei, qui moniti à nobis, quod non satisfaciebant recitando cum prælatis; & aliis balbutientibus, & versus notabiliter anticipantibus, verentes eos monere, ne suos versus anticiparent, excusabant se, dicentes se sic recitare cum proposito iterum bene recitandi. Non etiam peccat mortaliter, qui per obliuionem, aut inaduertentiam aliquam horam, aut eius partem notabilem omittit: aut horas qu-

quam prius recitare debet, posterius recitat: veluti qui prius tertiā, quam primam; aut prius aliquem psalmum, hymnum, aut lectionem posterius dicendam: immò nec tenetur ad ea iterum reciranda, neque parte omissa suppleta ad prosequendum omnia, quæ postea dixit: satis enim est supplere per obliuionem, aut inaduertentiam omissam, Palu. in 4. dist.15. q.5.art.2. Dixi, *sine causa iusta*: quia sunt etiam aliquot causæ excusantes.

100 Prima infirmitas eiusmodi, ob quam directe vel indirecte precum recitatio infirmo noceret, iuxta Inno. & Host. in cap.1.de celeb.miss. quod videtur intelligendum de nocumento notabili, quod sequeretur non solum recitando horis debitis, sed etiam ante vel post illas, vsque ad mediam noctem: & etiam recitando cum socio, si eum haberet; & alias non, vt diximus vbi supra c.11. num 1. inferentes febrim, quæ statis horis recurrit, non excusare illum ante, vel post illas commode dicere valentem; nec consequenter febrim quartanam, aut aliam leuem. Host.in d.c.1.de celeb.miss. nec aliā, quæ non impedit colloquia grauia, & negotiorum, ac rerum grauium ordinationem, vt dixi in dict.cap.11. num.4.& 5. Quo fit, vt arbitrer multos nimis facile se excusare. Equidem non sum ausus excusare me ob ægritudinem à pronunciandis horis, nisi vno vel altero die spatio 70. circiter annorum, quibus recito: licet quinquies conclamatus fuerim. Porro, vt non est opus repetere post ægritudinem horas in illa omissas, iuxta Innoc.& Hostien. receptos in dict. cap.1. ita non est opus eas ab alio recitante audire ægritudinis tempore, Palu.in 4. distin.11. q.5.ar.2. conclu.1. nec aliud sentiunt Innoc. & Host. in dict c.1. quicquid dicat Gerard. de assiduitate orand. col.4. & monstramus vbi supra c.11. num.3. Neque est necesse loco horarum mente Deum precari, quidquid dicat Maio. in 4. dist.12. quæst. 6. post arg.10. sine textu, aut ratione concludente.

101 Secunda causa à recitando excusans, vt vbi supra diximus, est occupatio repentina, aut quæ sine scandalo, aut peccato omitti non possit, iuxta Henric. de Gand. in quodl. 15. q. 12. cui satis consentit Maio. in 4. distinct. 12. quæst. 6. col. 4. & super Mat cap.6.col.12.& Syl. verb. hora. quæst. fin. vt si necesse foret horas omittere ad secādos populi tumultus, qui excitantur; aut vt ad concionem, quæ sine scandalo, aut magno damno omitti non potest, necessaria parentur. Et idem quando occurrit necessitas habendi prælectionem in concursu publico, vel conclusionum defensione, quæ recte facere plurimum reipublicæ, vel priuatæ interesset, & eorum studium, & precum recitatio se non comparerentur, vt præfati sentiunt: quamquam nos, gratia Deo, ad hunc vsque diem nunquam earum recitationem ante, vel post eiusmodi actus omisimus; & si frequēter nobis occurrerunt: neque ob geminas in die lectiones, quas multis annis Tholosæ & Cathurci primum, deinde Salmanticæ, & Conymbricę habuimus: nec ob quaternas toto vno anno in Gallia singulis diebus

etiam festis, exceptis Virginis Matris, Dominicis, & Apostolorum habitas: ne facile consuleremus alteri, qui recitãdo partem ante signatum concionandi, vel prælegendi punctum, & partem post concionem, vel lectionem, & partem inter studendum, satisfacere potest: attẽto quod sine ope diuina nihil, & cum ea, omnia fieri possint, iuxta illud Pauli ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat Christus.*

Tertia causa est defectus breuiarij, siue id sua culpa, siue absq; ea cõtingat: quia quamuis peccet breuiarium sibi non comparando: non tamen peccat non recitando, quum id præstare nequeat, modo iuste pœniteat illud non comparasse, arg l. impossibilium ff de reg. iur. & c. nemo ad impossibile, eo. tit. lib. 6.

102 Quarta causa est dispensatio Papæ, iuxta Card. Turrecre. in cap. Eleutherius, 91. dist. neq; aliud sensit Card Flor. in cle. 2. de celeb. miss. quamuis illi ita visum fuerit, vt vbi supra num. 9 diximus: admonendo, quod quamuis Papa in hoc dispensare possit; rarissime tamẽ solet, nec cuiquam ea (mea sententia) expedit: expertum enim est, benignitate Dei fieri, vt nihilominus quis proficiat in sui muneris functione recitando eas horis animi causa consumendis, quam omittendo. Vbi etiam probamus neminem à recitando excusari, eo quòd studeat, inseruiat, vel peregrinetur, quidquid dicat Gerar. de assiduit. orand. q. 6. & Abb. antiquus, in c. 1. de celebr. miss. vt diximus in dict. Ench. copiosiss. cap. 7. num. 18. quod neq; excommunicatio etiam denunciata à recitando sursum excusat c. presbyterum. 28. dist. & c. 2. & cap. illud. de cler. excom. min. Et nu. 27. quod neque tenuitas beneficij excusat, per glo. sing. in cap. clericus victum. 91. dist. quidquid Sot. lib. 10 de iust. & iur. q. 6. artic. 3. dicat: tum quia solo suo arbitrio nititur: tum quia tituli beneficiarij acceptatio, & non quantitas reditus, ad id obligat: tum quia sibi debet imputare, quod accepit illud, præsertim si permittitur dimittere, & non desit, qui velit illud accipere.

103 Quinta est, quòd non tenetur ad hoc nisi ratiõe beneficij: & quod eius nullos fructus, nec per se, nec per alium capiat, nec capere possit, nec in posterum capturus sit ob illud tempus, vt dixi in d. not. 7. num. 28 Addo, *Nec per alium*: propter multos pueros, & alios familiares, vel amicos, quorũ patres, heri, vel amici pro illis capiunt: quia isti non minus quam si ipsi caperent tenentur reg. qui per alium. lib. 6. Addo *Nullos*: quia quamuis non nisi distributiones quotidianas caperet, ad illud tenetur iuxta eosdem. Addo, *Neque capere possit*: propter eos per quos stat, quominus capiant, non accipiendo possessionem, vel non residendo.

104 Addo, *Neque in posterum capturus sit &c.* quia si litigaret, & habita sententia fructus sequestratos, aut ab aduersario perceptos obtinere deberet, teneretur secũdum omnes: quamuis possessionẽ non accepisset, nec accipere posset, quidquid Card. S. Xisti, & Palu tanquã magis Theologi, quam canonistæ in hoc senserint: quia fructus percepti, saltẽ post litem contestatã, debentur vero beneficiario, si vicerit: quamuis contra possessorem de proprietate litiget, tam in rebus spiritualibus, quã profanis. decis. Rot. 24. in nouis, per nota. in c. grauis. & per Inno. in c. in literis. de rest. spol. l. certum. C. de rei vend. & l. & ex diuerso. ff. eod. Vnde infertur, non excusari eũ, qui in pensionem omnium fructuum consensit ei, qui in suum fauorem beneficium renunciauit, (quod quotidie fiebat olim: nunc autem sub S. D. N. Greg. XIII. nunquam, aut rarissime) quia vere beneficiarius est, & habet possessionẽ beneficij, aut per ipsum stat, quo minus eam habeat: &, si vult potest aliquos fructus capere: quia potest seruire, & ad mercedem sui seruitij cogere eum, cui omnes fructus reseruati sunt: fructus enim illi solum intelliguntur, qui reliqui sunt deductis oneribus. l. fructus. ff. solu. mat. cum not. ibi, & per Feli. in c. ad nostram. de iureiur. Oppositum tamen nobis ibi visum fuit, & hic videtur de eo, qui cõsensit vt renuncianti omnes fructus, & 105 omne seruitium, & administratio beneficij reseruarentur: quia is nihil potest, percipere, neque seruire nolente pensionario. quæ est conclusio quotidiana, & singularis. Dixi in principali conclusione, *Sine necessaria attentione*: quia eius defectus est mortalis, vt probauimus in d. c. 13. per illud. c. & per cap. dolentes. de celeb. miss. & alia multa.

Porrò, attentio necessaria consistit in habẽdo à principio horarum proposito actuali, aut virtuali ad eas attendi, & postea actualiter, aut virtualiter attendẽdo aliqua attentione sufficiente, quæ est triplex. Prima, verborum; ne alia pro aliis, aut confuse, aut irreuerenter dicantur. Secunda rerum significatarum per ea. Tertia personarũ ad quas diriguntur, puta Sãctissimæ Trinitatis, Angelorum, ac sanctorum eius, & rerum petitarum ab eis, puta beatitudinis gratiæ, charitatis, fidei, spei, & aliarum virtutum, vt clarius aliis in c. charitas. 2. nota. 13. nu. diximus: addentes, quod harum trium attentionum secunda est melior prima, & tertia secunda. Item, tertium omnibus esse communem, & etiam primam fere omnibus; sed secundam solum callentibus idioma, quo horæ soluuntur. Non abs re autem addidi, *virtuali*: quia vt in d. c charitas. 2. not. 13. dicebamus, sufficit virtuale 106 quale habet, qui perit, vel accipit breuiarium animo huic obligationi satisfactẽdi, aut eundi ob id ad ecclesiam, & alia similia: ita, vt interrogatus, quare petis, aut facis hæc? vere rẽsponderet, ad recitandi obligationi satisfaciendum, iuxta ea, quæ post alios præsertim Maior. scripsimus in d. nota. 13. & in cap. inter verba. 11. q. 3. nu. 309. quod tamen propositum actuale, aut virtuale tollitur per propositum actuale, aut virtuale non attendendi: quale habet expressim, qui non vult attendẽre; & tacite, qui aduertit se euagari cogitando res à sua precatione alienas, & ad nullam dictarum attentionum animum reuocare nititur, iuxta communem: & etiam qui deliberatè se occupat in rebus exterioribus omnibus tribus prædictis attentionibus impatibilibus, attenta saltem industria recitantis, & ita se occupantis.

Vnde in d. not. 3. intulimus, eum qui scribit, aut legit aliena ab iis, quæ recitat, communiter peccare, etiam mortaliter, si deliberatè id faciat, recitando partem notabilem precum debitarum, saltem sine proposito iterandi: quia scribere, aut legere aliena ab eis, quæ recitatur, est opus externus, quod omnibus tribus modis attentationis repugnare videtur. Addidi. *Communiter*: quia necessitas, vel vrbanitas respondendi alicui, vel subscribendi epistolę, vel aliud simile faciendi, excusaret eum, qui cum aliis recitaret, & proponeret supplere postea, quæ socij dum ipse scribit recitant. Addidi, *Deliberatè, & recitando partem notabilem*: quia faciens illud non aduertendo esse ita cõtrarium recitationi, aut solum dũ quid paruum recitatur non peccat saltem mortaliter, per suprad. Ad primum circa hæc nouè quæsitum resp. ita licere officium maturinũ diei sequentis recitare, etiã ante solis occasum, sicut post illum toto horarum diei pensо persoluto, vt post Caiet. dixi in d. c. quando.

Ad secundum, quòd non satisfacit recitans per breuiarium nouũ trium lectionum sine dispensatione: quia sine illa non est iustus modus recitandi horas canonicas, vt ex eius prœmio patet, & dixi vbi sup. dicto cap. charitas.

Ad tertium, quòd non satisfacit quis recitãdo per breuiarium cuiuscunque diœc nisi esset ordinatus ad solum titulum patrimonij, & careret beneficio secundum Directo. lib. 1. cap. 8.

108 Porro supradictis nõ est locus in clericis minorum ordinum tantum, si non sunt beneficiarij vel monachi, vel pensionarij. Iure namque communi ad nihil determinatum recitandum tenentur: nisi cum ordinãtur, promittant, vel ordinatori præcipienti consentiant dicere aliquid, vt fieri solebat ab hinc circiter septuaginta duobus annis in Celiberia, cum primum primam tonsuram accepi: promittebat enim, vel ordinatori præcipienti consentiebat initiatus prima tonsura recitare quotidie Miserere mei. & initiarius aliis minoribus Canticum graduum, siue quindecim Psalmos graduales: quod tamen iam pridem non fieri audio. Dixi, *Vel pensionarii*: quia licet ante extrauag. Pij V. infra relatam, ad nullas preces obligarentur: post eam tamen obligantur ad officium minus B. Mariæ quotidie recitandum.

Ad noue autem quæsitum resp. licere etiã hodie insigniri prima tonsura, sine intentione ascendendi vltra. Tum quia id nullo iure diuino, aut humano prohibetur. Tum quod illegitimus episcopi dispensatione promouetur ad minores, & simplex beneficium, quitamen postea nõ potest ascendere vltra. Tum quia Concilium Trid. sess. 23. c. 4. supra. nu. 68. relatum, solum requirit quatuor, è quibus non est hoc. Idem eadem ratione videtur dicendum de quatuor minoribus.

109 Trigesimo primò peccat mortaliter, qui ordine sacro insignitus contrahit matrimoniũ: & matrimonium non valet, & est excommunicatus: vt dictum est supra c. 22. n. 29. Et qui cohabitat fœminę, qualiscunque sit illa, cognata, vel extranea, formosa, vel turpis, serua vel libera, iuuenis, vel senex, credens, aut credere debens se voluntate, vel opere, vel vtroque modo peccaturum, per illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. & ea, quæ super eo cap. si quis autem de pœnit. dist. 1. scripsimus, & per cap. 1. de coha. cleric. & mulier. & per adducta à Raph. Volaterrano lib. 21. Antrop. Nec obstat. cap. inter terdixit 52. distin. cap. volumus. & c. cum omnibus. 81. dist. quatenus habent licere clerico cohabitare filiæ, matri, sorori, amitæ, aut fratriæ, aut extraneæ seni: quia procedunt quo ad forum exterius: & quando non sunt aliàs suspectę, nec habent famulas iuuenes, & clericus est bonæ famæ, iuxta mentem iuris diuini & humani quod satis sentiunt Io. And. Pan. & communis in cap. 1. de cohab. cler. & mul. non autẽ procedunt quo ad forum conscientiæ, quando vere coram Deo imminet huiusmodi periculum: licet à multis hæc non satis intelligantur. Et qui solus domum solius de fornicatione suspectæ adit, cap. clericus. 81. dist. aut ita sibi periculosæ, vt credere debeat se in consensum fornicationis mentalis, vel operis inductum iri, etiam si esset religiosa, vel commater. argu. proxime citatorum. Porrò Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. vetat clericis, ne concubinas domi, vel foris habeant: alioquin pœnis à sacris canonibus impositis puniantur: & si à superioribus moniti non resipuerint, ipso facto sint priuati tertia parte fructuum beneficiorum, & pensionum fabricæ ecclesiæ, aut alteri loco pio arbitrio episcopi applicanda. Si verò, nec secundo moniti resipuerint, non solum eo ipso perdant omnes

fructus, & pensiones, sed etiam à beneficiorum administratione arbitrio episcopi tanquam Sedi Apostolicæ delegati suspendantur: & si ita suspensi perseuerent, beneficus, portionibus, officiis & pensionibus quibuslibet perpetuò priuentur, & ad illa inhabiles reddantur, donec iustis de causis cum eo fuerit dispensatum. Si vero ad eas semel dimissas redierint, aliasve mulieres scandalosas sibi adiunxerint, præter dictas pœnas, omni appellatione remota, excommunicentur. Horum autem cognitio non ad Archidiaconos, aut Decanos: sed ad Episcopos pertineat, qui valde summarie procedant. Clerici verò beneficia ecclesiastica non habentes pro delicti modo castigentur pœnis carceris, suspensionis, ordinis, ac inhabilitatis ad beneficia &c.

110 Trigesimo secundò peccat mortaliter, qui monasteria monialium sine iusta causa & manifesta, post prohibitionem sibi factam frequentat. cap. monasteria. de vit. & honest. cleric. Dixi. *Qui sine iusta causa &c.* quia sola frequentatio sine monitione, & mala mortaliter intentione præbẽdi mali mortalis occasionem, vel scandalum, non videtur peccatum, saltem mortale.

Trigesimotertiò peccat mortaliter clericus sacri ordinis, beneficiarius vel monachus, qui habitum non gestat: & tonsuram, aut comam vel barbam nutrit: aut coronam non radit: aut vestes sibi inducentes induit: aut arma offensiua portat secundum iura communiter recepta. cap. si quis. & cap. clerici. prima. de vita & honesta.

cler. & cle. 2. eo ſit. Dixi, *ſacri ordinis, beneſ. tarius &c.* quia alius licitè poteſt tonſuram, & habitum omnino exuere, arma portare, & alia omnia, quæ laicus poteſt facere in ciuilibus ſecundum Pan. vſu receptum, & in theorica communiter probatum. in cap. 1. & 2. de poſtul. & in prædictis. c. ſi qui clerici 1. de vit. & honeſt. cler. & cap. 1. ne cler. vel monach. quod nullibi æque bene probatur ac in c. 6. de refor. ſeſſ. 14. Conc. Trid. quod etiam ad hoc notauimus in comment. cap. ſtatuimus. 14. q 3 num. 27. immò in criminalibus eadem ratione. Nec obſtat quod irregularitatem contrahendi periculum ſubit: quia etiam illud ſubit laicus. Et cum non teneatur ſacrum ordinem, vel beneficium ſuſcipere non videtur teneri prædictum periculum vitare: licet purem non licere id facere raſuram in capite deferendo: ſicut non licet cum ea veſtem partitam deferre. Alioquin enim nulli iudices ſæculares, nec aduocati, vel procuratores coram eis cauſas criminales agentes prima tonſura inſigniti poſſent abſolui, niſi firmè proponeret numquam id facere, vt etiam tradimus in comment. cap non dicatis. 12. q. 1. nu 66. dicentes indolere nos non addidiſſe iſt a in hoc loco. Dixi, *omnino exuere*: quia non licet tonſuram & coronam deferre vna cum veſte virgata, vel partita &c. per d. clemen. 2. de vit. & honeſt. cle. Dixi, *ſecundum iura communiter recepta*: nam ſecundum ius Concilij Carthagin. vnde prædictum cap. clerici. 1. deſumptum fuit, prohibetur radi barba, & confuetudo Vrbis, & multæ partis orbis eam permittit, modo labium ſuperius radatur.

III Trigeſimoquartò peccat quidem clericus non ſeruans inſra ſcripta decreta, ſed non mortiferè, niſi iuxta reſolutionem ſubiectam in fine huiuſmodi peccandi. nempe qui non ſeruat cap. nullus. vetàs ingreſſum tabernæ, & cap. conuiuia. vetans conuiuia ſine certis legibus. & cap. quando. vetans pluries quam ter bibere, & cap. non liceat. 44. dist. iubens benedicere menſam à principio, & in fine gratias agere. & cap. clerici. 2. de vit & honeſt. cleric. ſic habens. *Clerici officia vel commercia ſecularia non exerceant, maxime inhoneſta. Mimis, ſocularibus, & Hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus euitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis intereſſint. Coronam & tonſuram habeant congruentem, & ſe in officiis eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter. Clauſa deferant deſuper indumenta nimia venitate, vel longitudine non notanda. Pannis rutei, aut viridibus, necnon manicis, aut ſotularibus conſutitiis franis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra eccleſiam non gerant, ſed nec alibi, qui ſunt in ſacerdotio, & perſonatibus conſtituti, niſi iuſta cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omninò non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, ſed neque annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in eccleſia ſuper indumentis lineis omnes vtantur, niſi monachi fuerint, quos oportet ferre*

re habitum monachalem. Palliis diffibulatis non vtantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pectus hinc inde connexis.

Clericus verò tabernarius, & lanio, ſiue macellarius, vltra peccatum incurrit pœnam clemen. 1. de vit. & honeſt. cleric. & qui virgata, aut partita veſte, vel epithogio ſeu tabardo, vel ealigis ſcacatis viridibus, vel rubeis vtitur, aliam grauem pœnam clemen. 2. eod. tit. quam innouando Concil Triden. ſeſſ. 14. cap. 6. de refor. addidit, vt beneficiarius etiam exẽptus ab epiſcopo ſuo monitus habitum clericalem non geſtans ab ordinibus, & beneficiis ſuſpendantur, & ſi id non ſuffecerit, iis priuetur. Et ſeſſ. 22. cap. 1. de refor. ſic ſtatuit. *Obſeruentur, quæ de clericorum vita, honeſtate, cultu, luxu, comeſſatibus, ludis, choreis, luſibus, nec non ſecularibus, negotiis fugiendis ſancita ſunt, ſub pœnis ſtatutis, vel maioribus arbitrio epiſcopi imponendis: & ſiqua in deſuetudinem abierint, epiſcopi ea in vſum reuocari iubeant.* Ex quo, & cap. 1. ne cleric. vel monac. & cap. clerici. 2. de vit. & hon. cleric. colligo omnia ſæcularia officia eſſe prohibita clericis: limitando per ſupradictam limitationem Panorm. ad beneficiarios, & ordine ſacro inſignitos: & à fortiori monachos: & conſequenter artem chirurgicam, & medicam, & ita licet nullo iure ſpeciatim prohibeatur eis exercitiũ harum duarum artium, niſi quum fit cum aduſtione, vel inciſione, iuxta cap. ſententiam. ne cleric vel mona. quia tamen ſunt ſæcularia officia, non poſſunt iuſte exerceri à prælatis, niſi cauſa pietatis erga miſerabiles, & cognatas perſonas, argumen. cap. 1. & 2. de poſtul. quibus ſit eis facultas poſtulandi pro eiuſmodi perſonis. Poſſent etiam cauſa neceſſitati, vel recreationis animi operari aliqua honeſta, puta, vt ait B. Hiero relatus in cap. numquã. de conſe. diſtinct. 5. ſcribere libros, fiſcellam iunco texere, holera & plantas in areolis ſerere, & inſerere, &c. & illa vendere. Non autem exercere mercaturam, & vilius emere, vt carius vendant, licet id, quod ſibi ſupereſt de eo, quod vilius ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem emunt, vendere poſſint pretio iuſto tunc currenti, licèt ſit carius. Poſſunt etiã negotiari aliquo modo honeſto ad ſuam, & ſuorum neceſſariam ſuſtentationem, præſertim per aliũ, vt ſentit gl. in cap. peruenit. 86. diſt. cap. ne gotiarem. 88. diſt. & Pan. in cap. 1. ne cle. vel mona. & S. Anton. 3. part tit. 1. cap. 2. §. 2.

Adde quod Caiet. in ſumma verb. clerici peccata. ait, quod clerici non peccant mortaliter transgrediendo leges humanas, neque has, neque alias, niſi conſequatur graue ſcandalum aut aliquod peccatum, quod iure diuino ſit mortale, vel magna occaſio eius: vel niſi irregularitas, vel excommunicatio maior incurratur. Immo ſubdit, neque propter illa quenquam excommunicatum eſſe ante iuſtam monitionem iudicis: licet tranſgreſſiones huiuſmodi multa peccata venialia etiam gra uia contineant: quæ tamen doctrina nimis laxa videtur, tum per reſolutionem ſupra poſitam cap. 13. nume. 51. ſcilicet canones, & conſtitutiones eccleſiæ vtêres verbo, Præ-

cipio, vel ei æquipollenti, ad mortale obligare, (etiam sine contemptu, & scandalo) trangredientes. Quod ipsum Caiet. ipse fatetur. 2. 2. qu. 88. art. 3. Videtur tamen posse procedere, quo ad eas transgressiones earum legum, quæ non vtiuntur verbo præceptiuo, & quæ communiter nec à prælatis, nec à subditis inter magna peccata numerantur, qualis videtur, omissio benedictionis mensæ, & aliæ huiusmodi: siue quòd consuetudo leges illas à principio obligantes ad mortale temperauerit, ne obligent plusquam ad veniale: siue, quòd iam inde à principio ita receptæ sunt, argumen. cap. 1. & ibi late adductorum per Felinum de treuga & pace. & Dominicum §. leges. 4. distinctione.

Trigesimoquintò peccat mortaliter, qui obligatus ad dicendam missam pro aliquo, non applicat valorem eius cui, & vt debet, vt dictum est supra eo. nu. 92. Pro cuius probatione, & multorum nunc hic quæsitorum solutione dico primò, quod missa est actio, quâ ex institutione Christi in memoriam eius passionis panis, & vinum in eiusdem corpus, & sanguinem transsubstantiatur, & illa sub eorundem specie Deo Patri offeruntur. Nec dicto (missa) est noue, vt nonnulli aiunt, ficta, sed deducta olim à patribus ex hebræo, & chaldæo missach. Deut. 16. quod oblationem spontaneæ significat: vt piè, ac eruditè tradit eruditissimus Demochares c. 1. de sacrif. missæ. Quare non impropriè dixit Felin. in cap. sufficit. de consecra. distinctio. 1. & Gregor. IX. in cap. Salonitanæ. 63. distinct. & Concil. Toleta. cap. nihil. 7. quæst. 5. facere missam, pro dicere vel legere missam nam, & eius pars præcipua, etiam in ordinario missæ, actio appellatur, & etiam apud Innocen. lib. 3. cap. 4. ministerium missæ. Pro quo faciunt etiam ea, quæ subtiliter Caiet. tradit de illo Christi, *Hoc facite, &c.* in tract. de sacrificio missæ. licet ipse Innocen. lib. 6. cap 12. immemor prædicti loci Deute. 16. originem verbi (Missa) à mittendo deducat. Ob quæ omnia nos quoque interdum gratia breuitatis vtimur verbo missare, pro missam facere, vel dicere.

Secundò quòd in illo articulo nõ minus obscuro, quàm quotidiano valoris missæ, & eius applicationis post multa diu cogitata, in hæc infra scripta digero: Primum, missam qua parte est bonus actus ex opere operantis habere vim merendi, & satisfaciendi sicut omnes alios actus bonos, non solum quatenus est actus missantis, sed etiam quatenus est actus ecclesiæ per illum eius nomine factus: & qua parte continet orationem habere vim impetrandi, sicut alias omnes orationes bonas, tam quatenus sub nomine ecclesiæ per eius ministrum, quam quatenus fit à missante. Qua parte verò continet sacramentum, operari ex opere operato gratia soli sacrificio cõmunicanti, & aliis circunstantibus communicantibus. Qua parte vero est oblatio, & sacrificiũ incruentum corporis, & sanguinis Domini, non solũ repræsentans illud cruentum eorundem factũ in cruce, sed existens omnino idem, prodest ex opere operato quoad remissionẽ pœnæ offerenti, & faci-

facientibus offerri, & his pro quibus offertur. Quod satis sentit S. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. quatenus ait, missam etiam sacerdotis mali esse satisfactoriam pœnæ eius, pro quo fit: quod etiam exertè affirmat Sot. lib 9. de iust. & iur. quæst. 2. art. 2. & implicite Scot. quodl. 20. & eius conterraneus Maior dist. 45. quæst. 2. & Vuendel. ibidem ad 4. Gab. Et consequenter, quòd vt gradus gratiæ, qui per sacramentum confertur, est limitatus certus, solique Deo notus, nobis autem ignotus, ita & gradus remissionis pœnæ, quem operatur missa quatenus est sacrificium, est limitatus, certus, solique Deo notus, nobis autem ignotus, qui distribuitur offerenti, & facienti offerri, & pro quibus offertur: nec mirum, quia licèt id quod offertur, scilicet Christus totus, sit illimitatus, & infinitus, & passio, & virtus eius illimitata, & infinita, limitato tamen, & finito modo applicatur, & ita limitatum & finitum effectum operatur, sicut & in aliis sacramentis eadem virtus infinita: quia limitate, & finite applicatur, per ea finitum, & limitatum effectum gratiæ operatur, vt pulchrè B. Tho. quo ad hoc ab omnibus recep. dixit in 3 par. quæst. 79. art. 5. Quanta vero pars eius tribuatur offerenti, & faciẽtibus offerri, & quanta circunstantibus offerentem, & quanta iis, pro quibus offertur, soli Deo est notum.

Arbitror autem, quòd non præstituitur a Domino Deo quantitas diuidenda æqualiter inter omnes, qui participant de hoc fructu satisfactionis missæ: sed quod pro sua infinita benignitate cuilibet orthodoxo, eo solo nomine, quod est orthodoxus, deputat certã particulam, quæ nec crescit eo, quod sint pauciores orthodoxi: nec decrescit eo quod sint plures. Et præter hanc deputat aliam cuilibet circũstanti, quę nec crescit, nec decrescit ob maiorẽ, vel minorem numerum circunstantium: & aliam toti ecclesiæ, & speciatim iussis nominari ab ea, scilicet Papæ, Antistiti, & Regi, quæ etia est stabilis: aliam facienti missam, & nominatis ab eo priuatim, quæ crescit, aut decrescit pro numero maiore, vel minore a se voluntarie nominatorum: aliam porrigenti pithãciam, vel facienti eam fieri, & ei, vel eis pro quo, vel quibus fit, quæ etiam crescit, vel decrescit pro numero facientium eam fieri, vel eorum, pro quibus fieri faciunt. Ratio autem diuersitatis inter tres priores, & duos posteriores sit, quod in illis datur pluribus, vt singulis, in his autẽ pluribus vt vniuersis. Cuius rationis ratio desumitur ex quadam vnitate, quam habent missans. & voluntariè nominati ab eo: & ex alia quadam vnitate, quam habent facientes eam fieri cum his pro quibus eam faciãt fieri. Et quibus inferatur posse quem quadruplicem partem quærere, vnã, quia orthodoxus, alteram, quia circũstans, tertiam, quia nominatus ab ecclesia, quartã, quia facit eam fieri. Missantẽ autem semper duas, vnam, quia orthodoxus, alteram, quia oblator, & interdum tres, quum scilicet absque nulla obligatione missat: quia tunc gerit personam facientis eam fieri: alios vero semper vnã, & interdum duas, vel tres, vt cõbinanti paret. Quæ omnia cõfirmantur ea ratione,

ratione, quòd vinculum multiplex plus operetur, quam simplex. cap. 1. de treug. & pace. Credimus autem partes facienti fieri, & missanti designatas, esse maiores, quàm alias res: quia plus impendunt in eam faciendo. secũdum quid tamen minores, quatenus possunt per communicationem cum aliis decrescere, vt prædictum est.

Secundò sequitur, quòd sacerdos tenetur ad applicandum valorem missæ satisfactorum iis, & eo modo, quo dictum est: & ad hæc reducendam est, quod dicunt Scot. Mai. & Vuend. vbi sup. quatenus loquuntur de applicatione valoris missæ generali, speciali, & medio modo: & quòd partem sibi obuientem totam, vel partem eius potest applicare cui, vel quibus voluerit secundum Mai. & Vuend. vbi supra quod ipse frequenter soleo facere: licet Scot. aliter sine iusta ratione sentiat contra rationem legis quod fauore. C. de leg. cap. quod ob gratiam. de reg. iur. lib. 6 Ex quo subinfertur, eo sibi minus de sua parte obuentum iri, quo plures ad communionem illius nominauerit.

Tertiò sequitur eum, qui obligatur ab celebrandam vnam missam pro aliquo, lege, statuto, promissione. vel pro poculento, siue pithãia, (quod verbum videtur deductum per maiores nostros à verbo πίθι, quod latinis significat bibe, iuxta illud vulgatum, πίθι πίθι πίθι, id est, aut bibe, aut abi) nequaquam satisfacere, dicendo illam pro illo, & alio, sine illius consensu. Tum quia iniustè partem satisfactionis vni debitam, alteri applicat contra cap. ea te. de iureiur. Tum quia, vt dictum est, missa non solum prodest ex opere operato, sed etiam ex opere operantis: & secundum omnes satisfactio, quæ fit ex opere operãtis tanto minus prodest vni, quanto pro pluribus fit, vt patet de ieiunio, & eleemosyna facta pro multis.

III Quartò, quòd paupertas dicẽtis non sufficit, vt pro vna missa duæ pithantiæ capiantur: quamuis Sot. lib. 9 quæst art. 1. de iust. & iur. contra minus bene teneat, per fundamenta supra eod. ca. nu. 92 formata.

Tertiò principaliter dico, quòd sacrificus tenetur orare nominatim pro Papa, & antistite suo, vt missale nouum Pij V. ex edicto Trid. editũ iubet, & etiam pro rege suo. Tum quòd Paul. 1. ad Timoth. 2. quem in hoc allegat Innoc. III. vbi supra, id satis iubet. Tum quòd in omnibus fere missalibus ante hoc nouum id iubetur. Tum quia licet in hoc non iubeatur expresse de rege, iubetur tamen tacitè. quatenus iubetur fieri pro Papa, qui Romanis est rex.

Quartò dico presbyterum Romanum satisfacere nominando Papam, nullo alio episcopo, vel rege nominato: quia ipse solus est Papa, rex, & antistes. modo extra eius imperium temporale, & episcopatum Romanum particulare, non habeat domicilium, vel beneficium, saltem residentiam personalem requirens. Qui vero subditur diuersis ratione domicilij, originis, vel beneficij iuxta caput cum nullus. de temp. ordin. lib 6. videtur teneri orare pro episcopo, & rege domicilij: quia secundum glo. magnam receptam in cap statutum. §. vero. de rescrip. lib.

subiec-

subiectio ratione illius maior est, quam originis, & beneficij. Quod non satis aduertit, qui natus in vno regno, & habens domicilium in alio, regem originis nominat: quanuis scolasticus, peregrinus, & alius non habens constitutum domicilũ cùm cõ ta faceredebeat, nisi beneficium requirat residentiam personalem, quod satis confert domicilium, iuxta doctrinam Bart. in l. 1. ff. ad munic. nu. 13. & seq. origo enim præstat simplici habitationi, argu. l. ciuem. C. de incol. lib. 11.

Quintò posse quidem eum iuste, sed nõ teneri orare nominatim pro alioa prædictis. & illo, vel illis, pro quibus missam specialiter facit: vel pro illis, qui eam fieri faciunt: nam nec canon missæ, nec cap. visum. & seq. de cons. dist. 1. nec alia id præcipiunt: sed facultatem tantum faciunt nominandi alios, vt supra insinuaui, quo ad partem suã, quæ ex opere operato ei obuenire deber.

Sextò, quòd securus, & breuis modus applicãdi missam aliis à prædictis ex mente Scot. in d. quodlibet 20. est hic. *Memento Domine mei, & eorum viuorum, quibus possum sine præiudicio prædictorum valorem huius missæ applicare: & humillime supplico tibi omnia scienti, vt ita eum mihi, & illis & eo ordine fructus applicatum, quo possem ego tuo consilio quam optimè applicare.*

Septimò, quòd sacrificio volenti meminisse illarum, quos in 2. parte canonis, siue primo momento. vbi licet ei nominare viuos, & vndecima parte, qui est locus nominandi mortuos, expedit vti pro locis imanum sex casibus grammaticali bus, vt post, & ante alios consuluit pius, & eruditus Gabr. in can. Missæ, cuius cõsilio tam inde a prima missa, quam feci, vti cœpi: qui tamen nec alius quem legerim satis aperit an expediat speciatim nominare multos: nam a parte negatiua stat, quòd in mentem vagam facit, & partem satisfactoriam sibi debitam communicando multis, minuit: & nescit cui quem præponere debeat. Pro parte veroaffirmatiua stat, quòd multi, pij, & eruditi id rogant, & rogantur: & quòd ecclesia iubet prima parte canonis nominari Papam, Episcopum, & Regem. Equidem mihi iam pridem persuasi non esse concipienda nimia propria nomina, siue imagines indiuiduas, ne mentem, quæ tota deberet esse in actione illa diuina, nimium distrahant. Vtile tamen esse concipere aliqua quæ affectum magis excitent: nec nocebit concipere quamplurimos generatim, & breuiter: quia id auget reuerentiam erga Deum, & amorem erga proximum. Quare, vt arbitror non esse vtendum prolixis memoriis compositis a pio, & erudito P. Ioan. Iusto Lanspergio Carthusiano, & ab aliis postea auctis, ita credo vti posse vna mediocri, qua frequentissime vror, collocando in nominatiuo me, & eos qui sunt causa meæ missæ: in genitiuo genitores: & genitos: in datiuo, datores: in accusatiuo, accusatos: in vocatiuo vocatos siue inseruientes: in ablatiuo, eos quib. obtuli preces meas, vel qui suas mihi obtulerunt. Interdum concipiendo propriam imaginem vnius, vel alterius, per singulos casus, interdum per aliquos

Universidad de Deusto

quos tantum interdum per nullos, subiecta clausula iustificatiua in hac quæ sequitur sententiam, *Memento Domine horum famulorum, famularumq; tuarum, in primis mei miserrimi peccatoris, & N. qui est, vel qui sunt causa impulsiua principalis huius missæ, & eorum qui me genuerunt spiritualiter sacramento, vel doctrina, & in his N. & N. & eorum qui mihi benefecerunt, & in his N. & eorum, quos offendi, & in his N. aut N. & eorũ, qui mihi inseruiunt, & in his N. aut N. & eorum, quibus preces meæ obstuli, & qui suas mihi obtulerunt, & in his N. aut N. quibus tamen hanc missam eo modo, & ordine volo applicatam esse, quoquam optimo te Domine (qui omnia nosti) consulente, applicare deberem.* Qui autem missat sine obligatione extranea, tollat illa verba (& N. qui &c.) & loco illorum ponat hæc (*etiam quatenus sunt causa impulsiua missandi.*) Qui autem habet parentes corporales viuos, addat in secundo casu verbum, (*corporaliter*) verbo (*genuerunt*) ibi posito. In secundo vero memento, tollat in primo casu verbum (*mei*) quia in eo solum mortui nominantur, vel concipiuntur, prosequendo reliqua, vt in primo.

De peccatis clericorum quo ad beneficia.

SVMMARIVM.

112 *Beneficiarius clericus, vt mortaliter peccat per simoniam in beneficio propriam.*

113 *Simoniacus an sit, qui constituit certum salarium alicui, donec conferat ei aliquod beneficium.*

113 *Beneficiarius vt peccat per simoniã in beneficio alienam.*

114 *Beneficium siue iusto titulo habens, vexationem, vel pensionem male redimens, vt peccat.*

115 *Beneficiarius vt peccat per simoniam acceptum non restituens, non relinquens incompatibile*

116 *Beneficium curatum accipiens, aut dignitatem ante 25. annum, non suscipiens presbyterium intra annum post beneficium curatum obtentum, aut sine proposito sumendi presbyterium, & quid de dubitante, & accipiente non curatum num. 118.*

120 *Beneficiarius Mt. peccat vxore ducta beneficium retinens, sponsalia contrahens.*

124 *Damnificans bona beneficij, locans illa vltra triennium vt peccat. num. 130.*

117 *Illegitimus capiens beneficium sine dispensatione, vel pensionem.*

118 *Pœna ipso iure incursa quando soluenda in foro conscientiæ.*

118 *Episcopus intra quot menses sub duplici pœna conferendus.*

119 *Pensio à Papa ob paupertatem concessa, laico licita, & quare.*

121 *Beneficium quodlibet residentiam requirit, & quæ ab ea excusent.*

121 *Residentia episcopo, & curato iuris diuini, & quæ excusant ab ea.*

122 *Horas non recitans etiam pensionarius, cui restituet, & per extrauag. Pij V.*

123 *Beneficiarius non perdit fructus ob peccatum regulariter, nisi quum est excommunicatus, vel non recitat: & tunc eos restituet, & an sibi pauperi retinere possit*

125 *Beneficium vnicum sufficiens li-*

bendũ, & qua ex causa plura. & seq.

128 *Beneficiũ ad retinẽdum tam prodest, consuetudo quam dispensatio.*

131 *Parochus non ministrans sacramẽta subdito ad ea non obligato remissius.*

132 *Sepeliens excõmunicatũ vel notorie malũ vel ad sepulturã à iurẽ. &c.*

133 *Beneficiarius vt peccat nesciens necessaria, & quæ sunt illa: non inuans pœne incidit.*

134 *Beneficium capiens in excommunicatione, & irregularitate, & mortalis non missans quotidie, vbi, & quomodo tenetur.*

135 *Beneficij habendi alias, curatus prædicet, & profiteatur fidẽ, quod requirit gradum, & ordinem sacrũ. num. 36.*

137 *Pensio quanta poni possit super episcopatu, & parochiali.*

138 *Missas constituitas episcopus, generalis, & abbas minuere possunt.*

138 *Beneficium ad nullũ detur accessus, regressus, mandatum, coadiutoria.*

139 *Parochialis ecclesia, etiam reseruata per concursum conferatur.*

140 *Religiosus vt peccat contra votum paupertatis remissiue.*

112 PRimò peccat mortaliter clericus quo ad beneficia, qui vult quærere illa per simoniam, siue mentalem, siue cõuentionalem, siue realem, sine tamẽ excommunicatione, & obligatione restituendi si non quærit, & etiam si quærit, nisi simonia sit realis. Quid autẽ sit simonia, & quotuplex, & quę excommunicat dictum est late sup. cap. 23. num. 100.

113 Quibus addo nõ admittere simoniam episcopum, qui accipit aliquem in familiarem suum, cõstituta certa mercede annua, donec ei aliquod beneficium conferat secũdum quod beneficium conferat secũdum Host. in c. cum essent, de symo. receptum per Io. Andr. & Communem: modo nullũ pactum post illud collatũ de gratis seruiendo intercedat, & ita Maior in 4. dist. 25. cui cõsentit Host. existimãs se contradicere illi.

Secundò peccat mortaliter, qui per symoniam ab alio commutiam in fauorem eius ipso ignorante, & non contradicente, quærit beneficium, in quo, vel ad quod nullum ius prius habebat: & reiciens id consentit, vel illico non renunciat illud. 1. quæst 5. per totam. & capit. nobis de sym. Dixi, *In fauorem eius, & eo non contradicente*: quia secus si ac nocendum ei, vel ad commodandum, sed eo contradicente committeretur de. cap nobis. & ea. sicut eod. tit. Dixi *in quo, vel ad quod nullum ius habebat*: alias enim secus si ipse in eam non consentit, dicto cap. sicut. 2. eod. tit. & etiam si illa symonia aliena non fuit causa quærendi illud: siue quia comissa fuit cũ vno ex multis electoribus, præsentatoribus, aut à collatoribus, quorum maior pars, ea non intercueniente, illum elegisset, præsentasset, aut ei contulisset, siue quia is, cum quo admissa fuit, non fuit ob eam principaliter motus: quãuis ob id data fuisset, vt resoluimus in d. cap. nobis secuuti primam opinionem gloss. in verb. intercueniente, per §. fin. 1. q. 6. quæ quamuis limitetur ab Hostiẽsi, & etiam à Pan licet minus quam ab ipso, & rectè quidem quo ad forum exterius, per rationem Ioan. And. tamen quo ad forum cõscientię, quod sola veritate nititur c. tua de sponsi. non nocet coram Deo symonia, quę

vere non fuit causa quærendi beneficium, quod sine illa æque, atque cum illa quæreretur.

114 Tertiò peccat mortaliter, qui sine titulo canonico scienter accipit, vel tenet beneficium cum obligatione relinquendi, & fructus perceptos restituendi. Et quia principio putat titulum esse canonicum: sed resciens non esse talem retinet illud. cap.1.de reg.iur.lib.6.& cap.eum qui de præb. & cap.1. de eo qui mitt. in poss.cau.rei seruan.eo.lib. & cap. dilectus.2.cum ei adnot de præb.

Quartò peccat mortaliter,qui vexationem,vel pēsionem redimit aliter, quam debet, iuxta dicta supra cap. 23. nu. 102. Et qui precibus suis, vel alienis malè quærit beneficium. quod quando fiat, dictū est sup. eod. cap.23. nu. 101. Et qui permittat ius ad rem, cum iure in re, vt ibidem. num.104.

Quintò peccat mortaliter, qui quæsitum per simoniam cōmissam in beneficio non restituit ecclesiæ, cuius est illud cap. de hoc. de sym. debet tamen ita illi restitui,ne quidquam cedat delinquenti, quod si sic fieri nō potest,restituat cum authoritate superioris alteri ecclesiæ, vel pauperibus.arg.ca. de hoc. de symo. vbi omnes,& S. Tho.2.2.quæst. 100. art.6.ad 4. eam tamē authoritatem non arbitror in foro conscientiæ ne cessariam.

Sextò peccat mortaliter, qui post obtentum secundum beneficium curatum,dignitatem, aut personatum, & post habitam eius possessionem, vel postquam per eum, quo minus eam habeat, stat, non renunciat prius, vt debet: quia ipso iure perdit illud. cap. de multa. de præben. immò,& posterius, si pergat retinere vtrumque,& fit incapax ad quod libet aliud, & etiam ad ordines per extrauagan.etiam execrabilis.§. qui vero.eo.tit.

115 Septimo peccat mortaliter,qui beneficium curatum capit sine dispensatione Papæ ante 25. annū cœptum,& collatio est nulla ea. cum in cunctis §.inferiora.de elect.& tenetur relinquere illud cum fructibus: nisi remedium à Papa quærat. Et idem de eo, qui accipit dignitatem, aut personarum non curatum: excepto,quod hos cum dispensatione episcopi post viginti annos completos obtinere potest.cap.1. de ætat. & qualita li.6.quos tamen Conc.Trid. ad 22.produxit, sess. 24. cap. 12. de refor. vt diximus in capit.si quando. de rescrip.excep 8.

Ad noue autem quæsitum respondetur, quòd in episcopatu Palētino, in quo per concursum dantur beneficia, potest esse competitor ad presbyterale,etiam post Conc.Trid. licet nōdum compleuerit 25. annos, & stet constitutio synodalis iubens, vt obtinēs beneficium præsbyterale intra annū fiat presbyter.Tum quia iure antiquo sufficit attingere 25. annum,ad obtinendū illud,& quodliber curatum cap.cum in cunctis.§. inferiora. de elect. & ei nulla parte derogat Conc.Trid. Nam qua parte habet neminem ante 25. annum ordinādum præsbyterio,intelligēdum est de anno cœpto: quia licet regulariter tēpus positum in accusatiuo intelligatur de perfecte, secundum communem,quam Bald.Alex.& Ias. sequuntur in l cui.ff.de leg.1. tamen contra tenet ibi Barto. cuius opinio sequenda est secundū eosdem,quando concurrit aliqua alia coniectura intelligendi de cœpto, puta fauoris, qualis adest in proposito,& alia fortior, quod ius antiquum solum requirebat cœptum,clem.generalem. de ætat. & qualit. cui conciliandum est nouum,quum id fieri possit. cap. cum expediat. de elect. lib. 6. & alia vtraque fortior, quod idem Concil. sess 24. cap. 12. de refor. habet posse cōferri beneficium curatum ei, qui attigit 25.annum, & eadem ætas ad illud & ad presbyterium sufficit secundum omnes. Tum quia mens Concilij non fuit mutare annū cœptum in completum, sed numerum. Ita quod vt antea sufficiebat, & requirebatur ad subdiaconatū 18. annus, & ad diaconatū 20. & ad presbyterium 25. nunc requiratur ad subdiaconatum 22. ad diaconatum 23. & ad presbyterium sicut olim, 25. & ita potest hodie quis fieri subdiaconus in 22. cœpto, & diaconus in 23.cœpto, & presbyter in 25. cœpto. Tum quia nō obstat dicta constitutio synodalis: quia etiam hodie potest quis intra annum à susceptis minoribus fieri presbyter, si episcopo videatur id conuenire. sess. 23. c. 11. de refor. Videri autem debet, vt is,qui per concursum obtinuit presbyterale ordinetur intra annum: quod si episcopus noluerit assentiri,excusatur à pœna, qui obtinuit illud: quia iusto impedimento sine sua culpa impeditur, arg. c. licet canon.& cap.commissa.de elect. lib. 6. iuncta glo.memorab. verb. iusto.

117 Octauo peccat mortaliter illegitimus, qui absque dispensatione Papæ beneficium curatum accipit, aut simplex sine dispensatione Papæ, aut Episcopi.cap.1. & 2. de fil. presby.lib 6. & acceptio est nulla,& tenetur relinquere, nisi dispensationem obtineat.

Quibus addo,quod Concil. Trid. sess.25.c. 15. statuit, ne filij illegitimi clericorum habeāt pensiones super beneficiis, quæ parentes eorū obtinuerunt:neque etiam vlla beneficia in ecclesiis vbi patres beneficium aliquod habēt,aut habuerūt: quodque reciprocæ resignationes, quæ posthac à parentibus clericis in fauorem filiorum,aut alias fraudulenter fient, ipsis nequaquā suffragentur. Quin peccat mortaliter, & omnis qui accipit beneficium aliquod carens qualitatibus, quas illic per fundationis suæ statuta, vel alia reliquit sess.21.c.5. de refor.

118 Nono peccat mortaliter, qui post obtentam ecclesiam parochialem,& habitam illius pacificam possessionem, non promouetur ad presbyterium intra annum, & co lapso illam retinet,& non relinquit illam, vel fructus post annum perceptos non restituit: quia eam ipso facto perdit. c. licet canon. de elect. lib. 6. Nec obstat, quod continenter soleam tenere, & tenui in comment. c. fraternitas.12.q.2.& in rub.de pœnis. & alias sæpe, quod pœna temporalis etiam ipso iure incursa, non debetur in foro conscientiæ: quia id non procedit cum contrarium cōstat de mēte legislatoris, vel cum non imponitur proprie vt pœna,sed vt quædam conditio, vel modus rei traditæ: vt cū testator relinquit aliquid alicui,vt quippiam faciat,alias

perdat legatum, iuxta Panor. communiter recept. super glo. verb. adiiciens. in c. Raynaldus. de testa. & in proposito constat ex stilo, mentem Pontificum statuentium, vt illo vel illo casu vacet beneficium ipso iure, esse, vt peccet, qui illud ita perditum retinuerit, & fructus non restituerit. Et quòd beneficia conferantur quodam modo sub illo modo, vel conditione tacitè vel expressè, vt tetigi in c. non liceat. 12. q. 1. & latius trado in c. fraternitas. 12. q. 2. Potest autem episcopus ratione studij dispensare, ne intra septem annos ad presbyterium suscipiendum teneatur; modo intra annum, quo presbyter fieri debebat, subdiaconus fiat. c. cum ex eo. de elect. lib. 6. quæ tamen dispensatio nil prodest ei, qui ad studendum non proficiscitur, Syl. verb. beneficium 3. q. 2. iuxta mentem textus, verb. insistentes, & quæ in eo dicunt Archid. & Ioan. Andr. Adde quòd Concilium Tridentin. sess. 23. cap. 2. de refor. iussit, vt promotus in episcopum intra tres menses teneatur consecrari sub pœna perdendi fructus ipso iure, & intra alios tres, sub pœna ipso iure perdendi episcopatum.

Deci nò peccat mortaliter, qui ecclesiam parochialem accipit sine intentione presbyterium suscipiendi, vt eius fructus intra annum percipiat, & post eum illam dimittat, cum obligatione restituēdi fructus: nisi voluntate illa mutata presbyterium eo durante suscipiat, cap. commissa §. cæterum. de elect. li. 6. quod habet, nil minus peccare, qui eam illi scienter confert, teneriq́ue ad seruandam indemnem ecclesiam. Idemque dicendum esse de illo, qui sine animo ascendendi ad presbyterium, quoduis aliud beneficium accipit, sensit glo. in cap. relatum. de cler. non resid. & clarius ibi Panor. Quod etsi prima facie æquum videri potest: contrarium tamen iure verius est, quum dicto cap. commissa. pœnale, extra suum casum non debeat extendi, præsertim sine rationis (vt ita dicam) identitate, vel maioritate, qualis hic non est, l. præses. ff. de pœn. & cap. pœnæ. de pœn. distinct. 1. & quamuis alias idem visum sit de eo, qui à principio quidem voluntatem habuit suscipiendi presbyterium: sed postea, ea mutata, beneficium retinuit: contra tamen videtur de rigore iuris dicendum, quam longe magis peccet, qui ab initio eiusmodi contrariam intentionem habēs accipit, quam qui bona accipiens, postea cum mala commutauit, vt patet ex se: & textus solum agit de accipiente malo animo. Quod ipsum maiore ratione videtur de eo, qui non mutauit, sed de mutanda ea dubitare cœpit, & etiam de eo, qui aliquod beneficium accipit animo illud relinquendi, si aliud pinguius sibi conferatur, modo suę functioni satisfaciat, quādiu primum obtinuerit, quidquid dicant Panor. in dict. cap. relatum. Syl. verb. beneficium. 3. quæst. 5. Gab. in 4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. sine textu, & ratione iusta obligantes homines ad insolita, & nullo iure præcepta, contra cap. consuluisti. 2. quæst. 4. immò, & de illo, qui accipit beneficium, cui non est annexus sacer ordo, animo firmo satisfaciēdi quidem eius oneribus: sed non ascendendi ad presbyterium, nec alium ordinem sacrum: quia id nullo iure prohibetur. Quin etiam puto, quod & consului, posse quem iuste accipere beneficium animo, vt dictum est satisfaciendi, & cum proposito, quod si frater eius primogenitus obierit mortem sine liberis, aut ad cōponendam pacem, aut extinguendas lites, aut alia similia, aut ad augendum decus suum, vel suæ familiæ, vel patriæ expediret ducere vxorem, id faceret. Videtur autem rectum, quod ait Sotus lib. 10. quæst. 5. artic. 6. de iust. & iur. peccare mortaliter beneficiarios etiam simplicium beneficiorum, qui absque animo se initiandi sacris incedunt sine habitu clericali, non quidem eò quod non habeant eiusmodi animum: sed quia nō deferunt habitum clericalem: quos tamen puto non obligari ad restituēdos fructus per prædicta.

119 Nec tamen probo quod ait, peccare coniugatos, accipiendo auctoritate Apostolica pensiones super beneficiis: modo eā accipiant in sustentationem suo statui necessariam: tum quia id non est contra ius diuinum: tum quia Papa potest applicare fructus beneficij de consensu beneficiarij illis piis operibus, quibus potest ipse beneficiarius: & constat eum posse applicare illos cōiugatis egentibus: quod tamen Papa raro, & nunquam sine magna causa videtur facere debere, ob scandalum, quod inde oriretur, arg. c. nihil. de præscrip. Cui est consequens, posse quem iuste gaudere pensione à Papa sibi constituta non seruiendo ecclesiæ, licet contra teneatur Sot. vbi supra.

120 Vndecimò peccat mortaliter beneficiarius minorū ordinum tantum, qui post matrimonium contractum per verba de præsenti, retinet beneficium, iuxta mentem gloss. & Communis. in cap. 1. de cler. coniug. quia ipso iure illud amittit, adeo vt non recuperet illud: quamuis vxor ante consummatum matrimonium religionem ingrediatur secundum omnes. quod est verum etiam si matrimonium ob aliquem defectum extrinsecum, veluti consanguinitatis aut affinitatis non valeat, modo consensus interueniat, vt declarat Panor. d. cap. 3. Non tamen est idem de contrahente sponsalia de futuro, secundum omnes. Nec constituto in sacris contrahente matrimonium etiam per verba de præsenti: quia is non perdit beneficium ipso facto: quamuis eo priuari possit, vt glos. in dict. c. 1. communiter recepta contra Panor. determinat.

121 Duodecimò peccat mortaliter, qui in suo beneficio nō residet: nulla ipsum ab eo causa excusante. quia omne beneficium, quamlibet tenue, iure communi requirit residentiam. c. conquerente. de cler. non residen. & ibi communis sententia: multiplex tamen causa excusat.

Prima auditio Theologiæ ad quinquennium: prælectio eiusdem donec duraverit, etiam sine licentia Prælati: quia eam ius concedit, c. fi. de magist. & idem est de auditione, & prælectione iuris Pontificij iuxta Archid. in c. 2. de priuil. lib. 6. & Panor. in dict. cap. fin. quod per nouas rationes defendimus in cap. licet. de præb. Ad alias autem scientias licentia episcopi requiritur, nisi

vbi contraria consuetudo viget, per notata in c. tuæ de cler. non resid.

Secunda causa est, obsequiū episcopi quo ad duos canonicos, ac etiā alios, si occupentur ab eo in vtilitatem ecclesiæ suæ vel cathedralis: nō autem si solum occupentur in seruitio suo personali, nisi ex vrgente causa, & ecclesia non indigente seruitio, c. ad audientiam. de cler. non resid. adiunctis quæ scribit ibi Pan. num. 8. ad quod reducenda sunt c. de cætero. & c. cum dilectus. eo. tit.

Tertia causa eadem vel maiori ratione, est obsequiū Papæ, per eadem iura: modo id fiat principaliter ad inseruiendū, & nō ad procurandum beneficia, secundum Ang. verb. clericus. 7. §. 2. Dixi, *principaliter*: quia minus principalis intentio non nocet: per dicta supra c. 23. nu. 100.

Quarta, licentia legitima. glo. recepta c. inter quatuor. de cler. non resid. Voco autem legitimam eam, quam dat is, ad quem ea res pertinet, & ex causa boni viri arbitrio probabili & in scriptis: quando id ius requirit: de quo infra.

Quinta cōsuetudo honesta, iuxta Innoc in c ex tuæ, de cler. non resid. recept. à Pan. in d. c. inter quatuor. & alios communiter: quamuis consuetudo absentandi se sine causa, nihil valeat, iuxta eundem ibidem, & omnes: neque cum ea fraudando ecclesiam obsequio debito. In omni tamen casu obseruandum, vt beneficiū debito non fraudetur obsequio, & subditi bene gubernentur: & quāuis qui abest sine causa probabili cum licentia, aut sine illa peccet: nō tamen videtur teneri ad restituendos fructus quoad condemnetur, iuxta mentem Pan. in c. 1. de celebr. miss. quamuis Angel. teneat contra verb. clericus 7. § 5. nisi quando iure exprimitur. Quæ omnia, & aliquot alia clarius quam vnquam explicuit Concil. Trid. Primo in sess. 6. cap. 1. de refor. præmittendo quales debeant in episcopum promoueri, monendo promotos, vt suum officium impleant, innouando omnes antiquos canones de resid. episcoporum; & noue statuendo, vt quicunq; episcopus, vel eo superior sex menses à suo episcopatu sine legitima causa abfuerit, perdat quartam partem omnium suorum reditum: & si per alios sex alteram quartam: & si vltra, denuncietur Sedi Apostolicæ per eos, qui hoc facere ibi præcipiuntur: quo grauius puniatur. Et mox in capite secundo iubet, vt omnes habentes inferiora beneficia requirentia residentiam personalem, cogantur facere illam, & quod priuilegium perpetuū de fructibus in absentia percipiendis nulli prosit: nec temporale, nisi ex causa rationabili per ordinarium approbanda fuerit concessum: quo casu episcopi tamquam delegati. Sed Apost. prouideant, vt per deputationem idoneorum Vicariorū, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, nemini quo ad hoc priuilegio, seu exemptione quacunque suffragante.

Secundo prædictum Concilium sess. 23. cap. 1. de reform. adiicit omnium prædictorum & aliorum rationem, in hæc verba. *Cum præceptum diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre: verbique diuini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera omnia pastoralia incumbere: quæ omnia ab iis nequaquam præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, &c.* ex quo obiter notandum, non solum episcopos; sed etiam parochos iure diuino teneri ad residendum in suis parochiis, & ad prædicandum populo: quæ alibi non videntur ita expressa. Declarat item male colligere aliquos ex dict. cap. 1 sess. 6. licere episcopis abesse per quinque menses: & exprimit, quod quilibet episcopus, qualiscunque, & quantuscunque, etiam si sit Cardinalis; obligatur ad prædictam residentiā personalem: subiiciens tamen quod licet abesse, quum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens ecclesiæ, vel reipub. vtilitas id postulat. Decernit autem, quod causa huiusmodi approbanda est in scriptis à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente suffraganeo episcopi antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & reipub. officium episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Poterit item abesse duos vel tres menses in anno ex causa, cuius iustitia soli ipsius conscientiæ relinquitur. Addit autem contra facienti nouam pœnam vltra peccatum mortale, & pœnas statutas per canones antiquos. Et dict. sess. 6. vt pro quo rata temporis absentiæ non faciat fructus suos, & eos perceptos non possit tuta conscientia tenere, imò teneatur ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus erogare, non obstante vlla compositione. Ex quo obiter nota casum, in quo non prodest compositio. Addit item hæc verba. *Eadem omnino etiam quo ad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat & decernit: ita tamen, vt quandocunque eos, causa prius per episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa, non obtineant.* Et quamuis hæc litera in vtranque partem flecti possit, arbitror parochum posse abesse duos menses absque licentia scripta cum causa, quæ videatur ei iusta. Tum quia ante concilium id licebat, & à iure antiquo non est recedendum sine iure nouo expresso. l. præcipimus. Cod. de appel. etiam per argum. à contrario sensu. cap à nobis. 2. de senten. excommu. Tu quia episcopo, qui magis tenetur residere permittitur. Tum quia verba concilij habent eadem omnino seruanda quo ad hoc in curatis inferioribus, quæ in episcopis. Tum quia est pars benignior.

Ad primum autem xoue quæsitum respondemus regulares regum posse capere fructus in absentia, ac capellanos Papæ, si vtrisque eiusdem generis priuilegia sunt concessa, immò & magis, si forte plus sit eis à iure regum concessum, arg. cap. indultum de reg. iur. lib. 6.

Ad secundum vero, quod Caietanus non dissentit ab his, quæ ante Conc. Trid. quod post eum habitum est, seruanda fuisse supra diximus.

121. Decimotertiò peccat mortaliter beneficiarius, qui horas canonicas non recitat & fructus perceptos non restituit iuxta Concil. Later. habitum sub Leone X. sess. 6. statuimus, cuius tenor est, *Statuimus, vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consequutione sine legitimo impedimento officium diuinum recitare omiserit, pro tempore, quo non recitauit, fructus suos faciat: immò eos impendere tanquam em iniustè captam in fabricam beneficij aut eleemosynas pauperum teneatur.* Cui addo, quod fel. rec. Pius V. cui nostra de hac re opinio, quam hic tenueramus placuit, declarauit huc, §. per extrauag. seq.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ex primo Lateranensi Concilio pia, & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis, & officij, & temporis suos non faciat: sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos hac re animaduertimus, atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes tenesa ij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent si quotidie diuiderentur, qui vero matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum alio præsens adfuit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, aliàs sibi lucrifecisse prætendat: ita etiam prater fructuum, & distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum incidisse admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualitercunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia, obtinentes cum prædicto pariter contineri. At quicunque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, vt clericus percipit eum modo prædicto ad dicendum officium parum B. Mariæ Virginis decentimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

Ex quibus nota primò reprobari opinionem Soti, & nonnullorum dicentium non obligare prædictum §. statuimus.

Nota secundò, verum esse, quod dixi declarando prædictum §. in d. cap. quando. posito in Enchirid. de orat. c. 7. nu. 32. videlicet, quòd prædicta restitutio non est necessario facienda fabricis ecclesiarum, vbi sunt beneficia: sed satis est largiri eos pauperibus.

Nota tertiò, id quod hinc ibi intulimus, & quo non semel consolati sumus aliquos scholasticos pauperes, qui propter hoc fructus suorum beneficiorum amiserant, scilicet quòd satisfacerent eiusmodi obligatus, capiendo, saltem de consilio confessarij, eos sibi tanquam vni de pauperibus.

123 Tum quia qui ad dandum aliquid pauperibus tenetur, potest illud sibi accipere tanquam vnus ex eis, si verè talis est, saltem de consilio confessarij, & quo ad forum conscientiæ, per tradita à Bal. in l. id, quod pauperibus. quæstio. 22. C. de episcop. & cleric. Cald. consilio 39. de testamen. Ancha. in consilio 84. Domina Apollonia. per ea, quæ latius scribimus. in dicto cap. 7. numero 25.

Nota quartò, quòd non sufficit restitutionem prædictam facere fabricæ, vel pauperibus, quando restituenda sunt lucrifacta per distributiones quotidianas, quæ debentur iis, qui horis illis diebus, in quibus illi nõ recitarunt, interfuerunt, quibus accrescunt, per cap. 1. de cleric. non resid. lib. 6. cum ei adno. & non sufficit dare pauperibus, quod debetur alteri. arg. cap. ea re. de iureiuran. nisi, quando ignoratur quis sit. cap. cum tu. de vsur. vbi gloss. cum communi.

Nota quintò, quòd idem eadem ratione dicendum videtur de fructibus ecclesiarum, vbi est statutum, vt fructus malè percepti restituãtur certis operibus piis: quia illis deberet fieri prædicta restitutio. Quod ipsum videtur de parte, quam corpus seu grossam canonicatuum vocant, quam canonici ita lucrantur ratione suorum canonicatuum, vt pars nõ lucrifacta ab vno accrescat aliis, & obueniens tempore vacationis non reseruatur successori qualem regulariter non habet canonicus, secundum glo. sing. in cap. quod sicut de elect. verbo consentire. sed diuiditur inter superstites, iuxta not. in cap. relatum. 2. de testam. Idem eadem ratione videtur de eo, quod canonicus perdit ob excõmunicationem, suspẽsionem, aut aliam quamcunque causam, sicut per hanc non recitandi: quia de similibus idem est iudicium. cap. dudum. 2. de electio. Non tamen tenetur ad restituẽdum fructus beneficij, eo quod in peccato mortali occulto, aut notorio fuerit. Tum quia id nullo iure cauetur. Tum quia licèt Angel. teneat quòd sic verb. clericus 8. §. 5. Rosel. tamen, & Sylue. verb. clericus 4. quæstio. 24. idem, quod nos tenent. Tum per prædictum §. statuimus quo id probatur irrefragabiliter, quatenus habet beneficiarium, qui suas horas recitare omittit, non teneri ad restituendum, quod primis sex mensibus à consequutione beneficij accepit: & manifestum est illum in peccato mortali notorio fuisse, si notoriè omisit, & si occultè in occulto. De capiente autem parochialem, & nolente ordinari presbyterio diximus in Enchir. de orat. cap. 21. nu. 51. & seq.

124 Decimoquartò peccat mortaliter, qui beneficii sui ædes, vineas, prę

dia,& alia bona dolo, vel negligentia destruit,vel damnificat,cum obligatione reficiendi & restituendi.Hosti.in summa.de pœn.& remiss.§.quibus.vers.1.

Decimoquinto peccat mortaliter, qui suspensus à beneficio,aut excõmunicatus per canonem,aut per hominem recipit fructus, & impendit eos perinde ac si non ita esset ligatus:quia suspensus à beneficio non potest de fructibus beneficij dispendere,nisi ad se,& suos modestè sustentandos:& hoc si bona non habet,vnde viuat.secundum glossas.cap.cum Vintonien.verbo, amiserant. de elect.cle.vt hi qui de ætat.& qualit. cap.pastoralis.§. fi. de appella. receptas per Panor.& communem in locis ordinariis.& in cap. apostolicæ. de except.sed excommunicatus nihil potest accipere, iuxta glo. receptam.in d.cap. pastoralis. in fin. At quia hoc intelligendum est de excommunicato,per quem stat,quominus absoluatur, & illud de suspenso in pœnam, qui non potest facere vt absoluatur, videtur nil differre in hoc excommunicationem à suspensione ob contumaciam,quæ tam facilè ac excommunicatio tollitur, vt rectè sensit Dec.in d.§. fi. Qualiter autem peccetur per dispensationem fructuum beneficiorũ inter viuos, vel per vltimas voluntates, dictum est suprà cap.17. nu.94. Quibus addo Concil.Tridẽ.quod sess. 25. cap. 1.de reform.omnino interdicit, nedum episcopis,sed & cæteris beneficiatis etiam Cardinalibus,ne consanguineos, familiares ve suos reditibus ecclesiasticis augeant, aut illos iis, nisi pauperes sint, distribuant:eósque monet,vt omnem humanum erga consanguineos,& propinquos affectum, ceu malorum seminarium penitus exuant. De celebrante autẽ,& recitante horas principaliter propter pecuniam (quod simonia est)dictum est supra cap.13. nume.101.

125. Decimosextò peccat mortaliter,qui habet multa beneficia diuisa in titulum,quorum vnum suo statui decenti sufficit,vel sine dispensatione,vel consuetudine iusta,iuxta glo. sing.in cap.dudum.2.de elect. receptam a Pan.& communi.ibidem, & ab aliis, quos cito in reper. cap. ad hæc. de præb. & probatur per cap. conquerente. de cleric.non resid. & sentit S.Tho.quodlib. 8. artic. 13. & quodlib.9.art.15.Dixi, *diuisa*: quia secus si legitimè vnita, aut annexa. c. vnio.10.quæst.3. cap.cum venissent. de restit.spol.cap.eam te. de ætat & qualit.& cap.extirpandæ.§.qui vero. 126 de præb. Dixi, *in titulum*: quia licet habere vnum in titulũ,& aliud ad tempus commendatum, ad sex menses tantum,si est ecclesia parochialis.cap.nemo.de elect.lib.6. Dixi, *ad tempus*: nam de commendato in perpetuum idem dicendum est, quod de dato in titulum, iux.Card. Alex.in cap.cum autem.44 dist.Gomes.in reg. de infirmis resig. quæst. 13.& citatos per eum. Maio.in 4. distin.24. quæst.13.quod probauimus. in cap. de multa. de præb. excepto quod vacans per mortem Commendatarij censetur vacare eo modo, quo vacabat tempore quo fuit ei commendata,quod stilus Romanæ. 127 Cur, hodiernus palam seruat. Dixi, *quorum vnum sufficit*: alioqui secus:

secus:nam quamuis Concilium Tridentinum sess.24.cap.17.de reform. quod approbat tacitè prædictã glossam,statuerit,vt vnum tantum conferatur vni, qualis & quantuscũque sit ille,adiicit tamen,quòd si illud ei non sufficerit, liceat ei aliud simplex sufficiens,dummodo vtrunque personalem residentiam non requirat,habere.Ex quo duo collige, posse quem iuste tenere duo beneficia simplicia non requirentia residentiam personalem, quorum alterum non sufficiat absque vlla dispensatione:quæ ante hoc concilium fuit communis opinio in cap. cum iam dudum.& cap extirpandæ.§.qui vero.de præb.Et quod Concilium non prohibet retentionem plurium,etiã requirentium residentiam personalem,per iustam dispensationem. Dixi, *absque dispensatione*: quia non sufficit habere iustam causam eam obtinendi, attento solo iure naturæ,& diuino,sine dispensatione iuris positiui id prohibentis.iuxta S.Thom.in 128 dict.quodlib.9.art.15. Dixi, *aut consuetudine iusta*: quia tantum, licet non plus, valeret illa, quantum dispensatio,iuxta eũdem ibidem: quia vtraque potest iuri humano derogare, & neutra naturali,vel diuino. cap.fin.cum ibi latè notatis, de consuetudi.

Porrò, iusta causa tenendi plura attento iure naturali, & consequenter dispensandi, & consuetudinem circa id inducendi, est secundum eũdem circunstantia eiusmodi, quæ sufficiat ad tollendam deformitatem,quam multitudo beneficiorum præ se fert. Plura siquidẽ beneficia tenere, vt ille ait, nec adeo suapte natura est malum,vt per nullam circunstantiam iustificari possit, vt fornicatio,& alia id genus vitia: neque adeo indifferens, vt sine aliqua circunstantia iustificante liceat, vt habere duo prędia,vel domos, vt supra cap.23.nu.1.diximus. Talis est circunstantia eius,cui attenta suæ personę qualitate non sufficit vnum beneficium ad honestè,decentérque viuẽdum. Talis item tanta prudentia,sagacitas,& industria alicuius, vt speretur plus eis, quibus præest profuturus,etiam absens, quàm communiter alius præsens:& potius accipit propter vtilitatem beneficiorũ, aut subditorum,quàm propriam, iuxta Inno.cap.cũ iam dudum.num. 4. de præben.recept. Talis est etiam defectus aliorum idoneorũ,iuxta Hosti. cap.graue.col.1.eo tit. Talis insuper nobilis animi virtus,nobilitas, & scientia.dict.cap.de multa. quamuis hæc causa videatur includi in prima: quoniam ideo cum nobili, & graduato dispensari posse videtur, per d.cap.de multa. quia eius honesta sustentatio pluribus quam alterius indiget, vt ibi diximus. Talis etiam visa fuit Cardin.in cle gratię. de rescript. intentio tenentis plura beneficia,non ad splendidiorem victum, vestitum, & famulatum,& alia eiusmodi:sed ad largius erogandum in pauperes,& opera pia,retento sibi tantum ad vitam decentem necessario,& vera huius intentionis exequutione.

129 Quare confessarius non debet absoluere habẽtem plura beneficia, nisi saltẽ concurrat aliqua prędictarum, vel alia similis circunstantia, Maior vbi sup.arg.6 Dico, *Saltem*:tũ

quia non sufficit, quælibet illarum sine dispensatione iuris humani. Tũ quia vltima Cardinalis, licèt ante prædictum concilium sustẽtari posset, post illud tamen non licet cùm absque iure prohibeat habere plura beneficia etiam compatibilia, vltra id, vel ea quæ sufficiũt honestæ atque decenti sustentationi, iuxta prædictam gl. in d. cap. dudum. 2. de elect. Quoniam tamen concilium non prohibet tenere beneficia illa, quę ante fuerunt collata: sed ne de cætero conferantur plura vni, consuluimus eum, qui ante illud plura obtinuit, posse nunc retinere, limitando se iuxta opinionem Cardin. quam, licèt sit contra Pan. & communem, semper putauimus verã ante illud. Quo fit, vt iure quis mitetur, etiam post prædictum Concil. à Pontificibus Max. conferri multa, quorum vnum sufficit, vni, & multos sibi collata retinere, quæ profecto iure retinere nequeunt, etiam cum dispẽsatione, nisi iustificetur per intentionem à Cardinale requisitam. Addo quòd idem Concilium sess. 24. cap. 17. statuit, vt plures parochiales ecclesias, aut vnam parochialem, & vnam cathedralem obtinentes, cogantur alteram infra sex menses dimittere. In quo pondera verbũ *cogantur*, &c. per quod respondimus neutram ipso iure vacasse. Pondera item id habere locum, etiam in his, qui per iustam dispensationem tenebant plures parochiales: quamuis audiam aliquos contradicere, arg. cap. ordinarij. §. cæterum. de offic. ordin. lib. 6. quod aiunt esse innouatum per idem Concilium sess. 6. cap. 1. de refor. Quorum opinio licet disputando forte defendi posset: consuli tamen non debet. Tum quia est contra mentem Concilij, vt ex eius contextu patet. Tum quia sic interpretatur Curia cogens ad dimittendam alteram ecclesiarum omnes, qui ante etiã cum legitima dispensatione tenebant duas. Tum quia licèt principiũ d. c. ordinarij. innonetur vsque ad §. cæterum, ille tamẽ tacetur. Hoc tamen ius nouum nõ extenditur ad alia incompatibilia legitime obtenta: & ita qui habet alia beneficia incõpatibilia, puta plures personatus, vel vnam parochialem, & aliam dignitatem, vel personatum, quæ non sunt ecclesiæ parochiales, nõ est cogendus relinquere vllum.

130 Decimoseptimò peccat mortaliter, qui fructus sui beneficij in plures, quã tres annos locat, aut in emphyteosim dat. cle. 1. de reb. eccl. non alien. & est excommunicatus in terris, vbi est excepta extrauag. Pauli II. de qua infra c. 27. nu. 147.

131 Decimooctauò peccat, qui parochiano petenti sacramẽta non ministrat vel non dat licentiam alteri confitendi: vel interest matrimonio clandestino, vt supra c. 22. nu. 68. aut benedicit secundas nuptias. nume. 83. aut primas tempore indebito, ibidem.

132 Decimononò peccat, qui inducit aliquem ad promittendum, aut iurãdum se accepturum sepulturam in sua ecclesia: aut quã iam accepisset, non mutaturum, c. 1. de sepul. lib. 6. & est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, clem. cupientes. §. sanè. de pœn. de quibus infra cap. 27. nu. 137. diximus. Et qui aliquem in peccato mortali notorio mortuum in loco sacro sepelit. cap. quibus. 13 quæst. 2.

133. Vigesimo peccat mortaliter, qui non discit ea, quæ necessario scire tenetur ratione beneficij, vel officij, neque vult illud renunciare. cap. nõ est putanda. 1. quæst. 1. Idem iuris. §. 1. ff. ad l. Aquil. Porro sacerdos, quatenus est solũ sacrificus, est obligatus scire legere, cãtare, & cõstruere. gl. cle. 1. de conce. præb. verb. reputamus. quam Cardinal. Panor. & Imol. probant ibidem. faciunt multa, quæ adduximus in prælect. capit. si quando excepti. 11. & 12. de rescript. Et quatenus sacramenti minister scire debet cuiuscuque sacramẽti formam, materiam, & modum debitum administrandi. Et quatenus confessarius & iudex fori conscientiæ scire debet, quod supra cap. 4. dictum est. Quo fit primò, vt religiosis, & quibus non est onus curæ animarum, neque audiendi confessiones, satis sit scire, quæ sunt necessaria presbytero, iuxta mentem Innoc. recept. in cap. cum in cunctis. de elect. Secundò, quòd qui habet prædictum onus ignorans ad id necessaria tenetur discere illa, aut relinquere onus, vt dictum est: & ita, qui licet sit idoneus ad aliquod beneficium, si tamen non est idoneus ad id, quod obtinet ratione loci, aut personatus subditarum, & nõ vult discere, quo fiat [illegible]is non debet absolui, arg. dicti c. cum in cunctis, & eorum, quæ ibi Innoc. recept ait, & Pan. in cap. venerabilis. de præb.

Vigesimoprimo peccat sacerdos, qui negligit, aut ob timorem omittit communicare proximum iam morientem, vel eius confessionem audire: quamuis pestilentia laboret, si est in extrema necessitate spirituali constitutus iuxta dicta capit. 24. num. 10.

Vigesimosecundò, peccat mortaliter, qui beneficium ecclesiasticum accipit sciens, aut scire debens se irregularem, suspensum, excõmunicatum, aut interdictum esse: & titulus eius est nullus c. cum inter. de elect. c. postulastis. & c. si celebrat. de cleri. excomm. min. & qui in solo peccato mortali id facit. iuxta Panor. in d. c. si celebrat. quod nõ est verum, vt probauimus ibidẽ post Fel. in capit. dilecto. de except. col. 3. Ioan. Maior. in 2. dist. 44. q. 6. & in 4. dist. 18. q. 4.

134 Vigesimotertiò peccat mortaliter, qui nõ dicit tot, & tales missas, quot & quales, & quo in loco tenetur, absque iusto impedimento: aut quas omisit, vt debet nõ cõplet. arg. cap. 1. de pact. & proœm Greg. & c. significatum de præben. Quot autem teneatur dicere parochus inquantum parochus, non videtur iure determinatum, nec sufficienti ratione probari; quia nulla ratio concludit omnibus diebus eum missam dicere, neque omnibus, quibus commode potest: quãuis sic omnibus festis præcepto colendis, quia in eis populus eam tenetur audire, cap. missas. de consecr. dist. 1. Quare primo institutio, vel cõstitutio particularis seruanda est. Secundò consuetudo, quæ pro lege habetur, quando lex deest. cap. consuetudo. 1. distinct. & ita vbi est consuetudo dicendæ missæ omnibus diebus per se, aut per alium, non satisfacit dicendo diebus, quibus commode potest: quia tenetur per se vel per alium quolibet die dicere:

dicere: & vbi est consuetudo, vt solis dominicis, & festis, vel certis hebdomadæ diebus, tenetur dicere per se vel alium in illis: quamuis Sotus de iustit. & iure lib. 9. quæst. 3. arti. 1. non satis caute iudicet parochum teneri, & satisfacere celebrãdo quoties decenter potest, sacellani autem siue capellani, tenentur dicere, quas, vbi, & quomodo institutio sacellorum, vel eorum promissio habet, arg. dicti cap. cum dilectus. de consuetu. cap. 1. & cap. qualiter. de pact. Addo, quòd onus annexum beneficio, vt illud obtinens quotidie celebret de sancta Maria, non obligat ad missandum omnibus diebus, neque ad missam dicendam de illa omnibus, quibus missare tenetur, sed solum illis, quibus frequentius salua honestate, & deuotione debita potest, dicto cap. significatum. de præb. onus autem dicendi per se, vel per alium omnibus diebus, de omnibus diebus intelligendum est, vt ibidem diximus.

135 Vigesimoquartò peccat mortaliter, qui contrauenerit alicui sequentium præceptorum conc. Trid. quod sess. 25 c. 1. de refor. præcipit, sic, *Habens beneficium cum onere legendi, legat per se, si est idoneus, sin minus, per alium, & in posterum non volenti legere per se, non conferatur eiusmodi beneficium, decernens collationem ei factam esse nullam.* Cui consequens est, acceptantem peccare, argu. capit. eum qui. de præbend. lib. 6. & in sess. 5 capitul. 2. Quòd habens beneficium curatum prædicet verbum Dei suo populo, vt minimum dominicis & festis solennioribus, & doceat ad salutem necessaria, quod est tanquam nouum, & singulare notandum. Et sess. 23. c. 3. Quòd nullus obtineat beneficium ante 14. annum. Et quòd in minoribus constitutus, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut in seminario vel aliqua schola quasi via ad maiores suscipiendos versetur, non gaudeat priuilegio fori. Quæ res nouissima est. Et sess. 24. capit. 12. Quòd archidiaconi sint magistri, aut licentiati in Theologia, aut canonibus. Nota non sufficere quo ad hoc doctoratum, vel licentiam iuris ciuilis, medicinæ vel artium, quod curia seruat: per quod soluitur quæstio missa mihi ex Hispaniis. Et quòd per archidiaconum intelligitur solum is, de quo loquitur rubrica de offic. archid. qualem in Hispania neminem scio: quia prædicta rubrica solum videtur loqui de illo, qui est caput capituli, & primus post pontificem, & tales Hispania in sæcularibus ecclesiis vocat decanos, & in regularibus priores, & Gallia, vt plurimum, præpositos, cui alludit capitu. quamuis de verbor. significat. Reliquæ verò dignitates non conferantur, nisi constitutis in anno 22. Per hoc corrigitur capit. 1. de ætat & qualit. lib. 6. quod præscripsit in hoc annum 20. Et prouisi de beneficiis curatis teneantur infra duos menses à die possessionis coram episcopo, aut eius vicario profiteri fidem Catholicam, & subdere se in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros.

136 Quod ipsum de canonicatibus, & dignitatibus prouisi faciant, non solum coram episcopo, sed etiam in capitulo: alioqui nõ faciant fructus suos, nec illis suffragetur possessio. Quod etiam valde nouum est, quatenus

tenus multum addit capite ego N. & capit. nullus. de iureiur. respectiue. Nemo etiam obtineat dignitatem, canonicatum, aut portionem, qui non sit ordine sacro, quem illa requirunt, initiatus, aut in ea ætate constitutus, vt infra tẽpus statutum, initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habeant annexum ordinem presbyterij, diaconatus, vel subdiaconatus. Hortatur etiam concilium vt saltem dimidia pars canonicatuum conferatur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel iure canonico. Põdera, quòd postremum non est præceptum, sed tantum exhortatio. quæ non obligat. §. fin. 4. dist. Quódque nullius statuti, aut consuetudinis vigore liceat, ab ecclesiis, vltra tres menses quolibet anno abesse. Hic videtur permitti maior absentia dignitates, & canonicatus obtinentibus, quàm parochis per capit. 1. sess. 23. de reform. & capit. 13. quod super fructibus episcopatus, non excedentibus summam ducatorum mille,

137 aut fructibus parochialium, non excedentibus centum ducatorum, pensiones, aut fructuum reseruationes non assignentur. Hoc videtur tangere Papam, qui licet ligari non possit, capit. proposuit. de concess. præben. seruat tamen, hactenus inuiolabiliter, & vbi parochiales non sunt diuersæ diuidantur, & vbi non sunt, erigantur: non obstantibus &c. Item sess. 25. capit. 4. de reformat. quòd episcopi in synodis, & abbates, & generales ordinum in capitulis suis generalibus pro sua conscientia disponant de missis, si earum fuerit exorbitans numerus, vel eleemosynæ iis dicendis impares. Hoc videtur ius nouum quoad Abbates, & Generales, sed non quo ad episcopos, qui possunt hoc facere argum. cap. cum accessisset. & cap. ex parte. de consti. & eis adnot. etiam sine synodo, iure antiquo, quod non videtur per hoc sublatum, cum fuisset additum ad augendum, arg. cap.

139 fin. de verb. significa. item cap. 13. quòd quarta funeralium solita iam ante annos 40 persolui ecclesiæ parochiali, soluatur, etiam si postea concessa fuerit alicui monasterio, non obstantibus &c. Et sess. 25 cap. 7. de reform. statuit, quòd in posterum accessus, regressus, aut coadutoriæ futura successione non concedantur, nisi quo ad episcopatum, & abbatiam, certis ad id causis concurrentibus. Et sess. 24. cap. 19. de refor. quòd nec mandata de prouidendo, gratiæ expectatiuæ, etiam sub nomine indulti, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, aut indulta ad alienas ecclesias cuiquam concedãtur, & hactenus concessa, abrogata censeantur. Et cap. 8. quòd nulla Ecclesia parochialis, etiam si reseruata fuerit, & vacet in Curia, nisi per cõcursum, & oppositionem præuio examine, de quo ibi, conferatur.

140 Qualiter autem religiosus peccet contra votum paupertatis, altius quam hactenus trado in cap. non dicatis. 12. quæst. 1.

De peccatis prædicatorum, siue concionatorum.

SVMMARIVM.

141 *Prædicans vt peccet, si id facit sine facultate,*

facultate, quam is dare potest, & aduertens se esse in mortali, vel mentiens.

142 *Prædicans se peccare mittens ridicula, detrahens prælatis, decimas dissuadens, si religiosus sine consensu episcopi num.144*

143 *Prædicandum quid, quoties, quibus, & à quibus.*

141 CItra hæc dicim⁹, quod peccat mortaliter primò concionator, qui publicè concionatur absque facultate legitima, cap. excõmunicamus. §. quia vero. de hæretic. qualem habet episcopus per totum orbem, & parochus in sua parochia: qui potest dare illam alteri noto, & alias probato, quo ad suã parochiã, sicut episcopus quo ad suam diœcesim, & Papa quo ad omnes, vt colligitur ex Pan. & communi in cap. inter cætera. de offic. ordin. & d. § quia vero, de hæret. & ex Cardinali in cle. dudum. de sepult. quia sunt ordinarij, & ordinarius potest omnia, quæ sunt iurisdictionis. delegare iure canonico, iuxta gloss. recept. capit. peruenit. 95. dist.

Secundò peccat mortaliter qui aduertens se esse in peccato mortali, ante iustam contritionem concionatur, secundum Caietan. in 3 part. quæst. 64 arti 6. & 2.2. quæst. 187. art. 1. qui retractauit, quod dixerat in summa verbo, prædicatorũ peccata. in princip. & tom. 2. de vsu spirit. q. 1. vbi oppositũ tenuit: quia actus prædicãdi saltem per legem humanam est actus peculiaris ordini euangelij. Et qui aduertens mentitur concionando circa doctrinam fidei, bonorum morum, historiarum sanctorum, miraculorum, aut prophetiarum, ad cohortãdum, inducendum, aut mouẽdũ auditores, iuxta Caiet. in sum. verb prædicatorum peccata. Dixi, *circa doctrinam fidei &c.* quia mentiri circa alia non est peccatum mortale, nisi notabiliter scandalizaretur, vt de mentiente in iudicio, & confessione dictum est supra cap. 18. nu. 3 Et peccat, qui principaliter, vel minus principaliter ob laudem, honorem, vel pecuniam prædicat: & quanto plus mereatur qui pure ob Dei gloriam id facit, colligas ex cap. 23. supra nu. 6. & latius ex commen. nostro super cap. cum minister. 23. q. 5. nu. 44. Qui verò cõcioni fabulam, 142 & facetias, aut aliquid ridiculum miscet, peccat quidem iuxta S. Anto. par. 3. tit. 18. cap. 4. & Caiet. 2 2. quæst. 164. artic. 2. sed communiter non plusquam venialiter, iuxta eundem, in dict. verb. prædicatorũ peccata, immò nec semper venialiter, vt cum ad hilaritatem honestã breuiter dicuntur, vt tradit Aug. Triump. in summa de potestat. eccleiast. q. 107. artic. 1.

Tertiò peccat mortaliter religiosus, qui concionando prælatis ecclesiæ & sacerdotibus detrahit, præsertim quo laicis placeat, clem. 1. §. quibus. de priuile. Quod intelligendum est, iuxta gloss. ibidem. verb. detrahendo. de detractione nominatim, expresse, vel æquipollenter facta: licet enim generaliter prælatorum vitia reprehendere, modo id prudenter, & absque scãdalo fiat. Et quamuis dicta clemen. solum loquatur de religiosis: quia sæpius in eo peccant, idem tamen de sæcularibus dicendum est; quo ad peccatum: quamuis non quo ad pœnas ibi constitutas, arg.

arg. gl. clem. 1. de rescript. verb. præsidentes, adiuncto textu. l. interpretatione. ff. de pœnis. Quæ confirmantur per conc. Lateranense, quod sub Leone X. sess. 1. vetuit concionatoribus populo prædicare miracula falsa, incerta, aut prophetias per sacram scripturam non approbatas: & Prælatis ecclesiæ detrahere, addens aliis pœnis excommunicationi latæ sententiæ reseruatæ Papæ, quod non latuit Caietanum in summa verb. excommunicatio. cap. 18. sub fi. Et religiosus qui concionando dissuadet populo decimarum solutionem, est excommunicatus, clem. cupientes. de pœnit. de quo infra cap. 27.

143 Quartò, qui contrauenit præceptis Conc. Trid. quod sess. 5. cap. 2. præcipit sic: *Nullus regularis prædicet in ecclesiis sui ordinis, nisi prius examinatus, & approbatus à suo superiore de vita, moribus, & scientia, obtenta ab eo licentia, quam Episcopo præsentet, benedictionem ab eo petendo. In ecclesiis verò, quæ sui ordinis non sunt, etiam licentia episcopalis necessaria erit. Episcopi etiam neminem regularem extra clausuram viuentem, nec sæcularem sacerdotem prædicare sinant, nisi eis noti sint, & moribus, & doctrina probati, etiam cuiuscunque priuilegij prætextu* Et sess. 24. cap. 4. de reform. sic: *Nullus sæcularis, vel regularis etiam in ecclesiis sui ordinis prædicet, contradicente Episcopo. Episcopi autem singulis dominicis, & festis solemnibus, diuinam legem per se, in suis ecclesiis annuncient, vel si legitimè impediti sint, per deputatos ab eis in aliis verò ecclesiis per parochos, vel alios, tempore verò Aduentus, & Quadragesimæ quotidie, vel saltem tribus diebus in hebdomada, legem diuinam, & sacram scripturam annuncient, & festis diebus pueros doceant doctrinam Christianam, & obedientiam erga Deum, & parentes.* Et cap. 7. sic. *Administrantes sacramenta, etiam si sint Episcopi, iis qui ea suscipiunt, illorum vim, & vsum explicent, & inter missarum solemnia, vel alia diuina officia vernacula lingua festis diebus legem diuinam populo exponi curent, positis inutilibus quæstionibus, quæ non ædificent. Rerum item incertarum, aut speciem falsi habentes proponi non permittant, & curent prædicari doctrinam veram de purgatorio.* Et sess. 22. cap. 8 sic. *Omnes curam animarum gerentes per se, vel per alios aliquid ex his, quæ in missa leguntur dominicis & festis exponant, & mysterium sanctissimi huius sacramenti declarent.*

De peccatis coniugatorum.

SVMMARIVM.

144 *Sponsalia clandestina post Concil. Trident. complens, & vtens matrimonio præsumpto &c vt peccet.*

144 *Matrimonium præsumptum cessat, & coram quo parocho contrahendum, sine cuius præsentia contractum nullum.*

144 PEccat primò coniux modis supra capit 22. à nu 30. positis, & non complens sponsalia clandestine contracta, etiam post Cõcil. Triden. quia illud solum matrimonium, & nõ illa annullat. Et qui vtitur matrimonio præsumpto per copulam carnalẽ habitam post prædictum Concil. quia post illud cessant matrimonia præsumpta, per capitu. is qui.

is qui de sponsa qui discedit à matrimonio contracto coram parocho habitationis fœminæ, etiam si paro chus habitationis viri non assistat. Et qui vtitur contracto publice, etiã coram toto populo, sine præsentia parochi, vel alterius presbyteri, cũ licentia illius, vel ordinarij: quia congregatio Conc. Trid. sub Pio V. interpretata fuit sufficere parochũ mulieris, quãdo matrimonium con trahitur in parochia mulieris, sicut eadem sub Gregor. XIII. censuit, sufficere l'arochum viri, quando in eius parochia contrahitur, vt dictũ est supra c. 22. nu. 27.

Confessarius erga confessum vt se geret. Cap. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius doceat confessum hoc, & hoc.*
1 *Confessarius alium ad aliud exhortetur, alium laudet, alij nil dicat.*
2 *Confessarius hoc præstari faciat quinque casibus.*
3 *Confessarius facile non iudicet esse mortale quod est controversum, & quid tunc faciet.*
3 *Confessarius non absoluat nolentem facere necessaria.*
4 *Confessarius quid faciet, quando pœnitens cõtrariam suæ opinionẽ habet, & quid quãdo vterq; dubitat.*
5 *Confessarius quid dicet ei, qui restituere debet, & quid ei, qui restituturum se promisit & non præstitit.*
6 *Cõfessarius quid faciet in absolutione reseruatorij, cum breui resolutione.*
6 *Peccatum reseruatum cui, & quomodo confitendum, & soluendum.*
7 *Absolutio excõmunicationis præcedat peccatorum absolutionẽ, ante illam faciat hoc, & hoc nu 8. & 9.*
10 *Absoluatur pœnitens ab omni excommunicatione maiore, & minore sic.*
11 *Absolutio peccatorum detur in hac forma, quamuis ad substantiam eius minus sufficiat*
12 *Absolutio conditionalis non detur: & data a peccatis, censuris & irregularitatibus ab eo, qui pœnitentem poterat absoluere ab omnibus, quæ incurrisset, etiã oblita includit &c. nu 13 & cum detur ab eo, qui non poterat quid fiet, & an absenti dari possit nu. 14.*

1 Circa hæc dicim⁹ primò, quòd cõfessarius vt diximus in prin. cap. 1. de pœnit. dist. 6. nu. 50. doceat ea, in quibus pœnitẽtem errare animaduertit, putando peccatum esse, quod non est: aut contra: aut esse mortale quod est veniale: aut contra, saltem in his, quæ scire tenetur: idem faciet de censuris, quas falsò credit esse, vel non esse per principiũ. cap. 1. de pœnit. dist. 6. & quæ ibi tradimus, & arg. cap omnis. §. sacerdos. de pœnit. & remiss.

Secundo pro varietate pœnitentium, alium arguat, alium soletur, alium de diligentia, & ordine memorandi, & accusandi modeste laudet, & ad gratias ob id agendum incitet: aliis alias virtutes magis commendet, aliis alia vitia acrius increpet. Porro, pœnitenti docto, diligenti, & sæpe confitenti, & celebranti, aut nil dicat, aut solũ, vt faciat, quæ nouit facienda: & cum sit lux, & sal aliorum caueat, ne sit eis offendiculo, vt copiosius diximus in dicto c. 1. num. 52. & seq.

2 Tertiò, præmissis ante vel post prædicta interrogationibus opportunis, faciat concludi confessionem, dicendo se cõmisisse illa omnia peccata, & alia multa, quæ nõ satis meminit, cogitatione, verbo, opere, & omissione: & persuadeat proponere nunquam amplius Deo iuuante ea, nec alia saltẽ mortalia ob eius amorem peccaturũ, iuxta dicta supra c. 1. nu 12. Sed nõ obliget eum ad id voto, iuramento, vel alia promissione, quæ nouum vinculum adiiciat: nisi quum ius id præcepit, vt in excommunicato notorio absoluendo. c. ex parte. de verb. sign. & c. solet. de sent. excommu lib. 6. & in incendiario. c. pessimam. 23 q. 8. & in mutilatore. c. si quis membrum ead. cau. & quæst. & manifesto raptore, aut ecclesiæ violatore, cap. super eo. de rapto. & vsurario publico. c. quan quam. verb. nullus. de vsur. lib. 6. & in publice iniuriante personis eccl siasticis. c. quisquis inuentus fuer ..17 q. 4.

3 Quartò, c eat facile negare absolution pœnitenti dicendo esse mor id, de quo sunt contrariæ opiniones, ne eum in futurum propter conscientiam illaqueet: sed potius consulat libros, vel doctos, vel certe persuadeat ei propositum faciendi, quod iure facere debet consilio N. vel N. quibus confidit, vel aliorum quorum iudicio fidendum est: tale enim pœnitentis propositum sufficit, vt absoluatur. Angel. verb. confessio 4. §. 3. & Sylu. verb. confessio. quæst. 20. adiunctis, quæ diximus supra c. 23. nu. 21.

Quintò, quod nullatenus absoluat pœnitentem nolentem abstinere ab eo, quod certum est esse mortale, per dicta supra c 10. nu. 4.

4 Sextò, quòd si sint contrariæ doctorum opiniones quarum alteram confessarius, & alterã pœnitens sequitur, & cõfessarius credit euidenti se textu, vel ratione niti: pœnitentem autem dubia, non debet eum absoluere. At si confessarius nõ adeo forti ratione nititur, vel pœnitens vtitur pari, vel fere pari, & habet aliquem pro se doctorẽ clarum, poterit eum absoluere, vt post Adri. in 4. de confess. q. 5. dub. 7. tenuimus in c. si quis autem. de pœnit. dist. 7. nu. 66. non distinguentes inter propriũ parochum ad audiendum obligatum, & alium, qui potest audire, & non tenetur, vt nec Adria. distinxit, quicquid Gofred. relatus per S. Ant. 3. par. tit. 17. c. 10. §. 2. dicat.

5 Quibus adde, quòd, sicut cum dubitatur, an aliquid sit mortale, nec ne, securiorem partem confessarius & pœnitens eligere debent: ita quũ dubitatur, an pœnitens hoc facere, dare, aut pari debeat, benigniorem opinionem confessarius eligere debet, Ang. & Syl. vbi supra. Dixi, *Quum dubitatur*: nam cõfessarius, vel pœnitens credens suam sententiam esse veram, nõ dubitant, vt diximus in d. c. si quis autem. nu. 9. & seqq.

Septimò, quòd pœnitentẽ ad aliquam restitutionẽ aliquorum obligatum inducere debet ad propositum eam faciendi, quam cito commode poterit, iuxta in d. c. 17 nu. 54. admonendo eum, si nimis differat, in peccatum mortale recasurum, & gratiam quam per confessionem & absolutionem adeptus est, amissurum. Quin & eum, qui confessione præterita restitutionẽ promisit, nec restituit, non debet absoluere quoad restituat, nisi raro, vt in dicto

cap.17.num.59. finuatum est.

6 Octauo, quòd pœnitentem habentem peccatum reseruatum non debet absoluere ab eo fine priuilegio, bulla, vel alia licentia eius, qui illa potest dare: sed vt dixi in c. considerer. §. cautus. num. 10. de pœnit. dist. 5. debet absoluere à quibus potest, & pro absolutione reseruari mittere ad eum, cui reseruatum est: cui solum reseruatum cõfiteatur, vt ab illo absoluatur, aut absoluendus ad priorem confessarium remittatur. Quare vt cuidam doctissimo respondi, non debet dicere absolute. Absoluo te ab omnibus peccatis mihi cõfessis, sed cum limitatione, exceptis talibus & talibus: posset item pœnitens per se, vel per alium ante vel post suam cõfessionem impetrare facultatem secretam, verbo, aut scripto, ab eo, cui reseruatum est, absoluẽdi à proprio cõfessario: sed quia is modus periculosus est, eo quod peccatũ extra cõfessionem detegitur, tutius esset, vt cõfessarius per se, vel alium impetraret sibi facultatẽ absoluendi ab illo vel illo peccato ei reseruato. Superior autem, cui est reseruatum peccatum, non potest absoluere ab illo, antequam ipsi, vel alteri omnia fuerit confessus.

7 Nonò, quòd pœnitentem excõmunicatum prius debet absoluere ab excommunicatione quam à peccatis: alias mortale sacrilegiũ committeret, vt diximus in dict. c. considerer. §. cautus. nu. 24. post Palud. in 4. dist. 17. q. 1. col. 4. argu. c. si celebrat. de cler. excom. minist. c. sacris. de his quæ vi. contra Angel. verb. cõfessio 5. §. 10. sequentem Monald. pro se incaute citantem Richar. qui contrarium tenet: licet absolutio peccatorum si concederetur valeret, modo, quo supradictum est c. 9. nu. 5. Quòd si facultatem absoluendi ab excommunicatione non habet, nullatenus à peccatis absoluat, quousq; absolutus ab ea, redeat; aut deferat mandatum ad absoluendum esi. Porrò in absoluendo ab excommunicatione seruare debet formã iuris, quæ vt diximus in c. 1. in prin. de pœnit. dist. 6. num. 54. habet, primum, vt iuret parere super eo mandatis ecclesiæ, c. ex tenore. c. de cætero. de sent. excom. Secundò, quòd parti satisfaciat, si offensa, aut debitum est notoriũ. c. ex parte. de verb. sign. & c. solet. de sent. excom. lib. 6. aut impensas si contumacia est notoria, c. venerabilibus. §. porrò. eod. tit. & lib. & hoc si potest, sin minus præstet sufficientem cautionem, id est dando pignora, vel fideiussores: & si neque hanc potest, det iuratoriam. Notæ autem addimus, quod quamuis distinctio debiti, offensæ, aut contumaciæ notoriæ & dubiæ locum habeat in foro exteriori: in interiori tamen nõ habet, sed solum si scit, aut nescit se debere, aut offendisse, aut quantum, aut quomodo, aut cui soluere debeat: quia in hoc foro cessant præsumptiones, & confessum à pœnitente pro certo notorium habetur, iuxta omnes, arg. cap. tua. c. is qui. de sponsal. quod est vsu frequens, & theoria ratum.

8 Tertiò, quòd humeros nudatum cum psalmo *Miserere mei Deus*, aut alio pœnitentiali, virga, fune, aut flagello cædat, & post, *Gloria patri*, &c. kyrie eleison, &c. *Pater noster*, &c. cum versiculis *Saluum fac*, &c. Oremus, mus, *Deus cui proprium est misereri, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absoluat. per Christum D. N. Amen.* cap. à nobis 2. de sent. excom. & tradit S. Anto. 3. par. tit. 24. c. 77. §. 1. quem sequuntur alij, & post absoluat in hæc verba. Auctoritate qua fungor, absoluo te à vinculo excõmunicationis quod incurristi ob hanc vel illam causam, & restituo te sacramentis ecclesiæ & communioni fidelium, In nomine patris, &c. Amen. Et si est excommunicatus ob multas causas, exprimat eas in absolutione: alioquin à solis expressis esset absolutus, iuxta omnes. Quamuis mea sententia satis est habere intentionem eum ab omnibus absoluendi, & comprehendendi omnes suis verbis. Si vero, ob vnam tãtum causam sæpe incurrit, sufficit dicere, toties, quoties eam incurristi. Et quia statim dicemus expedire, vt generaliter absoluat quemliber pœnitentem ab omni excommunicatione, sub conditione, si & quatenus est opus & potest: quamuis non videat eum aliqua teneri, à fortiori expediet, vt eum sic absoluat, quando eum absoluit ab aliqua particulari, qua videt eum teneri.

9 Quamquam autem modus prædictus regulariter seruandus est, quando cõmode potest in absoluendo excõmunicato: absolutio tamen aliter facta valet etiã solum dicendo. *Ego te absoluo ab excommunicatione.* vel *Benedicto te.* aut aliud æquipollens, cum intentione absoluendi, Syl. verb. absolutio 5. q. 2. vt diximus in d. c. 1. vbi addimus, nu. 55. ne faciat fœminam nudare humeros: quia nullo iure id cauetur, & à num. 60. quod quatuor prædicta nõ sunt seruanda, quãdo excommunicatio non est certa, & ad cautelam absoluitur. Et Leonem PP. X. fratribus ordinis Minorum cõcessisse ne quando excommunicatos in foro conscientiæ absoluunt, teneantur eos flagellare dicendo psal. *Miserere mei.* compen. priuileg. verb. absolutio 1. quo ad seculares. nu. 14. Quæ omnia procedunt etiam in absolutione à delegato facta simpliciter, vel additis illis solitis verbis, (seruata in eis forma) vel similibus. Secus si aliquid aliud delegans mandauerit obseruari: quia priore casu solum contineret monitionem, in posteriore vero etiam nouam formam argu. glossæ celebrat. in clemen. 1. de officio delegat.

10 Decimò, confessarius imponat pœnitentiã ante absolutionem, glo. fin. in cle. dudum. §. statuimus. verb. audire. de sepul. quod tamen non est necesse: quia tãtum valet, & tam sacramentalis est quæ post, quam quæ ante imponitur, vt dixi in prin. dicti c. 1. nu. 33 post Gerson. in tract. de excommu. 2 part. argu. l. lecta. ff. de reb. cred.

Vndecimò, absoluat eum ad cautelam ab excommunicatione maiore, vel minore, suspensione, vel interdicto, in hanc sententiam: *si tenearis aliquo vinculo excommunicationis maioris, suspensionis vel interdicti, à quibus te possum absoluere, absoluo te, si & quatenus possum.* Et expedit: sed non est necesse admugere: *Restituo te sacramentis ecclesiæ, & communioni fidelium.* Iuxta Gerson.

vbi sup. & omnium mentem: quia eo ipso quod absoluitur, eis restituitur.

Duodecimò absoluat à peccatis præmittendo *Misereatur tui* &c. Dominus noster Iesus Christus te absoluat. Et ego authoritate ipsius qua fungor te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti.

11 Passio D. N. Iesu Christi & merita Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum & quidquid boni feceris, & mali patieris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Non sunt tamen hæc omnia necessaria: essentialia enim, & necessaria sunt illa sola *Absoluo te.* vt diximus in d. prin. nu. 9. & colligitur ex vtroque Tho. 3. par. q. 74. art. 3. & ex Conc. Floren. in decreto Euge. §. 4. quia quæ absolutionem præcedunt, sunt preces: & quæ sequuntur, sunt iniunctio pœnitentiæ generalis, vt diximus in c. 1. nu. 4. & in d. c. 1. nu. 36. & 52. post S. Thom. quodlib. 3. Alia multa verba multi adiungunt, quæ non solũ sunt superflua, sed etiã periculosa: è quibus sunt illa, De quibus contritus &c. Tum quia absolutio non solum cõprehendit peccata contrita: sed etiam quæ apparent contrita, ad effectum, ne iterum ea pœnitens confiteri teneatur: quin etiam attrita certæ speciei comprehendit quo ad effectum remittendi, vt supra dictum est, c. 1. nu. 40. Tum quia scrupulos gignere posset, vt dixi in dict. cap. in princ. num. 31. vbi num. 27. etiam dixi, qualiter intelligenda sit determinatio quædam Io. Gerson, quo vera sit.

12 Admonemus etiam id quod vbi supra, nu. 62. quod non debet absoluere ab excõmunicatione de futuro, & minus à peccatis dicendo: Ego te absoluo ab excõmunicatione, aut à tuis peccatis, sub conditione, si illud, aut illud feceris, aut si satisfeceris. Tum quia absolutio non debet esse in suspenso. argu. c. ad hæc quoniam de appel. Tum quia licet sortiretur effectũ post adimpletã conditionem, peccaret tamen, qui eam sic faceret, vt dixi ibidem, num. 65. Quamuis posset ferre sub conditione de præterito, quæ actum non suspendit, l. cum ad præsens. ff. si cert. petat. veluti dicendo: Si fecisti, aut præstitisti talẽ rem, ego te absoluo, vt dicitur, quum de baptismo dubitatur. si tu non es baptizatus, ego te baptizo, c. 2. de baptis. Quod si superior absens inferiori facultatem dederit, vt à casibus sibi reseruatis absoluat sub eo modo, vt iterum illi confiteatur, quando præsens fuerit, confessarius tenetur illum modum pœnitenti declarare; & si eũ non acceptauerit non debet audire, si ante confessionem id sciuerit: nec à reseruatis absoluere, si post confessionem sciuit: si tamen consenserit absolutioni, adeo valet absolutio, quod quamuis postea pœnitens superiori non confiteatur, valere illa nõ desinat: peccatũ tamen mortale nouum committet. Est autem valde notandum, quod qui confitetur alicui habenti facultatem absoluendi ab aliqua excommunicatione, vel peccato reseruato, quibus ipse tenetur, & obliuiscatur illa, & absoluatur ab
13 omni excommunicatione, & peccato si, & quatenus potuit confessarius, vt supra est dictum, absoluitur etiã ab eis: ita quod quamuis postea factus memor eorum confiteatur illa vt tenetur alteri, qui talẽ facultatem non habet, ab illis possit absolui ab eo: quia desierunt esse reseruata, & habere excommunicationem adiunctã, quippe quæ per priorem absolutionem sublata fuerunt, & peccata remanserunt solubilia à quouis proprio sacerdote, vt dixi in c. 1. §. cautus. de pœn. dist. 5. & in c. 1. in prin. nu. 70. eadem dist. allegando locum specialem vbi id dixit Palud. in 4. dist. 18. q. 5. col. pen. quem nemo allegat: quãuis generaliter allegando eum sequantur S. Anto. Ang. Sil. Gab. & Adr. in locis, quos in d. §. cautus, citamus. Et ideo qui confitetur habenti authoritatem absoluẽdi ab omnibus peccatis, & censuris per viã confessionalis bullæ, Iubilæi, vel aliã prudenter facit, curando, vt modo supradicto generaliter ab omnibus excõmunicationibus, & peccatis absoluatur: immò & vt secum in irregularitatibus dispẽsetur, si etiam ad eas se extendit facultas: quia si postea in mentem venerint, satisfaciet confitendo peccata, nulla obtenta absolutione à censuris, nec dispensatione ab irregularitate. quod religiosi notare debent, qui in visitationibus ab irregularitate, & aliis censuris generaliter absoluuntur à superioribus: nam esto tunc nõ meminerint illa, sublatæ censentur, nec tenentur aliam absolutionẽ quærere ab eis, sed satisfaciunt confitendo simpliciter peccata, ob quæ illa incurrerunt. Ang. verb. confessio 1. §. 12. Ros. verb. cõfessio 2. §. 9. Syl. verb. Cõfessio 1. q. 4. Aduertendum quod hic nihil dicitur de irregularitatibus, vt visum fuit Reuerendiss. episcopo Vulturarien. in lib. de irreg. lib. 6. c. 25. num. 6. An autem idem sit de illis dicendum, quod hic dicitur de censuris quæstionis est. Et etiam dubitari potest an confessarius electus virtute cap. fi. de pœn. & remis. possit dispensare, vt tradit Sylu. ver. confessor. 1. ver. 9. quæritur. nu. 9.

14 Decimotertiò, quòd si absoluit aliquem ab excommunicatione, aut à casu reseruato, à quibus ipse non poterat, debet procurare facultatem absoluendi eum ab illis, & post habitam eam, absoluet eum præsentem, si præsentia eius haberi potest, sin minus absentem ab excommunicatione, quando voluerit, & à peccato reseruato, quando ille in gratia esse videbitur, secundum Anto. qui ait multos insignes theologos congregatos super hoc in quodam concil. quod ipse citat ibi, & nu. 15. concluisse, huiusmodi pœnitentem posse absolui in absentia, etiam si præsentia eius haberi posset: sed scandalum immineret, dicendo ei, quod nequaquam est absolutus, & propterea oportet ipsum iterũ confiteri. Quod equidem ego refellere minime audeo, licet nonnullis contra videatur: & si prædictam facultatem habere nequit, admonere debet eum si potest, vt se absoluere faciat à tali casu, aut peccato, à quibus ille non potuit, vt dixi in c. 1. in prin. de pœnit. d. 5. nu. 60. Non enim satis placet illud Directorii lib. 1. tit. 13 §. 143. scilicet, vt obtenta absoluendi facultate, iterum pœnitẽtem accersat, & caute fingat, se eum de aliquo peccato iam confesso interrogare velle, quo melius eum erudiat

de nonnullis aliis, si postea commisit, & ab omnibus absoluere. Tum quia raro id sine scandalo fiet. Tum quia non potest illum ab illo peccato, & alijs absoluere, nisi omnia peccata integrè & ex proposito absque ta[illegible] confiteatur. cap. omnis. de pœni. & remiss.

De pœnitentia imponenda.

SVMMARIVM.

15 *Pœnitentia iusta est imponenda: alia omnis cur falsa dicta: omnibus leuis necessaria: & quæ alia voluntaria grauis sub gerere punitur.*

16 *Pœnitentia iusta quid, eam Deus solus nouit.*

17 *Septennis vnicuique peccato mortali non debetur in foro interiori.*

18 *Pœnitentia arbitrio confessarij relinquitur, non ad hunc effectum, sed ad istum: & quæ imponenda, sitque conueniens: quales non sunt hæ.*

19 *Confessarius antequam pœnitentiam iniungat, dicat hæc.*

20 *Pœnitentia satisfactoria alia à necessaria culpa delendæ: & quæ earum acceptanda.*

21 *Pœnitentia ex causa diminui: & mutari potest nn. 22.*

23 *Pœnitentiam per opera alias debita fieri.*

24 *Pœnitens quod officium relinquet.*

25 *Confessarius pœnitenti absoluto hæc consulat.*

Decimoquartò, quòd frequẽter rogati super quantitate pœnitentiæ imponendæ, tandẽ concludim⁹ octo. Primum, quòd confessarius debet conari imponere pœnitentiã iustam pœnitenti. Tum quia ea minorem Greg. falsam appellat. in c. falsas. de pœn. dist. 5. nõ eo quòd nil prosit, vel absolutionem irritam faciat: sed quia pœnitentem fallere potest, præbendo occasionẽ credendi, se per illam plenè satisfacere. Tũ quia Abulens. super 18 Matth. q. 49. circa finem. dixit confessarium imponentẽ pœnitẽtiam pro suo libito, sine alia circũspectione, peccare: quãuis nõ declaret, an mortaliter an venialiter, nisi quãdo nullã scienter iniungit, cui satis cõcordat Conc. Colon. de satisfact. §. ex prædictis. multa de hac re tangens, & Adri. in 4 de Clauib. q. 2. col. 6 sacerdotem nõ debere cõdonare offensas contra Deũ factas sine multa prudentia, & pœnitentia, arg. cap si is qui prælatus. 23. q. 4. & Maio. in 4. dist. 20. col 3. nõ esse veri amici imponere paruam pœnitentiam, neque prudentię, eius paruitate lætari. Tum quia Concilium Trid. sess. 14. c. 7. post hæc scripta declarauit, conuenientes pœnitentias esse à confessariis imponendas, & nõ leues pro grauibus iniungendas, ne participes eorum fiant. Quo fit, vt constanter affirmemus non rectè fungi officio suo cõfessarios, qui omnibus vnam, & eandem leuem pœnitentiam obligatoriam, & aliam grauiorem voluntariam imponunt.

16 Secundum, illam esse pœnitentiã iustã, quę neque est maior neque minor merita, quęque exęquat. & nõ superat pœnam peccatis confessis in purgatorio luendam. arg. l. iustitia. ff. de iust. & iur. & prooem. Greg.

Tertiũ hanc soli Deo esse cognitam: solus enim ille nouit quanta pœna debeatur in purgatorio⁹ peccato mortali per contritionem, & confessionem condonato: quia solus ipse nouit grauitatem peccati, & vim contritionis, & partem quam absolutio sacramentalis tollit; meritum item operis satisfactorij, tum sacramentalis, tum cuiuslibet alius, quod pro magnitudine, vel paruitate gratiæ & deuotionis magis vel minus, saltem ex opere operãtis satisfacit.

17 Quartum vulgatum esse, vnicuique peccato mortali iuxta canones pœnitentiam septem annorum iniungẽdam esse, in quod allegatur Gratian. in cap. hoc ipsum. §. 1. 33. q. 2. Pro quo nunquam nos rectum reperire potuimus, vt dixi in. d. c. falsas. nu. 14. quãuis sic multas glossas receptas in d. c. hoc ipsum. & in c. admonere. 33. q. 2. & in c. prædicandum. 22. q. 1. &c. sunt plures. de pœ. dist. 3. quæ id dicunt. & communis cum Hosti. in summa de pœnit. & remiss. §. quæ pœna. & Palud. in 4. dist. 20. quæst. 2. S. Anto. 3. par. tit. 17. cap. 10. cui consonare videtur stilus concedendi indulgentias 40. vel alius numeri annorum, & dierum in pœnitentiam iniunctorum. Quare contrarium putamus. Tum quod id tenet S. Thom. in 4 lib. sent. distin. 20. quæst. 2. ante quem idem sensit Hier. in cap. mensuram. de pœni. dist. 1. Tum quia nec Gratianus dicit ecclesiam septẽnem pœnitentiam in singula peccata statuisse. sed tantũ pro grauissimis peccatis iniungi solitam fuisse in d. cap. hoc ipsum. §. 1. Tum quia dici potest, illam pœnitentiam non fuisse taxatam pro foro interiori: sed exteriori, vt probamus d. cap. falsas. nn. 14. Tum quia ibi ostendimus illos 46. canones pœnitẽriales, quos Hosti. in. d. §. qua pœna. colligit, ad forum exterius pertinere. Tumqaia inepte imponeretur pœnitentia septennis pro vnoquoque peccato ei, qui mille confitetur.

Quintum, quantitatem, & qualitatem iustæ pœnitentiæ nunc, & semper relinqui, relictámque fuisse prudentis confessarij arbitrio. dict. cap. mensuram. cap. de⁹. de pœnit. & remiss. & cap. tempora. 26. quæstio. 7. non quidem vt sensit gloss. dict. cap. mensuram. & Panor. in d. cap. Deus qui. nu. 4. & Anton. Burgen. in cap. 2. de emptio. ad effectum vt pœnitens facta pœnitẽtia iniũcta magna vel parua, ab omni pœna purgatorij liberetur: quia hoc falsum est, iuxta Mag. & communem in 4. distin. 2. & probamus in d. cap. mensuram, &c. Deus qui. & in repet. §. in leuitico. de pœnit. dist. 1. nec etiam ad effectum, vt pœnitens ad pœnitentiam impositam acceptandam teneatur, secundùm aliquos, vt dicemus infra nu. 20. sed ad effectum, vt animæ negotia, quo ad hunc mundum, & quo ad alterum mediocriter gerantur.

18 Sextum, confessarium circunspicere debere in æstimanda pœnitentia magnitudinem, & paruitatẽ peccati, & contritionis, & qualitatem personę pœnitentis, an sit robustus, an debilis, iuuenis, an senex, assuefactus, an non. An item videatur magnam recusatur⁹: aut quamuis accepret, eam non impleturus: an sit pauper, an diues, magnoperęque curare debere, ne pœnitentiam inepram imponat: qualis est eleemosyna pauperi, ieiunium perpetuo laboranti, austeritas magna delicato, & in alcioti loco posito: qualis quæ imponitur vxori, filio, seruo, aut famulo, in nota

Universidad de Deusto Biblioteca

dile obsequiorum debitorum impedimentum, vel in periculum lapsus spiritualis, aut detectionis peccati occurrit, iuxta mentem S. Anto. 3. part. tit. 17. c. 10 § 10. qualis peregrinatio mulieribus, iuxta Hosti. in cap. multæ, de sent. excommu. maximè sine suis maritis, vel cum illis in longinquum, cum domi manentes sanctos inuisere spiritu possint. Maio. in 4. distin. 17. quæst. 2. qualis panis & aquę, & solitudinis melancholico, & scrupuloso: qualis multa recitatio prælectori, & ad longas preces obligato, vt dicimus in d. c. cõsideret. §. ponat. nu. 4. & 8. de pœ. dist. 5. & aliq; similes.

19 Septimum, confessarium pœnitenti dicere debere iustam pœnitentiam, quæ sibi imponenda erat, solum Deum Optimum Maximum scire, & timentes Deum, & cupientes vitare pœnas alterius vitæ antiquitus septem annorum pœnitentiam pro vnoquoque maximo peccato mortali facere solitos fuisse, iudicantes tam longam pœnam tam magnę offensæ purgãdę adhiberi oportere: sed quod non intendit imponere ipse, nisi sponte velit eam suscipere. Et si responderit se velle, & iudicat illum impositam impleturum, iniungat eam, quæ iusta videbitur, habito respectu ad eas, quæ prædictis canonibus pœnitentialibus præcipiuntur. Nam, vt habet Concil. Colon. vbi sup. iam quod sperandum non sit, vt communiter ab hominibus iterum suscipiantur pœnitentiæ antiquæ, bonum tamen esset, vt aliqui ad illas reuocarentur: in quod mouere potest etiam formula antiqua concedendi indulgentias per relaxationem annorum, & dierum in pœnitentiam iniunctorum, de quarum modo intelligẽdi paucula, quæ hoc in loco scripsimus, remittimus ad repet. §. in Leuitico. de pœni. dist. 1. not. 11 à nu. 12.

20 Octauum, quòd pœnitenti nolenti acceptare tam magnam pœnitentiam satisfactoriã diminuat quãtum ei placuerit, declarando ei pœnam alterius mundi, iuxta Maio. in 4. dist. 20. quæstio. 1. col. 3. Dixi *satisfactoriam*: quia restitutoria, vel ad exeũdum à peccato necessaria: qualis est alieni restitutio, odij mortalis depositio, & dimissio concubinæ, & officij, quòd sine peccato exerceri nequit, & conuersationis, qua se credit in mortale peccatum lapsurum, necessariò imponenda est, quam si nolit acceptare, nullatenus est absoluendus, vt dixi in cap. satisfactio. de pœnit. dist. 3. & d. §. ponat. se. & latius suprà cap. 3 à nume. 5. & cap. 14. à num. 31. Rectè autem faciet concedendo, vt quod non recitauerit, aut non ieiunauerit die præscripto reficere possit alio, vel eleemosyna redimere.

Decimoquintò, quòd ex his potest satis inferri decisio quæstionis sup. cap. 3. à num. 2. tactæ, & huc remissæ, An pœnitens de præcepto teneatur acceptare pœnitentiã iustam à confessario præscriptam? in qua placet sententia subtilis Doctoris Scoti in 4. dist. 17. quam sequitur Gab. dist. 16. quæstio. 2. & Med. in Cod. de confess. fol. 75. diserte tractans eam: scilicet, quòd sufficit pœnitenti habere propositum satisfaciendi Deo hic, vel in purgatorio: quibus consonat Host. in summa. de pœnit. §. & an. sit. vers. quid de operibus, & Pan. in cap. significauit. nu. 2. eo. tit. nisi quatenus tenent, teneri ad acceptandam aliquantulam, & saltem vnum Pater noster, quibus nullus Canonista, quod sciam contradixit. Sed de veritate huius limitationis inutile prorsus duco d. sputare, cum nemo sit tã saxeus pœnitens qui bona fide confiteatur, & nolit vel tantillam pœnitẽtiam acceptare. Pro qua Scoti sententia, & contra eam multa hoc in loco ĩ Manua. Hispano adduxi, quæ consulto omitto, eo quòd videam in Vrbe, & i orbe receptum, ne cuiquã denegetur absolutio, eo solo quòd nolit acceptare pœnitentiam sibi iniunctam: modo habeat propositum verum plane satisfaciendi Deo viuens per bona opera, & indulgentias, vel mortuus in purgatorio cruciatu horrendo: quamuis contra teneat Palud. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. cum aliquot aliis. Pro quibus vrget cap. omnis. de pœni. & remis. habes, pœnitentiam à confessario iniunctam à pœnitente acceptari debere. & Concil. Floren. agens de sacramento pœnitentiæ habet, confessarium pœnitentiam arbitrari debere: & quòd omnes catholici confitentur, confessarium sicut potestatem habet ad absoluendum, ita ad obligandum habere, cuius oppositũ esse hæreticum declarauit Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. & can. 15. & Concil. Later. quod sub Leone V. sess. 9. §. ad absoluendum. præcepit confessariis, ne blasphemos Dei, & suæ matris absque magna pœnitentia ad arbitriũ seueri confessarij absoluant. Sed his responderi potest, solum per ea probari, quòd cõfessarius sine iusta causa non debet imponere minorẽ ea quam arbitratur iustam, sed cum illa sic. argumen. Lquid ergo. §. pœna grauior. ff. de his, qui not. infam. & adductorum per Dec. in cap. at si. §. de adulteriis. de iudic. etiam nullam imponendo: vt cum iam iã spirantẽ, nec pœnitentiam facere potentem, sine vllius pœnitẽtię impositione ex 21 pressa absoluit. Multæ autẽ sunt iustæ causæ minuendæ pœnitentię, puta impotentia eam implendi, vt proximè dictum est, magnitudo contritionis, quæ sola interdum totam pœnam remittit, iuxta glo. solenn. d. cap. mensuram, senectus, debilitas, ægritudo, timor probabilis, quòd iustam non implebit, arg. cap. sicut dignum. de homicid. & cap. aut facta. de pœnit. dist. 1. tempus iubilei, vel altarum indulgentiarum. arg. cap. cum ex eo, de. pœnit. & remis. & extrauag. 1. & 2. eo tit. iniunctio, & acceptatio, & directio omnium bonorum operum totius vitę in satisfactionem pœnæ peccatis suis debitæ arg. c. 1. & 2. 26. q. 7.

22. Porro, cum valde diminuit iustam, moneat pœnitentem eius rei ignarum, quam grandis esset imponenda: quanto plus prodest exigua præsentis vitæ, quam magna futurę, collimet, & dirigat omnes curas & labores in præsenti perferendos, & mortem ipsam etiã necessario subeundam, in satisfactionem pœnitentialem: quæ omnia ratione hac suscepta, leuius feret. Addo quod etiam iniuncta, & acceptata mutari potest, & diminui iusta de causa: puta quia bona fide putat pœnitẽs, se eam implere non posse, aut nõ sine difficultate, vel periculo salutis animæ, vel corporis: quia tunc, non solum con-

fessarius qui eam imposuit, sed etiã alius si ipse facile adiri non possit, etiam eo inferior mutare potest, scilicet episcopus impositam à Papa, & parochus impositã ab episcopo, iuxta glo. fine. & recep. cap. tempora pœnitentiis 26.quæst.7. vt latius post Dec. dicimus, in d.cap.at si.§.1. etiam non iterata confessione eorundem peccatorum, ob quæ imposita fuit: modo imposita fuisset ob peccata eiusmodi, à quibus, qui eam mutat, absoluere potuisset, iuxta Monal. in sum. de pœniten. §. An possit imponi à non proprio sacerdote. Syl. verb. cõfessio, q.22. Rosel. verb. confessio sacramentalis §.11. quamuis stricto iuri consonantius ageret, qui eius implementum differret, quousque posset eum, qui illam imposuit adire, si 23 spes breui adeundi foret. Pro prædictis facit quòd (gratia Deo misericordissimo) possumus ei satisfacere operibus bonis, etiam alia ratione debitis, & de necessitate etiam naturæ subeundis, vt post Caiet. de satisfact. quæst.1. probamus, in cap.1. de pœni. dist. 6. nu. 40. post quæ declarauit Conci. Trid. sess. 14. cap. 9. quod pœnis, & flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis satisfacere possumus, & consequenter tolerandis infirmitatibus, & ipsa morte naturali, aut violenta incutabili. Quo fit vtilissimam esse illam clausulam. *Quicquid boni feceris &c.* quam (supra cod. cap. nu. 10 & in prin. d. cap. 1. de pœn. distin. 6. nu. 36.) diximus formę absolutionis vtiliter addi, declarato præsertim supradicto modo eius valore.

24 Confessarius tamen pœnitentiam ieiunij aliquorum dierum, aut precum imponens, in dubio ea non censetur imponere eorum, ad quæ pœnitens non tenetur: & consequenter is, cui ieiunium quatuor dierum imponeretur, nõ satisfaceret dies quatuor temporum, aut vigilias, ad quas tenetur, ieiunando, secundum omnes. Ad noue quęsitum, scilicet. An cessatio à peccato, & emẽdatio vitæ possit in pœnitentiam imponi? Resp. affirmatiuè. Tum quia licet pura cessatio à peccato non sit opus, velle tamẽ cessare ab eo verum opus est: & ita non obstat, quod aduersarij dicunt, sola opera esse in pœnitentiam imponenda, iuxta cap. 3. Lucæ. Tum quia promitens non facere dicitur promitere factum, glo. recep. in l. 2. ff. de verbo. oblig. per §. si vxor. insti. de nup. Tum quia licèt verius esse putamus, opera alias debita posse in pœnitentiam imponi, contra Scot. Palud. & Maio. magis vrgentem, in 4. dist. 15. cum S. Anto. 3 part. tit. 4. cap. 20. referente Aegid. & Richar. id tenuisse, quod & S. Thom. sentit in ea. distin. 15. quæst. 2. art. 3. & latius distin. 19. quæst. 2. art. 1. & Gabr. quæst. 2. pro quo vrget Concil. Triden. cap. 9. sess. 14. determinando posse nos satisfacere Deo pro peccatis per pœnas ab ipsomet inflictas, vel alias naturales, vel violentas, etiam necessariò patiendas, subeundo eas patiẽter in remissionem eorum: quod antea tenuit vbi supra S. Thom. Tum quia nõ sequitur ex hoc, quòd videtur stultè facere, vt Maior obiicit, qui clericis non iniungit in pœnitentiam omnes horas canonicas dicendas, nec alijs alia eis præcepta: quia prudenter cauet ab eo faciendo, ne confessi eo postea omittentes bis peccent, contra præceptum ecclesiæ,

ecclesiæ, & confessarij. Tum quia omnis virtutis actus, licet vno respectu sit delectabilis, est tamen alio pœnalis, vt post alios declarat rectè Sot. in 4. dist. 19. quæst. 2. artic. 1. & ita quæ parte est pœnalis est ad pœnitẽtiam aptus. Tum quia omne opus bonum, etiam purè mentale, est satisfactorium pœnæ peccati remissi secundum Scot. in d. dist. 15. quæst. 1. artic. 3. communiter receptum. Tum quia sicut dirigens vnum eundem actum in multorum præceptorum implementum, omnia illa implet, ita pœnitens dirigens vnum, & idem opus in implementum præcepti ecclesiæ, & confessarij, vtrunque implet. Per quæ facilè respondeas argumentis Maioris vbi supra. Nolumus tamen dicere, quòd sacerdos prudenter faciat iniungendo in pœnitentiam cessationem ab omnibus peccatis, & emendationem vitæ sub pœna noui peccati: quia id esset dare occasionem bis peccandi, vt prædictum est: sed quod aliquando potest præcipere cessationẽ ab aliquibus peccatis alicui, quẽ merito credit eam seruaturũ, & semper potest eam consultiuè imponere: sicut & alia omnia bona opera, quæ facturus est, potest iniungere sine noua obligatione ad illa, quam implendo, tanquam pœnitentiam consultiuè iniunctam, plus satisfaciet, quam sine vlla iniunctione satisfaceret.

Decimosexto dico, quòd confessarius non debet cõsulere pœnitenti, vt deserat officiũ alioqui licitum, in quo multum peccat, quando est periculum incidendi in alium statum, in quo plus peccet: quod contingeret, si mercatori multum in decipiendo peccanti, consuleret relinquere mercaturam, quod futurum sit ei magna occasio adulterãdi, furandi, vel peiora faciendi: sufficit enim vt firmiter proponat nũquam amplius se quemquam deceptarum, & redditurum quod illicitè acquisiuit, vt diximus in capit. qualitas. de pœnit. dist. 5. post Adr. in 4. de sacra. confess. quæst. 4 col. 23. Dixi, *aliequi licitum*: quia secus est de illicito, quod exerceri sine mortali non potest: quia præcipiendum ei est, vt relinquat: quamuis eo occasio magis peccandi præbeatur: neque absoluendus est, nisi se id relicturum proponat, vt diximus in cap. negotium. de pœnit. dist. 5.

25 Decimoseptimò, post absolutionem admoneat eum, vt fugiat occasiones peccandi nõ solum eas, quas de præcepto tenetur fugere, sed etiam alias, de quibus vtriusque latè dictũ est supra, de acceptis quidem cap. 3. à nume. 5. de datis cap. 14. à nume. 31. Consulat item, vt pluries, quàm semel in anno confiteatur, vt audiat conciones, bonorum precibus se commendet: & eorum conuersationem habeat, etiam si credat pœnitẽtem sua cõsilia non exequuturum, vt contra tentationem vitij, quo maximè tenetur, diuinã opem imploret per preces alicuius sancti, qui virtute contraria plurimum enituit vt mediętur pœnas inferni adeo magnas, & perpetuas vt obuiet inimico suggerenti semper pœnitentiæ locum esse: memoria repetendo, quot passim mille modis subito absque pœnitendi, & confitendi facultate moriantur, & aliquo vitio maximo illaqueato persuadeat, vt sit

vt firmiter proponat, & interdū vouear, se illam vel illam pœnitentiam subiturum, si recidat in illud: nō autem vt iuret, vel vouear se id nō admissurū, arg. cap. clericos. de cohab. clerc. & mul. nec se, si reciderit, religionem ingressurum, quæ res frequens est, frequenterq; sacram pœnitentiariam varie torquet.

SVMMARIVM.

26 *Absoluere ab omnibus etiam reseruatis in articulo mortis quilibet presbyter potest, sine pœnitentia exteriori consulendo hoc, num. 33. ad petenda alia sacramenta inducendo. num. 34.*

27 *Absolui vel communicari, an debeat proximus morti, vel alius loquela priuatus. nu. 28.*

29 *Restitutio pauperibus debita an ecclesiis fieri possit.*

30 *Bullæ indulgentiarum per incuriam quibusdam in morte non prosunt.*

31 *Bulla quæ primo visu expirat.*

31 *Articulus mortis quis dicitur.*

31 *Absolutio per bullam quam formam requirat: & an extra confessionem detur*

32 *Absolutio à censuris quid prosit mortuo.*

32 *Morientes qui non sepeliendi, quid admonebitur, ad quid inducetur. nu. 34. & 35.*

26 DEcimooctauò dico, quòd quilibet presbyter catholicus nō præcisus ab ecclesia absoluere potest quēlibet in articulo mortis à quolibet peccato etiā reseruato, & à qualibet censura, si copia superioris desit, vt copiosè diximus in c. 1. in princ. de pœnit. dist. 6. à nu. 72. per illum text. & c. quem pœnitet. de pœnitē. dist. 1. capit. quod super iis. de sentē. excom. cap. si quis suadente. 17. q. 4. & alia multa, & nouissimè per conc. Trid. sess. 14. c. 7. de casuum reseruat. in hæc verba. *In ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt.* Dixi, *Presbyter*: alius enim etiam deficiente presbytero, non potest à peccatis absoluere, iuxta gloss. fing. recept. in capit. pastoralis. §. præterea. de offic. ordin. neque ab excommunicatione, vt probamus, & defendimus ibidem à numer. 83. cum prædicta gloss. receptа ibi ab omnibus, & ab Imol. in l. 1. colum. 3. ff. de public. iudic. contra gloss. probatam ibi à Pan. & Fel. in cap. à nobis. 2. de sentē. excomm. & contra S. Anton. 3. part. titu. 17. cap. 4. cas. 7. Dixi. *Catholicus & nō præcisus*: quia hæreticus schismaticus, & excommunicatus excommunicatione maiori, & interdictus suspensus notorius, aut denunciatus non potest, quamuis alius non reperiatur, vt ibidem probamus num. 87. post glos. in capit. præterea §. per manus. 32. dist. communiter ibi approbatam, & à Panorm. & Præpos. in cap. non est de sponsa. cum eius gloss. Quamuis autem hæc fuerit opinio communis ante Concilium Trid. post illud tamen videtur verius contrarium, scilicet, quòd omnis sacerdos catholicus etiamsi sit excommunicatus, interdictus, vel suspēsus etiam denunciatus potest in articulo mortis absoluere ab omni peccato, & censura, vt dicimus infra cap. 17. nu. 272. vbi ponderantur verba Concilij ibidem relata, & idem credimus de schismatico, si non esset hæreticus, licet non de hæ

de hæretico, quod etiam voluit Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4.

An autem qui absoluitur à peccato reseruato, vel excommunicatione reseruata in articulo mortis ab eo, qui non poterat de iure id facere, teneatur iterum confiteri, vel absolui, quæstio quotidiana est. Ad quam dico breuiter, quòd nō. Tum quia peccata semel confessa, & absoluta legitime nō sunt iterum confitenda, vt dictum est supra capit. 9. Tum quia omnis reseruatio cessat in articulo mortis, vt habet præfatum Concilium vbi supra in fine. Tum quia licet excommunicatus absolutus in articulo mortis teneatur parere mandatis excommunicatoris per cap. eos de sentē. excom. libr. 6. non tamen tenetur quærere absolutionem. Nec obstat quod excommunicatus reincidit in eandem excommunicationem, si non paruerit mādatis excomunicatoris quam cito commodè potuerit per dictum caput eos. Tum quia non est idem de confesso peccata reseruata. Tum quia aliud est teneri ad absolutionem quærendam, aliud reincidere in excommunicationem, si non paruerit. Tum quia non videtur teneri ad parendū iudici, si cum parte concordauerit, vel aliàs satisfecerit tantum, quantum debebat coram Deo: quia mens præfati cap. eos. illa videtur esse, quæ magis est attendenda, quam verba, præsertim in foro conscientiæ. capit. pen. de regul. iur. lib. 6. & l. in conditionibus. ff. de condit. & demonstrat.

27 Decimononò dico, quòd sacramentum eucharistiæ ministrari potest infirmo à iudicio mentis per phreneſim vel aliàs alienato, qui antea signa contritionis ostendit, tollendo manus, tundendo pectus, dicendo *Miserere mei Deus. Deus propitius esto mihi peccatori*: aut id genus alia, etiam si nō periisset sacramenta, & obstinatus multo tempore in peccato mortali mansisset, nec per multos annos cōfessus fuisset: quia censendus est contritus, & in sacramenta deuotus. cap. is qui. 26. q. 6. & à fortiori sacramētum extremæ vnctionis & absolutio à quibuslibet censuris, si & quatenus eas incurrerit. c. à nobis. 2. de sent. excom. indulgentia item iuxta gratias, quas habuerit, vt post alios dixi in tracta. de indulgentiis. not. 30. nu. 31. sed nullatenus absolutio sacramentalis à peccatis, quia illorum confessio est pars quædam essentialis sacramenti pœnitentiæ, sine-qua illud nec constare, nec esse potest, vt supra dictum est cap. 2. & in gloss. summ. de pœnit. dist. 5 nu. 14 per definitionem sacramenti pœnitētiæ, quam post Maio. in 4 dist. 14. tradimus in c. pœnitentia. de pœn. dist. 3. & singulariter determinauit Abul. c. 16. super Matth. quæst. 49. col. 8. quamuis prædictum cap. is qui. in verb. pœnitentia. contrarium insinuet, sed non probat: quia non debet intelligi de absolutione sacramentali, sed de absolutione excommunicationis, de qua illud intelligi sentit gloss. quatenus allegat dictum cap. à nobis. Loquela vero priuatus, qui per signa confiteretur, absolui posset, vt alius mutus, qui etiam matrimonium per signa contrahit. cap. cum apud. de sponsa. Quare vrentes in articulo mortis formulis absoluendi Manualium vulga

vulgarium caueant, ne intendant absoluere sacramentaliter eos, qui sibi nec nutu, vel signo peccata sunt confessi. Publicus autem viuarius factus amens (sicut nō debuisset ad confessionem, & sepulturam admitti, antequam ipse, vel hæres eius præstaret ea, quæ iuberi in cap.1 sub finem.de vsur.libro 6.diximus supra cap.17.num.79)ita videtur,quòd neque ad communionem, antequam hæres præstet ea, quæ ante confessionem eius ipse debebat præstare si confiteri potuisset, quamuis signa contritionis præ se ferat,argu.à maiori cap.cum in cunctis.de elect.

28 Vigesimò dico,quòd infirmum, qui nec sermonem, nec iudicium amisit,inducere debet ad concipiendam remissionis suorū peccatorum spem, per iustam de illis contritionem, & propositum ea confitendi, exemplo Dauidis 2 Reg.12. Magdalenæ,Luc.7.Latronis Luc.23.& aliorum: & monere diligenter, vt quidquid meminerit alicui debere ex delicto,aut quasi delicto, ex contractu,aut quasi contractu,vel ex testamento, statim si commodè potest, restituat: sin minus declaret se id debere, & quam optimo iure potest prouideat, vt quam citissime post mortem eius restituatur.argu.capit. peccatum de regul iur.lib.6.& cap si res.14.quæst.6. Caueátq; ne aliena hæredibus, aut ecclesiis etiam pro calicibus,vel ornamentis relinquat, quin potius reddat debita certa creditoribus certis, & incerta pauperibus,qui sunt eorum hæredes capitu. cum tut.de vsur.iuxta S.Anto.3 part. tit.10.cap.1.§.2.Quamuis incerta restituenda pauperibus possunt restitui mea sententia etiam ecclesiis, aut monasteriis pauperibus, saltem quatenus talia sunt, per citata à nobis in Apolog.lib.de redi. eccles.q.1. monit.28. Quod si noluerit facere, non est absoluendus.

29 Vigesimoprimò, admonemus id, quod pridem admonemus in d. §.in Leuitico not 30 num.16 habere multos cōfessionaliter aut alias gratias, per quas Papa non concedit directè indulgentiam, sed etiam concedendi potestatem confessario largitur,& sæpe,quia hoc non aduertitur, contingit, vt quis confiteatur, aut moriatur bullis plenus, & vacuus indulgentiis. Ideoque confessarius curet scire an confessus siue sanus, siue infirmus habeat talia, & habenti illa,postquam eum à peccatis absoluerit, dicat hæc verba, vel talia eiusdem sententiæ. *Authoritate qua fungor, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam tibi concedere possum virtute cuiuscunque tuæ gratiæ,in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Iuxta mentem S. Anton 2 part tit.10 cap.3.§.5.col.3.

30 Quod autem vulgo dicitur, & nos copiosè diximus in d.§.in Leuitico.not.16.necessarium esse seruare formam bullarum, ad veniam vel indulgentias consequendas, intelligitur quo ad eleemosynas, ieiunia, & alia propter quæ cōceduntur, sed non quo ad verba absoluendi exemplis impressis inserta. Tū per ea quæ in d.§.in leuitico.not.30.à nu.6.tradimus.Tum quia in originali ea nō ponitur, & solum inseritur in dictis exemplis ad docendum indoctiores quid facere debeāt, vtendo illis,vel aliis verbis iuxta mentem omnium.

31 Vigesi

31 Vigesimosecundò, quòd videtur dicere tutius, quòd nemo virtute bullarum communiter extra cōfessionem absolui potest. Tum quia communiter bullæ concedunt facultatem eligendi cōfessarium, qui absoluere possit &c.& ita videtur requiri, vt confessio concurrat cum absolutione, argum.l.in delictis §.fi detracta ff.de noxal. Tum quia hæc facultas absoluendi à censuris videtur tribui, vt quoddam præludium necessarium ad absolutionem peccatorum, quam constat non posse dari nisi confesso, vt prædictum est.

Vigesimotertiò dico, quòd quia in hac materia per articulum mortis non intelligitur solus ille,in quo quis moritur, sed etiam omnis ille in quo mori probabiliter timetur, vt dictum est supra cap.2.nu.8.idcirco infirmus qui iam in aliqua simili infirmitate vsus est bulla concedente aliquam facultatem in articulo mortis, non poterit vti ea in alia: quia illa per primū vsum expirauit, ar.l.boues §.hoc sermone.ff.de verb. signif.nisi addatur in ea quod si non moriatur illa infirmitate, in qua infirmus ea vtatur, referuetur ad aliā, qua moreretur: vel cōtineat, vt possit vti quotiescunq; articulus mortis ei occurrerit, quod vidim⁹ insertum aliquibus,iuxta mētem omniū.

32 Vigesimoquartò dico,quòd infirmus, qui cum signis contritionis moritur absque absolutione ab excommunicatione, post mortem potest,& debet absolui: sed tantum ab eo,qui eum sanum in vita absoluere poterat, & non à quouis sacerdote, qui in articulo mortis absoluere eū potuisset: & si iam est in loco sacro sepultus,non est extrahendus,vt flagellando absoluatur: quia sufficit flagellare sepulchrum: secus vero si fuerit sepultus in loco non sacro, iuxta dicta supra eodē de viuis absoluendis, & notata in cap.à nobis. 2.de sent.excom.& valet illa absolutio ad eum in loco sacro sepeliendum, aut ad illum ab eo non extrahendum,& vt pro eo publicè oretur Rōsel.verb.absolutio 1.§ 31.

33 Vigesimoquintò dico, quòd nō sepeliat mortuum in loco sacro non confessum totum vnum annum à confessione postrema: neque notorium peccatorem subito absque signis contritionis morientem, capit. quibus.13.q.2.& ca.omnis.de pœnit. & remiss.nec confitentibus in articulo mortis imponat magnam pœnitentiam exteriorem, saltem mox agēdam: sed moneat ad interiorem contritionem quam maximam potest, non tam proponēdo pœnas inferni, quā spē misericordiæ Christi pro eo crucifixi, & brachia ad eum benignè suscipiendum tendentis, & repræsentando gaudia paradisi late descripta sup.præl.4.quia in eo articulo,vt ait S.Gregorius, desperatione magis quam præsumptione quis oppugnatur.Moneat autē ad volendū satisfacere diuinæ iustitiæ, quatenus poterit in hoc sæculo, si cōualuerit,& ad offerendum ipsam mortem instantem in peccatorū suorum satisfactionē,& ad iubēdū,vt de bonis suis sibi fiant missæ,& eleemosynæ rationabiles. Consulat simul, vt roget amicos, si quos habet præsto, vt precibus,ieiuniis,& disciplinis eū iuuēt ad pœnitentiam,quæ peccatis eius debetur,agendam, mittēdo eis

xenia,

xenia, & elcemosynas pro conditione rogatorum, quo libentius id agant, è mente Hostien. in sum. §. quando, de pœnit. & remiss. & Palud. in 4 dist. 20. quæst 3. art. 2. quia certum est alium pro alio pœnitentiam agere posse, qua satisfaciat pro eius pœna in purgatorio soluenda, vt dixi in dict. §. in Leuitico. no. 13. num. 1. & 7.

34 Vigesimosexto dico, quòd post hoc moneat eum ad eucharistiam, & extremá vnctionem magna cum deuotione petendam & suscipiendam: simul vt permaneat conitans in fide catholica (cõtra quam acrius quam vnquam in illo transitu oppugnabitur) & tentatus a Dæmone, vel à se quid credat, respondeat id quod Sancta mater Ecclesia credit: & retentatus, quid illa credat, quod ego credo, nec ad vlteriorem disputionem descendat. Tentatus item, quomodo est possibilis talis, & talis articulus, respondeat id ad gubernatores ecclesiæ spectat, non ad me, hoc saltem tempore, quo satis superque mihi est credere simpliciter, atque bona fide, quod tot Apostoli, tot millia martyrum, confessorum, & virginum crediderunt, & vitas pro illo profuderũt, quique nũc me in cœlo (si in eadem fide, amore Christi & eorum ornata, constanter discessero) porrectis vlnis præstolantur. Tentatus verò quo ausu tantus peccator, quantus ipse est, speret adire locum, quem tam iusti inhabitant, respondeat diffisus mihi, & meritis meis, quatenus meæ sunt, confisus autem meritis D.N. Iesu Christi infinitis, & magnis suæ gloriosissimę matris, & omnium prędictorum, qui ea mihi rectè ipsi confidenti multis modis communicant, & vsque in finem sua bona gratia communicabunt.

35 Vigesimoseptimò, curet confessarius, & qui ægrotum circunstãt, vt quam minimum fieri potest, de cognatis, & amicis, & rebus temporalibus, puta de vxore, filiis, & opibus &c. cogitet, & ne nimia salutis corporalis spes ei fiat: quia sæpè ob paruam, & fallacem consolationem, & incertam illius spem, in certam damnationé corruit ægrotus. Ideoque opportunum est sæpe colloqui cum eo de morte, etiam si id turbationem & tristitiam quãdam pariat: quia præstat, vt salutari tristitia compunctus saluetur, quàm vana lætitia laxatus damnetur. Et quidem improbandæ consuetudinis est, polliceri certam salutem mortis periculo probabili laboranti; contra exemplum Isa. 38. qui salutari metu Regem Ezechiam ad salutem animæ induxit dicendo, *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues*, optimi enim amici est admonere tunc eum mortis periculum imminere, esseque tempus opportunum statuendi nunquam se amplius saltem mortaliter peccaturum, & dolendi super omnia quòd Deum ita offenderit, & sua culpa inimicus effectus fuerit eius, qui se condidit, redemit, sustentauit: qui sibi vitam, salutem, honorem & bona conseruauit: & qui se iudicaturus est & per suam sanctissimam misericordiam regna cœlestia daturus, vbi cum sua sanctissima matre, omnibus Angelis & sanctis ipsum videamus, ipso perfruamur, ipsum glorificemus in æternũ. Amẽ.

Admonitio

Admonitio pro volente testari.

SVMMARIVM.

36 *Testamentum cum à sano; vel initio morbi, & statu gratiæ faciendum.*

36 *Testari impediens vt peccat, & quibus cognatis pauperibus testabitur.*

37 *Pater cur non teneatur præeligere filium digniorem, vt Gubernator publicus.*

38 *Lege Nauarrorum, & Aragonum, cur pater filium sine causa exheredare queat.*

39 *Domina Maria à Mendoza laudata.*

36 TEstari volens, sanus, vel in principio morbi id faciat; ne postea successuri ab intestato de more variis modis, & in his notarios, & testes auertendo, ab eo faciendo impediant, quominus aliis aliquid relinquat: qui tamen grauissime peccant, cum obligatione restituendi, & pœna perdendi hæreditatem l. 1. C. si quis aliq. testa. prohib. & S. Anto. 3. par. tit. 10. c. 1. §. 2. quod intelligendum est, iuxta dicta supra c. 17. num. 72. Precari tamen per se, aut per alios, vt sibi potius quam aliis relinquat, sine magna importunitate, non est peccatum, iuxta Salic. in l. 3. C. eod. Debet item testator operam dare, vt in statu gratiæ testamentum faciat: quia id faciens in statu peccati mortalis nullam gratiam nec gloriam meretur iubendo suffragia, & alia pro sua anima fieri: quamuis postea in statum gratiæ redeat, & in eo moriatur: sicut nec ad illum effectum alia opera in peccato mortali facta prosunt, c. nihil. de consec. dist. 5. gl. c. quod quidam. de pœnit. & remis. & diximus in c. 1. in princ. nu. 45. de pœnit. dist. 6. & in d. tractatu de Indulg. super §. in Leuitico. not. 19 nu. 9. Immò nec ad satisfactionem pœnarũ, quas in purgatorio debet: vt significant magni authores in id citati à Magistro in 4. dist. 15. & affirmant S. Thom. Bonau. Richar. & communis. distin. 16. licet contra teneat Scot. in d. dist. 15. q. 1. approbatus per Gab. & Maio. quos sequuti fuimus in c. 1. in prin. nu 46. de pœnit. dist. 6. ad effectum magnificandi misericordiam Dei: dicentes tamen vtilius esse, vti opinione S. Thom. ad animarum nostrarum requiem. Quare consulendum est testatori, vt quum probabilius existimat se in statu gratiæ (qui vt plurimum videtur esse post cõfessionem, & communionem) testamẽtum antea factum, cum omnibus in eo contẽtis ratificet, & offerat Deo ad gratiam eius per remissionem peccatorum promerendam, iuxta mentem omnium. Quod vero aliqui dicunt, testatorem, qui nec parentes, nec liberos, (qui sunt necessarij hæredes,) habet, teneri ad relinquenda bona cognatis pauperibus, (nisi mali, & indigni sint,) limitandum est procedere tantum in cognatis extremè egentibus, quibus nullus alius proximior cognatus est, qui eos alere possit, & velit: quia nulla lex naturalis, diuina, vel humana ad plus de præcepto obligat, argu l. 1. C. de sacro. eccles. & dictorum supra cap. 24.

37 Ad primum nouè quæritur. An pater relinquens in Castella filio minus digno tertiã partẽ bonorum,

quam relinquere potest vni, vel pluribus filiis quem; vel quos elegerit, peccet? Resp. negatiue: quia nullam per hoc legem violat. Nec obstat, quod Ioan. Lup. cõtrarium tenuerit in c. per vestras. § 26. de donat. inter vir. & vxor. Tum quia fundamenta eius tantum comprehendunt eos, qui potestate publica debent eligere ad honores, & munera publica ecclesiastica, vel secularia iuxta leges iustitiæ distributiuæ, quæ dictãt, vt optimi quique ad ea deligantur. c. licet. 8. q. 1. c. vnum. § nunc. 15. dist. nos autem agimus de homine priuato, qui priuata potestate ad sua priuata bona delegit, quem nulla lex obligat ad eligendum optimum filiorum, sed tantum eum, quem voluerit. Tũ quia prædictus Ioan. falso imaginatus fuit patrem distribuentem bona inter filios, teneri legibus iustitiæ distributiuæ, quæ solum ligant eos, qui publica potestate publica, & communia bona distribuunt particularibus: aliquando secundum merita eorum; vt quum distribuunt munera, & officia, aliquando secundum fortunas eorũ; vt quum distribuunt pecunias, iuxta Arist. 2. & 4. Eth. & S. Tho. recep. 2. 2. q. 123. art. 3.

38 Ad secundum respondeo, quod leges regnorũ Nauarræ, & Aragoniæ, quibus permittitur patribus exhæredare filios, relictis singulis eorum quinis solidis, & singulis prædiolis, ea ratione iustificantur, quod per illam facultatem filij continentur in officio & obedientia paterna: ne dicant, quod in Castella frequenter audiuimus, filius vnicus sum parentibus meis, velint, nolint, succedam in omnibus eorum bonis, excepta quinta parte: vel, & si habeam fratres, meam tamen legitimam mihi tollere nequeunt, &c. Nec obstat illud à multis assertum, legitimam partem bonorum parentum deberi filiis naturali iure, quod humano illorum regnorum tolli nequit c. quæ contra. 8. dist. Nõ inquam, id obstat: quia solum est verum, quo ad filios pauperes, debiles, infirmos & inhabiles se sua arte, & labore honeste sustentare non valentes, & ad id legitima parte, vel maiore indigentes: non autem quo ad alios, vt probamus in c. ius naturale. 1. dist. efficaci ratione, & per l. si quis à liberis. §. idem in liberis ff. de lib. agnos.

39 Ad tertium respondeo, quod licet parentes non possint iusta conscientia minuere filiis partes bonorum suorum eis iure debitas per veras donationes, nec contractus simulatos, scilicet forma onerosos, & re gratuitos: possunt tamen per contractus vere onerosos, & donationes remuneratorias, per fundamenta Laso. in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. & Io. Lupi vbi supra. § 59. quibus & omnibus citatis per eos addo posse, etiam donando aliquid amplius vltra merita donatarij: quia perfecta gratitudo non solum exigit, vt tantum quãtum accipitur retribuatur, sed aliquid amplius secundum Arist. 5. Eth. & S. Tho. 2. 2. q. 106. ar. 6. quod applicuimus in Apolog. prædicta q. 1. num. 91. ad donationes remuneratorias beneficiorum.

Ad quartum respondeo, quod pater potest dum viuit largiri de suis bonis in veras eleemosynas, & opera pia, ad cultum Dei, salutem animæ suæ, & redemptionem pœnæ peccatorum pertinentia; tum quia dare eleemosynam, non est donare secundum Alber. in dicto verbo, donatio: quia hoc non est vera donatio, sed donatio ob causam, & tantam, quæ omnes fortunas hominis superat. Per quam considerationem bis defendimus à murmure quorundam eruditorum Illustrissimam eandem pientissimã Dominam Mariam à Mendoza, quæ iuuandis piis operibus, & elargiendis multis & magnis eleemosynis cuiusque ordinis pauperibus, tam religiosis quam secularibus, superare mihi videtur omnes quotquot à quinque seculis viderim, audierim, & legerim, etiam Reges, & Reginas, optimo cum exemplo secularium magnatum, & non parua reprehensione ecclesiasticorum, in ea re plus satis dormitantium: quam vtinam videant omnes sic seruientem Christo vsque in finem in terris, & ipse ego olim regnantem sine fine cum ea in cælis. Amen.

De censuris ecclesiæ, scilicet excommunicatione, suspensione, & interdicto, & de irregularitate, déque ecclesiæ pollutione, ac de casibus reseruatis, & de quibusdam miscellaneis ad confessarios plurimum pertinentibus.

Cap. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Censura quid, & est triplex.*
2 *Excommunicatio quid, diuiditur in maiorem, & minorem, quæ*

sint illæ, & quod in dubio significatur maior. Diuiditur etiam in generalem, & specialem, & generalis in latam à iure & latam ab homine, quo differant. Diuiditur etiam in iustam, & iniustam, & iusta quid, & quid efficit. num. 2.
3 *Excommunicatio iniusta, quæ diuiditur in iniustam validam, & in iniustam nullam. Iniusta valida in duas, quæ differunt sic. Iniusta nulla quid operatur.*
4 *Excommunicatio iniusta est nulla in his quinque casibus.*

1 PRæmitto primò, verbum Censura significare dignitatẽ censoris, & etiam correctionem alicuius, in qua posteriore significatione hic sumitur, & non pro qualibet correctione, sed pro ecclesiastica, quæ definiri potest esse sententia lata à capace ordinis mediante iurisdictione ecclesiastica fori exterioris, qua quis priuatur communione sacramentorum, vel hominum, vel exercitio diuinorum spirituali ũ, vel prohibẽtur officia diuina, vel sacramenta, vel sepultura. Dixi, *sententia*: pro genere. Dixi, *lata à capace ordinis*: ad excludendas omnes sententias, omnium prælatorum etiam habentium iurisdictionem ecclesiasticã, vt sing. declarauit Pano per tex. & glo. in cap. dilecta. nu. 3. & 5. de maio. & obed. Dixi, *mediante iurisdictione ecclesiastica*: quia lata sine iurisdictione, vel cum ea, sed temporaria, non est censura. Dixi, *fori exterioris*. quia lata mediante iurisdictione fori tantum interioris non est censura, qualis est suspensio ab officio à confessario facta, argu. glo. sing. in c. is, qui

de senten.excom.lib.6. verb. de iure. Dixi, *quas quis ore* ad denotandum triplicem esse censuram, scilicet,excommunicationem, suspensionem, & interdictum, c.quærenti, de verb. signifi. Excommunicatio autem definitur esse cēsura, quæ priuat communione sacramentorum tantum, aut sacramentorum,& hominum; & est duplex, minor, & maior. Minor est priuans participatione passiua omnium sacramentorum. cap. si celebrat.de cler. excom. ministr. Maior vero est censura priuans participatione tam actiua, quam passiua sacramentorum & hominum secundum sententiam Panor. & communem nostrorum in rubr.de senten. excom. & Theologorum. in 4. dist. 18. Et quamuis dispositiones pœnales in dubio intelligantur de minori pœna.c.in pœnis. de reg. iur.lib.6. tamen cum Iudex excommunicat aliquem simpliciter sine expressione maioris, vel minoris excommunicationis, intelligitur de maiori.c. pen.de sent. excom.

2 Duplex est iterum excommunicatio, scilicet generalis, & specialis cap. à nobis 1. de sent. excom. c. statuimus. & cap. constitutionem. eod. tit. lib. 6. Generalis autem rursus est duplex,scilicet lata à iure, & lata ab homine. Lata à iure est, qua generaliter canon,constitutio, aut statutum excommunicat eum, qui illud, aut illud fecerit, aut non fecerit, c. 2.de constit.lib. 6. clem. 1. §. verum. de hæret. Lata vero ab homine est quā iudex generaliter fert in eum, qui illud, aut illud fecerit, vel non fecerit: inter quas duas,vt infra nu. 10.& 41.dicetur,est magnum discrimen: nam lata ab homine moritur mortuo, aut ablato ab officio eo, qui eam tulit, iuxta glo. solen. in d. cap.à nobis.1. quam Hostien. Panor. Feli. & communis sequuntur, idemque tradit.S.Anto.2. part. tit.23. cap. 74.pro quibus tex.in l.fin.ff. de pœn. Moritur inquam quo ad eos, qui eam non incurrunt, antequam ille moreretur, aut priuaretur, secundum Pan.& communem ibidem. At lata à iure minime. cap. fin. de offic. leg. secundum eosdem in prædictis locis. Ex quo colligi potest, quid dicendum sit de excommunicationibus, & aliis censuris latis in mandatis visitationum, quæ non sunt statuta. sed mandata generalia, aut specialia hominum. Diuiditur etiam excommunicatio in iustam,& in iniustam iuxta glo. in sum.11. quæst. 3. Excommunicatio iusta est, quam fert is, qui potest, propter quod, & quomodo debet, quæ nihil operatur quo ad ecclesiam triumphantem, & quo ad Deum iuxta singu. gloss cap. quodcunque. 24. quæst.1. quam plus satis laudant Panor. & Felin.in dict. rub. de senten. excom. vt dixi in cap ita quorundam.in glo. fin.nu.8 de Iudæis. & declarauimus in c.pen. de senten.excom. Plus (inquam) satis: quia quamuis non auferat communionem omnino interiorem, sed solū præsupponat ablatam propter peccatum mortale, ratione cuius fertur: aufert tamen, vt nu.18.dicetur,auxilium suffragiorum generaliū ecclesiæ, & communionem sacramentorum,quibus iter paratur ad ecclesiā triumphantem.

3 Iniusta vero est, quam fert is, qui non potest,aut aliter, & ob aliud quam

quam debet. Et diuiditur in iniustam validam, & iniustā inualidam. Nam sicut aliæ sententiæ (licet iniustæ sint) valent regulariter, quantum ad forum exterius, & earum virtute in eo tāta fit executio, quanta iustarum. c. cum inter. de re iud. & l. res iudicata. ff. de reg. iur. & aliquæ sunt nullæ,& irritæ l.prolatam. C.de sent.& interlo. om. iud. sic etiā sententia excōmunicationis quamuis iniusta valet regulariter, & ob id Greg in c.1.11.q.3.dixit timendam esse, siue iusta sit siue iniusta, & aliqua nulla est. Iniusta valida diuiditur in eam, quæ est iniusta ob defectum rectitudinis animi iudicis, aut formæ,quæ non est essentialis, & in iniustam ex defectu iustæ causæ ad excommunicandum, quæ multum differunt: quamuis enim vtraq; valeat, prima tamen tantum ligat, quantum iusta in foro interiori, & exteriori: secunda vero parum plus nihilo, nisi in foro exteriori: quia non adimit cōmunionem quæ omnino est in interiori,neque suffragia generalia, quæ ecclesia, & eius ministri faciunt, quatenus sunt tales: adeo quod Caieta.in Tracta. 10.q.2. de effectu excommunicationis dixerit, eiusmodi excommunicationem iniustam non esse proprie excommunicationem, sicut nec homo mortuus est homo. Quod tamen ita non esse probauimus multis rationibus. in d. cap. pen.de sent. excom. quarum à nonnullis desideratarum vna est, quòd tota definitio excommunicationis ei cōuenit, cum ea leparet à cōmunione sacramentorum & hominum, quātum ad forum exterius,& etiam quo ad interius, vbi sciunt illum esse excommunicatum, & ignoratur eius iniustitia, quātum ad effectum peccandi, nisi eum euitent; & valet hæc consequentia: separat quantum ad forum exterius, ergo separat; separat quantum ad hoc,ergo separat, arguendo à toto in modo,ad suam partem: vt est homo albus, ergo est homo, iuxta doctrinam Aristo. in Topic. Bal. recep. in l.conuenticulam.C. de episcop. & cler. Altera est, quod nō definit quis esse homo ex eo quod non videt, non audit,non loquitur:neque ideo, quod non facit omnia opera quæ alij faciunt, modo aliqua vitalia faciat: ita quamuis hæc excommunicatio non efficiat omnia quæ iusta; facit tamen aliqua, propter quæ potest appellari vere excommunicatio: quia operatur id quòd est dictū. Et quamuis opinio Caieta. defendi possit, quia effectu nō differt à communi, relinquenda tamen videtur: quia differt à communi more loquendi canonum, qui, vt c.1.11.q.3. habet sententiam pastoris etiam iniustam timendam esse, vbi gloss. & vbique Doctores aperte dicunt, valere ac ligare excommunicationem iniustam, & differre ab ea quæ est nulla. Iniusta vero inualida seu nulla, nihil aliud operatur in foro interiori,neque exteriori, quam quod obligat excommunicatum ad seruandum eam, quoad populus sibi persuadeat, aut debeat persuadere causas nullitatis ad euitādum scandalum, vt diximus in c.cum contingat.de rescript. remed.2. & in dict.c. pen.de sent.excom.

4 Porro excōmunicatio iniusta est nulla in multis casibus, quos ponit

glo.celebr.c.præsenti.de senten. excom.lib.6. qui omnes ad quinque redigi possunt.Primus, quando qui excommunicat nõ est iudex saltem excommunicat.c. nullus de paroc. aut non toleratus,qualis est excommunicatus & suspẽsus à iurisdictione,aut interdictus, & denunciatus talis.Secundus casus, quando fertur contra tenorem priuilegiorum cap. quanto.de priuil.c.1.de concess. præben.lib.6.§.ex parte.Tertius, quãdo post legitimam appellationem fertur cap.per tuas.de sent.excom.c. ad præsentiam. de appel.Quartus,quãdo excommunicatio continet intolerabilem errorem,quem habet illa, quæ datur contra aliquem, eo quòd recte aliquid fecit : puta quia dedit eleemosynam pauperi,aut quia non fecit aliquid illicitum, aut impossibile.cap.venerabilibus.§. fi. de sent. excommu.lib.6 & c.qui præest.11.q. 3. Quintus,quãdo excommunicator excommunicat eos, qui participant cum excommunicato à se,nõ nominando eos expresse præuia trina monitione,cum interuallo aliquot dierum.c præsenti.& c constitutionem. de sent.excom.lib.6.Dixi,*cum excommunicato à se*:quia secus in excõmunicatione lata contra participantes cũ excommunicatis ab alio , vt dixit Perus.in cap.peruenit.1.de appel. reputans esse in id singulare dictum c.præsenti.in verb.à se.

Non obstat,quòd videtur derogatum consuetudine prędictis c.quum de more non dentur literæ contra participãtes nominatim. Tum quia in Lusitania passim fit.Tum quia in terris in quibus id non faciunt iudices,subditi etiam non seruant eorũ præcepta:& vt illi sunt in possessione ferendi literas contra participantes sine solennitate illorum iurium, ita isti sunt in possessione nõ parendi illis, & non habendi se pro excõmunicatis maiori excõmunicatione ad effectum se abstinendi à diuinis, & obtinendi absolutionem. Et itu videtur non esse derogatum illis capp.arg.eorum quæ notantur in c. fi.de consuet.Nec obstat, quòd consequeretur illas literas esse superuacaneas : quia potest dici, quod prosunt ad effectum perueniendi ad interdictum & brachium seculare iuxta cap.1.cum ei annot. de offi. ordi. Non obstat etiam quòd in aliquot regionibus est consuetudo dãdi denunciatoriam contra eos , qui non sunt confessi ante Pascha,excommunicando vicinos participantes cum eis. Et quòd illa excommunicatio censetur valida,& ligare vicinos eis participantes,quia illa nõ datur contra participantes cum excommunicatis ab ipso denunciante:sed cũ excommunicatis à constitutione synodali:denuncians enim non excõmunicat,sed tantum declarat.l.hæredes palam.§.sed si notam.ff.de testa.

Quis potest excommunicare.

SVMMARIVM.

5 *Excõmunicare potest regulariter omnis qui habet iurisdictionem ecclesiasticam:ordinariam , vel delegatam in foro exteriori.*

6 *Excommunicare nequit episcopus extra suum episcopatũ , nec laici , nec mulieres, neque quis seipsum.*

7 *Excommunicare an possit consuetudo, aut excommunicatus,suspensus, aut interdictus.*

8 *Excommunicans sine facultate , causa, ordine, scriptura,vel monitione peccat.*

5 SEcundò præmitto, quòd causa efficiens excõmunicationis potest esse Papa, & omnes alij prælati, etiam si sint minores episcopis: quales sunt abbates, præpositi , & priores ecclesiarum collegiatarum regularium , & secularium , etiam si non sint consecrati neque benedicti:modo sint confirmati, vel prouisi:quia hi omnes possunt excommunicare iure communi suos subditos cap. transmissam. cap. suffraganeis. de elect.& cap. cum ab ecclesiarum. de offic.ord.&etiam reliqui omnes, qui consuetudine prescripta sibi cõparauerunt iurisdictionem cap. duo si mul.de offi.ordin.& cap. cum contingat.de foro compet. & non alij. Dixi supra , *collegiatarum* : quia alij qui vocantur abbates , & priores in multis regionibus eo quòd sunt rectores ecclesiarum habentium multos beneficiarios non viuentes collegialiter,non possunt excommunicare iure communi : quia nullam eo habent iurisdictionem fori exterioris , iuxta notata in cap. licet canon.& glo.cap.statutum. in verb. collegiatis. de elect. lib. 6. & Panor. in cap nobis.de iur.part. Quo fit, vt capitulum sede vacante possit excommunicare, cap. cum olim. cum ei annot. de maior. & archiepiscopus,episcopus, & delegatus summi pontifi.cap.de iis.12.distin. & etiam delegati prædictorum eos , in quos habent iurisdictionem delegatam cap.P.& G.de offic.deleg. Fit item è cõtrario,quòd abbates,rectores,aut parochi ecclesiarum simplicium parochialium non possunt excommunicare suos parochianos iure communi,neque specialiter,neque generaliter:quia facultas excommunicãdi non oritur ab ordine : immò est pars iurisdictionis fori exterioris iuxta glo.recep.in d. cap.transmissam. quam ipsi non habent : eam tamen possent habere ex cõsuetudine præscripta , arg.d.cap.duo simul. & d. c. cum contingat.tunc autem tantum habebunt,quantam consuetudo de-
6 derit. Fit item, quòd nec episcopus extra suum episcopatum potest excõmunicare etiam suos subditos.cap.episcopum.11 q.3.etiam si esset vi pulsus,nisi in loco viciniori episcopatui iuxta clemen.1. de foro compet.aut nisi de consensu episcopi vbi manet , & habet domicilium.Rot.13.de consuet.in antiq. aut in re adeo manifesta,quę non requirat cognitionem causæ,argum. cap. cum sit.§ fi.de appel.Videtur tamen, quòd qui extra suum episcopatum non residentiam consummauerint, ligãtur excommunicatione lata ab eo contra non residentes in beneficiis suis , eo quod non residentiam incœperunt in episcopatu : vel quia res est sita intra illum , argumen. eius,quod ait Federic.consil. 182. & Fel.in cap.postulasti.col. fin. de foro compet. Fit item, quòd non possunt excommunicare mulieres , argum.cap.noua. de pœnit. & remiss. Neque laici sine priuilegio Apostolico.cap.præter. adiuncta glo. verb. ducibus.31.dist.Nec quisquam se ipsum. l. qui iurisdictioni. ff. de iur.

omn.iud.& obijd episcopus, qui excommunicat generaliter quemcunque qui furatus est,aut furabitur,lusit,aut ludet,licet ipse id faciat, aut fecerit,non erit excommunicatus secundum Host.in sum.de senten. excom.§.quis valeat.& S.Tho.in 4.distin.18.q.1.ad 2.& Ioan.Andr.in reg. cui licet lib.6.communiter receptos, vt probat Henr.lib.de synodo 2.par. art.2. num.26.sed si episcopus solum esset denunciator excommunicationis summi Pont.aut excommunicationis alterius episcopi, aut eius vicarij, aut alius qui excommunicat, maneret excommunicatus secũdum Bernar.de Busto par.2.serm.37. pag. 3.& mentem omnium. Nec consuetudo sola absque sententia, aut constitutione aliquem excommunicat secundum Rosel. verbo excommunicatio 7.§.10.nisi legitimè præscripta sit, aut approbata à summo Põt. aut alio prælato quantum ad suos subditos:quia tunc vim haberet statuti secundum Ang.verb. excommu 7 nicatio 1.§.6. Neque excommunicatus quamuis sit occultus secundum glo.in sum. & cap. audiuimus. 24.quæst.1 cuius tamen oppositum est verius,scilicet,quòd si nõ est denũciatus potest excommunicare, & valet excommunicatio lata ab eo, secundum Panor. in cap. ab excommunicato.nu.5. de rescrip. cap. cum dilecti.de dol.& contum. sub fin. & Felin. in cap.ad probandum.col.3.de re iud.quamuis eam ferat in fauorem eius, qui scit eum excommunicatum,vt dixi in cap.dilectus 2.de præben.in responsione ad contraria per extrauag.ad euitanda.de qua in 8 fra.nu.36.Quibus consequens est, peccare mortaliter qui sciens, aut qui scire debens se non posse excõmunicare excommunicat:quia vsurpat iurisdictionem alienam,aut eius vsum, quod est peccatum mortale, iuxta S.Thom.1.2.q.60.art.6. Et qui excommunicat aliquem in.uste,quãuis id non faciat odio, inuidia, aut mala voluntate,sed per ignorãtiam crassam aut supinam secundum Rich.in 4.distin.18.art.4 q. 4. Et etiam qui excommunicat sine canonica monitione cap.sacro.de.sentent. excommu.vel solo verbo, sine scriptura publica, aut priuata,nisi iusta de causa id omittat: quamuis excommunicatio liget,& excommunicans maneat suspensus per vnum mẽsem ab ingressu ecclesiæ,& à diuinis officiis.cap.sacro.de senten.excom. & c. 1.eo.tit.lib.6.intra quem si celebrauerit aliquod officium diuinum alicui ordini peculiariter addictũ, erit irregularis,cum quo solus Papa dispensat.c.1.de senten.& re iud.lib. 6. Quæ tamen pœna suspensionis non afficit episcopos:quia non fit eorum particularis mentio,quod est necesse,vt ipsi incurrant suspensionem, c. quia periculosum. eo. tit. & lib.nec prælatos religiosorum, quando est periculum in mora, vel constitutiones ordinis præscribunt aliam formam,vel propter ignorantiam iuris secundum Gabr.in 4.dist.18.quæst.1. col.9.can.7.qui non satis vigilanter loquitur:quia quando periculum est in mora,etiam alij omittere possũt solennitatem prædictam per c.constitutionem.sub fi.de senten. excom. lib.6. & constitutiones nisi essent confirmatæ à summo Pont. nõ possent derogare iuri communi. cap. quod

quod super iis.de maiori.& obed. & ignorantia nisi esset iusta eos non excusarer,c.ignorantia. de regu.iur. lib.6.præsertim quòd prælati religiosorum cautius excommunicare debent,quam secularium,propter maiorem charitatem, qua debent esse erga fratres,arg.notatorum per Panor.in cap.causam quæ.de iudic.

De causa,& forma excommunicandi.

SVMMARIVM.

9 *Excommunicatio maior non feratur, nisi propter contumaciam mortalẽ, aut peccatum futurum &c.*

10 *Excommunicatio quæ sine monitione, sententiæ, & clausula iustificatiua est nulla.nu. 11.*

10 *Excommunicatio de rebus perditis à solo episcopo danda,& alia non nisi in subsidium.*

10 *Excommunicatio annalis suspectum hæreseos facit.*

12 *Excommunicatio quibus verbis fit,& conditionalis vel sine intentione ligandi an liget.nu.11.*

9 TErtiò præmitto circa hęc primò,quòd nemo debet excõmunicari maiori excommunicatione,nisi ob cõtumaciam mortalem, qua perstitit in peccato mortali pręterito,aut in futura inobedientia nõ comparendi,aut non parendi iusto præcepto facto, præcedente mora, culpa, aut offensa, iuxta mentem cap.nullus,cap.nemo.11 quæst.3. cap. 1.de iud. cap.à nobis.1.cap. sacro. de senten.excõmu. & cap. Romana. §. caueant.eo.tit.lib. 6. Et consequẽter nemo incurrit excõmunicationem impositam à canone generali, vel particulari, nisi peccando mortaliter: quæ est regula consolationis plenissima, quam tradidit Palud.in 4.dist.18.quæst.1. art. 2. quáque nos applicuimus multis, & in his parua furantibus in cap. inter verba. 11. quæstio.3 nume.480.Et idemeadem ratione dicendum quo ad hoc de excommunicatione generalilata ab homine.

10 Secundò,quòd quæ excommunicatio fertur à canone, aut statuto ita,vt qui fecerit illud, aut illud ipso facto sit excommunicatus: aut quòd illud,aut illud nõ fiat sub pœna excommunicationis latę sententiæ, non requirit præcedentem canonicam monitionem, per ea quæ diximus in prælect.cap.cum contingat.de rescrip.5.causa nullit.post Innoc. in prin.cap.sacro. de senten. excom.immò qui contra facit, statim excommunicatur. cap. si quis suadente.17.quæstio.4.cap.à nobis.1.de senten.excommuni.& cap.2. de cõstit.lib.6. Tertiò,quòd Concil. Triden.sess.25.cap.3.de reform. huic rei multa adiecit in hæc verba. *Quapropter excommunicationes illę,quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, vt aiunt,aut pro perditis, seu subtractis rebus ferri solent,à nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur: & tunc non aliàs,quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ eius animum moueat: nec ad eas concedendas cuiuslibet secularis etiam magistratus authoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas*

esse iudicauerit. In causis vero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis cuiuscunque dignitatis existant, vt quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij propria, authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo à censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactæ fuerint assignentur, seu per captionem pignorum, personarúmque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sine etiam per priuationem beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere, & causas definire. Quod si executio realis, vel personalis aduersus reos hac ratione fieri non poterit, sitque ergà iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, vbi executio realis, vel personalis, vt supra, fieri poterit, erit à censuris abstinendum. Sed si dictæ executionis facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes vti: si tamen delicti qualitas, precedente saltem bina monitione, etiam per edictum id postulet. Nefas autem sit seculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, né quem excommunicet: aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, sub prætextu quod contenta in præsenti decreto non sint obseruata, cùm non ad seculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excõmunicatus vero quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit. Hæc ibi. In quibus nouem præcipuè notanda videntur. Primum, quòd solus episcopus potest ferre huiusmodi excommunicationes generales. Secundum quòd in causis ciuilibus nullus Iudex debet vti excommunicatione, nisi in subsidium aliorum iuris remediorum: neque in criminalibus, nisi quum executio personalis, vel realis fuerit valde difficilis.

11 Tertium, quòd insordescens in ea per annum, habetur de hæresi suspectus. Quartum, quòd ob culpam præteritam non debet ferri nisi canonica monitione præcedente, quæ est trina, dicto cap. sacro. cum interuallo saltem duorum dierum inter vnam, & aliam monitionem, aut vnam pro tribus concedendo sex dies pro illis: quando non est periculum in mora, cap. constitutionem. de sentent. excommunica. libro sexto. adiuncto dicto cap. sacro. & quando tale periculum in teruenerit diminuendum est tempus, quomodo, & quantum oportuerit, & non plus, nec minus. Quod adeo est verum, quòd excommunicatio esset omnino nulla, si ferret eam prælatus vel iudex in executionem sententiæ, vel præcepti sine præuia cognitione, & sine clausula iustificatiua latæ circa prætecta, id est, dato termino ad allegandas causas, si quas habuerit contra huiusmodi mandatum, iuxta Innocent. in cap. proposuit. de concess. præb.

præbend. colum. 2. & in capit. 1. eod. titul. lib. 6. Oldr. consil. 81. nume. 2. & alios quos citaui in prælect. dicti capitul. cum contingat. 5 cauf. nullit. quod est maximi ponderis. Quintum, quòd qui excommunicat sine hac monitione, & sine scripto, in quo declaretur causa, peccat mortaliter: licet valeat, vt tactum est supra numero octauo. Sextum, quod excommunicatio lata sub conditione, ante implementum eius, non ligat. cap. præterea 2. de appell. Septimum, quòd excommunicatio non ligat, si qui eam fert, non habet intentionem ligandi: neque etiam si is qui eam petit, non habet voluntatem, vt ligetur: quia omne suum robur accipit excommunicatio à voluntate excommunicantis, qui quum excommunicat ad petitionem partis, non vult magis excommunicare, quam ipsa pars velit. Quare illi quos excommunicans, aut petens excommunicari eos, qui illud, aut illud fecerint, aut non denunciarint, intendit eximere ab illa, vere eam non incurrunt, licet se putent incurrere.

12 Octauũ, quod nulla certa verba sunt præscripta pro forma substantiali excommunicationis. Quapropter, vt dixit bene Host. in summa de sentent. excommu. §. qualiter colum. 1. nihil refert an iudex dicat, Excommunico te, aut separo te à communione, aut similia, quibus declaret voluntatem suam excommunicandi de præsenti: illa tamen quæ ipse putat ad id sufficere, scilicet Cognosco, aut habeo te pro excommunicato, dicta à iudice, non videntur nobis sufficere, post Goffr. quem ille refert, quidquid ipse dicat, nisi quãdo ponuntur in excommunicatione canonis, aut decreti, aut in excommunicatione cõditionali: quales sunt omnes, quæ dantur cum monitione canonica, aut propter peccata futura argum. cap. 2. de testib. cog. & d. c. præterea. de appell. quæ hę duæ opiniones inter se conciliari possunt. Nonum, quod non parens canoni, aut iudici iubenti aliquid sub pœna excõmunicationis, non statim erit excommunicatus, quia verba illa non significant voluntatem excommunicandi ipso facto, sed comminationem excommunicãdi eum, si nõ paruerit, iuxta gloss. celeb. in capit. 1. de sagitt. cui similis in cap. 2. de matrimo. contract. Neque etiam hæc, *excommunicetur*, sed hæc, *sic, sit excommunicatus*, iuxta Fel. in ca. Rodulphus. col. 19. de reser. & quos ipse citat: nisi quando alia iura declarant oppositum, quo casu intelligenda est gloss. capit. si quis ex clericis de vit. & honest. cleric. cap. 2. de foro compet. Quæ resolutio licet communis videatur iure tamẽ proprius apparet, quod præfata verba, *sit excommunicatus*, non denotant sententiam latam, sed ferendam: nisi cum alia iura id declarant. Tum quia plurimi canones, dist. 50 continent illa verba, quæ tamen secundum gloss. cap. 2. de foro compet. ferendam sententiam significãt. Tum quia verbum sit, est futuri temporis, per verba cuius nõ fertur excõmunicatio ipso iure, nisi aliquid aliud adiiciatur, secundum gloss. recept. in reg. in pœnis. de regu. iur. lib. 6. Tum quia non obstat dicere quòd verbum, sit, est etiam præsentis tẽporis,

impera

imperatiui modi, sicut & futuri optatiui. Tum quia non est ita propriè illius,ac huius. Tum quia in dispositione dubia mitior pars est eligenda præd.regul.in pœnis. & prætata verba sunt dubia:ergo interpretanda sunt, vt significent potius sententiam ferendam, quam latam. Tum quia gl.cap.si quis,23.dist.cui consonat gl.cap.si quis ex clericis.de vita & honestat.cler.verb.fit,exponit per fiat futuri temporis.

Quis possit excommunicari, & quis in excommunicatione non excludatur.

SVMMARIVM.

13 *Excommunicari solum potest homo baptizatus, & mortalis, habens superiorem: proinde nec Diabolus nec Papa, nec infidelis, nec locusta, licet possit adiurari*

14 *Excommunicatio generalis non ligat impotentem parere, neque eum qui scit &c. Nec etiam specialis termino prorogato, nec tunc &c nu.15.*

16 *Excommunicatio non ligat ignorantem eam, etiam super re illicita.*

13 QVartò præmitto circa hæc primò,quòd nemo excommunicari potest,nisi homo baptizatus mortalis habens superiorem, ca. Romana.§.in vniuersitatem.de sent. excom.lib.6.vbi Domin.id notat.& nos dilatamus in c.ita quorundam. de Iudæ.notab.8.nu.7.& gl.vlt nu.2. proinde non possunt excommunicari Diabolus,anima separata à corpore,collegium,aut vniuersitas,quę non sunt homines,ca.in quadam.de celeb.miss.neque iudæus, vel ethnicus,qui non sunt baptizati, etiam si sint catechumeni, hoc est conuersi nõdum baptizati, per dicta in tract. de indul sup.§.in Leuitico.notab.31. & arg.c.veniens.de presb.non bapt. quãuis indulgentias lucrari possint, vt ibi dixi. Neq; resuscitatus denuo nõ moritur* arg.finis symb.Athan. & c.firmiter.de sum.Trinit.Nec Papa,qui nulli homini, vel legi humanæ, qua sola fertur excõmunicatio, quo ad pœnam subiicitur ca.proposuit.de concess præben.c.cuncta per mundum.9.quæstione 3.nam neque propter hæresim incidit in excommunicationem humanam de qua loquimur, sed in diuinam secũdum rationes Caieta.de author.Papæ, & Concil.c.10.19.& 20.quicquid dicat S.Anto.3.part.tit.24.c.74.§.1.Et quia hic tangitur summa Papæ maiestas, moneo te, Christiane lector, typographo iã imprimẽre hoc c.27.oitẽsum fuisse mihi librum in Hispania impressum, cuius auctor ait dicere me alicubi non esse obediendum Papæ statuenti aliquid in detrimentum beneficiorum parrimonialium Castellę:quod tamen est falsum,nec vllibi ego vnquam id scripsi, nec debuit ab vllo scribi. Tum quia sapit hæresim Anglicanam.Tum quia procedit ex defectu cognitionis essentiæ rei spiritualis,quã nos latius, & resolutius, quã vllus alius, quem meminerimus eorum, qui ante nos scripserunt,definiuimus supra in ca. 23.à nu.99. Tum quia hæc ignorantia est causa,vt aliqui nimis ampliẽt potestatem laicã ad spiritualia, quæ nemo potest construere, neque destruere, nisi Papa,qui plenitudinem potestatis

potestatis spiritualis immediate accipit à Christo: vel alius, qui mediate, vel immediate partem eius acceperit à Papa.ca.in nouo.21.dist.Tum quia nullus catholicus debet ignorare omnia beneficia ecclesiastica, siue sint iurispatronatus, siue patrimonialia, siue præstimonia,siue cõmendæ, siue præceptoriæ, esse iura spiritualia, cap.dilecto.de præbend. & nullus, neque Imperator, neque vllus alius princeps habet potestatẽ erigẽdi, vel extinguendi vllũ ex illis etiam quam minimum, nisi habeat ad id potestatẽ immediate vel mediate acceptã à Papa. Quæ est fides catholica, quam nisi quisque firmiter crediderit, saluus esse non poterit.A quo falso testimonio prius nos liberassemus,si prius id nouissemus. Nemo item à se ipso, nec à suis statutis excommunicari potest, argu.l. pen.ff.de recep.arbi.nec ab inferiori argu.capi.cum inferior.de maior.& obed.& cap.inferior.21.dist. Quare superstitionis est credere, quòd possunt excommunicari locusta, bruchus, aut aliud genus vermium, & animaliũ irrationalium: quãquam religiosè vti possumus contra ea aqua benedicta,precibus, & adiurationibus sanctis fundatis in diuina bonitate,& misericordia,& suis sanctissimis verbis, & institutione ecclesiæ catholicæ. Quibus solis vtinam vterẽtur qui audacter promittunt se eiecturos ea ab illa, aut illa regione,si illud, vel illud sibi detur. quandoquidem nihil quod superat vires naturales, & effectum sacramentorum,& institutionis ecclesiæ, & reuelationem particularem, potest promitti tam certo, atque ipsi promittunt, nec pretium peti sine specie cuiusdam simoniæ.

14 Secundò,quòd in excommunicatione generali nõ includitur, quę proferens, vel petens illam non intendit includere: neque is, qui non potest parere, aut iusta de causa ad id non tenetur, vt qui non potest restituere, vel denunciare furtum, aut iusta causa ab eo excusatur:modo adhibeatur remediũ quod commodè adhiberi potest, vt cessante necessitate, aut causa satisfiat iis, quorum remedium dedimus in cap. inter verba.11.quæst.3.

15 Tertiò,quòd excommunicatus sub conditione, si nõ soluat ad præscriptum terminum, nõ erit excommunicatus eo prorogante illum antequam incurratur excommunicatio, iuxta communem Pan. & citatorum à Dec.in dict.cap.præterea.2. sed si non soluat in termino prædicto,erit excommunicatus iuxta Innocẽ.& communem ibidem. Quod intelligendum est,quando prorogatum fuit consensu iudicis, alias secus,vt rectè ait,(mea sentẽtia) Sylu. verb. excõmunicatio 2.notab.1.cas. 13.nam licet excommunicatio lata ad petitionem partis tolli possit antequam incurratur de cõsensu eiusdem: non tamen suspendi, neque differri,neque ita mutari, vt semel sublata iterum incurratur: quia id iurisdictionis est, quam pars nõ potest tribuere.l.priuatorum.C.de iurisdictio.omn.iudic. Adde illas singulares decisiones citatas supra ca. 23.num.104.quòd non soluens pensionem in termino, non est excommunicatus, donec pensionarius id declaret.

Quartò

Quartò, qui scit id, quod iudex iubet reuelare, sed habet causam iustam non reuelandi iuxta dicta supra cap.25.nu.46.

16 Quintò, quod ignorantia facti probabilis excusat ab excommunicatione secundum omnes: & etiam illius iuris, quo fertur excommunicatio propter aliquod opus de se licitum, quod ipse ignorabat, neque tenebatur scire esse prohibitū. Idem de ignoratia eius, qui facit opus de se illicitum, cui adiuncta est excommunicatio per statutum inferioris Papa, quod ignorat: nisi crasse, aut supine id faciat secundum eundem, & omnes per c.2.§.vlt.de cōsti.lib.6. secus tamē secūdum eum, & omnes citatos ab eo, si adnexa esset lege Papæ, vt est percussio clerici, arg.d.c.2. per locum ab speciali: nobis tamen videtur verius contrarium cum Syl. verb.excommunicatio 2.notab.3. & excommu.vlt.q.3. Tum quia eadem ratio inuenitur in vtraque. Vtraque enim est ignorantia iuris humani, nullumque aliud est in hoc discrimen, quàm quòd ignorantia pœnarum legum Papæ non præsumitur, nec tā facile potest probari quo ad forum exterius, quā pœnæ statutorum ordinariorum. Tum quia per dicta superius ca.23.nu.41.ignorans pœnam legis quo ad alia sibi notæ, non incurrit eam in foro conscientiæ. Tum per alia quæ ponimus in cap.fraternitas.12.q.2.vbi respondemus ad argumenta Adriani.

Quid operatur excommunicatio maior.

SVMMARIVM.

17 *Excommunicatio, vt tollat communionem interiorem, & exteriorem, & mixtam, & priuet à sacramentis, & suffragiis, nu.18. diuinis officiis, nu.19 & omni contento hoc versiculo. Os, orare, & c num 20. facit & alia vndecim. nu.20. & 3 sequen*

18 *Excommunicatus est iumētum Diaboli, præter illum, & illum nu.19.*

21 *Excōmunicatus vt infamis, & vt perdat debita seruitia. nu.22 & 23.*

17 QVintò præmitto, quòd vt dixi post S.Tho.in exposit. symboli in illa parte 1. *Sanctorū communionem.* Triplex est communio. Prima omnino interior charitatis, & gratiæ qua efficimur membra eiusdem corporis mystici Christi, à qua solū peccatū mortale nos separat, cap.resuscitatus, de pœnit.dist.1. cum duobus seq. Secunda omnino exterior, qua inter nos alij aliis cōmunicamus comedendo, bibendo, colloquēdo. Tertia media, seu mixta, scilicet sacramentorum, & suffragiorum generalium, quæ facit, aut præcipit fieri ecclesia catholica. Et quòd excommunicatio non tollit primam communionem, sed supponit sublatā esse: & ita operatur primo, non quidem, vt nōnulli dicunt, exclusionem à gratia Dei, sed declarationem exclusionis factæ per peccatum mortale. Secundò excludit à sacramentis ecclesiæ actiue, & passiue, ita quòd nec possit accipere, nec
18 dare.capit. Engeltrudam.3.q.4. Tertiò priuat suffragiis generalibus ecclesiæ: adeo, vt nulla in re intēdat ei subuenire per illa, quod maximū damnum est. Ob quod dici solet excommunicatum possideri à Diabolo, in c.audi.& capit.omnis.11.quæst.

3.& vti eo sicut mulio suo iumento. gl.in d.cap.audi. Quod tamen non non intelligitur de excommunicato verè contrito procurante pro viribus absolutionem, arg.capi.dixi.& capit.magna.de pœnit.dist.1.is enim coram Deo est in statu gratiæ, & fruitur communione prima, & tertia, non autem secunda. Idem de excommunicato absque iusta causa: & de illo qui nō potuit soluere ad præstitutum tempus, iuxta quod iussus fuit sub excommunicationis latæ sententię pœna: ij enim quo ad Deū non sunt excommunicati: quia non peccarunt mortaliter, quamuis sint quo ad homines, vt dixi vbi sup.post Caiet.in tract.19.tomo 1.Idem est de excommunicato ob contumaciam præsumptam, sed non veram coram Deo secundum Maior.in 4.dist.18. quæst.2.col.8.

19 Quartò, excludit à diuinis officiis, & aliis precibus cum aliis simul faciendis, vel audiēdis, capi.quod in te.de pœnitēt. & remiss.quanquam benè potest solus precari etiam in ecclesia, licet alij precentur sciuncti ab eo, iuxta Innoc.recep.capit.nuper de sentent.excomm. Quintò, priuat omnibus contentis illo versiculo gl. capite statuimus.de sententia excommunica.lib.6. *Os, orare, vale, communio, mensa negetur.* Quam Host.in summ. de sentent. excommunicat.§. exqui-
20 sita pœna & omnes Theologi in 4.distin.18.& Canonistæ mille in locis attigerunt. Per, *Os*, intelligitur participatio colloquendo, osculando, amplexādo, recipiendo, mittendo vel dando literas, capite cum excommunicato.& seq.11.q.3. Per Orare autem, dicta participatio sacramentorum, & diuinorū officiorum, & quarumlibet aliarum precum in ecclesia infra, vel extra eam cum aliis dicendorum, iuxta Innoc.in d. c.nuper.& dicenda infra nu.36. Per, *Vale*, vero includuntur mutuæ salutationes, quæ fiunt per collocutionem, aut literas, aut etiam assurgendo, aperiendo caput, mouēdo labia, & alia similia, quæ significant salutationem sine locutione, iuxta mentem Card.Imol.& cōmunem in cle. fin.de senten.excom.quidquid dicat Maio.in 4.dist.18.q.2.& Angel.verb. excōicatio 9.§.4 quorum opinio teneri posset quo ad forum conscientiæ, quando eiusmodi signa fierent sine intentione salutandi, intra animum dicendo, Deus te cōuertat, vel aliud simile, arg.l.nō omnis.ff.si cert. pet.l.in agris.ff.de acquir.rer.domi. Per, *Communio*, participatio, quæ habetur in operando, exercēdo, aut faciēdo aliquid simul cū eo, aut habitando in eadem domo, aut in aliqua eiusdem parte, aut cōuersando cum eo aliis modis. Per, *mensa* intelligitur comedendo in eadem mensa, dormiendo in eodem lecto: quamuis domus sit aliena, secundum S.Anto. 3.part.tit.24.c.7.iuxta quē, & Innoc. in d.ca.nuper.non potest quis etiam in cōuiuio alicuius tertij comedere cū excōicato: immò debet surgere ex mēsa, si excommunicatus accumberet, nō tenetur tamē exire domo: immò potest comedere in alia domus parte, si vterque non erat inuitatus ad idem cōuiuium, nam si erāt ambo inuitati, licet in duabus mensis diuersis comederent, videbuntur communicare in eodem conuiuio, & simul edere, quātum ad hunc effectum

effectũ iuxta mentem illorũ. Sextò, facit irregularem vtentẽ aliquo actu ordini suo peculiari, vt dictũ est sup. 21 Septimò facit infamem, si excommunicatio est manifesta per c. infames 6.q.1. quod Ludo. Rom. dixit ad hoc singulare in singul. 682. limitauit tamen singu. 289. vt solum procedat in excõmunicato ob causam afferentem infamiam iuris, aut ob cõtumaciam in causa infamiam inurente. Octauò, facit collationem beneficij ecclesiastici adeo nullam, vt non conualescat per absolutionem, nisi reuocetur cap. bonæ de ætat. & qualit. & cap. postulasti. cum glos. & ei annot. de cler. excommu. minist. & consequenter tenetur relinquere illud, & restituere fructus ad id vsque tempus perceptos. Nonò, priuat facultate eligendi actiua & passiua. c. constitutus. 1. de appel. Decimò, suspendit ab officio, & beneficio, c. pastoralis. §. verum. eo. tit. Quanquam si habet officium publicum, valebit quod per illud faciet ratione eius, quousque toleratur, c. 22 approbandum. de re iud. Vndecimo eximit subditos ab onere seruiendi ratione fidelitatis, aut subiectionis iurisdictionalis, quandiu fuerit excommunicatus. cap. pen. & vlt. 15. quæst. 6. Duodecimò, priuat facultate ducendi vxorem sine peccato mortali per supradicta de sacramentis: quanquam hic secundò continetur. Decimotertiò, annullat rescripta obtenta à sum. Pont. præterquam super articulo eiusdem excommunicationis. cap. 1. de rescript. lib. 6. nisi, quod de more fit, detur absolutio, ad effectum illorum consequendum, & non insorduerit per annum, vt diximus in repet. cap. ita quorundam. de iudæ. vbi in glo. vlt. nu. 16. posuimus tenorẽ regulæ Cancellariæ de insordescentibus.

23 Decimoquartò, priuat alios facultate pro eo orandi publicè, & solemniter: quamuis possint priuate, vt diximus in Enchirid. siue Manuali de orat. & hor. canon. seu. repet. cap. quando. de consecrat. distinct. 1. c. siue. not. 19. nu. 67. Decimoquintò, repellit à iudicio, vt non possit esse actor, neque procurator actoris, neque rei: potest tamen esse reus ad se defendendum, cap. intelleximus. de iud. vt habet communis ibidem, & etiam constitui procurator, vt absolutus procurare possit, vt diximus in capit. post cessionem. de probat. post Deci. contra commu. Decimosextò, facit vt perseuerans in excommunicatione per vnum annum in causa criminali videatur confiteri crimen cap. rursus. & capit. quicunque. 11. q. 3. per quæ male intellecta glossi. fin. in ca. 1. de iud. cum aliis multis, tenuit, quòd debet etiam priuari suis beneficiis: quod non est verum, vt copiosè scripsimus super illam. Decimoseptimò, priuat sepultura loci sacri. cap. sacris. de sepult. Decimooctauò, obligat manẽtem in ea per aliquod tempus ad soluendam, antequam absoluatur, pœnam constitutam in aliquibus episcopatibus, Angel. ver. excommunicatio vltim. §. 13. & constitutam etiam per leges seculares Castellæ. l. 1. titul. 5. lib. 8. ordin. & per leges Lusitaniæ aliam, postea quam captus fuerit. §. *Item ha de hauer.* titul. 53 libr. 1. ordin. & tit. 46. libr. 5. ordin. Decimononò, quod operatur, & alia multa quæ scribit Rebuff. in glossi. concor.

concor. titul. de excom. non vitand. quædam tamen incaute.

De excommunicatione minore, & participatione cum excommunicato.

SVMMARIVM.

24 *Excommunicatio minor solam participationem passiuam sacramentorum tollit, non missæ auditionem, &c. nu. 24. 25 sic incurritur: non æquatur mortali: tollitur à quouis presbytero. num. 26. non incurritur in hic casibus num. 26. & 27.*

27 *Excommunicatus communicans cum vxore, filiis, & familia non est vitandus, donec denuncietur.*

28 *Excommunicato participare, veniale. num 29. nisi sex casibus. num 29 31. & 32.*

28 *Communio Christianorum triplex, quamnam tollit principaliter excommunicatio.*

33 *Excommunicato specialiter non denunciato præsente quæ missa continuanda, & 2. seq.*

35 *Extravagantis, ad euitanda, tener.*

36 *Excommunicato ob iustum timorem participari potest sic, & non sic.*

36 *Excommunicato pro denunciato orari potest oratione priuata, non publica, &c.*

36 *Excommunicatio lata à iudice in participantes excommunicato à se, sine ista monitione, nulla.*

4 SExto præmitto circa hoc primo, quod excommunicatio minor, vt dictum est supra eo. nu. 1. solum separat à participatione passiua sacramentorum: & ideo potest eligere, & vti omni iurisdictione, quamquam non potest eligi, cap. si celebrat. de cler. excom. potest. & ministrare sacramẽta, si dando non recipiat: nam missans ad cõmunicandum alios, & episcopus missans ad dandum ordines non peccant, qua parte dant, seu quia sumunt, qui est verus intellectus rationis illius celebris c. si celebrat. quem pridem dedimus ibi sequuti mentem Host. ibidem relicto Panor. quidquid dicant Mai. in 4. dist. 18. q. 2. & Adr. in 4. de clauib. q. 3. contra illum rex. eius ratione non satis intellecta.

Secũdo, quod prædicta minor excommunicatio non facit, vt peccet audiendo missam, nec sumendo pacem, quæ in ea offertur secundum Dom. & Frã. contra Archid. in c. is cui. de sent. excom. lib. 6. nec absoluendo ab excommunicatione maiore, vel minore, argu. c. duobus. de sent. excom. & dict. cap. si celebrat. & Mai. in 4. dist. 18. q. 2. col. 2. Adrian. in 4. de clauib. q. 3. col. 2. nec absoluendo à peccatis: quia id est dare, & non recipere sacramẽtum, neque eadem ratione dando sacramentum infirmo sine missæ celebratione, quidquid dicant prædicti.

25 Tertio, quod hæc excõmunicatio quanquam ferri potest per sententiam iudicis: tamen communiter non fertur nisi per ius in octo casibus, quos ponit Inno. in c. 1. de sent. excom. Quorum, quia solum vnum videmus in vsu, & quia dici solet in aliis non esse veram excommunicationem minorem, ideo eos taceo. Casus autem vsitatus est, participatio cum excõmunicato maiore excommunicatione, in casibus prohibitis. Dixi, *maiore*: quia non incurritur ea ob participationem cum ex-

communicato minori. Nam non transit in tertiam personam excommunicatio iuxta glo. recep. in c. excellentissimus.11 q.3.

Quarto, q̃ post eam incursam nullum sacramentum potest recipere antea qua absoluatur ab ea:nõ quia æquetur peccato mortali, vt dixerunt Pan.& alij in d.c.si celebrat.si quidem in multis excedit, & in multis excediter ab illo,vt ibidem docemus.

Quinto, q̃ quilibet sacerdos simplex,etiam si non sit parochus, sicut potest absoluere à peccatis venialibus non habentem mortalia secundum Caiet. ita constanter affirmantem; ita potest eundem absoluere ab excommunicatione minori, vt efficaciter contra eundem probamus in c.placuit.de pœnit.dist 6 nu.25.

26 Sexto,quod regulariter participans cum excommunicato maiori excommunicatione incurrit minorem cap. nuper. c. cum voluntate. in princ.& § 1.de sent. excom. Fallit tamen in multis contentis illo versu glo.c. cum desideras. de sent. excom.

Hæc anathema quidem soluunt, ne possit obesse,
Vtile. lex, humile, res ignorata, necesse.

Per, *Vtile*, excluditur qui participat cum excommunicato ad vtilitatem eius animæ,prædicando,vel admonendo, quod animæ conuenit: quamuis interponat nonnulla alia verba, vt commodius persuadeat. c. responso. & cap. cum voluntate. de senten. excommu. vel ad vtilitatem propriam temporalem præsertim sibi debitam, vt petendo ab eo debitum in iudicio, aut extra illud. cap. intelleximus.de iudic. aut consilium spirituale pro se, aut pro aliis, & etiam temporale valde necessarium, quando non occurrit alius similis à quo petatur. Per, *lex*, vxor excommunicati, quam lex coniugij ad communicandum ei obligat. Per, *Humile*, filij quos secum habet, serui, famuli vrbani, & rusticani, qui ante excõmunicationem erant subiecti illi: & ideo tenentur inseruire, cap.quoniam multos 11 quæst.3. nisi eorum consilio, fauore, & auxilio perseueret in sua contumacia.dicto cap.quoniam cap.inter alia.& cap. si vere. de senten. excom. Dixi, *Antea*: quia qui post excommunicationem scientes cœperunt viuere cum eo, non excusantur.

27 Et quamquam iuxta glo. d.cap. quoniam communiter recept. maritus,pater,dominus, & herus nõ possunt communicare vxori,filiis mancipiis, & famulis excommunicatis: nobis tamen verius videtur oppositum,quod sentit Adr.in 4.de Ciauib. quæst.3. col.5. quos rectius ait excludi per verbum, *Vtile*, quam per verbum, *Lex*: per illud enim excluditur creditor, qui potest suum debitum petere à debitore excommunicato, & omnes istæ personę subiectę sunt, debitores mariti, patris, domini, & heri, quatenus debent eis debitum cõiugale,aut victus, aut stipendium. Per verbum, *res ignorata*, excipitur ignorans,dicto cap.quoniam. quando ignorantia est facti secundum omnes, & etiam quando est iuris dubij per notata in cap. ignorantia. de regul.iur.lib.6. & §. notandum. 1. quæst. 4. Nunc autem dicitur iusta ignorantia eius qui ignorat excommunicatum esse denunciatum per extra

extrauag.ad euitanda.relatam infra num.35. Verum est tamen, quod qui à fide dignis audiuit illum, vel illum denunciatum, debet euitare. argum. cap. illud. de cler.excommu. mini. sed qui dubitat, non tenetur vitare, præsertim in præsentia aliorum: quia inferret illi iniuriã. Maio. in 4. distin 18. quæst 2. colum.8. Per, *necesse*, excipitur qui participat propter magnã necessitatem propriam, vel excommunicati: vt quia alter alterius eleemosyna indiget, quam ab aliis commode habere non potest,dict.c. quoniam.

28 Septimo quod participatio cum excommunicato maiori excommunicatione non est communiter plusquam venialis, etiam habita à non exceptis superius secundum opinionem Host.in summ. de sent. excom. § fin. & communem Ioan. Andr. & aliorum in cap. sacris. de iis quæ vi. & S. Tho. & aliorum in 4. distin 18. quamuis dubitet Panor.in dict. c. sacris. & aliqui teneant oppositum.

29 Dixi, *Communiter*: quia fallit in sex participationibus. Prima est participatio in sacramentis vel diuinis officiis.Secunda,nimis frequens.

30 Tertia,in cõtemptum clauium. Quarta, contra speciale præceptum iudicis Quinta,cum excommunicato à Papa cum participibus.Sexta,in peccato mortali, quarum ratio specialitatis est, quod quælibet illarum est principaliter prohibita, vel coniuncta cum alia malitia mortali. Prima enim est mortalis, quia communio sacramentorum, & diuinorum officiorum est illi principaliter vetita. Secunda vero est mortalis: quia intelligitur de frequentia quæ habet coniunctam malitiam mortalem animandi aliquem delinquendum, contra l. conueniri. ff. de pact. dota & cap ex parte.de consuet.

31 Tertia, quia habet coniunctam malitiam mortalẽ inobediẽtiæ contra c. 13. ad Rom. & c. solitæ. de maior. quis autem dicatur contemnere,dictum est supra cap.23 num. 49. Quarta, quia est dupiex inobedientia iuris,& iudicis.c.1.de maio.quod limitatur infra nu.36. Quinta ea ratione qua quarta:qualem tamen excommunicationem solus Papa potest ferre, per dicenda in dict.nu.36. Sexta,quia miscetur ei malitia mortalis ipsius peccati.

32 Octauo, quod quidquid dicant Rosel.verb. excommunicatio 1. cas. 43.§.fin.& Syl.eod verb.dubio 1.& 3. & excommunicatio 9.cas.41.& prius Anchar.in c.nuper.num.7. & Panor. de senten.excommu. ibidem num.8. & Ioan. Tabien. verb. excommunicatio 5. cas. 1. § 37. & 38. multum refert, an quis participet cum excommunicato in delicto habente annexam excommunicationem, antequam eam incurrat, vel post eam incursam:nam qui communicat ante incursam,vel cum incurritur,non incurrit eam: communicans vero postea sic: modo concurrant ea, de quibus infra num. 112. per cap. nuper. & cap. si concubinæ. de sentent. excom. quorum verus intellectus est hic. Non obstat, quod sæpe consulens, mandans, iubens, & iuuans ad faciendum aliquid, cui est annexa excommunicatio, excommunicantur: quia non excommunicantur ratione prædictæ participationis; sed quia lex non solũ excom-

municat facientes, sed etiam consulentem, mandantem, &c. qualis est lex excommunicans percutientem Cardinalem. Quòd autem lex excommunicans simpliciter facientem, regulariter non comprehendat consulentem, nec mandantem, probatur infra nu.51.

33 Nonò, quòd excõmunicato ingrediente ecclesiã ad orandum debent exire qui sunt intra eam, aut rogatu, vel vi eum cogere egredi, alioqui cessare ab officiis diuinis, etiam missæ cœptæ; si nondum incœptus est canon, id est, *Te igitur, &c.* nam si esset cœptus, perficienda est ad finem vsque cum vno tãtum ministro, sumendo etiam sacramẽtum, Host. in sum. de senten. excom §. & quæ sit pœna. vers. sed nunquid. iuxta cle. grauis. adiuncta glos. recep. de senten. excommun. & Inno. in d. cap. nuper. 5. Thom. & commu. in 4. dist. 18 Non tamen exire tenentur, eo quod transeat excommunicatus per ecclesiam, aut non orando manet in ea propter alia negotia, per dicta eod. c. nu. 20. neque etiam eo quod flectat genua, & dicat aliquam orationem priuatim.

34 Decimò, quòd textus, qui declarant, quando excommunicatus occultus debeat euitari occulte, & quando non, procedunt secundum tempus antiquum, & non secundum hoc, in quo seruari debet extrauagans ad euiranda. relata male à Fel. in cap. Rodulphus. de reseript. & à S. Anto. 3. part. tit. 24. cap. 5. & bene à nobis in cap. 1. §. laboret. de pœnit. distin. 6. lata per Martinum V. & relata in statutis Ecclesiæ Gallicanæ. in tit. de excomm. non vitand. & item reuocata à Conci. Lateran. habito sub Leone X. sess. 11. & in concordatis inter eum, & Franciscum I. cuius tenor est hic.

35 *Ad euitanda multa scandala, & multa pericula, & subueniendum conscientiis timoratis, constituimus, vt nemo posthac teneatur abstinere, & separare se, neque euitare communicationem alicuius in administrando, aut recipiendo sacramenta, aut in aliis diuinis officiis, aut extra illa ratione alicuius sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgatæ: neque seruare interdictum ecclesiasticum si illa talis sententia, prohibitio, suspensio, aut censura non fuerit promulgata, & denunciata specialiter, & expressa à Iudice contra certam aliquam personam, collegium, vniuersitatem, ecclesiam, aut locum certum, aut certam: neque manifesto constet incurrisse in sententiam excommunicationis, quod nullo modo potest occultari, aut per aliquod remedium iuris excusari: quia à communione huius, vult quod se separent iuxta canonicas constitutiones. Per hoc tamen non intendimus releuare, neque iuuare sic excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos*

Nota primò, quòd hæc extrauagans in verbo *generaliter*, significat eam nihil prodesse quo ad excommunicatum specialiter: sed contra tenet glo. in dict. statutis Gallicanis, quam sequimur. Tum ob authoritatem eius. Tum ob verbum, *specialiter*, in secunda parte positum. Tum per adducta in dict. §. laboret. Tum quia vsus Vrbis, & orbis habet non vitare excommunicatos specialiter

cialiter ob contumaciam non comparendi, vel non parendi, antequam declarentur, & denuncientur.

Nota secundo, quod hæc extrauagans nihil prodest excommunicato, & sic perinde tenetur nunc, ac antea ad euitandum alios: quamuis sit occultus.

Nota tertio, quod hæc extrauagans nihil prodest quo ad excommunicatos manifestos, qui nullo modo possunt occultari. Quod consequi videtur peccare omnes catholicos Galliæ, & Germaniæ, qui Lutheranis manifestis, immò & palam confitentibus se tales, communicãt. Tum quia sunt manifesti excõmunicati, propter hæresim notoriã per bullam Cœnæ, de qua infra. Tum quia non videtur prodesse dicere, quod finis restringendus est ad excõmunicatum ob percussionem clerici notorie iniustam, vt habet tenor relatus à Feli. Antoni. & à nonnullis aliis; quia, vel illa restrictio non fuit posita, vel postea fuit sublata in d. Conci. Latera. & in dictis concordatis: sed quia durũ est damnare gentem, in qua sunt tot viri eruditiss. & academiæ celebertimæ præsertim Parisien. Tolosana, & Louanien. probabiliter dici potest prædictam extrauagantem esse vsu receptam cum sola illa limitatione de excommunicatione manifesta percussionis clerici iuxta tenorem antiquæ: vel quod multitudo hæreticorum, & necessitas communicandi, & negotiandi facit licitum, quod alias non esset, iuxta reg. quod non est licitum. de reg. iur.

36 Vndecimo, quod qui semel est excõmunicatus, & denunciatus semper vitari debet quousque cõstet de absolutione, per glo. celeb. c. proposuit. de cler. excom. mini. nisi persona sit eiusmodi, cui affirmanti se absolutam esse, probabiliter debeat credi, Ange. verb. excõmunicatio 8. §. 16. & quod qui timore mortis alloquitur excommunicatum nõ peccat, neque incurrit aliquam excommunicationem secundum Innoc. in cap. si vere. de sent. excom. & Mai. in 4. dist. 18. q. 4. col. 2. etiam si colloqueretur, & participaret in diuinis officiis, Sylu. verb. excommunicatio 5. quæst. 4. modo non participet in peccato mortali, neque cum negatione saltem tacita fidei catholicæ, quæ resultaret ex communicatione in contemptum, & vilipendium excommunicationis: quia oportet potius mori, quam sic communicare: cũ magis teneatur defendere articulum fidei de authoritate, & potestate ecclesiæ ferendi excommunicationem, & illius valorem, quam vitam corporalem cap. presbyteros. 50. distin. & c. ita ne. 22. q. 5. & hoc modo limitandum est d. c. sacris. de his quæ vi. vt dixi in c. sicut. de conf. distinct. 1. & senserunt Mai. & Syl. vbi supra.

Duodecimo, ad primum dubium hic propositum respon. quod illud S. Tho. quolib. 11. art. 9. scilicet esse peccatũ mortale orare pro excommunicato, est intelligendum primo de oratione publica, quæ nomine ecclesiæ fit, & non de priuata: quia ipsemet in 4 distin. 18 quæst. 2. art. 3. q. 1. tenet licitum esse orare pro excommunicato, & pro quouis infideli oratione priuata. Secundo, quod vt dixi in dict. c. quando. notab. 19.

nu 67.& seq.nõ procedit in excommunicato nu.liter,seu inualide, neque in excommunicato val.de, sed ex iniusta causa,neque in excommunicato iuste, quem credimus vere penitere,modo nõ fiat expresse publice pro illo,iuxta mentem Host.in c.cum voluntate.de sent.excom.Immo ibidem omnibus qui ante nos scripserunt addimus,posse quem dicere missam orando in ea, & applicando eius valorem quibus ecclesia mãdat applicari eo fine, vt illud suũ opus orandi,& applicandi ad quem, & pro quo debet,accipiat Deus pro oratione priuata,vt aliquis infidelis, vel excommunicatus conuertatur. Quoniam aliud est applicare preces missæ,& eius valorem alicui, aliud applicare illud opus orandi,& adpli cadi,vt ibidem,nu 70. copiosius declaratur.

Ad secundum,quòd pro excõmunicato non denunciato,nec notorio potest orari publice per prædicta extrauag.quæ post S.Tho.lata fuit,per quam nunc non negatur sepultura iis, qui excommunicati moriuntur, nisi sint denunciati.

Ad tertium,quòd incurrit minorẽ excommunicationẽ,qui,vt minister ecclesiæ, aut nomine eius orat pro excommunicato denunciato: quia ex dictis S. Tho.art.9.& in 4.dist.18. q.1.art.1 q.1.colligitur,quòd non solum est vetitum orare cum excommunicato vt prædictum est, sed etiã orare pro eo oratione publica ecclesiæ nomine facta.

Ad quartum,de participantibus cũ excommunicato contra præceptum iuris,& iudicis,dico quòd nõ solum peccant mortaliter,vt dictum est supra nu.31.sed etiã incurrunt excommunicationem maiorẽ, nisi quum excommunicans dat literas contra participantes cum excommunicatis à se,sine monitione de qua supra nu. 4.quia excommunicatio sic lata est nulla,vt ibi dictum est.

Ad quintum,quod illud vulgatum superius positum, scilicet peccare mortaliter qui communicat cũ excommunicato in oratione, intelligendum est de oratione publica,quę fit nomine ecclesię,quales sunt missæ,horę canonicæ,quas cantant,vel dicunt sui ministri nomine ipsius, qualis est consecratio ecclesiæ, altaris,& virginum,benedictio solennis episcopi,& aquæ benedictæ,& officia defunctorum, & sepulturarum, nõ autẽ de oratione priuatæ, qualis est salutatio Angelica matutina, meridiana,& vespertina, qualis est benedictio simplex mensæ, & aliæ similes, quæ non sunt prohibitæ tempore interdicti,vt dicetur infra. nũ.177.immò videtur quòd neque venialiter peccatur in aliquibus earum. Tum quia S. Thom.in d.art.9. ait orantem pro excommunicato participare cum illo oratione priuata, vel priuatim dicta. Tum quia S. Anto.& omnes fatentur,quòd licet dicere excommunicato cũ me salutat,aut mitto ad eum literas. *Deus te convertat.* quæ est magna oratio, & maior illa, *Deus nos convertat.* quod tamẽ ei dicere possumus.Tum quia possumus alloqui excõmunicatum super eis,quę ad eius animam pertinent,cap.cum voluntate.de sentent. excommu. Tum quia licet legere cum excommunicato aliquam partem Euangelij aut alicuius psalmi siquidem

siquidem illud eius animæ conuenit,& consequenter dicere, *Miserere nobis. &, leuaui oculos meos.* quæ sunt orationes. Tum quia possumus audire cum eo concionem,c. responso. de sent.excom.in cui* initio omnes frontẽ crucę consignamus, dicẽtes *Per signum Crucis &c.* quæ est egregia oratio, & salutamus Virginem Matrem per. *Aue Maria &c.* quę est oratio præcellens, in cuius fine omnes facimus preculas à concionatore iussas,dum absoluit,siue precatur dicens,*Misereatur vestri.*

Ad sextum,quòd actus excommunicati etiam denunciati, & in illo agendo peccãtis etiam mortaliter, regulariter valent, vt alterius non excommunicati.Tum quia excommunicatione non desinit esse verus homo,imò nec liber,nec perdit potestatem naturalem,& ita potest regulariter contrahere, vt quilibet alius,& facere omnia,quę iuri naturali,gentium,& ciuili nituntur, arg. cap.ius naturale. & cap. ius gẽtium. 1.dist.& l.1.§.ius naturale.& l.ex hoc iure.ff.de iust.& iur.& consequenter testari secundum cõmunem, quam sequitur Fran.in rub.de testa contra glo.in cap.decernimus. de sent. excom lib.6.quod præsertim procedit in actibus,quos lex humana nõ potest annullare,quales sunt sacramentales.Nam baptisma,confirmatio,& ordo collata excommunicato,vel ab excommunicato, valent, secundum omnes,immò& matrimonium c.significauit.de eo qui duxit in matr.fal lit autem regulariter in actibus pertinentibus ad potestatem, & iurisdictionem ecclesiasticam humanam, per quam illi annullari possunt:quales sunt, ad beneficia præsentario, electio,postulatio, confirmatio, institutio,collatio, prouisio, & nominatio.c.si celebrat.& c.postulasti. de cler. excom.min.

De absolutione excommunicationis, & à quo ferri potest.

SVMMARIVM.

37 *Excommunicatio, & absolutio conueniunt in hoc, & differunt in his. nume 38.*

38 *Excommunicatio sine causa parum nocet,absolutio multum prodest:an falsa vtranque annihilet.*

39 *Excommunicatione à minore,& maiore lata à iure, vel ab homine hic absoluit.nu.40.etiam sola tonsura initiatus dicet non soleat fieri cum magno interdum incommodo.nu.41.& alseq.*

44 *Absolutio excommunicationis à quo delegatur.num. 55. vide alia verbo excommunicatio.*

46 *Absolutus ob impedimentum, vel à Papa cum onere præsentandi se, faciat hoc.*

47 *Excommunicationis absolutionem huiusmodi satis præcedat.nu 48.*

37 Sexto primò præmitto circa hoc primò,quòd absolutio & excõmunicatio cõueniunt in multis. Tũ quia neutra requirit certa verba pro forma substantiali,vt supra dictu est num.9.& 12.Tum quia neutra valet quidquam non seruata forma alia quam iuris,cũ qua data est potestas excommunicãdi,vel absoluendi ei, qui antea non habebat c.Pisanis. de rest.spol.& ea quæ ibi Anto.not.7.&

Universidad de Deusto Biblioteca

Dec. post alios in l. transact. not. 1. C. de transact. trad. Quare licet absolutio facta ab habente potestatē iure ordinario nō seruata forma iuris valeat, etiā ante satisfactionē: nihil tamen valet facta à delegato nō seruata forma absoluendi sibi data in delegatione, arg. gl. subtilis, & sing. cle. 1. de iure. patr. verb. inhibemus & eorum quæ ad eius declarationē refert Fely. in c. ex parte. col. 4. de cōst. Et ita absolutio facta extra mortis articulū ab eo, qui per bullas, vel alia priuilegia habet facultatē absoluendi in eo, non valet: neque facta ante satisfactionem ab eo, qui haberet facultatem absoluendi post eam. Dixi, *Alia quam iuris*: quia, vt prædiximus, absolutio data virtute mandati Papæ ad absoluendum secundū formam iuris valet, quamuis ea nō seruetur, vt valeret facta sine illa ab ordinario authoritate ordinaria: quia non fuit intētio Papę inducere nouam formā per illa verba, sed admonere commissariū id quod secundum ius debet facere, quod in simili dixit Inno. c. fi. de prę sumpt. quem sequitur gl. sing. & receptissima quę magna est cle. 1. de offic. deleg. Tum quia vt excōmunicatio valet regulariter, quamuis sit iniusta, ita absolutio c. venerabilibus. §. vbi. de sentēn. excommunica. lib. 6. qui est in hoc singularis.

38 Secundò, quòd differūt in multis: quia excommunicatio iniusta ex causa nihil nocet quo ad forum conscientię, vt supra nume. 3. dictum est: absolutio vero iniusta prodest: nam confessarius posset absoluere à suis peccatis absolutum iniustè ab excommunicatione, & absoluto iniuste prosunt suffragia generalia ecclesiæ, quæ non prodessent nullatenus absoluto, quę noua, & firma declaratio est. Tum quia excommunicatio lata metu iusto valet etiā quo ad forum conscientię, subsistente iusta causa ad excommunicādum, gl. sing. in cap. 1. de his quæ vi. secundum Panor. in cap. Abbas. eo. tit. col. 4. & Rauen. ibidem & alios: absolutio vero minimè, per textum sing. in d. cap. 1. Tum quia excommunicatio lata ex falsa causa valet, & non absolutio iuxta glo. cap. ex parte. de offic. ordin. & in cap. quod super iis. de fide instru. quamuis Card. in cap. ab excommunicato. de rescript. in d. cap. ex parte. & d. cap. quod super iis. col. 5. exæquat eas, dicens neutram valere, si neutram esset daturus iudex, si sciret causam esse falsam: vtrā que verò valere, si iudex haberet animum dandi vtrāque, si sciret vtriusque causam, esse falsam: & quanquam illi magis dubitant de valore absolutionis quàm excommunicationis: ego vero contra puto non esse dubium de valore absolutionis, etiam quantum ad forum conscientię, quia illa non excedit facultatem humanam, neque continet errorem intolerabilem, siquidem non pertinet nisi ad iustitiam partium, in eo, quod potest malè, aut bene, & adeo dubito de valore excommunicationis datæ ex falsa causa, vt putem non valere illam: quia videtur continere errorem intolerabilem, & excessum facultatis humanæ, eo quod vult excommunicare aliquem, siue peccauerit mortaliter, siue non, ex dictis supra eo cap. nume. 4. per illud Panor. & Felin. in cap. 1. de testa. cog.

scilicet quòd excommunicatio lata per iudicem contra citatum non cōparentem ex iusto impedimento nihil valet: quia non intēdit, vt debuit excommunicare, si iustum haberet, impedimentum: & si intendit excōmunicare, siue esset iustè impeditus, siue non, implicaret errorem intolerabilem, qui annullat excommunicationem, cap. per tuas, de sentēn. excommu. cap. venerabilibus. §. fin. eo. tit. lib. 6.

19 Tertiò, quòd excommunicatum minore excommunicatione potest absoluere quilibet sacerdos, qui potest absoluere à peccatis. cap. nuper. de sent. excommu. quamuis non sit eius parochus, si non habet nisi venialia, vt supra diximus in c. 4. nu. 1. & cap. placuit. de pœnit. dist. 6. nu. 25. & sequen.

Quartò, quòd excommunicatum maiori excōmunicatione à iure nō reseruata alteri, potest absoluere proprius prælatus d. cap. nuper. per proprium prælatum intelligo Papam, episcopum, & capitulum sede vacāte, & alium quemuis prælatū exemptum ecclesiæ regularis, aut secularis, qui dicuntur habere iurisdictionem quasi episcopalem, secundum glo. recepe. clemen. 1. de reb. eccle. non alien. & etiam quiuis alius non exemptus habens iurisdictionem in foro exteriori, & etiam parochus, aut sacerdos simplex qui potest absoluere à peccatis mortalibus secundum Inno. & Host. d. cap. nuper. quæ est communis opinio S. Tho. & Bonauen. & aliorum Theologorum in 4. distin. 18. & etiam Summistarum quos late citat Syl. verb. excommu. 1. not. 2. quamuis oppositum teneat Panor. in d. cap. nuper. per glo. sing. cap. si episcopus. de pœnit. & remiss. lib. 6. quæ non dicit, quod ille: iuxta quam communem pridem consului mus, limitando illam ītoue, vt procedat solum quātum ad forum conscientię, & altera quātum ad forum exterius: limitando item illam cū S. Thom. ita quòd prædictus sacerdos simplex nō potest hoc facere sua authoritate, sed vt cōmissarius deputatus à Papa d. c. nuper. §. fi. qui pro hoc est quasi expressus: & quod prælatus proprius potest absoluere ab excommunicatione incursa iure extra suū episcopatum, & parochiā, secundū Fed. cons. 16. & Pā. c. graue. col. 3. de præb. communiter recept. Dixi, *Non reseruata*: quia is cui reseruatur debet eam dare secundum omnes.

40 Quintò, quòd excommunicatū ab homine ipse solus potest absoluere, aut eius successor, superior, aut delegatus, c. pastoralis. §. præterea de offic. deleg. nisi quòd delegatus Papæ, qui potest excōmunicare intra vnum annum post sententiam diffinitiuam, eo transacto non potest absoluere cap. quærenti. de offic. deleg. quod est sing. secundum Panor. ibidem, qui eum communi idem dicit de quolibet alio delegato habente facultatem exequendi suam sententiam. Et nisi incendiarius excommunicatus ab episcopo, qui non potest absolui ab eo post denunciationem cap. tua. de sentēn. excommu. quod est singul. secundum Can. ibidem. Et nisi excommunicās, qui post excommunicatur excommunicatione maiori, & denunciatur, cap. audiuimus. 24. quæstio. c. quāquam potest si solum est excommunicatus

minore.cap.duobus. de sentent. excommu.& nisi excommunicatio sit pronunciata ab inferiori, & confirmata à Papa ex certa scientia. Nam ab eo non potest absoluere,qui eam tulit,secundum Io.And. recept. in c. ex frequentibus de institit.

41 Sextò,quòd si qui excommunicauit non est sacerdos,nō potest absoluere in foro conscientiæ : quanquam potest in exteriori,secundum aliquos,quos Syl.sequutus est verb. absolutio 1.not. 4. quod restringendum est ad absolutionem coniunctā cum peccatorum absolutione : nam ab excommunicatione sola potest absoluere etiam quo ad conscientię forum, etiam sola prima tonsura initiatus,vt affirmat S.Tho.in 4.dist. 18.receptus à S.Anton.3. part.tit.24. cap.7?.& Ioan.Tabien.verb.absolutio ab excommunicatione.& quamuis nemo illud affirmet , affirmandum tamen esset ob multa, quæ in id adduci possent : commodius tamen videtur committere presbytero secundum Mai.recep.contra quē facit , quòd multi omittunt quærere absolutionem à suis parochis putantes illas commissiones iudicum esse absolutiones:& quòd pauci sūt, qui possint probare suam absolutionem factam per hanc commissionē à parocho,quia ille absoluit secreto
42 sine notario & testibus. Per quæ putaremus vtilius fore,vt iudex si ei vacaret,absolueret, & daret litetas absolutorias : & cum de more committit , excommunicatus debet dare operam , vt coram notario , & testibus absoluatur à parocho , quo cùm oportuerit possit probare absolutionem : quia semel excommunicatus,semper præsumitur talis,iuxta glo.solen.cap proposuisti. de cleric. excom.minist. quanquam aliquādo ausi fuim⁹ affirmare,quòd qui ostēderet commissionem, vt absolueretur,& diceret se absolutum à suo parocho,præsumeretur absolutus cum solo testimonio parochi,& etiam sine eo,saltem si esset vir timens Deū, &ingrediebatur,& admittebatur ad diuina officia , habita ratione consuetudinis receptæ absoluendi absque notario & testibus, quod etiam verum videtur : quodque facit ad intelligentiam clausulæ cuiusdam nouæ magni momenti additæ à S. D.N.Gregor.XIII In Bulla Iubilæi dati anno 1572. sub finem ibi, *Decernimus*

44 Septimò, quòd executor mandati Papæ quo iubetur excommunicare certum hominē sine cognitione causę,non potest absoluere,postquā excommunicauit. Et quòd qui potest absoluere ab excommunicatione lata iure , potest absoluere ab excommunicatione generaliter lata ab homine,iuxta decisionem singularem Ioan.de Imo in cap. graue. de præben.col.4.relatam per Fel. in cap pastoralis §.prēterea.de offic.ordin.dicentem nunquam se in alio legisse:quāquam idem ante Ioā.Imo. dixerunt Ioā.And.& Card.in d. cap. graue. & resumpserunt in c. ex frequentibus. de institu.per illum textū,quod defendimus nos in fi.d.cap. graue.

45 Octauò,quòd qui possunt absoluere ab excommunicatione virtute iurisdictionis delegatæ à Principe, aut concessæ in priuilegium perpetuum ratione dignitatis, aut officij, aut

aut virtute alterius ordinariæ potestatis,possunt cōmittere aliis , iuxta gl.receptam in c.fin.de offic.ordina. quæ conciliat illud cum capit.fin.§. fin.de offic.delegat.dicens illud procedere in illis , quibus solum simplex ministerium absolutionis , sine alia iurisdictione cōceditur. Et omnibus addimus,quòd simplex ministerium absoluendi potest delegari etiam à delegato ordinarij,& à subdelegato delegati Papæ : quamuis nō possint delegare suas iurisdictiones,ratione quarum id eis competit, neque etiam aliquem articulum iurisdictionalem, per capit.iuper quæstionum.§.quem vero.& seqūe.& ea quæ not.ibi Fely.nu.4 & 19.de offic. deleg.quod quotidianum est.

46 Nonò , quòd excommunicati à iure, vel homine , qui ob grauem morbum,aut ob aliud iustum impedimentum faciunt se absoluere ab eo,qui sine illo non poterat , debent se præsentare cessante impedimento:quam cito commode possunt , ei qui eos iure non poterat absoluere: alioquin recidunt in eādem excommunicationē, capi.eos.de sent.excōmunicat.lib.6 Idem de iis,quos absoluunt legati Sed. Apostolicæ cum onere præsentandi se suis ordinariis aut alius quibusliber ad suscipiēdam pœnitentiam , aut satisfaciēdum ei, quem iniuria affecerunt:sed non tenētur regulariter se præsentare personaliter,sed satis est mittere procuratores ad id idoneos secūdū Caiet. in summa. verb.excom.ca.69.qui ait absolutum esse iudicem quo ad forum conscientiæ ad determinandum tempus intra quod commode potuit se præsentare.

47 Decimò,quòd omnia iura,quæ iubent satisfacere ante absolutionē in articulo mortis , intelligēda sunt, si excommunicatus potest satisfacere : & si non potest , satis est quod det cautionem iuxta gl.quæ est pet. clem.1.§.verum.de hæreti.& Cardi. ibidem quæst.4.& Felyn.capi.pastoralis,§ præterea.col.3.de offic.deleg. col.1.quamuis Imol. teneat oppositum super d.gl nostro vero iudicio cautio debet esse sufficiens, id est cū pignore,vel fideiussore si eam potest dare , sin minus det eam , quam po-
48 test saltem iuratoriam,per eadem rationes Cardi.in d.cle.1.& Fel. in § præterea.siquidem ad impossibile nemo tenetur, l.impossibilium. ff.de regul.iur.Quin & putamus eū, qui potest satisfacere ante mortem, sed nō commode,id est non nisi notabiliter vilius vēdendo bona sua, si potest differri absque magno damno alieno,non teneri ad aliud,quam ad dādam cautionem sufficientem, quòd satisfaciet primo quoq; tempore,per dicta c.17.nu.56.& 57.Adde quod Sotus in 4.lib.sentēt.dist.22.q. 2.artic.3.concl.2.tenet non sufficere inopiam ad hoc , vt delegatus præuia satisfactione absoluat .

De excommunicationibus à iure relatis , & primum de reseruatis Papæ per bullam Cœnæ & alia iura.

SVMMARIVM.

46 *Excommunicationes iuris antiquæ paucæ,nouæ multæ,nouissimi quam plurimæ.nu* 50.

Universidad de Deusto Biblioteca

51 *Excommunicatio vt interpretanda: & lata in facientem non includit regulariter consentientem.*

51 *Consilium quis dicitur dare, & quod necet dantē.*

52 *Bulla Cœnæ Domini quæ, & iterata, & multiplicat censuras. numero 55.*

54 *Gregorius XIII. feliciter cœpit, felicius prosequitur, felicissime perfecturus.*

55 *Excommunicatio prima bullæ Cœnæ in hæreticos, nume. 56. Secunda, in schismaticos. nu. 57. Tertia, in appellantes ad futurum Concil. nume. 58. Quarta, in Pyratas. numer 59. Quinta, in accipientes naufragorum bona, num. 60. Sexta in imponentes nova pedagia. nu. 61. Septima, in falsarios. nu. 62. Octaua, in deferentes arma turcis. nu. 63. Nona, in impedientes necessaria Romam adducentes. nu. 64. Decima, in male tractantes Romipetas. nu. 65. Vndecima in vsurpantes sibi iurisdictionem in vrbe. 66. Duodecima, in iniurios Cardinalibus. nu. 67. Decimatertia, in impedientes cursum causarum Curiæ. nu. 68. Decimaquarta, in vsurpantes fructus, &c. num. 69. Decimaquinta in laicos cognoscentes de criminibus clericorum nume. 70. Decimasexta in occupantes bona Sedis Apostolicæ nu. 71. Decimaseptima, in male absoluentes à censura: bullæ quæ tamen non est referuata. 74.*

56 *Hæreticis credentes, fautores, & receptores, qui.*

57 *Schisma quid, quo differt ab hæresi, & excommunicatur in bulla Cœnæ.*

58 *Appellans ad futurum Concilium excommunicatus bulla Cœnæ.*

59 *Pyratæ qui excommunicati in bulla Cœnæ.*

60 *Naufragorum bona accipientes excommunicati, etiam ante monitionem restituendi nu. 117.*

61 *Augmentū & auctum exæquantur.*

61 *Pedagia noua quis potest imponere, vel augere.*

62 *Literæ Apostolicæ an dicatur signatura: & aliud falsare, aliud falsis vti.*

63 *Arma bellica quæ, & sunt offensiua & defensiua.*

65 *Roma, & Sedes Apostolica, vel eius Curia diuersa.*

67 *Index secularis eiiciens episcopū à suo episcopatu, &c. excommunicatus.*

68 *Impedens cursum causarum Curiæ, vt excommunicatus.*

72 *Ecclesiæ Romanæ, & bona nulla tacitur nitate, vel patientia perdi.*

72 *Absolutio censuræ bullæ Papæ reseruata non continetur etiam in sua generali.*

73 *Priuilegium remuneratorium per contractum tollitur*

74 *Absolutio male absoluentis à censura bullæ, cur non reseruata.*

49 PRæmitto primò, quòd glos. magistra cle. 1. de sentē. excō. colligit 50 excommunicationes latas ipso facto per solas clementinas, & alia prius in c. eos. de sent. excom. libro 6. triginta duas latas per solos textus Sexti, & prius congessit Host. in sum. de sent. excom. §. 3. in princip. triginta tres, quas solas induxerunt omnia iura Decreti, & Decretalium ad eius vsque tempora, cum vna c. 1. de homicid. libro 6. Ex quo facile intelligas, quam parci fuerint antiqui patres in excommunicādo, & quam larg

largi recentiores: quum ad annum vsque 1398. quo promulgatus est 50 Sextus, vix inuenirētur triginta tres casus, qui in pauciores quam in 26. redigi possunt. Et per solum Sextum inducti fuerunt 32 & per solas Cle. 50. Postea, per bullas Cœnæ, per extrauagantes impre[illegible], & non impressas, per constitutiones synodales, & prouinciales, per visitationes, & reseruationes secularium, & religiosorum, pene innumerę. Super qua multitudine minuēda quiddam in Hispano desideratum nunc tanquam supernaneum omitto.

Secūdò præmitto, quòd quia alij alium ordinem seruarunt in casibus recensendis, nos sequemur eū, quem Ang. à Clauas. seruauit verb. excom. 5. 6. 7. cui ex bona parte cōsonat Syl. qui primò ponit reseruatas Papæ, secundò, reseruatas episcopo: tertio, nulli: Et vt facilius quis quam velit inueniat, imprimis ponentur antiquiores, præterquam quod inter reseruatas Papæ per bullam Cœnæ erunt primæ, quia magis reseruatæ.

51 Tertiò præmitto quòd ad iudicandum an quis sit excommunicatus necne iure vel ab homine, debent perpendi diligenter verba quibus ius, vel iudex vtitur, & personæ cōtra quas, & opera ob quæ excommunicat: non enim vltra illa extenditur. Vnde lex excommunicans facientem aliquid, non comprehendit regulariter consentientem, etiam mandando, consulendo, fauēdo vel auxiliando, antequam fiat, nisi ex eius tenore, vel aliarum legum id expresse aut tacite colligatur, quod firmiter asseuerat Caieta in summ. verb. excommunicatio. ca. 47. notab. 3. & Sylvest. sibi contrarius, in verb. excommunicatio 10. dub. 4. & Ioan. Tabi. verb. excomm. 5. cas. 49. Bonif. cum communi in clem. 1. de constan. quod & nos hic in Manu. Hispano tenuimus, & nunc tenemus. Tum quia secundum omnes excommunicatio non debet extendi de vno casu ad alium, secundum gl. receptā. in clem. 1. de sepult. & in clemēt. 1. de consang. eo quod pœnę sunt restringendæ. l. pen. ff. de pœn. & cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1. & prædicti non sunt propriè, & vere faciētes, nam mandatum, & consilium præcedunt factum, & nihil præcedere potest id, quod vere ipsum est, & frequenter hæc præcedunt mēse, & anno factū: immò & plerumque post vitam dātis ea fiunt, & interdum est impossibile quòd per factum accipientis, ea excommunicentur dātes illa, qui mortui ante, & forte martyres in cœlo iam sunt beati. Tum quia participans cum excommunicato ante cōmissum crimen habens annexam excōmunicationem, vel quum committitur, non incurrit eam, per resolutionem supra, nume. 32. positam, & constat omnes prædictos communicare in crimine, ante crimē commissum. Tum quia capi. quod in dubiis. de sentent. excommunicat. habet participantem cum excommunicato esse excommunicandum, & non excommunicatum, quod Ioan. relatus à gl. intellexit etiam de participante in crimine, qui licet meritò carpatur ibi à Panor. & communi quo ad participantem in crimine commisso, non tamen quo ad participantem ante illud cōmissum qualiter participant ij, de quibus loquimur.

mur. Tum quia cap fœlicis de pœn. lib.6.& clem.si quis suadente.eo.tit. & multa capitul bullæ Cœnæ, & l.si quis id quod.ff.de iurisd.omn.iud.& alia multa, exprimunt consulentes, mandantes, &c.quum intẽdunt eos includere. Tum quia cap.quicũque. de sentent.excommun.libr.6 probat excommunicationem latam contra dantem licẽtiam malefaciendi, non extendi ad vrentem illa, nisi expressè id exprimatur, & cle.1.de consan. excommunicans contrahentes,non comprehendit cõsulentes, mandantes,nec aliter consentientes, neque lata per clem.1.de sepult.in sepelientes excommunicatum, comprehendit consulentes,& iuuantes, & prosequentes funus ad sepulturam, qui suis manibus non inferunt eum illi, secundum glossam ab omnibus ibi receptam. Tum quia Bart.in l.si is,qui pro emptore.ff.de vsuc.à num 56.& melius in l.sed si vnius.§.1.ff.de iniur.communiter receptus secũdum Iason in d.l. si is qui.col.74.ex professo tenet,eum qui per alium facit, non verè, sed fictè videri id facere, nisi quando illud aliud est instrumentum motum ab eo necessariò faciens, quale est baculus vel gladius inferens ex eo mãdantem non verè, vel fictè facere id quod mandatarius facit, præsertim quum mãdatarius non obligetur ad id etiam post susceptum mandatum, vt contingit in materia delictorũ de qua loquimur. Tum quia capi.mulieres. de sentent.excommunic.non habet id quod Panor.& aliquot alij imponunt ei,scilicet, quòd mandans percuti clericũ verè percutit illum: sed quòd vere committit, cui supplendum est,in legem, id est vere delinquit: quia mandare illud est verum delictum, vt respondit Bart.in dicto §.1.quem sequuntur vbi supra Rom. & Iason.& ita nulla ratione defendi potest, quòd vere & propriè sint idẽ mandare, vt aliquid fiat,& factum virtute mandati:quamuis frequentissime fictè reputentur idem, sicut hæres, & defunctus, pater & filius, Episcopus,& Vicarius,&c. Nec consequenter Iason.vbi supra iuste recedit à Bartolo, cui dixit communem adstipulat. Dixi, *nisi ex eius tenore expresse, &c.* ob dictam.l.si quis id, quod & prædicta. cc. fœlicis, & si quis suadente, & multa bullæ Cœnæ,& alia, quæ pœnam imponitam facienti expresse extendunt ad mandantem, significando tacite alioqui non extensum iri: nõ quidem quod mandare sit facere, sed quia legislatori placuit vtrunque ad pœnam ibi positam exæquare. Dixi, *Vel ex tenore aliarum*, vt ex aliis iuribus & consuetudine ecclesiæ cap.si quis suadente. 17 quæstio. 4. loquens de iniiciente manus in clericum, extendit ad mandantem, consulentem, & iuuantem,dicto capit.mulieres & cap. quantæ.de sentent.excommunicat. & capitul.sicut dignum.de homicid. Dixi, *Tacite*. propter capitul.significauit.de Iudæ. quod habet mittentem arma Saracenis, ita esse excommunicatum ac deferentem, per canonem latum contra faciẽtem:non quidem quòd idẽ sit deferre per se, & mittere per alium, sed quia lex pœnalis extenditur de vno casu ad alium quando alioqui esset frustratoria vel quasi.c.si ciuitas.de sent.excõ.quod habet interdictũ ciuitatis extendi

extendi ad suburbia, ne fiat frustratorium & gloss.c.1.de vsur.lib.6.quæ cap.illud loquens de testamento,extendit ad codicillum, ne sit frustratorium. Quibus addendum, quod canon se extendẽs ad consulentem, non comprehendit ita simpliciter consulentem consilio adeo simplici, quòd sine illo tam certo, & iniquo animo fuisset admissum delictũ, ac cũ illo, per c.fœlicis.§.illud de pœn. libr.6 iuncta gl.celebri vers.simplici cui similis gl.magna d.clemẽ.si quis suadente. Idem eadem ratione est dicendum de mandato, iussu & fauore, sine quibus perinde omnino peccatum admissum fuisset, ac cum illo,per d.supra cap.17.à nu.17.

Adde,quod refert, an disponens loquatur principaliter de faciente, & secundario de mandante, consulente,aut principaliter de omnibus: quia priori casu nõ incurrit excommunicationem consulens,aut mandans, antequam fiat opus:vnde mãdans cuipiam etiam centies percutere clericum non excommunicatur,donec percussio sequatur, & nũquam si ea nunquam sequatur, argum.notatorum in d.capi. mulieres. de sentẽ.excomm In posteriore vero sic: nam qui mandat interficere aliquem per assassinos,statim quamuis non sequatur mors,est excommunicatus,cap.1.de homicid.libro 6 quia æquè principaliter excommunicat mandantem, ac occidentem: & religiosus qui concionatur animo retrahendi auditores à solutione demarum est excõmunicatus: quamuis auditores non retrahãtur.clem. 52 cupientes.§.1.de pœn. Consulere autem dicitur quicunque monet, persuadet, aut precatur, vt illud faciat, secundum Bart.in l.non solum. §.si mandato.ff.de iniur.imò & qui instruit, aut proponit vtilitatem inde sequuturam, secundum Innocen. recept.in c.ad audiẽtiam de homici.

Quartò, notandum, quòd bulla, quæ nostra ætate appellatur Cœnæ domini, est bulla continens processum Papæ, quo die Iouis Sancta excommunicat varium genus peccantium:dicta sic, eo quod illa dies appellatur Cœnæ Dñi propter Cœnã illam ter maximam Domini nostri, quam vltimam fecit Hierosolymis cum discipulis suis, de cuius antiquissima origine, & vario tenore, 53 quem variis temporibus sub variis Pontificibus Max.vsque ad S.D.N Greg.XIII. habuit,nihil gratia breuitatis scribimus: quia gl.solen. clemẽt.1.iud.verb.solenniter.& eius author Ioã.Andr.in capi quod olim. de iudæ.dicunt ter in anno solere Papam facere processus generales contra certos delinquentes, scilicet die Iouis Sancta,Ascensionis,& Dedicationis sancti Petri,& Pauli. Cardinal. tamen in dicto capite quod olim.quem Ioan.de Anan.ibi & nos sequimur in capite ita quorundam. not.6.numer.7.de iudæ.dixit, quòd suo tempore solum faciebat prædicta die Iouis Sancta, quam sanct. Anton.3 parte tirul.2. capitul.7 2 exposuit secundũ tenorem bullæ Martini V. cui multa addiderunt, & de- 54 traxerunt posteriores Papæ vsque ad Iulium III. secundum cuius bullæ tenorem nos in Manuali Hispano declarauimus. At quia successores eius, & etiam S.D.N. Gregorius XIII. nonnulla mutarunt

tum

tum secundum tenorem bullæ ipsius, me audiente promulgatæ, primo sui pontificatus anno exposui in editione prima huius Manualis latinitate donari: nunc autem declarabo eam secundum tenorem, sub quo eam tulit hoc anno eiusdem sui pontificatus vndecimo clausularum eius ordinem sequutus. Precatus tamen humillime prius Deum Opt. Max. vt Sanctitatem suam summũ & vniciũ ecclesiæ suæ Vicariũ donet summo illo perseuerantiæ dono, quo omnia heroica summáque sua auctoritate, sapientia, ac recondita eruditione, & cana prudentia dignissima, quæ fœliciter cœpit, & felicius prosequitur, fœliciſſime perficiat. Amen.

Quinto, quod annua bullæ iteratio non multiplicat censuras per eam latas, vt diximus in dicto cap. ita quorundam. not. 2. à num. 37. & quod excommunicationes per alia iura latæ, & in prædicta Bulla repetitæ sunt in effectu eædem, præter quam quod Bulla hæc addit reseruationem absolutionis Sedi Apost. Prima excommunicatio bullæ Cœnæ fertur per primam clausulã eius in hæc verba.

55 *Excommunicamus quoscunque Hussitas, Wicleuitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes & singulos alios hæreticos quocunque nomine nuncupentur, & cuiuscunque Secta existant, & eorum credentes, ipsorúmque receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine vltoritate nostra, & sedi Apostol. scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publice, vel occulte, quouis ingenio vel colore: necnon schismaticos, & eos qui se à nostra, & Rom. Pont. pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.*

Declaratio prima, quòd quid sit hæresis, & quid hæreticus definitur supra cap. 11. nu. 17. & quòd excommunicatio in hæreticos videtur omnium antiquissima arg. c. Acharius. & c. audiuimus. 24 quæst. 1. sed non erat reseruata ante bullam, vt diximus in d. cap. ita quorundam. not. 11. num. 41.

Secunda, quòd hæc excommunicatio, non comprehẽdit magos, qui alias non sunt hæretici argu. eorum quæ habentur 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. S. Thom. 2. 2. q. 95 artic. 1. & 2. quos tamen comprehendebat bulla Pij V. quod est valde notandum.

Tertia, quòd verbum, *Credentes*, omissum in bulla Pij V. fuit expressum in hac potius ob declarationẽ, quam ob necessitatem: nam etiam eo nõ expresso fuissent inclusi, quippe qui vere sunt hæretici. capi. excõmunicamus l. 2. §. vlti. de hæretic. eo quòd, quamuis non credant explicite hæreses, credunt tamen implicite, credendo pertinaciter esse verum, quod alius hæreticus credit, nescientes qui credat in specie, iuxta Palud. in 4. distinct. 13. quæst. 3. conclusio. 2.

Quarta, quòd fautores, receptatores, & defensores solum dicuntur ad effectum incurrẽdi hanc censuram, qui hæc faciũt eis eo respectu, quo sunt hæretici, vt recte notauit Caiet. in d. capi. 1. Tum argu. l. in delictis. §. si detractat ff. de noxa. Tum quia

quia tenetur quis hæretico extreme egenti subuenire, argum. cap. palce. 86. distinct. Tum quia potest quis, licet non teneatur, eidem etiam non extreme egenti subuenire, quatenus est homo, argum. cap. duo ista nomina. 23. quæst. 4. ibi (*quia peccator est, corripe: quia homo miserere* & ibi, *Nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Tum quia alioqui omnes fere catholici etiam religiosi, Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, & bonæ partis Galliarum, incidérent in has censuras: quippe qui habent commercium cum hæreticis, quatenus sunt homines, quod sine aliquo fauore, vel auxilio eis præstando haberi nequit. Tum quia nullo canone contrarium probatur: licet multis probari possit eum præsumi fauere hæretico, qui sciens eum esse talem, fauet ei sine aliqua circunstantia, quæ excusare posset eum, etiam in foro exteriori à tali præsumptione: quales multæ occurrere possunt fundatæ in timore, necessitate, cognatione, vel vtilitate, in pace, militia, & bellis, in quibus videmus, & legimus Carolum V. & Philippum I I. omnium Regum, quos sua ætate terra coluit, & colit Catholiſſimos fauisse donis, ducibus, & militibus lutheranis Maiest. suæ militantibus. Quo ad forum autem interius, in quo sola veritas inspicitur. cap. tua. de sponsa. facile est discernere fauorem datum alicui eo respectu quo malus, & hæreticus est, à dato eidem, eo quod proximus, & à Christo redemptus est, d. cap. duo ista.

54 Quinta, quod Caieta. in prædicto cap. oblitus fuit ponere id, quod 2. 2. quæst. 1. art. 3. & 4. & in sum. verb. hæresis. tenuit, & alij aliis locis, quod adducimus in cap. cogitationis pœnã nemo meretur. de pœnit. distin. 1. scilicet, hæreticos mentales tantum non incurrere hanc censuram, neque aliam à iure humano latam; quales tamen non sunt ij qui hæresim prompserunt verbo, scripto, vel nutu, & signo verbis æquipollenti, licet nemine id videnti, vel audiente prompserint: quia sufficit sua natura esse probabile, licet contingat probari non posse ad hoc vt includatur sub potestate, & iurisdictione humana, & pœnis eius, quod multis confirmaui in dicto cap. cogitationis.

Sexta, quod in foro interiori non sufficit hæresis exterior sine mentali, ob quod superius contra eum & alios diximus in c. 2. no. 24. & 25.

Septimo, quod qui habet, vel legit libros Catholicorũ referentium dicta hæreticorum etiam desumpta ad verbum ex libris eorum, non incurrit hanc excommunicationem: quia non sunt libri hæreticorum, etiam si principaliter legeret illos ad sciendum dicta, & rationes eorum: sicut non incideret audiendo eadem relata verbo per alium. Neq; eadem ratione qui legit libros Catholicorum elucidatos per annotationes hæreticorum; licet iste incidere posset in censuram indicis librorum Pij I I I I. Secunda excõmunicatio profertur vna cum prima contra schismaticos in hæc verba.

Necnon schismatices, & eos, qui in animarum suarum periculum se à nostra & Roman. Pontif. pro tempo-

re existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.

57 Declaratio, quod hic significatur hæresim differre à schismate, & hæreticum à schismatico, & recte quidem, vt colligitur ex cap. schisma.24.q.1.& S. Thom. 2.2.q.39.art.1. ad 3. loquentem in hæc verba. *Hæresis, & schisma distinguuntur secundum ea, quibus vtrumque per se, & directe opponitur. Nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponetur vnitati ecclesiasticæ charitatis. Et ideo sicut fides & charitas sunt diuersæ virtutes, quamuis quicunque caret fide, careat charitate; ita etiam schisma, & hæresis sunt diuersa vitia: quamuis quicunque est hæreticus, sit etiam schismaticus, sed non conuertitur: & hoc est, quod Hiero. dicit in epist. ad Titum cap. 3. & refertur in cap. inter hæresim 24. quæst. 3. Inter schisma, & hæresim hoc interesse arbitror, quod hæresis peruersum dogma habet, schisma ab ecclesia separat.* Hæc ille: ex quibus colligas quod schisma generatim sumptum est peccatum, quo quis se ab vnitate debita separat: specialiter vero sumptum est peccatum, quo quis se separat ab vnitate ecclesiæ, nolendo subesse ei, vel membris eius, quatenus sunt eius: licet credat non esse nisi vnam ecclesiam, & vnum Vicarium supremum. Tertia fertur in hæc verba.

59 *Anathematizamus omnes & singulas personas cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint, & interdicimus vniuersitates, collegia, & capitula quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis seu mandatis vestris, ac Roman. Pontific. pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio appellatum fuerit.*

Declaratio prima, quod hæc excommunicatio nunc primum facta est bullæ Cœnæ: antea enim licet lata, & reseruata fuisset per Pium II. & Iulium II. vt tradit Sylu. verbo excommunicatio sub fin. non tamen fuit hactenus inserta bullis Cœnæ. Secunda, quod huic excommunicationi adiungitur interdictum propter vniuersitates, in quas non fertur excommunicatio, vt infra dicetur. Tertia, quod consulens, & auxilians prædicti non incurrunt, donec appellatio subsequatur. Quarta fertur in hæc verba.

59 *Anathematizamus omnes piratas, latrunculos marinos, & illos præcipue, qui in mari nostro à monte Argentario vsque ad Tarracynam discurrentes eos, qui in illo nauigant deprædantur, mutilant, interficiunt, rebusve & bonis suis spoliant, omnesque receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.*

Declaratio prima, quod excommunicatio ista nostra sententia comprehendit omnes, & solos eos, qui principaliter versantur in agendis prædis, percutiendis, aut interficiendis in mari occurrentibus: quia hi sunt Piratæ, & latrones marini, quidquid dicant Angel. verbo excommunicatio.5.casu.18. Syl. verb. excommunicatio.casu.18. & Caiet. ver. excommunicatio. casu.18. cuius temporis bulla speciatim includebat consulentem, quem licet hæc speciatim non includat, generatim tamen includere videtur, quia includit auxiliantes, & fauentes, & negari non

ri non potest, eum qui consulit, auxiliari, vel fauere, arg. l. quòd fauore. C. de leg. tradit Bart. in l. si vnius. §. 1. ff. de iniur.

Secunda, quod qui gerunt sua negotia, aut mercimonia cum amicis, aut bella iusta, vel iniusta cum inimicis, & deprædantur aliquando incidenter, non includuntur hic iuxta omnium sententiam.

Tertia quod non includit eos qui in solis fluminibus faciũt hoc, quidquid sentiat Angel.

Quarta, quod sufficit facere hoc alicui, vel aliquibus nationibus; & non est necesse facere omnibus vel fere omnibus; quia quum in id incumbentes principaliter Piratæ, aut latrones maris dicantur, recte in eis verificantur verba huius clausulæ, quidquid dicat Syl. vbi supra. Quinta fertur in hæc verba.

60 *Anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate in transuersum (vt dici solet) iactatis, naufragium passis, aut etiam submersis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dilapsa, & in mari, & vel litore inuenta cuiuscunque generis bona tam in nostri, Tyrrheni, & Adriatici, quam in quibuscunque aliis cuiuscunque maris regionibus, & litoribus rapuerint, aut scienter sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint: ita vt nec etiam ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque pretextum excusari possint.*

Declaratio, quod hæc excommunicatio nuper facta est bullæ Cœnæ: nam licet antea fuisset lata, non tamen eius absolutio erat reseruata, vt videre est in cap. excommunicationi de raptor. de quo infra nu. 117. vbi dicetur an sufficiat, vel requirantur volũtas (vt sic dica) mora, & monitio; & quã iniqua sit lex contraria. Sexta fertur per illa verba.

61 *Excommunicamus omnes qui in terris suis nona pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent; aut imponi vel augeri prohibita exigunt.*

Declaratio prima, quod hic statuitur idem de augmentis gabellarum antiquarum, quod de nouis: quod ipsum dicendum esset etiam si nihil fuisset expressum de augmentis, vt diximus in expositione alterius bullæ, vbi hoc non erat expressum arg. l. si ex toto, in princ. de leg. 1. & in l. peculium. ff. de leg. 2. tradit Angel. verb. pedagium. & Syl. verb. excommunicatio. 7. c. 19.

Secunda, quod per pedagia, & gabellas intelligi possunt etiam portoria, de quibus in bulla Pij V. & alia vectigalia, ob identitatem mentis legislatoris, & rationis legis, & latitudinem vulgarem significationis eorum. Qua de re latius in cap. fraternitas. 12. q. 2. tractamus.

Tertia, quod per illa verba (*Ad id potestatem non habentes*) includitur solus, & omnis qui recognoscit superiorem in temporalibus, ad quem ab eo appellari potest: nullus enim talis huiusmodi potestatem habet, & quilibet alius sic, per c. 1. quæ sunt regulæ in vsib. feud. & not. in c. super quibusdam. de verb. signifi.

Quarta, quod per, *Exigit*, intelligitur hæres illa imponentis, publicanus, conductor siue arrendator illo-

rum iurium, & recipiens etiam famulus à non sponte soluentibus, iux.rubr. de exact.trib. lib.11. C. quia exigere est extorquere à nolente soluere, glo. iuncto tex. in l. soluendo. ff. de reg. iur. est. glo. & Card. clem. fin. de censib. Dicitur autem inuitus & nolens soluere, etiam qui soluit rogatus soluere tanquam debitum, Caiet. vbi supra c. 39. Excusare tamen posset ab hac censura probabilis ignorantia iuris, aut facti, arg. c. 2. de constit.

Quinta, quod per prohibita debent intelligi simpliciter prohibita, id est, quæ à nullis, neque à laicis, neque à clericis iuste possunt exigi: & prohibita exigi à clericis & non à laicis, non sunt simpliciter, sed secundum quid prohibita: & ideo petens à clericis incurrit quidem excommunicationem. c. quamquam. de censibus, lib. 6. quæ non est reseruata, non tamen hanc. Septima fertur in hæc verba.

62 *Excommunicamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum in forma breuis, ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium per Rom. Pontif. vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdam Rom. Pontif. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. seu Vicecancellarij, aut gerentibus vices prædictorum signantes supplicationes easdem. Ac etiam falso fabricantes litteras Apostolicas, & in forma Breuis, ac supplicationes huiusmodi. Extendentes constitutionem fœ. re. Innocentij Papæ III. quæ incipit: Ad falsariorum. cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eosdem fabricantes, & etiam ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas, & datas sine nostra, aut Datarij nostri licentia.*

Declarat, prima, quod per hanc clausulam iuncto cap. ad falsariorum. de crimi. falsi. probatur appellatione literarum Apostolicarum in materia odiosa non includi supplicationes à Papa signatas, quas signaturas vocamus, alioquin superflue extenderetur per hanc illud cap puniens falsantes litteras Apostolicas ad falsantes signaturas.

Secunda, quod hæc excommunicatio non est reseruata Papæ, nisi quo ad ea quæ includuntur in hac clausula: quia quatenus continetur in illo cap. non est reseruata, vt patet ex eo, & notatis à Caietan. vbi supra cap. 27.

Tertia, quod videmur bene prídē respondisse, quod neque in hanc excommunicationem, neque in illā d. c. ad falsariorum. incidit falsarius literarum episcopi, vel nuntij: quia hæc proprie nō sunt literæ Apostolicæ: nec eadem ratione falsarios literarum pœnitentiariæ: quia non sunt literæ Papæ, sed eius comissarij constituti viuæ vocis oraculo. Secus tamen de falsario breuium Papæ, iuxta Gomes. lib. de breuib. pagin. 3.

Quarta, quod non includit eos, qui surreptitie, vel obreptitie impetrant literas Apostolicas, vel vtuntur illis, vt diximus in cap. ad audientiam. 1. de rescript. quia non sunt literæ falsæ. Neq; eos qui vtuntur literis falsis: quia solum loquitur de falsantibus: & aliud est falsare, & aliud vti falsis, vt colligitur ex d. cap. ad falsariorum. quo excommunicantur omnes falsarij, & non omnes falsis vtētes, nisi solum laici.

Quinta,

Quinta, quod ille dicitur habere literas falsas, vel vti eis, qui sciens, vel debens scire esse tales, vtitur eis iuxta Caieta. vbi supra, argum. l. in delictis. §. si detracta de noxal.

Sexta, quod non satis est corrigere aliquam literam, aut punctum, quod non mutat substantiam aliquam, vt faciat incidere in hanc excommunicationem, vt dictum est cap. 17. num. 178. post Ioan. Gerson. 2. part. Alp. 32. cap. quidam. fol. 118. contra Hostien. in sum. de crimin. falsi. §. porro. versi. sed hodie. & Caietan. in sum. verb. excommunicatio. cap. 26. saltem quo ad forum conscientiæ: quum id facere bona mente, sine dolo, & vllo alterius damno, non videatur mortale, nec consequenter excommunicare, iuxta dicta supra eod. num. 9. Octaua fertur in hæc verba.

63 *Excommunicamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis. Necnon illos qui per se, vel alium seu alios de rebus Christianæ Reip. statum concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, quibuscunque principibus, & dominis, sine priuatis personis per nos, & sedem prædictam hactenus concessis, quæ illis volumus in aliquo suffragari.*

Declaratio prima, quòd hanc excommunicationem præcesserit posita in cap. ita quorundam. & cap. quod olim. cap. significauit. & cap. ad liberandam. de iud. æ. & extraua. 1. Ioan. 22. eodem titul. & extrauag. 1. eodem titu. inter communes. Hæc autem videtur omnibus illis amplior: quia licet in dicto cap. quod olim. excommunicentur exercentes mercimonium cum Saracenis tempore belli, & in c. significauit. treuguam magis bello quam paci æquet: & licet in dd. extrauag. victualia, siue commeatus ad eos deferri prohibeat, quod est intelligendum etiam per nuncios iuxta dict. capit. significauit. tamen hæc non solum excommunicat specialiter deferentes multa; sed etiam prohibita, & ita videtur excommunicare omnes illos, quos singula eorum excommunicarent, etiam si hæc non faceret.

Secunda, quod ad respondendum dubiis, quæ olim passim interrogabamur in Lusitania, etiā ex Africa super hac materia à confessariis illustrissimæ Societatis Iesu, ante hoc Manuale quandā repetitionē compositimus in d. c. ita quorundam. dicatam insigni collegio eiusdem Societatis Conymbricen. ex ibi dictis apte posset hæc clausula illustrari.

Tertia, quod per equos intelligendi sunt etiam equi debiles, claudi vel morbosi traditi à præfaris inimicis, & opera & arte Christianorum in eorum terris curati, & feroces effecti: quia est verbum generale eadem ratione includens eos, ac alios apud nos genitos.

Quarta, quòd per arma, vbi accurate diximus, intelligũtur tãtum bellica, id est, quæ sunt vna species armorum generatim sumptorum in l. armorum. ff. de verb. sign. principaliter ad pugnam facta, vel destinationis animi ad eam designata, quorum posterius dico propter ligna, trabes, ferrum, & alia metalla, quæ non sua forma artificiali, sed prava deferentis intentione destinantur ad pugnam, conficiendo ex eis naues, vel alia instrumenta pugnæ accommoda, & consequenter in hac clausula continentur non solum offensiua vt lanceæ, enses, pugiones, bombardulę, seu sclopi, cultri, & etiã cultelli: quia suapte natura sunt ad pugnam apti, quamuis ob paruitatem aliquãdo pro subiecta materia non dicãtur arma, sicut nec lapides nec alia defensiua, vt post alios dixit eruditissimus Andr. Alciatus in d. l. armorum. cuius titulum commentarius ob reconditam eruditionem suspiciendis, illustrauit. Non, inquã, solum offensiua, sed etiam defensiua, vt cassides, loricæ, scuta, peltę, clipei, & id genus alia. argu. l. 1. C. quæ res asport. non deb. Arma vero illa, quæ per se non sunt bellica, qualia sunt lapides, & fustes & baculi, non includunt plusquam aliç merces, nisi cum intentione deferentis destinantur mediate, vel immediate ad pugnam.

Quinta quòd per ferrum intelligendum videtur factum, & infectũ, arg. d. l. 1. C. quæ res asport. non deb. non tamen vena ferri, vel auri, vt dixi in dict. repet. contra Syl. verb. excommunicatio. 7. cas. 11. quamuis etiam illa includeretur, si deferretur intentione, vt ex ea fieret ferrum, & ex ferro arma pugnæ accommoda, per prædicta.

Sexta, quòd per aurum, argentum, & alia metalla, etiam intelligũtur facta, & infecta l. cum aurum. & l. Quintus Mutius. §. 1. ff. de aur. & argen. lega. Et quamuis, vt ibidem diximus in legatis eorum appellatione non continẽtur nummi, & pecunia signata: non tamen video iustã rationẽ, quare sic magis metalla ad pugnandum inepta vetentur deferri, quam pecunia signata, quum hæc aptior sit ad arma comparanda, quam illa, & cum si ratione mercimonij permitteretur, eadẽ ratione quæ hęc etiam illa deberent permitti. Per bellica instrumenta videntur intelligi, timpana, fistulæ, litui, cornua, & tubæ. Per lignamina, intelliguntur trabes, & alia ligna nauibus, & triremibus, & aliis instrumentis bellicis fabricandis opportuna: quãuis in d. cap. ita quorundam, restrictius lignamina galearũ prohibeantur, vt ibi dixi. Per funes videntur intelligi non solum linei, & canabei, sed etiam lanei & sparteiquia dictũ generaliter est intelligendum. l. de pretio ff. de pub. in rem. act. & cap. solitę. de maior. Quod autem naues, & triremes contineantur, probat cap. ad liberãdam de Iudæ. & illud Aristo. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* authen. multo magis. C. de sacrosanct. eccles. & lignamina prohibentur ne inde naues fiant: ligna vero ad ignem fouendum non vetantur magis quam aliæ merces, vt vbi supra dixi. Per, *Turcis, &c.* non videtur includi hæretici, neque Iudæi, neque gentiles, quibus cum non est bellum Christianis, quia nec mens, neque ratio, neq; verba clausulæ, videtur eis conuenire, nec Turcæ, & Saraceni qui nos contra alios Turcas, vel Saracenos iuuarent: vt videtur contigisse, quando Carolus V. Regem Tuneti ab ea eiectum restituit, & contingere potest quoties populus aliquis Christianus in suam iustam & necessariam defensionem sociaret sibi aliquot infideles iuxta Oldr. consi. 71. probatum à Ioan. Andr. in rubr. de Iudæ. An autem excusetur princeps, dux, vel præfectus vrbis vel castri donans vnum vel alterum equum, ensem, hastam vel sclopum in gratiam cuiuspiam beneficij accepti, vel spe accipiendi, dubitari potest, quia verba eum includunt, sed credi potest excusari ex defectu non quidem verborum sed mentis, arg. l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronat. Per illa verba *quibus Christianos impugnant*, videtur significari esse necessum ad violandam clausulam, vt deferentes hoc malo animo deferant: quod est falsum, & ad hanc inductionem res ponderari potest, quod hæc verba potius ponuntur ad demonstrandũ factum communiter solitum, quã ad significandũ necessitatem tam praui animi: nemo enim excusatet mercatorem deferentẽ multas hastas fraxineas, multas cassides ferreas, & sclopos Turcis, solo animo lucrãdi, desiderando, immò paciscendo, ne vnquã eis contra Christianos vterẽtur.

Septima, quòd Christiani metu mortis aut verberum remigantes in triremibus Maurorũ, etiam contra Christianos, non videntur excommunicati, vi in dicto cap. ita quorundam. not. 2. probamus: quamuis à mortali peccato nesciamus vllatenus excusare, quod ægerrimo animo fero, quum hoc consequatur non posse eos vnquam absolui, neque iuste communicare, antequam firmiter proponant se nunquam ita remigaturos, etiam si ob id oporteat oppetere mortem, per d. supra. cap. 1. num. 21. Remigantes autem etiam sponte, vel regentes eorum naues contra alios infideles, nec excommunicantur, nec peccãt: quia dictũ cap. ad deliberandam. de regentibus eorũ naues contra Christianos intelligendum videtur, argum. à cessatione rationis & mentis legislatoris l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patr. Nona fertur in hæc fere verba.

64 *Excommunicamus omnes impedientes, siue inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt. Ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur impediunt, seu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt, aut soluere faciunt, seu hæc facientes defendunt per se, vel alium, seu alios, cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status: ac etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.*

Declara prima, quòd includit omnes Christianos, qui faciũt aliquod in ea contentorum.

Secunda, quòd non comprehẽdit eos, qui ob vtilitatem sũæ Reipub. iuste prohibent victui necessaria, aut peste grassante in Curia suis ad eam proficisci cum commeatu, &

Universidad de Deusto

similibus:quia non intendunt impedire:licet ex eo per accidens id consequatur, vt dixit recte Caiet.vbi supra.cap.19. verb. excommunicatio. facit l.si quis nec causam.ff. si cert. pet. & cæcus dubium. de sentent. excommunic. Decima fertur in hæc verba.

65 *Excommunicamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depræ dantes Romipetas, seu peregrinos ad vrbẽ causa deuotionis, seu peregrinationis. Et prorsus omnes alios, ad Sed. Apost. accedẽtes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consil ũ, vel fauorem.*

Declaratio prima, quod hæc clausula includit veniẽtes ad vrbem, vel ab ea recedentes causa deuotionis vel peregrinationis, quos non includebat Bulla eiusdem D. N. quam exposuimus in Man. latino, nisi quãdo in ea maneret Sedes Apost.

Secunda, quòd includit omnes venientes ad Sed. Apost. & recedentes ab ea, siue maneat Romæ, siue foris: non tamen veniẽtes Romã, alia de causa, quàm deuotionis, & peregrinationis ad eam veniant: neque venientes ad vrbem, vbi extra illam fuerit Curia, si alio respectu quàm Sedis Aposto. iuerint ad eam, vel recesserint ab ea. arg. nor. in cap. ego N. de iureiur. verb. limina. iuxta declarationem Ioan. Andr. Panor. & Felin.

Tertia, quòd non includit eos, qui vadant, degunt, aut redeunt, à loco vbi est curia, si non proficiscãtur, versentur, aut reuertantur ratione curiæ, si illa non est Romæ. Caie. vbi sup. cap. 14.

Quarta, quòd ad hanc incurrendã non oportet, quod id faciens careat iurisdictione, quod requirebat Bulla in alio Manu. exposita saltem quoad aliquos.

Quinta, quòd propositum percutiendi seu interficiendi, quod sufficit ad peccatum mortale, nõ sufficit ad incurrendum hanc cẽsuram, ob percussionem, vel intersectionem, imo est necesse, quod concipiantur tempore animi pacati, vel tranquilli, iuxta Caie. vbi supra: quanquam nostra sententia, satis est vt concipiatur etiam tempore turbati & irati: modo concipiatur ante rixam, & tẽpus percussionis vel mortis: quia per hoc seruatur proprietas seu specialitas, quam hæc clausula significat in hoc cap.

Vndecima fertur in hæc verba.

66 *Excommunicamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam, vel delegatam eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.*

Duodecima fertur in hęc verba.

67 *Excommunicamus interficientes, mutilantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Sedisque Apostolicæ legatos, vel Nuncios, aut eosdem eijcientes à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, eaque mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.*

Declar. prima, quòd ob singula horum septem admissa contra Cardinales incurritur hæc excommunicatio.

Secun

Secunda, quòd quo ad cap. fœlicis. & pœnas in eo contentas exæquantur Cardinalibus Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati, seu Nuntij sedis Apost.

Tertia, quòd licet hic expresse non dicatur quòd facientes prædicta contra Patriarchas, Archiepiscopos, & cap. incurrant censuram bullæ, cum censura prædicti cap. fœlicis. non sit de se censura bullæ: de mente tamen S. D. N. videtur fuisse, vt censeretur censura bullæ. Tum quia intendit in hoc æquare illos Cardinalibus. Tum quia Pius V. in sua bulla expresiè excommunicauit iniuriantes eis, sicut iniuriantes Cardinalibus.

Quarta, quòd hæc censura includit etiam eijcientes à terris suis legatos, & Nuntios sed. Apost. Patriarchas, Archiepiscopos à suis diœcesibus, eaque mandantes, consulẽtes, & ad id auxiliantes. Ita quod latius prouidetur iis quo ad hoc, quã Cardinalibus, quatenus sunt Cardinales, & non legati, vel episcopi.

Quinta, quòd hic videtur prouisum contra illos iudices seculares, qui cum episcopos non parentes suis iussis non possunt capere, neque punire, iubent eis, vt e regno exeant: ob quod non solum iubentes, sed & lictores iussa exequentes, & opem ad id ferentes, immò & consulentes ligantur: iubentes autem exire curiam regis, vel alium locum, qui non esset eorum diœcesum, esto male facerent, non tamen hac censura ligarẽtur: quia neque eius verba, nec eadem ratio eis aptantur.

Sexta, quòd excusatur ab hac cẽsura, qui defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ, aliquid horum facit l. vt vim. ff. de iusti. & iure & l. 1. C. vnde vi. & qui probabiliter ignorans faceret aliquid in prædictos noctu, vel etiam interdiu habitu alieno repertos arg. cap. 2. de constitut.

Septima, quòd per hãc clausulam cessat quo ad principalia vetita id quod in Hispano innueram, scilicet, quod clemen. si quis suadente. de pœnit. largius prouidebat episcopis, quam bullæ præcedentium Pontificum, eo quod illa prouidet contra bannientes, quod prædictæ bullæ non faciebant: cessat inquam: quia hæc prouidet etiam contra eijcientes, quod est generalius, quam bannientes. Immò etiã videtur cessare quo ad accessorias: quia tria illa verba, scilicet mandantes, seu consiliũ vel auxilium præstantes, includere videntur omnia, quæ plura verba illius clem. continent. Nam per mandantes comprehenduntur ratum habentes. cap. ratihabitionem. de reg. iur. lib. 6. & per consilium, & auxilium cætera: nam & defensare, & socium esse comprehenduntur sub auxilium præstare.

Octaua, quòd episcopus dicitur qui est consecratus, & non qui solum electus, præsentatus, confirmatus, institutus, aut prouisus, etiam si iam adeptus sit possess. per gl. solem. in clem. dignum. de celebr. missa. & alia multa citata per Fel. in cap. eam te. de rescript. Decima tertia fertur in hæc verba.

68 *Excommunicamus illos, qui per se, vel alium seu alios, quascunque personas ecclesiasticas, vel seculares ad dictam*

Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, illasque in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, aduocatos, & agentes, eorum, seu etiam auditores, vel iudices, super dictis causis vel negotiis deputatos, eccasionesque eorumdem, vel negotiorum huiusmodi verberant, mutilant, occidunt, bonis spoliant: seu qui per alium, seu alios, directe vel indirecte prædicta exequi, procurare, aut eisdem consilium, auxilium vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint. Ac etiam omnes tam ecclesiasticos, quam seculares cuiuscunque dignitatis, qui prætextes frivolâ quandam appellationem à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, & in forma breui, tam gratiam quàm iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium & aliorum decretorum, à nobis & à sede prædicta, seu legatis, Nunciis, Præsidentibus, Camera Apostolica Auditoribus, Commissariis, aliisque iudicibus, & delegatis apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs ad curiae seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam fisci procuratore appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & retineri faciunt, quæ illa simpliciter, vel sine illorum beneplacito, consensu, vel examine executioni demandare, aut ne tabelliones, & notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest tradere deleant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu earum agentes, notarios, executores, & iudices executores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, excommunicationibus, locis, & regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per se vel alium seu alios, publicè vel occulte, seu capi, carcerari, detineri, vulnerari, ministrosque agitari faciunt. Quæ aliàs quibuscunque personis in genere, vel in specie ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur directè vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

Declar. prima, quòd hæc clausula includit primum impedientes cursum causarum ad Curiam, vel in Curia.

Secunda impedientes executionem literarum cuiuscunque sedis Apostolicæ.

Tertia tractantes male personas illas agentes, & impedientes dari instrumenta super his petita.

Quarta impedientes impetrationes literarum gratiæ, vel iustitiæ à sede Apostolica.

Quinta, quòd non est necesse ad incidendum in censuras huius clausulæ, vt prædicta impedimenta fiant authoritate iudiciaria laicali: sed sufficit, vt fiant priuata, vel ecclesiastica. Tum quia id patet quoad primam & secundam partem, & quoad eos qui procurant, vt superiores ponant impedimenta prædicta. Tum quia non est cur excusetur ecclesiasticus, qui auctoritate ecclesiastica intimantem, citantem, & alia iussa Sed. Apost. implentem, capit, coniicit in carcerem vel verat ne instrumenta super exequutis à se præstet. Tum quia nulla verba eius id indicant, neque vlla ratio concludit, & ita vt est generalis, generaliter intelligi debet. capit. si Romanorum. 19. dist. l. de pretio. ff. de public. in rem actio. Tum quia id, quod contra sentit Caietan. potest intelligi de contentis in §. sequen. Sexta quòd hæc excõmunicatio includit multos alios quos non includebat Bulla prædicta in Manu. latino exposita, vt patet legenti. Decimaquarta fertur in hæc verba.

69 Excommunicamus omnes, & singulos cancellarios, vicecancellarios, & consiliarios ordinarios, & extraordinarios, quorumcunque Regum & Principum, ac præsidentes cancellariarum, consiliorum & parlamentorum, necnon procuratores generales eorumdem, vel aliorum Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, quocunque nomine nuncupentur, aliosque iudices tam ordinarios quàm delegatos, nec non Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commendatarios, vicarios, & officiales, qui per se vel alium seu alios auctoritate propria, & de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales annexas ab auditoribus & commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis auocant, illarumue cursum, & audientiam ac personas, capitula, conuentus, collegia causasque ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt, qui que partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum, eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, vel exequutionem literarum Apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, aut decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos (vt dicunt) supplicauerint, aut supplicari fecerint: nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur.

Decimaquinta fertur in hæc verba.

Et qui ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia ecclesiarum quarumcunque, coram se ad suum tribunal, audientiam, concilium, consilium, vel parlamentum, præter iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe vel indirectè quouis quæsito colore. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quauis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu literarum Apostolicarum vsu non receptatarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint,

cerint, ordinauerint, & publicauerint, vel facti, & ordinarii vsi fuerint: vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur seu nostrũ, & dictæ sedis, ac quarumcunque ecclesiarum iudicium quemodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Decimasexta fertur in hæc verba.

Necnon qui Archiepiscopos, episcopos aliosque superiores, vel inferiores prælatos, & omnes alios quoscunque iudices ecclesiasticos ordinarios qui modolibet impediunt, quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundum quod canones, & sacræ constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt. Ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam delegatorum quorumcunque sententias & decreta, aut aliàs fori ecclesiastici iudicium eludentes ad cancellarios, & alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Decimaseptima fertur in hæc verba.

Et qui iurisdictiones seu fructus, reditus, & prouentus ad nos, & sedem Apostolicam & quascunque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, vel etiam quauis occasione vel causa sibi Romani Pontificis vel eorum, ad quos de iure pertinent expressa licentia sequestrant.

Decimaoctaua fertur in hæc verba.

Et quæ collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis, prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic impositam etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon qui per se vel alium, seu alios, directè, vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut eisdem, auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum, seu suffragium, palam, vel occultè præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alij potentatus quicunque, etiam regnis, prouinciis, ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, aut quauis etiam pontificali dignitate insigniti innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranensi nouissime celebrato, quàm aliis conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis. Sequuntur declarationes harum quinque censurarum.

76 Declaratio prima, quòd in hãc censuram non incidunt nisi qui auctoritate iudiciali, & laica hic vetita faciunt, vt sub finem primæ partis huius clausulæ exprimitur.

Secunda, quòd per, *Pretextum violentiæ*, includit impedientes exequutionem

tionem literarũ apostolicarũ, iustitiæ, vel gratiæ specie tollendæ violẽtiæ, quales an sint semper vel quãdo impediẽtes eam post appellationem vel supplicationem in tempore, & forma interpositam, quæstionis est, vt quotidianæ, ita maximæ dignissimæque quam summa ecclesiæ potestas, summa sæculari audita determinet: quanquam satis videtur hic determinari, quo ad eos, qui propter illas nullatenus ad tribunal eius, ad quem supplicatur, vel appellatur adductas, vel adducendas impediunt. Quod etiam video pro re indubitata haberi in Hispaniis & Gallis posse regulariter Reges defendere possidentes colorato titulo beneficia ecclesiastica, ne absque iusta causæ cognitione deturbẽtur, vel spolientur, virtute illatum literarum etiam apostolicarum. Quod vt vbique ferè in illis regnis seruatur, ita multi iure munire conantur: an verò satis muniant necne S. D. N. diffinitioni remitto, licet videatur non posse iure probari consuetudinem illam quorundã recentiorum, qui decernunt bene, vel male esse appellatum ab interloquutoriis ob actus, quos iudices à quibus, facient vel desinent facere post appellationes ab eis interpositas: cum omnis sententia interloquutoria, ex solis ante illam actis sit approbanda, vel reprobanda, vt notat glos. fin. recep. in cap. cum appellationibus. §. si vero. de appell. libr. 6. per l. per hãc. C. de tẽpor. appel. quo facto appellationum prosequutio perinde negligitur, ac si à iudicibus ad quos appellatum est tertia sententia lata esset: quamquam prosequutionem appellationis nil innouato minimè impediant.

Tertia quòd per verba illa, *Præter iuris canonici, &c.* nouè addita, excluduntur ab hac censura iudices sæculares, qui in casibus à iure permissis vocant ad sua tribunalia ecclesiasticos.

Quarta, quòd quarta pars huius clausulæ videtur noue inserta in fauorem iudicum ordinariorũ, & merito, cum ordinaria iurisdictio sit fouenda, & fauorabilis, iuxta glos. solemn. & recept. clem. 2. de offic. ordi. per quam videtur reduci ad bullam excommunicatio. capit. quoniam. de immunit. eccles. vt super ea infra dicetur.

Quinta, quòd per eãdem partem innouatur Concilium Triden. sess. 25. c. 20. quod grauiter horrarur Imperatores, Reges, & quoscũque alios regulos, & dominos, vt maiores suos imitari, ecclesiam sanctam, & cultum Dei, ministrosque illius, quo à Deo prospera recipiant, obseruent.

Sexta, quòd per illa verba quintæ partis, *Quisue iurisdictiones, vel*, prouidet indemnitati fructuum ecclesiasticorum, cui vt sit locus debẽt concurrere quinque. Primum quòd sint reditus ecclesiastici, & non profani, etiam si ad ecclesiasticum pertineãt, iuxta Caietan. vbi sup. capitul. 27. quod est intelligendum de bonis non pertinentibus ad eum, quatenus est ecclesiasticus, neque ratione beneficij, argum. capit. nouerint. 10. quæst. 1. & capit. cum dilectus. de iurepatro. Secundum, quòd capiantur tanquam reditus ecclesiastici. Tertium quòd pertineãt ad aliquẽ. Quartum, quòd capiantur absque licentia

licentia Papæ. Quintum, quòd capiãtur auctoritate,& potestate vsurpata iuxta Caietanum vbi supra. Quare latrones & milites, qui rapiunt eos vt quælibet alia bona,non incurrunt hanc censuram: neque qui minuta, portoria siue pedagia exigunt à clericis, sicut ab aliis laicis, nulla habita ratione fructuum, aut bonorum ecclesiasticorum, neque qui capiunt eos tempore vacationis:quia nullius sunt personæ veræ secundum Caietanum, cui non assentior. Tum quia nemo dixerit, quòd capientes fructus sedis Apostolicæ vacantis, non contineantur ob contenta in 16. excommunicatione, neque eadem ratione capientes bona conuentuum, monasteriorum, neque communia cõuentui & prælato, quæ tamen ad nullam personam pertinent. Tum quia fructus vacationis tempore obuenientes pertinent ad successorem, & durante vacatione ad commendatarium, vel œconomum, vt late dixi in cõment. capit.non liceat.11.quæst.1.Tum denique, quia potest dici quòd verbo, *personæ*, hic posito significãtur etiam fictæ ob paritatem æquitatis, & rationis, argu.gloss.solennis in capit.si postquam.de electio.libr.6. Decima nona fertur in verba.

71 *Excommunicamus omnes,& quoscunque magistratus.senatores, præsidentes, auditores, & alios iudices quocunque nomine vocentur, ac cancellarios, vicecancellarios, notarios,scribas, ac executores, & subexequutores, & alios, quoquomodo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas hamiendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum, à sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunque tenoribus, & formis in genere, & specie concessorum quibuscunque Regibus, Ducibus, Principibus,Rebuspublicis, Monarchiis, Ciuitatibus, & aliis quibuscunque potentatibus, quocunque nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritum reuocando.*

Declaratio prima, quòd hæc excommunicatio fertur ad tuendam iurisdictionem ecclesiasticã in causis criminalibus, sicut superior ad tuendam in ciuilibus.

Secunda, quòd tollit priuilegia data etiam Regibus, per quod dubitari posset de iudicibus Galliarum, qui iudicant clericos pro portu siue delatione armorũ, & aliis casibus, quos vocant priuilegiatos:equidem arbitror difficile eos ab illis abstenturos, siue quod præsupponant priuilegia illa esse remuneratoria obsequiorum à se magnis impensis, sanguinis, & fortunarum præstitorum: siue quòd sint immemorialia, & super criminibus leuibus concessa, argument.eorum, quæ notat Innocent.in capite nouit.de iudi.cum late additis ibi à Panormitano,Felyno & Decio, siue alia, quæ an audiri debeant iudicio S. D. N. relinquo.

Vigesima fertur in hæc verba.

72 *Excommunicamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios directe, vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere aut inuadere*

uadere hostiliter præsumpserint in totum vel in partem Almam Vrbem, regnum Siciliæ,Insulas Sardiniæ,& Corsicæ, terras citra Pharum, patrimonium B.Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum,Comitatum Venaissinum,Salmensem,Marchiæ Anconitanæ, Massæ,Trebariæ, Romandiolæ, Campani, & maritimas prouincias illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, ciuitatẽsque nostras Bononiam, Cesenam, Arriminum, Beneventum, Perusium, Auinionem,Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias ciuitates,terras, & loca vel iura ad ipsam Romanecclesiam pertinentia, dictaque Romanecclesiæ mediate,vel immediate subiecta: quinc supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare,retinere, & vexare variis modis præsumunt: necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet præstantes.

Vigesimaprima fertur in hæc verba.

Item,omnes & singulos supellectilium, librorum,scripturarum, & bonorum Cameræ, & palatij Apostolici ex eodem palatio infirmitatis Roman.Pontificis Sedis Apostol.vacationis tempore ablatores, & illorum detentores, ac quoscunque alios, ad quorum manus bona prædicta quorunque titulo, & quauis causa scienter peruenerint.

Declaratio,quòd includit factionem, quæ exittens extra aliquas ciuitates Papæ & vi armata irrumpit in aliquam earum, iniuncta altera factione,intra eam existente per rationes Caietani d.c.17.

Sequitur §.*Volentes*,in quo statuitur, vt hæc bulla non expiret lapso anno,nec alio modo, donec addatur alia noua,in hæc verba.

Volentes præsentes,ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut Roman. Pontif.pro tempore existente, fiant, aut publicentur durare,suosque effectus omnino sortiri.

Sequitur §.*Cæterum*.continens reseruationem harum censurarum.

Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Roman. Pontif.nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de standoecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium, & militiarum regularibus, etiam episcopali, vel alia maiore dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum monasteriis, conuentibus, & domibus, ac collegiis, confraternitatibus, congregationibus,hospitalibus, & locis pijs necnon laicis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fungentibus, per nos & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis,aut alia quacunque scriptura, in genere & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Declarat prima,quòd hæ censuræ includunt omnes, etiam Imperatores,& Reges,& vniuersitates, quibꝰ illæ sunt aptæ:& quòd nulla cõsuetudo etiam immemorialis, nec præscriptio quælibet lõgissimanec priuilegium etiam per viam contractus,vel remunerationis concessum contra eas prodesset. Secunda,quòd satisfactio sufficiẽs,de qua loquitur.

est

est intelligenda ex limitatione de qua supra cod. cap. num. 43. & quod priuilegium in remuneratione, vel contractum concessum, ex causa reuocari potest; quæ communis opinio est in c. nouit. de iud. & in c. 1. de probat. An autem derogetur Concilio Trident. dicitur infra cod. cap. num. 254.

Sequitur §. *Quod si forte* contra absoluentes ab his censuris.

73 *Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis pœna innodamus: grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.*

Declarat. prima, quod non comprehenditur hac censura confessarius, qui obliuione, incogitantia, aut ignorantia non crassa absoluit: quia fertur contra præsumentem absoluere, de quorum numero non est qui sic absoluit, per ea quæ diximus in repet. cap. accepta. de restit. spol. oppositt. 8. numero 32. post Cardin. in clemen. 1. de priuil. quæstio. 39. & per dicta Caietani in summa verbo excommunicatio c. 58. & 81.

Secunda, quòd absolutio huius excommunicationis non est reseruata Papæ, vt ex litera patet, sicut ex bulla Martini V. quam ponit S. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 70. quamuis contrarium visum fuerit Felino in cap. pastoralis. §. præterea. colum. 3. de offic. ordin. & Caieta. vbi supra cap. 77.

Tertia, quòd ab ea potest absoluere ordinarius, siue illa, & aliæ latæ in bulla putentur latæ à iure, siue ab homine: quia sunt generales, per dicta supra eo. num. 43. Equidem latas in bulla Iulij III. quam in Man. Hispano exposui, iudicaui esse latas ab homine: quia bulla illa non habebat vim legis, quæ perpetuat cap. fin. de offic. delega. sed præcepti, quod cum præcipiente finitur, vt in dicto nume. 43. dictum est. & has latas per S. D. N. potius putarem dicendas latas à iure: quia voluit eas non finiri sua morte, quæ vtinam ante dies Petri non contingat. Amen.

Sequitur §. *Declarantes.* in quo absolutio restringitur, & protestatio magna adiicitur.

74 *Declarantes ac protestates quamcunque absolutionem etiam solemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint: ac quoad eos, qui contra libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint ex archiuis, capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur deleri, cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantecunque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque inris Sed. Apostol ac S. R. E. vndecunque & quomodocunque quæsitis vel quærendis*

dis nullatenus præiudicari posse seu debere.

Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus, & aliis cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis alia etiam mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, prouinciis, ciuitatibus seu locis à prædicta Sede ex quauis causa etiam per veram contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de verbis dictis nominibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorum mentionem. Nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet obseruantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus ac sententias, quo minus includantur in eis, se iuuare valeant vel tueri: quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserentur præsentibus, pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus: cæterisque contrariis quibuscunque.

Vt vero præsentes nostri processus ad communem notitiam facilius deducantur, chartas seu membranas processus ipsos continentes valuis ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe appendi facimus, quæ processus ipsos quasi sonoro præconio, & patulo indicto publicabunt. vt ij, quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare: cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Insuper vt processus ipsi, ac præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum ordinariis Prælatis, & Rectoribus vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios præsentes literas postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam semel in anno, aut si expedire viderint etiam pluries, in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicentur, & ad Christi filium mentes reducant, nuncient. & declarent.

Cæterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos Episcopos, aliosque locorum ordinarios, & ecclesiarum Prælatos, necnon Rectores, cæterosque curam animarum exercentes, ac præsbyteros sæculares, & quorumuis ordinum regulares, ad audiendum confessiones quauis authoritate deputatos, vt transumptum harum litterarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

Volentes earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu publici manus scriptis, & sigillo Iudicis

ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, innouationis, mandati, hortationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, pridie Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno vndecimo.

De excommunicationibus reseruatis Papæ non contentis in bulla Cœnæ.

SVMMARIVM.

75 *Excõmunicatio prima reseruata Papæ extra bullam Cœnæ in canonum transgressores. Secunda in percussorem clerici nu 76.*

77 *Clerici percussio quæ excommunicat, & quæ non, à numero 80 & qui clericus quoad hoc. numero 79.*

88 *Absolui qui possunt ab episcopo à canone si quis suadente. 17. quæst. 4. ob enormem percussionem, & qui ob mediocrem, & quod omnes possunt ob leuem, vsque ad nu 94.*

91 *Percussio enormis, mediocris, & leuis, quæ dicantur, nu 92.*

75 PRima in c. nulli fas. 19. dist. in transgressores Canonum: sed quia restringitur ad eos, qui transgrediuntur negando Papæ potestatem ad condemnos eos, hæc reducitur ad primam bullæ Cœnæ.

76 Secunda in cap. si quis suadente. 17. quæst. 4. per hæc fere verba. *Si quis suadente diabolo iniecerit manus violentas in clericum, vel monachum, subiaceat excommunicationi; & à nullo episcopo absoluatur; & conspectui Apostolico non repræsentetur, nisi in articulo mortis.*

Declaratio prima, quòd illa particulari, *Si quis*, comprehendit viros, fœminas iuxta gl. eius approbatam, iuuenes, & senes cuiuscunque ætatis habentes iudicium ad peccandum mortaliter, cap. 1. cap. mulieres. & c. pueris. de sent. excom. iuncta glo. & etiam clericos, laicos, religiosos, cap. de monialibus. & cap. cum illorum. eod. tit. Secunda, quod ex illis verbis, *Suadente diabolo*, colligitur, quo iniectio manus debet esse illicita, & adeo quidem, vt sit peccatum mortale: quia nemo incurrit in excommunicationem maiorem per canonem, vel hominem generaliter latam; nisi peccet mortaliter, iuxta dicta supra eod. c. nu. 9. per c. nemo. & cap. nullus. 11. quæst. 3. Nec sufficit vt iniectio sit mortalis; nisi fiat suadente diabolo, vt ait Card. in dicto. cap. si quis suadente. quæst. 3. ar. 1. licet id raro contingat: contingit tamen aliquando vt dicitur infra num. 80. quidquid dicat Cardin. ibi in art. 1. quia nostro iudicio raro contingit casus, in quo iniectio sit lethale peccatum, & non sit satis animi mali ad inferendum iniuriam, per quam incurratur hæc censura: nisi quando percussor ignorat percussum esse clericum.

Tertia, quòd non sufficit conatus ad percutiendum, sed requitur percussio iuxta glo. recept. in cap. si quis pulsatus. de pœnit. dist. 1. vbi, & in c. si quis non dicam. eod. dist. idem diximus. Nec requiritur, quòd iniuria sit immerita: sed sufficit quòd immeritò, vel iniusto modo, vel per quem non debet, irrogetur. cap. vniuersitatis de sent. excom.

Quarta, quòd per, *manus*, intelliguntur etiam pugni, brachia, pedes, genua, & alia quælibet pars corporis, quia nõ exprimuntur manus,

77 vt excludantur reliqua membra; sed quia est instrumentũ aptius ad percutiendum, & comprehenduntur omnes partes corporis, arg. gloss. singul. cle. 1. de rescriptis, verb. præsidentes.

Quinta decla. quod dicitur manus violentas iniicere clerico, aut immediatè, aut mediante instrumento iniicit ei, aut rei eũ tangenti, & per consequens qui eum percutit ense, baculo, aut aspergit puluere vel aqua, saliua, aut alia re simili, iuxta gloss. sing. in d. c. si quis. & etiam qui eripit è manibus, aut corpore aliquid vi, & qui capit, in carcerem cõiicit, aut includit aliquo loco, vnde egredi nisi cũ pudore non potest, aut ad frænos equi manus admouet, aut eum absindit cingulũ ephippij, aut eum adeo furiosè persequitur, vt cogat se dare præcipitem in flumen, vel aliud discrimen ad se liberandum, iuxta mentem text. & Inn. & communis, in cap. nuper. de sent. excom. gl. & aliorum in d. c. si quis. Palud. id d. dist. 18. & omniũ aliorum ibi. & S. Ant. 3. part. tit. 24. sed non si aliàs fugiẽs cadit, & vulneretur, iux. S. Anto. in d. cap. 1. §. 1. col. fin. quem sequitur Syl. ver. excommunicatio 6. nor 3. cas. 7. quamquam Ang. verb. excommunicatio 5. cas. 1. §. 10. contra teneat.

78 Sexta declaratio, quod sufficit mandare hanc iniectionem, si ea consequatur, per dict. cap. mulieres. de sent. excom. vel consilium, auxilium, vel fauorẽ ad id præbere argu. cap. quantæ. de sent. excom. per locum à fortiori: aut ratificare eam, si eius nomine facta fuit, alias non c. quum quis. de sent. excom. lib. 6. cum ei anno. quamuis enim prædictus canon de solo iniiciente loquatur, extenditur tamen ad prædictos tatione tacta supra eod. c. nu. 51. Idem si non iussit; sed dixit suis ie vindictam eius expetere, credens vel credere debens, quod ex hoc illi mouerentur ad percutiendum: quia licet non dicat eo animo, præuidere tamen debebat eos eo animo dictum puturos, argum. cap. pen. de homicid. lib. 6. Item qui ex officio possunt, & tenentur propulsare percussionem, & non propulsant d. cap. quantæ. & communis ibid. Caietan. verb. excom. cap. 10. Imo quo ad forum exterius quilibet alius, qui videt facinus esse manifestum, & se posse commode obuiare, & non obuiat, per d. c. quantæ. noue declaratũ per nos in c. non in inferenda. 23. q. 3.

& supra eod.cap.24.nu.17. Et etiam ministri iustitiæ laicæ, qui inquantum tales percutiunt eos;nam etiam si leuiter percusserint, ad Papam sunt remittendi,iuxta Panor. in cap. si vero. id est, de senten. excommu. & Stepha. in repet. clem 1. de offic. ord. reg 3. fal.3. Imo & ipsemet clericus qui se iratus percutit, argum. cap. si non licet 23. quæst. 5. cum limitatione posita supra cap.15. nu. 11. sed consentiens vt ab alio percutiatur non est excommunicatus:quanquam potest excommunicari per c. contingit. 1. de senten. excom. quod probat consentientes se percuti excommunicandos esse.

79 Septima declaratio, quod per, *Clericum*, intelligitur non solum qui sacro ordine, sed etiam, qui prima tonsura est insignitus cap. cleros. 21. distin.cap.perlectis 25. distin. & cap. cum contingat. de ætat. & qualit. quamuis sit coniugatus, modo cum vnica,& virgine,& gestet habitum, & tonsuram clericalem c. 1. de cler. coniug.lib. 6. & quamuis sit excommunicatus,suspensus,irregularis, & etiam depositus verbo, nisi sit degradatus realiter, iuxta Panorm. & Commun.c.ex parte de cler.coniug. vel incorrigibilis cap. cum non ab homine.de iudic.

Octaua declaratio,quod per,*Monachum*, intelligitur quilibet religiosus religionis approbatæ, cap. cum illorum. de sen. excom. & quælibet religiosa cap. de monialibus. eo. tit. quilibet item conuersus, aut nouitius alicuius religionis approbatæ c. non dubium de sent.excom. cap. religiosus. eo tit.lib.6. & etiam ij quos appellant Beguinos, & fratres tertij ordinis S. Dominici,vel S. Francisci, qui viuunt gregatim, & gestant habitum religionis, vt sentit Rot. decisio.312.in antiq. & dixit Fely. in cap. 2. de foro compe. & in lib. quando literæ Apostolicæ,&c. limit.4 quanquam aliud dicat Caiet.in d. cap.10. quod verum esse posset iuxta ius commune ,sed non iuxta priuilegia,& consuetudinem, & stilum Ecclesiæ Romanæ. & etiam Eremita, iuxta glo. cap. qui vere. 16. quæst. 1. quæ vera est, si sic subiectus est alicui superiori, vt gaudeat hoc priuilegio Sylu. verb.ecclesia.q.5. & verb. eremita.q 1.

Nona declaratio, quòd in articulo mortis non solum Episcopus, vt hic habet, sed etiam quilibet alius sacerdos simplex, si episcopus adiri non potest, potest absoluere ab hac excommunicatione,& à quauis alia per supradicta c.26.num.26 & quòd articulus mortis definitur supra cap. 2.num.8.

Quæ manus iniectiones non excommunicant.

80 Sunt autem multæ manuum iniectiones in clericum ab hac censura exemptæ. Primæ iocosa & ludicra,cap.1. de sent. excom. etiam grauis,intra tamen fines ludi vel extra, modo non sit dolosa,& subita turbati animi,iuxta mentem Richar.in 4. dist. 18. art. 12. q. 5. quia id non facit suadente Diabolo,quòd exposcit dictus canon, vt dictum est nu. 76. Secunda, probabili ignorantia clericatus cap.si vere.2.de senten.excom. aut quia noctu percutit : quamuis rebus illicitis daret operam, quidquid dicat Sylvest. verb. excommu. 6. no. 6.not.4.cas.2.absque textu, & ratione ad id idonea. Dixi, *Probabili*:quia alias non excusaret, vt si vidit tonsuram, & non credidit esse clericum, iuxta glo. dict. cap. si vero 2. Tertia, percussio eius qui ter monitus habitum clericalem non defert c. contingit.2.de sent. excommu. Quarta, & quinta, eius qui se immiscens militaribus, vel secularibus actis, ter monitus non abstinet, etiam si gestet habitum, & tonsuram clericalem cap.in audientia.eo.tit. & c. fin. de vit. & honest. cler. Quæ tamen trina monitio facienda est cum interuallo aliquorum dierum,nec sufficeret vna pro tribus iuxta gloss. cle.1. eod. tit. & Panor. in c. fin. eod. tit.& Ludo.Rom.sing.719. quidquid dicat Bonif.in clemen. 1. de immun. eccle.pag.8.

81 Sexta, eius qui relictis habitu, & tonsura, turpibus, & enormibus se miscet, licet non admonitus, iuxta commu.quam Steph. Auf.in repe. cle.1.de offic.ordin.notab.3. & reg.1. fol.19. dixit se bis vidisse vsitari Tolosæ:etsi Panor.& Card. teneant oppositum in c. perpendimus. de sent. excommu.Septima, bigami cap.1 de bigam.lib.6. Octaua,coniugati etiam cum vnica, & virgine, sed non gestantis vestem & tonsuram clericales c.1. de cler. coniug. lib. 6. Nona, degradati realiter. Decima, depositi verbaliter,& incorrigibilis.cap.cum non ab homine.de iudic. Vndecima, eius qui priuilegium clericale quoquomodo amisit, Steph. Auf. vbi supra regu.3.fall.6. Duodecima, circulatoris siue ioculatoris, & scurræ per annum, vel si ter monitus ante non abstinet cap.1. de vit. & honest. cler. lib 6. Decimatertia, exercentis per se ipsum tabernam, vel lanienam publice, si ter monitus non desistit, cle. 1. de vit. & honest. cleric. Decimaquarta, qua percutit principaliter, vt corrigat tanquam magister, pater, herus, propinquus, senex,aut 82 superior,in ecclesia,cap.1 c.cum voluntas.de senten.excom. cum gl. opt.l.1.ff.de emend.propinquor. modo principaliter non fiat odio, malitia, vel ira: & percussio sit moderata,saltem iuxta suum propositum. & modo castigatus non habeat ordinem sacrum iuxta Panor.in d.c.cum volũtate.nisi sit magister iuxta Ang. verb. excommunicatio 5.§. 10. vel pater iuxta communem in d. c. cum voluntate. quam sequitur Syl. verb. excommunicatio. 6. not.1. part. 18. stricto iure idem posset dici de aliis, cum d.c.cum voluntate. non distinguat, nec vlla ratio ad id cogat. Decimaquinta, inuadentis in suam necessariam defensionem c. si vero. 1. & c.ex tenore.de sent.excommu.aut sui honoris, quando fuga ei esset ignominiosa, Panor.in cap. olim. de restit.spol.& Caiet. in sum. verb. excommunicatio. cap. 10. not. 6 Decimasexta, quæ est necessaria ad iuste recuperandum bona,quæ iniuste capta clericus asportat, vel vi occupat dict. cap. olim. de restit. spol. & qua detinetur clericus debitor fugiens, aut fugam præmeditans ad præsentandum suo prælato iuxta Panor. & communem in cap.cum non ab homine.de iudic.

83 Decimaseptima, qua magister iustitiæ secularis, qui capit clericum in delicto flagranti, vt illũ præsentet suo prælato iuxta Pan. & communem

in d.cap.cum non ab homine. vbi latè post Dec.num 10.diximus,aut in ueritum noctu,modo præsumat probabiliter illum ad quod scelus intendere,alias secus, vt quia fert lumen, vel scelum, vel est persona à tali suspitione omnino aliena, & modo iustum modum in capiendo non excedat, puta si permittenti se sponte capi,& duci quiete,de industria pugnos impingit, aut calcem glo.iuncto tex.c.si clericus de sent. excom.lib.6. aut mittit in carcerem eum,qui offert fideiussionē præsentandi se:quod non potest facere etiā iudex ecclesiasticus,nisi grauitas delicti,vel alia iusta causa id exigat d. cap. si cleros,& ibi omnes. Decimaoctaua,qua volens delinquere arcetur,vel qua liberatur ab inimicis vel alio incommodo cap.ipsa pietas. 23. qu.4 &cap.cum beatus.45.dist.

84 Decimanona,qua in suam necessariam defensionē ei ensem auferr,aut qua cogit equo desilire,quo super eo fugiat,iuxta S.Ant.3.par.tit. 24.cap.1.col.4.Vigesima,inuenti inhonestè cum sua vxore,matre,sorore,aut filia legitima, vel naturali c. si vero. de sent.excom.etiam si mutilet eum,aut occidat,iuxta communem ibidem:licèt Fortuni. contradicat in lib.de vic.fin.illat.11.modo id exeōtinenti,& passione subita faciat Syl.verb.excomm.6. not.4 cas. 16. Dixi, *Cum vxore, matre, vel sorore*:quia secus in cōiunctis remotiori gradu, vel cum filia adoptata secundum communem:sufficit autem quòd inueniat amplexantem, osculantem, aut in loco suspecto,quamuis nō inueniat in ipso ore carnali, iuxta communem,modo fraus absit, quæ non abest quum maritus & vxor cō ueniunt,vt dolo accerseretur ad voluptatem, vt afficeretur iniuria,arg. auth.si quis.C.de adult.

85 Vigesimaprima, qua detinetur clericus domi inuentus honestè colloquendo cum vxore post monitionem,vt ab ea re abstineret,modo nihil aliud mali ei faciat quam detinere spatio 10.horarum continuatū ad tradendum suo iudici, iux.glo. d. cap. cum non ab homine.&l. capite quinto ff ad Liuliam. de adul. Nam si percuxeret,esset excommunicatus, iux.Ang.verb.excōmu.5. §. 19. quod aptius videtur textui d. cap. si vero. quam eius oppositum quod sensit Syl.verb.excom.6.cas.10. Vigesimasecunda,qua mulier percutit clericum de stupro tentantem defendēdæ suæ castitatis causa,modo tentatio fiat facto,&non solo verbo:quia tunc non liceret ei nisi defensio verbalis.Ang.vbi supra § 21.& Steph.in d.reg.3.fal.6.ob quod pridem reipōdi, excommunicationem incurrisse quandam monacham nobilem,quæ impegit alapam clerico quidam nobili,quod eam ex amore formosam appellasset.Vigesimatertia,tam subita vel tam parua quod illata laico non esset mortalis, iuxta sentētiam omnium,quā optimè explicat Caie. vbi sup.cap.10. Vigesimaquarta,qua prælatus capit suum clericum per se vel alium etiam laicum, aut verberat per se,vel alium clericum in pœnam probabili suo iudicio iustam. Dixi, *suum*:quia secus si alienum, argumen.l.fin. de iur. om.iud.& cap. 1.de constit.lib.6.Dixi, *alium clericum* quia licèt possit capere per laicum cap.vt famæ.de sen.excommu.lib.6.

& cap.si clericus.eo.tit. lib.6. non tamen verberare,nisi per clericum vel monachum,neque etiā per alios, si ipse per se commode potest facere d.cap.vniuersitatis de sente.excom. excepto Episcopo,qui nō debet verberare suis manibus cap.non liceat. 86.dist.nisi quādo non adesset alius ad id faciendum.glo. ibid. Vnde sequitur incurrere excommunicationem laicos,per quos iudex ecclesiasticus torquet clericos, nisi deessent clerici ad id idonei, iuxta Panor. in cap.vt famæ.& cap. vniuersitatis & Sylue. verb.excommu.cas.11. quamquam vt dixi aliàs,in d cap. vt famę. ecclesiasticus, qui consuetudinem sequutus torquet, aut cædit clericum per laicum,non est excommunicatus,licèt peccet, vt dixit Aut.in d.reg.3. fal. 2. quia consuetudo etsi non excusat à culpa, excusat tamen à pœna,iuxta glo.in cap.cum venerabilis.de consu.pœna,inquam, saltem ordinaria, licèt forte non ab extraordinaria, vt post Dec.in d. c. 1.de consti.diximus.

87 Vigesimaquinta,qua iuste eiicit ab ecclesia excommunicatum, aut alium diuina officia turbantem cap. veniens.de senten.excommu. & cle. grauis. iuncta gloss. cod.tit. Vigesimasexta, qua eicit è Sede Apostō. eū,qui sine canonica electione Cardinalium eam occupat. cap. si quis pecunia.79.distin.Vigesimaseptima, qua pro munere sibi iniuncto includit, & continet Cardinales conclaui ad eligendum Papam c. vbi periculum.§. præterea.de elect.lib.6. Vigesimaoctaua,qua vult,& tentat ferire etiam iaculando, & non ferit: quia errat.

Quos excommunicatos ab hoc canone absoluit Episcopus.

88 Porrò multi possunt ab Episcopo ab hac excommun.absolui, puta morti propinquus per idem c.si quis suadente.mulier cuiuscunque conditionis sit cap. mulieres.de sent. excommu. mēbra sua captus scilicet claud⁹,cæcus,&c.iuxta Com. ibidē. ægrotus perpetua,vel diuturna ægritudine nequiēs iter facere,puta tertiana,quartana,vel podagra per no. in d.cap.ea noscitur. Rosel. verb. absolutio 2.§.19,qui ante pubertatem eam incurrit,licèt post eam solutionem petat.cap 1.& fi.eo.tit.senex ob cap.ea noscitur.& cap.quamuis.cum eis annot.de sent.excommu. qui iudicio Episcopi videtur non posse ad Sedem Apostō. venire iuxta mētem Inno.in d. cap. quamuis. adolescens cui iter esset discrimini Angel.verb. excommun.5.cas.1.§ 56. quod nullo iure probat,nec Pan.quem citat, ait in d.cap.ea noscitur.pauper aere(qua iter agendo vti non potest) viuens cap.quod de iis.& cap.quamuis. de feren. excommun. quia non tenetur mendicare si aliàs non est mendicus, alioqui sic: nisi mēdicando soleat sibi, & coniugi prouidere,& iter faciendo id præstare non possit,iuxta Ioan And.& Pan.in d. cap. ea noscitur. qui ob inimici.as vel alia iusta impedimenta iudicio boni viri Sedem Apostō.sine periculo vitæ adire nequit cap. de cætero. eod. tit. etiam si sua culpa inciderit in ea,argumen.no.per Bart.in l.1.ff.de ijs quib.vt indig. & vel. in cap. cum oporteat.de accus.col.4 post Panor.

ibidem filius familias, id est qui est in potestate patris non valens ire ad Papam sine præiudicio eius,cap. multi. tex. de senten.excom.& Panor. ibi nisi pater consentiat, vel emancipetur: seruus nisi dominus consentiat eius ad agend. Sed. profectioni vel manumittatur. cap.relatum.de sent. excom.quidquid dicat ibidem Pan. vt probat Syluest. verb.absolutio 4. in h.dubio 6.Dixi, *Seruus*:quia secus est in famulo libero percussore: impotens,aut tam delicatus,vt nō posset sufferre iter adeundi Romam, quod arbitrio Episcopi relinquitur 89 iuxta glo. eiusdem cap. Tales enim non sunt mittendi Romam, sed prius consulendus Papa,& obediendum eius imperio,quidquid dicat glo.iux Pan.& Fel.in eo.cap.mulieres.ni fuerit periculum probabile mortis in mora:quia tunc absoluendi sunt vt alij, qui fuerint in eodem periculo: ij tamen & quilibet alij (quibus iustum adest impedimentū iudicio probi viri quominus adeant Sed.Apost.vel nuncium à latere,qui etiam potest absoluere cap. ad eminentiam.de sent.excom. & cap. pen. de offic. deleg.) possunt absolui ab Episcopis quantumuis negent Inno. Ancha. Cardin.in d.cap.quamuis.vt probat Fel.ibidem neruosè, & Sylu. verb.absolutio 4.dubio 4.modo pro viribus satisfaciant, & iurent sublato impedimento se præsentaturos apud Sed.Apostō iux.cap. quamuis. cap.quod de his. de senten.excommunt.qui postea nisi se præsentent quam citius commode poterunt,recidunt in eandem excommunicationem.cap.eos qui.de sent.excommu.lib.6.

Responsio ad quæstiones propositas.

Ad primam vero 7. quæstionum hic quæsitarum respon.quòd nō solum excommunicatus ob percussionem clerici,sed etiam ob aliam quā libet causam,cuius absolutio est reseruata Sedi Apost.potest absolui ab Episcopo,si ob iustum impedimentum nequeat eam adire:quia in omnibus generaliter loquuntur Fel. & Syl.supra citati, & in omnibus cadē ratio idem ius suadet.

90 Ad secundam, pura,quanti tēporis debeat esse impedimentum, vnius an plurium mensium, vel annorum? Respond. quæstionem hanc nouam, & grauem esse:qua maturè expensa videtur primò,non esse habendam rationem appulsus, sed discessus: alioqui omnes penè Hispani haberent impedimentum duorum, triumve mensium.Secundò sufficeret impedimentum tanti temporis, quantum est necessarium à discessu ad appulsum.Tum quia optat Ecclesia,ne agens id,quod in se est ob impedimetum in excommunicatione motiatur cap quæ fronte. de appel. Tum quia non videtur posse determinari tempus aptius omnibus casibus,& conformius canonibus.Tum quia falsō existente impedimento nulla erit absolutio,& si cessante impedimento non arripuit iter,recidit in eandem excommunicationem d. cap.eos.per quæ duo cessat occasio fingendi falsa impedimenta,& intētio matris Ecclesiæ seruatur.

Ad tertiam,iustum impedimentū esse,habere curam animarum,& iuste timere eas ob suam absentiam notabi

notabile damnum accepturas: nisi posset constitui idoneus Vicarius.

Ad quartam,quòd non potest absolui ab Episcopo, qui licèt ad sed. Apost.ire nequeat,potest tamen adire legatum,vel alium eius ad id priuilegio munitum.

Ad quintam, quòd iustum habet impedimentum is,qui ire nō potest, licèt pro absolutione mittere possit: non enim ad id ius eum obligat, sed vult,vt si possit,vadat.

Ad sextam,quòd tale impedimentum habet non valens ire,nisi relinquendo in necessitate extrema, vel valde magna vxorem & filios, arg. cap.cæterum.& c.pasce.86.dist.

Ad septimam,quòd eiusmodi impeditus absolui nō poterit à simplice sacerdote,etiam si cum Nuncius, vel Episcopus absoluere recusent:nō enim ad id potestatem habet,nisi in articulo mortis,in quo simplex sacerdos fit quo ad hoc summus Pōtifex, arg.d.c.si quis suadente. & pulchre in Concil.Trid.sess.14.cap.7. dicitur nullum casum esse reseruatum in mortis articulo.

91 Præterea absolui possunt per Episcopum à percussione mediocri, non tamen enormi,clerici simul viuentes in collegio cap quoniam. de vit.& honest.cler.& religiosi c. monachi.de sent.excom.sed hi possunt absolui à suis prælatis, clerici non, nisi à suo Episcopo secundum Pan. recept.in d.cap.quoniam.col.1.Ianitor seu exequutor,merinus aut alius minister,qui vt custodiat fores, aut cohibeat homines,manus infert clericis absque intentione lædendi, & si nō sine culpa,& læsio est leuis,aut mediocris cap.si vero.§.officialis. de sent.excom.quāquam si est enormis solus Papa absoluit:ab incursa vero ob paruam, vel leuem Episcopus c. peruenit.de sent.excommu. vbi tex. singularis.Non intelligitur in hac materia per leuem percussionem illa, quæ non peruenit ad peccatum mortale:siquidem ob eam,quæ non est mortifera, non incurritur excommunicatio maior, vt supra dictum est eodem cap.nume.9. sed ea, quæ est quidem mortifera:at collatione aliarum magis mortiferarum est leuis,& non enormis,neque etiā mediocris. Quæ vero sit leuis declaratur per extrauag. quæ incipit. perlectis, quæ adscribitur Papæ Io. 22.& perperam: quoniam ante eius tempus eam allegauit Hostien. in cap.peruenit. de sentent. excommu. sub finem, vbi tamen ait respondisse sibi Innocen. 4. se non fecisse eam: insulsius autem quidam eam tribuunt Pio II. cuius exemplum iam diu Romam adducendum curauimus, & cuius præcipua verba sunt hæc: *Perlectis &c. respondemus percussionem leuem esse pugni, palmæ manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque suggillationem carnium relinquit, neque alscindit membrum, sine effractione dentium, sine auulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quòd huiusmodi leuis percussio, vt pugni, aut vngnis fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad iudicandum tamen quæ læsio sit leuis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solum factum, sed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ, &*

Universidad de Deusto

alis:personæ. si est magister,iudex ,prælatus,pater ,patronus , aut dignitas,percussus iniuste à subdito, aut ab alio se vltiori: quia ex hoc interdum cẽsentur graues iniuriæ , quæ ex se sunt leues,aut mediocres. & quia conditio negotij non patitur integram determinationem huius rei,relinquimus tuo arbitrio , vt declares quæ sit leuis,& quæ enormis iniuria, admonentes vt potius declares in dubio esse percussionem grauem , & ab ea non posse absoluere , quam declarando leuem esse, occasionem præbeas ledendi statum ecclesiasticum. Hucusque sunt verba extrauagantis.

92 Cui addimus primò enormem esse percussionem , qua quis interficitur,scinditur membrum,aut inutile, vel quasi ad suum munus efficitur:& illam ob quam factam in alia parte,quam in narib⁹, vel alia vnde sanguis facilè erumpere solet , desinit multum sãguinis:& illam quæ fit in proprium Episcopum, aut Abbatem , & quæ magno scandalo est populo,vt declarat , & sentit Innoc. III. in dicto cap. cum illorum. Et quanquam idem dicat glo.eiusdem cap.verb.mutilationem de quolibet excessu notorio,& idem asserat Sylueit.verb.absolutio 4. in principio, de eaquæ infertur in foro,vel audiẽtia publica coram iudice , aut in oculo , aut in facie secundum glos. aut in ecclesia , aut in dormitorio: non tamen credimus id esse verum, nisi quando percussio est in se notabilis , & gignit aliquod magnum scandalum.quia Lap.& Card. in locis proxime citandis declarant aliquas ex his non esse etiam mediocres , sed leues. Secundò addimus quòd iniuria mediocris est,quæ est media inter leuem,& enormem : & quia de hoc certa regula tradi non potest , relinquitur arbitrio Episcopi , & etiam confessarij,qui habet facultatem Episcopi iuxta Hostien. recept. ab omnibus in d. cap.peruenit vt iudicent habita ratione circunstantiarum , personarum, locorum , & temporum, cauendo ne iudicent leuem eam,quæ enormis est, iuxta Panor. ibidem. Tertiò , quòd Lap.in allegat.76.conclusit esse percussionem leuem, à qua posset absoluere Episcopus , colaphum , quem impegit Capellanus quidam perpetuus Aretinæ ecclesiæ cuidam Canonico in eadẽ ecclesia absque sanguinis emissione:& quod Cardin.in consi.42.conclusit percussiones duorum clericorum,qui sibi ipsis mutuo pugnos,& pedes impegerunt in itinere, esse leues, à quibus posset absoluere Episcopus.

SVMMARIVM.

Excommunicatio tertia reseruata Papæ extra bullam Cœnæ est lata à delegato lapso anno. Quarta in falsarios. Quinta lata ab Episcopo in habentes bullas falsas &c. Sexta in clericos admittentes excommunicatos à Papa nu.93. Septima in incendiarios post denuncationem &c. Octaua in sacrilegos insilientes ecclesias nu.94. Nona in male eligentes senatorẽ Ro. Decima in clericos soluentes talias:sed reuocata fuit nu 6.e. Vndecima in insequentes Cardinales num 86.& 97. Duodecima in vexantes excommunicantium cognatos &c.nu.88.seq. Decimatertia in inquisitores male procedentes numer. 100. Decimaquarta in religiosos absque facultate administrantes certa iuramenta. numero 101. Decimaquinta continetur in bulla Cœnæ.nume.102. Decimasexta in facientes eligere sepulturas numer.103 Decimaseptima in eos qui coguntur celebrare in locis interdictis numer. 104 Decimaoctaua in absoluentes per confessionalia Sixti IIII. Decima nona in exenterantes mortuos. numero 105. Vigesima in dantes, aut accipientes ob ingressum monasterij. Vigesimaprima in committentes simoniam in ordine vel beneficio. Vigesimasecunda in eos , qui ab ordine vendicãtium ad alium transeunt. Vigesimatertia in eos , qui asserunt hoc de conceptione Virginis mariæ. numero 107. Vigesimaquinta in delegatos , qui male auctorant alienationes ecclesiasticas. Vigesimasexta in septem genera personarum violantium monasticam numero 108.& 109. Vigesimaseptima in peregrinantes in Hierusalem absque facultate Papæ Vigesimanona in Cardinales , qui secreta manifestant. Trigesima in predicantes miracula falsa. Trigesimaprima in Cardinales sede vacante simoniam committentes . numero 110.

Consuetudo excusat à pœna , licet non excuset à culpa nu 106.

F. Bartholomæus à Carranza Doctor doctissimus , Archiepiscopus Toletanus num .10.

93 *Tertia excommunicatio reseruata Papæ extra bullam Cœnæ ponitur in capite quærenti de officio delegat. quod habet delegatum Papæ lapso tantum anno ad exequendam suam sententiam definitiuam ei concessa , non posse absoluere ab excommunicatione à se lata ob finitam eius iurisdictionem , & ita*

absoluit eius superior , qui est solus Papa. capite studuisti. de officio legati , & capite sanc. de officio delegati.

Quarta est in capite ad falsariorum. de crimine falsi,quod excommunicat falsarios de quibus dictum est supra eodem capite numero quinquagesimooctauo quæ quo ad aliquos casus non continetur in bulla Cœnæ.

Quinta est in capite dura de crimine falsi quod reseruat Papæ excommunicationem latam ab episcopo in habentes literas falsas Papæ , nisi eas intra viginti dies destruant , vel resignent.

Sexta in capite significauit.de sentent. excommunicat. quòd reseruat Papæ absolutionem excommunicationis , quam incurrunt clerici , qui scientes , & sponte communicant cum excommunicatis à Papa , admittendo eos ad diuina officia.

Declarat.quod ad hanc incurrendam requiruntur sex secundum Caietanum vbi supra capite 38. Primum quòd sit clericus. Secundum, quod communicatio fiat cum excommunicato à Papa. Tertiũ,quod ad diuina officia admittat. Quartum,quod scienter id faciat. Quintum,quod id faciat sine vllo timore etiam iniusto , qui licet non excusaret à peccato mortali, excusaret ab excommunicatione secundum eundem , contra quem facit, quòd verbum illud sponte, in quo se fundat, non probat id , quod ipse ait , argument. capitul. super hoc. de renuntiat.& capit.ad audientiam , de iis, quæ vi.quibus probatur satis sponte fieri dici, quod sine metu iusto fit, etiam si interueniat aliquis metus leuis,

leuis, & non iustus: per quod eius noua opinio tollitur efficaciter quo ad forum exterius: quamuis in interiori seruari posset in tali metu, qui est causa sine qua non fuisset communicatum: quia talis metus quo ad illud forum exæquatur iusto, vt dixi supra. Sextum, quòd sit excommunicatus à Papa iudicialiter, aut nominatim secundum omnes, vltra quod hodie requiritur denunciatio per extrauagã. ad euitanda. relatam sup. eod. cap. nu. 55.

Septima in cap. tua. de sentẽ. excommu. quod reseruat excommunicationem latam, & denunciatam in incendiarios.

94 Declarat. prima, quòd dicto ca. tua non excommunicat, neque iubet denũciari. vt cap. conquestus. de quo in octaua: sed solum quòd denunciati non absoluantur nisi à Papa, & ob hoc non probat esse excommunicatos à iure. Secũda, quòd Caietan. vbi supra cap. 22 quem pridem sequuti fuimus in dicto ca. tua. & nunc etiam sequimur, rectè dixit nullum esse canonem, qui excommunicet incendiarios etiam ecclesiarum, licet gloss. dicti capitu. tua. & communis, Panorm. & aliorum ibidem, S. Anton. 3 part. titul. 24. cap. 11. Steph. element. 1 de offic. ordin. & de potesta. eccles. nu. 68. contrarium teneant in incẽdiario ecclesiæ, sed sine textu & ratione sufficienti, quæ defendi non potest, nisi id haberet consuetudo, & teneatur quòd illa tolerata. & approbata à prælatis vim habeat legis, vel statuti excõmunicantis per dicta supra eodem capite numer. 5.

Octaua in capit. conquestus. de sentent. excommuni. quòd habet excommunicatos esse sacrilegos, qui effringunt, & spoliant ecclesias.

Declarat prima, quòd illud capit. non communicat, sed præsupponit esse excommunicatos: siquidem iubet denunciari eos vt tales, arg. capi. pastoralis. §. verum. de appell. Secunda, quòd duo requiruntur ad incurrendam hanc, scilicet perfringere, & rapere siue furari. Panorm. in c. fi. de furt. S. Anton. vbi supra cap. 12. & Caietan. vbi supra capitu. 21. & ob id qui effringit crucem, sacrarium, aut perpetrat alia similia nefaria scelera, & non furatur, non incurrit eam. Nec sufficit quæcunque fractio, puta seræ, vel arcæ: sed requiritur ecclesiæ, vel eorum eius. Tertia, quòd per ecclesiam intelliguntur monasteria, hospitalia, & reliqua ædificia pia, Panormit. in d. c. tua auctoritate Episcopi ad id sacrata, & non alia secundum eundem in dict. cap. conquestus. arg. cap. ad hæc. de relig. domibus. Quarta, quòd is dicitur effringere ecclesiam, qui effringit vel effodit parietem, aut frangit fores, diruit seras, & qui impellendo, vel quouis alio modo violento ingressum sibi parat, Syluest. verb. excom. 7. cas. 8. non autem, qui reserat eas claue, siue eam surripuerit vel extorserit, siue non, iuxta sententiam omnium. Quinta, quòd non sufficit denunciatio generalis, iuxta dictam extrauag. ad euitanda.

95 *Nona, & prima libri sexti in capit. fundamenta. de elect. libro sexto excommunicat eum reseruatione eligentes in Senatorem Roman. aliquem Imperatorem, Regem, &c Comitem procerem aliquem potentia, aut alium dignitate perfignem, aut fratrem, aut filium eius &c. & huiusmodi electos, qui sine consensu Papæ se intruserunt in illud, & qui obtemperarint, & qui præbuerint auxilium &c.*

De quo quia est de raro contingentibus, nil amplius.

96 *Decima in capite clericis. de immunitat ecclesiast. libro sexto excommunicat clericos, qui pendunt vectigalia, decimas, vel talias seculares:* sed reuocata fuit à Clement. V. clemen. 1. 1 de immun. eccles. *Vndecima, in capite fœlicis de pœnitent libro sexto excommunicat eum reseruatione eum, qui infectatus fuerit, percusserit, aut cæperit tanquam inimicus aliquem Cardinalem, aut comitatus fuerit eum, qui hoc patrauerit, aut mandauerit, aut id ratum habuerit, aut dederit consilium, vel fauorem, aut sciens receperit, aut defenderit, etiam si ob ea non esset antiquiore iure excommunicatus. Principem item, & dominum, & gubernatorem quemlibet, & suos ministros, qui contra prædictos non obseruauerint suam constitutionem intra mensem postquam sciuerint.*

97 Declarat. prima, quòd hæc extenditur nunc ad Archiepiscopos, & Episcopos per bullam Cœnæ Domini. Secunda, quòd infectãtes, domini Iudices, & officiales negligentes &c. qui non percutiunt, etiam si id maximè velint, non incidunt in dictum caput si qui suadente, sed in hoc sic. Tertia, quòd quidquid dicat Syluest. & quos ille refert verb. excommunicatio 7. cas. 11. qui iubet alicui vt infectetur Cardinalem tãquam inimicum, non incurrit nisi cõsequuta infectatione, sequuta vero sic: quamuis nulla consequatur percussio, licet qui iubet percutere non incurrat non sequuta percussione, non quidem per rationes Sylvest. sed per dicta supra eod. capitul. nume. 12. puta quia iussio percussionis prohibetur vt accessorium illius: & ita non sequuta illa, iussio non habet effectum: sed iussio infectationis est accessoria illi, & ita illa insequuta, etiam si non sequatur percussio, impieta est iussio eius. Quarta, quòd excusantur principes, domini, & iudices si incipiant procedere intra mensem postquam sciuerint, quamuis non fiant processus, neque puniant.

98 *Duodecima in capite quicunque. de sentent. excommunicat. libro sexto excommunicat eum reseruatione omnes, qui facultatem tribuerint alicui interficiendi, capiendi aut vexandi personas aliquorum, aut eorum facultates, aut suorum, eo quòd tulerint sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, contra Reges, &c. aut contra quoscunque alios eorum ministros: aut contra alios quoslibet, aut illos, quorum ratione eiusmodi sententiæ promulgatæ fuerunt, aut eos qui obseruant, aut qui volunt communicare cum sic excommunicatis, nisi antequam dicta facultas exequutioni mandetur, fuerit reuocata ab eis, aut si eius occasione iam sunt occupata bona, & intra septem dies non restituant aut satisfaciant. Excommunicat etiam eos qui vsi fuerint tali facultate, aut proprio motu fecerint aliquid ex prædictis. Et si duobus mensibus perseuerauerint in dicta excommunicatione, non possunt absolui, nisi à Papa.*

99 Declarat. prima, quòd ex sola datione facultatis non incurritur in eam, neque etiam ex eius exequutione, si ante exordium reuocetur: neque etiam si post exequutionem,

si ea solum fiat in bonis, & illa intra septem dies restituatur, vt recte adnotauit Caietanus vbi supra cas.36. Secunda, quòd ex Sylvest. verb. excommunicatio 7. cas. 12. colligitur, quòd in libro deerant illa verba *Et quæstibet alios*, quia restringit textum ad excommunicationes latas contra solos prædictos dominos, & eorum ministros, contra verum tenorem huius textus. Tertia, quòd iuste vexando non incurritur ista excommunicatio, argument. l.1. ff. de appel. & cap. vt debitus honor. eodem titu. iuxta Caietanum quod nostro iudicio locum habet etiam quando ob vindictam, & odium vexat, sed non plus & alio modo quã iustitia postulat, argum. cap. cum minister. 23. q. 5. & quòd omnes filij, famuli, aut cognati excommunicantis dicuntur sui in hoc casu, iuxta Ioann. Andr. & communem in dict. capitũl. cuicunque, & etiam, nostra sententia, eius intimi amici, & omnes illi quorum grauamen videtur grauanti esse grauamen excommunicantis, & ea de causa id facit: siquidem negari non potest esse suum grauamen quo ad hanc constitutionem, & eius rationem, quæ eos omnes comprehendit arg. l. illud. ff. ad l. aquil. & ca. 2. de transl. prælat.

100 *Decimatertia in element 1. in §. verum. de hæretic. cum reseruatione, excommunicat Inquisitores, & alios deputatos officio inquisitionis ab episcopo, qui odio, amore, aut lucri, vel commodi temporalis gratia contra iustitiam, & suas conscientias omittunt procedere contra aliquem vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate, aut ob eandem causam, & eodem modo imponendo hæresim, aut impedimentum officij præfati, præsumunt vexare aliquem.*

Declarat. quòd ad incurrendam hãc est necesse, vt sit Inquisitor, aut deputatus ad eius officium ab Episcopo: quia ipse Episcopus solum incurrit suspensionem officij in tres annos per eudem §. verum. & quod non procedat quando, & quomodo debet, aut procedat vt non debet: & quod hoc faciat contra iustitiam & suam conscientiam sciens illud esse iniustum: & quòd hoc faciat odio, amore, fauore, aut lucro, iuxta Cardin. in d. §. verũ vbi textus & Caiet. vbi sup. cas. 3. quia nõ satis esset facere ignorantia, timore, aut ad cuitandum scãdalum iuxt. gl. in d. §. verum.

101 *Decimaquarta in element. 1. de priuileg. excommunicat cum reseruatione religiosos, qui sine licentia expressa presbyteri parochialis, præsumunt administrare clericis, vel laicis sacramentum vnctionis, aut eucharistiæ, aut benedicere nuptias, aut absoluere excommunicatos à canone præterquam in casibus à iure aut priuilegus Apostolicis sibi concessis, aut à sententiis promulgatis à statutis prouincialibus, aut synodalibus, aut à peccatis à pœna, & culpa.*

Declarat. prima, quòd ad incurrẽdam hanc est necesse, quòd sit religiosus: quamuis non sit exemptus neque professus iuxta Card. in d. cle. 1. quęst. 3. & 4. & quòd nõ sit Rector, seu curat⁹ ecclesiæ parochialis iuxta mentem Felyn. & eorum quos citat in capit. cũ quidam col. 2. de iureiur. 102 quamuis glos. dubitet in eadem clemẽ. 1. vti pridem super ea diximus, quidquid dicãt ibidem Cardinal. & Imol. Secunda, quòd satis est vt in licentia exprimatur sacramentum, cuius causa petitur, etiam si non exprimantur nomina personarum iuxta gl. d. clemẽ. 1. receptam. Tertia, quòd est necesse, vt faciat aliquid ex quinque hic expressis per præsumptionem: & non sufficit facere id per ignorantiam vel credulitatẽ, quòd parochus id æquo animo ferat, saltem quo ad forum conscientiæ secundum Card. in d. clem. 1. quæst. 38. & ea quæ nos diximus supra eod. cap. numer. 74. & latius in repet. cap. accepta. oppos. 8. de restitu. spol. num. 32. Quarta, quòd non sufficit vt vnus religiosus administret eucharistiam alteri religioso exempto. Tum quia non est subiectus presbytero parochiæ, quam subiectionẽ videtur præsupponere textus esse ad hoc necessariã iuxta Caiet. vbi supra cas. 64. Tum quia ille non est clericus neque laicus, de quo textus loquitur, secundum Card. in d. cle. quæst. 7. quamuis oppositum, sed non iuste, teneat Sylvest. verb. excommunicatio. 7. cas. 14. Quinta, quòd per presbyterũ parochialem intelligitur rector, quamuis non sit initiatus ordine missæ, arg. c. suffraganeis, de elect. aut eius vicarius, & episcopus, iuxta glos. eiusdem clem. verb. parochialibus, & eius vicarius generalis, arg. cap. 2. de constitut. lib. 6. Sexta, quòd incurritur etiam ob administrationẽ factam in articulo mortis, iuxta Cardin. in d. clementi. quæst. 11. etiã si faciat ob defectum parochi, iuxta Sylvest. vbi sup. dub. 3. Septima, quòd non incurritur ex eo, quòd administret parochiano, qui ait habere se facultatem, cum non habeat, glos. & Com. in d. clem. verb. non habita. neque eo, quod administret sacramentum pœnitentię aut baptismi, secundum omnes ibidem, neque eo quòd absoluat ab excommunicatione lata ab homine iuxta glos. & Com. ibidem, verb. canon cc. Octaua, quòd fratres minores, & alij, qui participant eorum priuilegia possunt ministrare sæcularibus quolibet die, excepto Paschatis, vt dictum est supra capit. 21. num. 52.

Decimaquinta in clemen. si quis suadente. de pœnit. Nunc facta est bullæ Cœnæ per S.D.N.

103 *Decimasexta, in clem cupientes. de præb. § fin. ex communicat clericos, & religiosos, qui violant constitutionem illis prohibentem aliquem inducere ad vouendum, iurandum, aut promittendum eligere sepulturam in sua ecclesia, aut quod non mutabit electam.*

Declarat. prima, quòd ad incurrendam hanc est necesse, quòd sit clericus, aut religiosus: & quòd inducat ad iurandum, vouendum, aut promittendũ de electione sepulturę, aut nõ mutandam electam: & quòd persuasus aliquid horum faciat: & quod sepultura pertineat ad ecclesiam eius qui persuadet iuxta Communem in d. §. fi. & quod temere faciat non existimando probabiliter id facere posse, iuxta Caiet. vbi sup. cas. 49. Secunda, quòd non sufficit precari, aut inducere ad eligendam sepulturã, si non promittit, iurat, aut vouet, iuxta S. Anto. 3. par. tit. 24. c. 51.

104 *Decimaseptima, in clemen. graue. de sentent. excommunicat. excommunicat, cum reseruatione, nobiles, & dominos temporales, qui cogunt aliquem ad celebranda diuina officia locis interdictis, siue*

sine compulso sint personæ clericorum, siue eorum consanguineæ. Et qui voce præconis, aut sonitu campanæ, aut ad clangorem tubicinis, vel buccinæ, conuocant populum ad audiendum missam in tali loco, præcipue excommunicatos, aut interdictos, & etiam qui prohibent ne excommunicati aut interdicti ab ecclesia eiiciantur, quando peraguntur diuina officia, qui admoniti à sacerdote nominatim nolunt exire.

Declaratio prima, quod per tria priora ex his quatuor, soli & omnes domini temporales incurrunt in hanc; quamuis sint prælati, si habent temporalem iurisdictionem iuxta gloss. Cardin. & Imo. in dict. clemen. per quartum autem omnes. Secunda, quod conuocatio debet fieri aliquo modo ex prædictis, & non clam per nuntios. Et quod excommunicati sint nominatim admoniti, Sylu. verb. excommunicatio 7. cas. 16. §. 7.

105 *Decimaoctaua in extrauag. & si dominici de pœnit. & remiss. excommunicat cum reseruatione, eos, qui ex priuilegio Papæ Sixti IIII. absoluunt ab aliquo istorum quinque votorum, scilicet peregrinationis in Ierusalem, & Romam, Cumpostellam, religionis, castitatis, nisi in dictis confessionalibus fiat mentio illorum de certa scientia, cum derogatione illius extrauagantis.*

Declar. hanc extrauag. nunc nihil, vel parum prodesse quo ad contentum in ea principaliter: quia iam cõfessionalia illa defierunt: sed est notanda ad hoc, quòd dispẽsatio quinque votorum in ea contentorum reseruatur Papæ, ad quod nullus rextus ante hunc in libris iuris Pontificij habebatur.

Decimanona in extrauag. 2. de sepult. inter commun excommunicat cum reseruatione eos, qui exenterant mortuos ad eos conseruandos, aut eos concidunt in frusta, & ea coquunt, vt ossa carnibus denudata deferant, & sepeliant in alio loco, & qui hoc fieri iubent.

Declarat. prima, quòd non habet locum in his, qui moriuntur in terris infidelium, vbi non est sacer locus ad sepeliendum, neque in eo qui hoc facit, viuo, neque etiam mortuo alio fine, quàm sepeliendi in alio loco, quamuis in vindictam, & etiam ad vescendum id faceret, Sylueistr. vbi supra capite 41. & colligitur ex textu. Secunda, quòd non incurrit, qui hoc facit cadaueri ne fœteat, aut in anatomiam, aut cadaueri regio, vt ab eius populis iustus honor habeatur, Caietanus vbi supra cas. 70. quod in vsu habet Gallia.

Vigesima in extrauaganti prima de simoniis excommunicat cum reseruatione eos, qui dant, aut accipiunt aliquid ob ingressum in aliquod monasterium.

106 Declarat. prima, quòd non incurritur per acceptionem vel largitionem absque pacto, aut ob cõsuetudinem, vel antiqua iura, aut sine præsumptione bono animo: quia bis repetit illa verba *Eos qui præsumunt.* Neque per acceptionem cum pacto in victum eius qui ingreditur ob necessitatem, iuxta Caietanum vbi supra cas. 71. Secunda, quòd Innocentius VIII. declarauit moniales non incurrere hanc, nisi ob receptionem cum pacto, aut alicuius nõ idoneæ, ob largitionem. Et quòd S. Anton.

S. Anton. tertia parte, titu. 24. c. 70. quem referunt Sylu. vbi supra cas. 44. & Felic. in c. quoniam de simon. air quod Martinus V. dixit se nolle hac teneri moniales. Tertia, quod consuetudo contraria excusaret à prædicto mortali, vt diximus in d. c. quoniam. argum. glos. fing. in c. cum venerabilis, de consuet. c. denique. 4. distinct. & eorum quæ Aufrer in repet. clem. 1. de offic. ordin. in reg. 3. fall 2. dicit. Quarta, quod Clemens VII. concessit, vt moniales nullam simoniæ pœnam incurrerent propter pacta, & conuentiones, quas cõtraherent in dotibus monialium, in commodum earum victum, vt habetur in compendio priuig. verb. moniales. num. vlt.

Vigesimaprima in extrauag. Pauli ij. de simo. excommunicat cum reseruatione committentes simoniam in ordine, vel beneficio, & eius mediatores.

Declaratio prima, quod non intelligitur, nisi de simonia, quæ committitur in ordine, & beneficio secundum omnes: quia de ea tantum agit, quod etiam dicit Caiet. vbi supra cas. 72. Secunda, quod non habet locum in simonia mentali, neque etiam in sola conuentionali, sed in reali per prædicta cap 25. nu. 106. & cap. 25. num. 112. & latius in comment. cap. fin. de simo. Tertia, quod mandatum positum in ea, vt denuncient eam scientes: non obligat alios quam Curiales Roma. secundum Sylu. vbi supra cas. 43. neque nunc eos, neque alios secundum S. Anto. vbi supra cap. 66. quia non est quo ad hoc recepta Sylu. vbi supra, & Caiet. post cas. 81.

Vigesimasecunda in extrauag. Martini V. de regul. excommunicat cum reseruatione fratres ordinum mendicantium sine speciali facultate Papæ migrantes ad non mendicantes, excepto ordine Carthusiensium, & etiam admittentes eos. Hæc facit ad illud 10. Maior. in 4. distin. 38. quæst. 11. Carthusia religionum optima.

Vigesimatertia in extrauagan. 1. de senten. excommu quam refert Io. Andr. in cap. nemo de simo. excommunicat cum reseruatione omnes eos, qui largiuntur, aut accipiunt aliquid, aut promittunt in Curia Romana ad obtinendam iustitiam, aut promittendam gratiam alicuius rei. Sed Palud. in 4. dist. 18. quæst. 3. col. pen. & Ange. verb. excommunicatio 5 cas. 25. & Sylu. vbi supra cas. 46. & Caiet. post. cas. 81. asserunt fuisse reuocatam per Clementem V. Fuit autem innouata, & maioribus pœnis aucta per S. D. N. Gregorium XIII. per extrauagantem, quæ incipit, Ab ipso, promulgata die 8 Nouemb. ann. 1574. quam statim magno commentario donauimus in honorem sanctissimarum, earumdẽque fortissimarum virginum & martyrum Luciæ, & Catherinæ, intra viginti dies, quibus festa earum distant.

107 *Vigesimaquarta in extrauagangraue. de reliq. & uenera. sanct. excommunicat eum, qui dixerit peccare mortaliter eum, qui crediderit Virginem Matrem fuisse conceptam in peccato originali: & etiam è contrario eum, qui dicit peccare mortaliter oppositum tenentem.*

Declaratio, quod qui sincero & solido animo sine alia audacia vel præsumptione dixerit hoc non incurret, iux. Caieta. vbi supra cas. 8.

nia ait, *ausu temerario*. & paulo ante, *præsumerent*. & ita dolum aut certe latam culpam requirit, per supradicta eod. num. 7. Quamquam in Concil. Basilien. tit. 36. fuit declaratum, fuisse conceptam sine peccato originali, vt asserit Dom. Bartholomæus à Carranza illustriss. nunc Archiepiscopus Toletanus in summ. eiusdem Concilij: renouata est tamen præfata extrauagan. Trident. sess. 4. sub fin.

108 *Vigesimaquinta apud Sylu. verb. excommunicatio 7. cas. 47 excommunicat cum reseruatione, commissarios, & delegatos ad cognoscendum, an illi alienatio honorum ecclesiasticorum sit in vtilitatem euidentem ecclesiæ, vel non, qui amore, timore aut pecunia auctorant.* Quamquam Caieta. hanc non posuit, nec quod non haberet pro authentica, siue quod non esset vsu recepta, quod ipse in aliis multis significat post cas. 81.

109 *Vigesimasexta in priuilegijs ordinum relata apud S. Anto. 3 part tit. 24. c. 20. & Caieta, vbi supra cas. 81. excommunicat cum reseruatione ingredientes monasteria monialium minorum, & prædicatorum sine licentia præfecti ordinis, aut generalis, aut eius, qui ab ipsis ad id habet facultatem. Et qui præsumunt proferre in lucem libellos famosos linguæ vulgari vel alia, aut componunt, aut habent, aut in vulgus emittunt versus, aut cantilenas in infamiam & detractionem status ordinis prædicatorum vel minorum. Et eos qui præsumunt prædicare, docere, defendere prædictos religiosos non esse in statu perfectionis, vel non posse consequi vitam æternam, neque predicare, neque audire confessiones cum licentia summi pontificis, aut aliorum prælatorum inferiorum sine licentia Rectorum ecclesiarum, vel presbyteri Cardinalis. Et eos qui præsumunt inferre aliquam, quæ incommoda sit, violentiam locis prædictorum prædicatorum, & minorum. Et qui in suis monasteriis vel ecclesiis detinent apostatas prædictorum, nisi exierint, postquam à monachis ipsorum ordinum fuerit eis denunciatum, ne eos retineant. Et monachos minores, qui præsumunt recipere ordinis prædicatorum professos absque licentia summi Pontificis, quæ faciat expressam mentionem huius indulti, aut nisi prius petant, & impetrent facultatem suorum priorum: & qui palam, vel clam conantur expellere ex vniuersitate Parisiorum prædicatores, vel minores.*

Declaratio prima, quod septem excommunicationes diuersorum Pontificum in hac continentur; quas Sanctus Anton. refert vbi supra. Secunda, quod primum non incurrit qui ingreditur dicta monasteria ignorantia iusta vel quasi iusta ductus secundum eundem, & Caieta, vbi supra: neque qui ingreditur sciens, sed persuasus iustam esse causam ob quam ingreditur, iuxta eundem. Tertia, quod secunda non habet locum contra componentes prædictos libellos in ignominiam ipsorum religiosorum, & non eorum status, per dicta supra cap. 18. num. 35. Quarta, quod in septimo loco pro, *Parisiorum* est apud Sylu. vbi supra cas. 54. *Perusini*, per errorem. Quinta, quod mulieres, quæ priuata intentione ingrediuntur monasteria monialium prædictarum, possunt absolui à confessariis sui ordinis per priuilegium Sixti IIII. vt habetur in compendio verb. absolutio 2. num. 8. Sexta, quod prælati prædictorum ordinum, & eorum qui gaudent priuilegiis Carmelitarum, possunt excommunicare omnes clericos & laicos, qui retinent Apostatas sui ordinis, vt habetur in dicto compendio verb. Apostata. num. 7. Septima, qui faciunt dictam damnosam violentiam, possunt absolui à conseruatore, & prælato ordinis in foro conscientiæ per priuilegium Leo. X. vt dicitur in dict. compendio. verb. absolutio 2. quo ad seculares. §. fin.

110 *Vigesimaseptima apud S. Anto. & Syl. vbi supra excommunicat qui peregrinantur ex Ierusalem absque licentia Papæ.*

Vigesimaoctaua in extrauag. Iulij II. relata per sanctum Anto vbi supra cap. 20. excommunicat eos qui appellant à Papa ad futurum Concilium &c. Sed hæc hoc anno facta est tertia bullæ Cœnæ, per S.D.N. Gregorium XIII.

Declar. quod qui consulit vt appelleat, non incurrit, si non appellet, secus de consulente licitum esse appellare iuxta Caiet. vbi supra. Quia prior casu prohibetur concilium secundario, posteriore vero principaliter.

Vigesimanona in Concil. Later sub Leone X. sess. 9. excommunicat cum reseruatione Cardinales reuelantes aliquid de secreto actu in consistorio Papæ præceptum specialiter & expresse, vt id maneret secretum.

111 *Trigesima in eod Concil excommunicat eos, qui prædicant miracula falsa, vel incerta vel prophetias, quæ non continentur sacra scriptura.*

Sed Caiet. ait verb. excom. in fin. quæ sequitur Frater Bartholomæus Carranza Nauarrus, nunc doctiss. & religiosiss. Doctor, nunc autem illustriss. Archiepisc. Toletan. in fin. summæ Cõcil. Lateran. sub Leon. X. censuras huius Cõcilij nõ fuisse receptas.

Trigesimaprima in extrauagante Iulij II. approbata in dicto Concilio Lateran. sess. 9. excommunicat Cardinales, qui sede Apost. vacante conuenerint, ordinauerint, disposuerint, aut aliquo modo præsumpserint facere vel attentare contra ordinata eodem Iulio II. vt sine simonia eligatur Papa.

De excommunicationibus reseruatis Episcopis, vel partim Papæ, partim illis, partim neutris.

112 *Excommunicationes reseruatæ Episcopis sunt tres, & aliæ duæ aliquando. nu. 1. & 2. seq.*

Prima in re peruenit, de sent. excom. incursa ob leuem percussionem clerici vel monachi, de qua supra eo. nu. 92. & seq.

Secunda, quam fert Episcopus per suum statutum reseruando sibi absolutionem secundum omnes arg. c. nuper de sent. excom.

Tertia est excommunicatio Papalis cuius absolutio ob aliquod iustum impedimentum committitur inferiori, quia illam dare debet Episcopus, & non alius inferior.

Secundum Inno. communiter receptum in cap. 1. & capimonachi de sentent. excom. quia quæ dispensatio vel absolutio reseruata Papæ priuilegio iuris conceditur inferiori, videtur concedi Episcopo, & non alij

Universidad de Deusto Biblioteca

eo inferiori,iuxta eundem Innoc. in cap.2. de eo qui furt.ord.suscep.probatum per Panorm. ibi, & in dicto cap. monachi. & in aliis locis multis ibi per Felin.citatis: qua eadem ratione excommunicatio prima harum quinque censetur reseruata Episcopo.

Quarta partim episcopalis, partim non in cap. nuper. & cap. si conculcina. de sentent. excom. excommunicat eum, qui scienter participat excommunicato in crimine, ob quod est excommunicatus cum reseruatione obseruationis ei, cui esset reseruata absolutio excommunicationis ob crimen in quo participando eam incurrit alius.

Declaratio prima, quod ad incurrendam hanc excommunicationem oportet, quod fiat participatio in crimine post illud commissum, & ob id incursam excõmunicationem ab eo,cum quo participat,vt dictum est supra Exod. nu 33. Et quod participet cum eo sciens illum esse excommunicatum. Secunda, quod licet ante extrauagantem præfatam, ad euitanda. relatam nu. 35. sufficiebat & requirebatur scientia excommunicationis, ita post eam requiritur & sufficit scientia denuntiationis illius.per ibi dicta. Tertia, declaratio in solutionem propositi dubij, quod sicut qui percutit pluries clericum, ita vt appellentur diuersæ percussiones, iuxta dicta supra eo.c. 6.num.16. & seq. singulis vicibus incurrit excommunicationem: sic qui participat in crimine multoties cum excommunicato,ita vt dicantur iteratæ participationes, singulis vicibus incurrit excommunicationem. Quarta,quod ab hac debet absolue-

re idem, qui ab altera d. cap. nuper. Ideirco cui reseruata fuit prior, eidẽ &hæc erit, & si illa nemini fuerit:neque hæc erit vlli.

113 *Quinta etiam partim episcopalis, & partim non, in cap. eos de sentent. excom lib 6. excommunicat eum, qui ob articulum mortis aut aliud iustum impedimentum absolutus ab eo, qui aliter non potuisset, recuperata valetudine, vel sublato impedimento, quam cito commode potest non repræsentat se superiori, à quo debet absolui quo obediat eius mandatis Et etiam qui absolutus à Sede Apost. aut eius Nuncijs præcipientibus, vt se præsentet ordinarijs, aut alijs iudicibus quo exequatur sua iussa, vel quo satisfaciat læsis.vel iis ob quos fuerunt excommunicati, non facit quam cito commode potest.*

Declarat. prima, quod prima pars huius excõmunicationis habet locum in absolutis à quibuscunque, vt ex litera palam colligitur: & secunda non nisi in absolutis à Sede Apost. aut eius Nunciis, de quibus solum loquitur. Itaque nõ habet locum in absoluto ab Episcopo, vel alio delegato, iux. Caiet. vbi supra cas. 69 quamuis habeat nostro iudicio in absoluto à summo Pœnitentiario. Secunda, quod tempus intra quod quam cito commode potest tenetur præsentari, quo ad forũ externum relinquitur arbitrio boni viri,arg.l.1.ff. de iur.delib. cap. de causis. de offic. delegat. quo ad interius autem conscientiæ absoluti, argum. glo.c.significasti.1.de homicid. Tertia quod hæc est Papalis,vel Episcopalis,si prima talis erat, & nemini si prima non erat reseruata: quia textus habet eandem esse.

De

De excommunicationibus nemini reseruatis.

SVMMARIVM.

114 *Excommunicatio prima nemini reseruata, in seculares non reddentes ius ecclesiasticis. Secunda, in consentientem electioni de se in Papam male factæ. Tertia, in eum qui sic suscipit munus administrandi partem talis episcopatus. Quarta in scholasticos Bononiæ, qui sic conducunt. Quinta, in imponens tributa, &c ecclesiasticis, nu.115 Sexta, in certos clericos qui audiunt leges, aut medicinam, nu.116 Septima in clericos suscipientes præfecturas seculares Oliuia,in schismaticos Nona,in capientes bona naufragorum, num. 117. Decima, in seruantes statuta contra libertatem ecclesiæ,nu 118.*

117 *Lex quæ amissum in mari tribuit, &c. N iniusta.*

119 *Libertas ecclesiastica quæ, quis eam violat nu.120.*

114 *PRima, in cap. administratores. 23 q 5. excommunicat Gubernatores, & Iudices, qui admoniti ab Episcopis, & alijs ecclesiasticis, omittunt ius illis reddere, ob negligentiam, vel iniquum animum.*

Secunda, in cap. licet. de electio. excommunicat eum, qui non electus saltem à duobus partibus Cardinalium in Papam, consentit suæ electioni, & in recipientes eum in Papam. Hæc non est reseruata Papæ, nisi permixtam habeat hæresim credendi duas esse ecclesias, aut schisma absque illa, & tunc reseruatur per bullam Cœnę in clausula prima & secunda, supra eod.c.nu.56.& 57.

Tertia, in cap. quoniam de offic ordi. excommunicat Episcopum, qui in ciuitate diuersarum linguarum suscipit gubernationem eorum, qui sunt suæ prinsquam suscipiatur à proprio Episcopo in coadiutorem suum.

Hanc Caiet.vbi supra cas. 68. hodie esse parum vtilem significauit: quia Papa communiter confert omnes Episcopatus in similibus locis, qui si fuit.rassiet episcopatus Castellæ, Nauarræ, & Galliæ, in quibus alij Vasconice, alij Hispanice, alij Gallice, alij Teutonice loquuntur, id non dixisset.

Quarta, in c. 1.de locat excommunicat doctorem, & scholasticum vniuersitatis Bononiæ, qui conducit domos alterius doctores aut scholasticos sine eius consensu ante finem termini. Iuxta Inno. & communem in eo. c.contra Host. hæc non habet locum extra vniuersitatem Bononiæ; & ideo nihil amplius dicimus de ea.

115 *Quinta, in c. non minus. de immun. eccle. excommunicat consules, rectores & potestates imponentes ecclesijs vel personis ecclesiasticis talias, vel vectigalia,si admoniti non desistunt. & omnes qui præstent consilium, fauorem, vel auxilium & eorum successores.*

Declaratio primi, quod per potestatẽ hic intelligitur secularis, iuxta Ioan.Andr.in d.c.nõ minus. & quod satis est vna admonitio, iuxta Host. ibidem.Secunda, quod non incurrit Gubernator, qui vt debuit contradixit, etiam si non relinquat officium iuxta Panor. in cap. aduersus. eod. tit.& melius Angel. & Syluest. verb. excommunicatio.9. cas.5. & Ioanne Tabien.cas.18.quanquam Ioan.And. oppositum teneat ibi, & Innoc. du-

Universidad de Deusto

bitet in cap. nouerint. de sentent. excom. Iniquum non peccauit si contradicat tantum, quantum, & quemadmodum debebat, arg. c. Ephesius. 23 dist. sine peccato mortali, non incurritur excommunicatio maior c. nemo. & cap. nullus. 11. q. 3. vt dictum est supra eo. cap. num 9. Tertia, quòd hæc non incurritur propter tributa omnino realia, quæ clerici debent ob sua bona, nec ob realia extraordinaria, quæ immediate spectant ad eorum bona, vt ad reliciendum iter, vel eadem, qui est ante prædium, vel domum suam, sed incurritur propter onera mere personalia, & mixta quæ imponuntur personis & bonis iuxta Panor. recep. in d. cap. non minus.

16 *Sexta in cap. in magnopere & cap super speculam de elect. & Innocath. & cap. sicut lib. 6. excommunicat religiosos, qui exeunt à suis monasteriis, vt audiant leges, vel medicinam, & audiunt, & non redeunt intra duos menses ad illa. Et clericos qui habent dignitatem vel personatum quamuis non sint presbyteri, & presbyteros, qui nunc omnino nullam habeant dignitatem, nec jure ecclesiam parochialem quæ audiunt dictis duobus mensibus.*

Declar. prima, quòd hanc non incurrit religiosus qui audit intra monasterium aut extra in eadem ciuitate degens in eadem, aut egreditur ad audiendum aliquod exordium, vel aliquam prælectionem, vel honoris vel informationis causa, vel redit ante prædictos duos menses ad cluastrum, iuxta mentem Panor. cui Caietà vbi supr. cas. 50 & alij recentiores consentiunt. Secuda, quòd clerici seculares quamuis obtineant beneficia, etiam si sint subdiaconi vel diaconi, modo non habeant dignitatem, vel personatum, non incurrunt in eam: quia non loquitur de illis, iuxta gloss. fing. cap. cum ex eod. verb. literarum. de elect. lib. 6. Tertia, quòd presbyteri etiam beneficium non habentes, & qui habent dignitatem vel personatum quamuis non habeant nisi minores ordines eam incurrunt, si audiunt duos menses, etiamsi non egrediantur è suis tectis: neque domibus, iuxta Communem in dictis tribus c. pp. Quarta, quòd nemo istorum incurrit eo quod doceat eâ extra extra domum suã, iuxta Innocẽ & Panor. vbi supra, quidquid dicat Syl. verbo excommunicatio 9 cas. 6

17 *Septima in cap. clerici, ne cle. vel monach. excommunicat sacerdotem qui est Vicarius Vicecomitis aut alterius præfecti secularis, si admonitus non relinquat præfecturam.*

Declaratio prima, quod non incurrit hanc clericus minorum ordinũ, iuxta Panor. in d. cap. clerici. quidquid Sylu. dicat vbi supr. cas. Secunda, quòd incurrunt in eam prælati, qui sunt gubernatores vel præsidentes cancellariarum, iuxta Caiet. cas. 76 Tertia, quòd nõ incurrit prælatus, qui habet eiusmodi procuration annexam suæ dignitati, aut suo patrimonio, iuxta omnium sententiam.

Octava in cap. nulli. fas. 6. dist. & c. 1. de schis. mo. Sed hæc hodie cõtinetur in bulla Cœnæ supra relata.

Nona in cap. excommunicationi de raptor excommunicat eos qui capiunt bona Christianorum naufragio perdita, & non restituunt eis.

118 Declar. prima, quòd hæc facta est bullæ Cœnæ per S.D.N. Grego. XIII vt patet sup. nu. 60. quæ tamen etiam tantum accipientes scienter excommunicat, quamuis non videatur comprehendere eos, qui bono animo, aut saltem non malo accipiunt, donec fiat in mora restituendi. Secunda, quòd neutra incurritur ex sola acceptione bonorum, sine mora, & voluntate (vt ita dicam) restituendi secundum omnes. Quod est verum attenta decretali, & etiã attenta bulla, nisi acceptio fuerit scienter patefacta: quia tunc illa sufficit, licèt sit absque monitione secundum Pan. in d. cap. excommunicationi. & Caie. vbi supra cas. 13 quos sequor ob rationem primam Caiet. contra Ioan. Andr. in d. cap. excommunicationi. licèt eum sequatur Syl. uerb. excõmunicatio 7. cas. 20. Tertia, quòd ex his sequitur, quòd lex quæ statuit bona naufragorum esse tribuenda illi vel illi, est iniquissima, quippe quæ afflictio addit afflictionem contra c. cum per cussio. 7. quæst. 1. & l. Diuus. ff. de offi. præsiden.

Decima in cap. noverit, de sentent. excommu. excommunicat eos, qui observari faciunt statuta facta, & consuetudines inductas aduersus libertatem ecclesiasticam, nisi ex libris radant: & eos qui ea faciunt, & scribunt, & potestates, consules, & gubernatores & consiliarios quorum libet locorum vbi emsmodi statuta seruantur: & qui iudicant secundum illa, & qui ea publica in forma scribunt.

119 Declar. prima, quòd non incurrunt hanc omnes, qui violant libertatem ecclesiasticam, vt nonnulli cẽ fuerunt, sed solum qui eam violant per viam statutorum, & consuetudinem contrariam, vt rectè dixit Caie. vbi sup. cas. 31. Secunda, quòd non satis est facere obseruari, si eradit ex libris intra duos menses, neque non eradere, si obseruari non facit, iuxta glo. d. cap. grauem. de sent. excom. & Commu. in d. cap. noverit, quãquam Syl. verb. excommunicatio 9. cas. 10. contradicit, & Caiet. dubitat vbi supra. Tertia quod quidquid dicat Caiet. dicto cas. 31 potestates, consules, gubernatores, & consiliarij incurrunt eam, quamuis nõ obseruẽt, neque obseruari præcipiant, si sciãt, & non impediant eorum obseruantiam: quia hæc est aperta sententia textus dicti cap. noverit. Nec obstat eius ratio scilicet, quod ex omissione nõ videtur incurri excommunicatio: quia id fallum est per cle. 1. §. verum. de hæret. & ipsemet contra Sylu. tenet in cap. 72. Quarta, quod qui faciunt obseruari vel seu ibi eiusmodi statuta sy ceró corde, quia credunt esse salutaria, non incurrunt, iux. Inno. in d. cap noverit in fi. maximè si credunt de consilio viri eruditi. & pro idonea scientia, & conscientia prædito habiti. arg. notatorum in cap. 1. de constitu. & glo. fing. quæ est tertia, ex qua Panor. commu. recept. hoc ibid. colligit cap. capellanus de feriis. Quinta, quod libertas ecclesiastica est, quam habet Ecclesia vniuersalis quatenus est talis in spiritualibus & temporalibus concessam à Deo, vel Papa, vel Imperatore, iuxta Innoc. in d. cap. noverit. colum. 2. Sexta, quod qui ordinat contra hanc, vel illam ecclesiam particularem, non incurrit hanc excõmu

Universidad de Deusto

nicationem, nisi illa etiam pertineat ad ecclesiam vniuersalem. Septima, quòd non sufficit aliquid esse cõtra libertatem ecclesiasticam. vnde in c. fin. de immu. eccle. lib. 6. non dicitur quod statuere ne laici coquant, molantant vendãt clericis panem &c. esse contra libertatem ecclesiæ, sed quòd præsumitur esse: quia per se non tangit ecclesiam quatenus est ecclesia, sed quatenus est congregatio hominum, vt sunt aliæ, quod est singulare dictũ Caiet. in d. cap. 31. & 37. quod aliàs, d. cap. vlt. addimus.

120 Octaua, quòd ad hoc vt aliquod statutum dicatur contra libertatem ecclesiasticam, debet esse factum intentione derogandi ei, aut alicui rei eiusmodi, quod ex sua natura aduersetur eidem: quale est statuere, ne ecclesiis vel ecclesiasticis dentur eleemosynæ vel decimę, vel vt vectigal, gabellam seu seruitutem soluant de his, quæ emunt sibi, & non ad negotiandum, seu ad causa lucri reuendendum. Nona quòd nõ est huius generis statuere ne in funeralibus, primis missis, vel nuptiis, extra modum offeratur, neque fiant immoderata conuiuia neque sumptus ceræ lusus & reliquæ pompæ, iuxta Caiet. in d. cap. 31. licèt Tabiẽ. cap. 20. contradicat, cui per prædicta respondeas. Quamuis enim hoc fiat ecclesiæ, & ecclesiastici minus lucrentur: tamen hoc factum suapte natura non eò refertur, sed per accidens, quod non consideratur, arg. l. si quis nec causam. ff. si cert. pet. cap. quia diuersitatem. de conces. præb. & latè trad. per Aristo. de physico auditu. declaratum per B. Tho. ibi lect. 9. Decima, quòd cap. vlt. de reb. eccle. quatenus dicit, quòd laici non possunt statuere de funeralibus, intelligendum est de his, quæ sua natura diriguntur ad ecclesiam, vel salutem animæ mortui, vel ad cultũ diuinum, vt senrit Fel. in cap. ecclesia. col. 38. de consti. & expressit Caiet. vbi supra, & non de aliis. Vndecima, quòd hęc excommunicatio hodie est reseruata Papæ, vt patet supra numero 61.

Excommunicationes lib. Sexti Decretalium nulli reseruatæ.

SVMMARIVM.

121 *Excommunicatio vndecima nulli reseruata, & prima Sexti in eos, qui secreto mittunt &c. Cardinalibus quando sunt in conclani ad eligendum. Duodecima in dominos &c. qui in electione Papæ non faciunt obseruari &c. Decimatertia in eos, qui molestia afficiũt electores, eo quòd non elegerint optatum ab eis, nu. 122. Decimaquarta in nouę vsurpantes ius custodiendi aliquam ecclesiã sede vacante &c. nu. 123. Decimaquinta in directorẽ electionis monialium, qui hoc vel illud facit nu. 124. Decimasexta in eum, qui procurat suum conseruatorẽ &c. Decimaseptima in facientes se metu absolui à censuris. Decimaoctaua in fingentẽ aliquid quo iudex vadat ad mulierem nu. 125. Decimanona in compellentes submittere bona ecclesiastica nu. 126. Vigesima in inuentores nouarum religionum. nu. 127. Vigesimaprima in exigentes ab ecclesiasticis portoria nu. 128. Vigesima secunda in sic impedientes iurisdictionem ecclesiasticam nu. 129. Vigesimatertia in dominos, qui prohibent iuditis ne pendant, nec emant à clericis, &c. nu. 133 Vigesimaquarta in religiosos temer. bal tum deferentes nu. 132. Vigesimaquinta in religiosos ad studia sine licẽtia euntes &c. nu. 133. Vigesimasexta in Doctores docentes tegis religiosos. nu. 133 Vigesimaseptima in sepelientes hæreticos num. 134. Vigesimaoctaua in Iudices non auxiliantes contra hæreticos &c. nu. 335 Vigesimanona in interficientes per assassinos nu. 136. Trigesima in permittentes fœnerationes nu. 136. Trigesimaprima in dantes represalias contra ecclesiasticos nu. 136. Trigesimasecunda in negligẽtes persequi iniurias Cardinalibus nu. 136.*

1. 6 *Tempus decem annorum est longum tempus.*

126 *Monitio extraiudicialis non debet esse necessario trina.*

128 *Mercator quis, qualis non est monasterium apportans terram &c.*

130 *Lex quod nemo vendat prædium nisi tributario, valida.*

132 *Religionis habitum quis relinquit, quando peccet mortaliter, & est excommunicatus.*

133 *D. Fr̃anciscus à Nauarra olim prior Roncæuallis, post Archiepiscopus Valentinus laudatus.*

134 *Religiosi Doctor qui excommunicatus.*

135 *Iudex non auxilians contra hæreticos vt excommunicatus.*

136 *Assassinus quis sit propriè & quis impropriè.*

138 *Represaliæ quis concedat cõtra clericos &c.*

121 VNdecima cap. vbi periculũ de elect. eo. lib. § nulli excommunicat omnes, qui mittunt literas, vel nuntiũ, vel clam loquuntur Cardinalibus inclusis conclani ad eligendum Papam.

Declar. prima, quòd non obligat ipsos Cardinales, qui sunt intus. Secunda, quod quãquam Archid. in d. cap. nulli quem sequuntur Io. Andr. Dominic. & Perus. cum aliis, dicat, vnumquodque horum trium secreto faciendum esse ad incurrendum: contextus tamen eius id de solo tertio significat, quod ante nos dicit Caieta.

Duodecima in d. cap. vbi periculum. §. præterea. excommunicat Dominos, Gubernatores & quoslibet alios magistratus seu officiales ciuitatis, vbi creandus est Papa, qui diligenter obseruari non fecerint omne id, quod eo tempore faciendũ esse statuitur in illo c. Huius declarationes missas facimus: quia raro, & in paucis locis sunt necessarię.

122 *Decimatertia, in cap sciant cũ Fi. de elect. lib. 6. excommunicat omnes, qui per se vel alios præsumpserint vexare aliquam personã ecclesiasticam, vel alia loca pro eo quòd rogati, seu aliàs inducti, eum pro quo rogabantur, seu inducebantur eligere noluerint, vel consanguineos eorum &c.*

Declar prima quòd ad incurrendam hanc necesse est, vt interueniat grauamen spolij, vel iniusta prosequutio: & quòd id fiat, quia noluit eligere eum, pro quo fuit rogatus vel suasus: & quòd persona eligenda sit ecclesiastica: & quòd grauamen seu molestia fiat rogato, vel eius cõsanguineo, vel ecclesiæ, monasterio,

vel pio loco. Caiet. vbi supra cas. 34. Secunda, quòd ex hac, infertur nos bene respondisse cuidam domino, eum non incurrisse hanc quòd prætermisisset largiri eleemosynas consuetas cuidam ecclesiæ: quia non fuisset electus in eas is quem optaret. Tertia, quòd per spolium intelligitur quæcunque acceptatio quorum libet bonorum mobilium vel immobilium occulta, vel violenta, iux. Arch. in d. c. sciant cuncti. Quarta, quòd id ipsum quod dicitur de electione, dicendum est de præsentatione, spectante ad personam ecclesiasticam, sed non ad laicam, iux. gl. fi. in d. cap. sciant: & idem de confirmatione, institutione & postulatione, iuxta Domini. recept.

123 *Decimaquarta, in cap. generali, de elect. lib. 6. excõmunicat eos, qui vsurpare conantes nouæ iuris custodiendæ, & seruãdæ alicuius ecclesiæ vacantis, præsumunt capere aliqua bona illius.*

Declar. prima, quòd duo sunt necessaria ad incurrendam eam, scilicet vt velint vsurpare tale ius, & vt capiant bona, ita vt alterum sine altero non sufficiat. Caiet. cas. 38. & ante ipsum Dominic. in d. c. conquestus. de foro compe. Secunda, quòd qui hoc facit, eo quòd ad eum pertinet ex fundatione vel antiqua consuetudine, vel præscriptione, non incurrit per finem illius cap. Tertia, quòd nouè vsurpare dicitur, qui nõ dum possedit 40. annos, iuxta gloss. eiusdem cap. verb. de nouo.

124 *Decimaquinta in cap. indemnitatibus. §. postremo. de elect. lib. 6. excommunicat accersitum in directorem electionis monialium, non temperantem à rebus, ex quibus nascit, vel ab potest discordia.*

Declar. prima, quòd nihil refert an is sit religiosus, aduocatus, prudens vir vel formina, iuxta gl. recep. in d. §. postremo. Secunda, quòd hinc colligitur quantum errent, qui existimant monales S. Claræ & cuiuscunque alius religionis, non posse accersire aliquam personam extraneam, scientia, & conscientia ad id idoneæ præditam, cui fidant ad faciẽdam sanctam, & canonicam electionem suæ Abbatissæ, cum possint vocare medicos, chirurgos, latomos, fabros lignarios, & alios ministros ad res necessarias: cum canonica electio sit maximè necessaria monasterio, & rectè factu difficillima, in qua tanta fele offerunt dubia, vt pauci, quamuis sint consummata canonum peritia, eam sic dirigant quin super aliquo errent. Verũ est tamen cæteris paribus, quòd satius esset vocari in directorem eiusdem ordinis virum, quàm extraneũ. Tertia, quòd vt rectè Dominic. ibi ait, non incurrit hanc, qui interest electioni non accersitus in directorẽ, neque qui excitat, vel alit discordiam facta iam electione, iux. Caiet. vbi supra cas. 80.

125 *Decimasexta in cap. fin. de offic. de lega. lib. 6. excommunicat partem incitantem conseruatorem ad procedendum in eis quæ non continent apertam violentiam vel iniuriam, & quæ requirunt altiorem indaginem. Hanc non incurrit, qui non est pars in iudicio, neque si est & procurauit, sed iudex non processit per dicta supra eod cap. nume. 51. Neque cum conseruator datur cum clausula, vt possit cognoscere etiam de eo, quod requirit altiorem indaginem, vt communiter hodie conceditur.* Quæ vero noue de hac re induxit Conc. Trident videre licet sess. 14 cap 5. de reformat.

Decimaseptima in cap. de hiis quæ vi. lib. 6. excommunicat eos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem vel reuocationem sententiæ excommunicationis, interdicti vel suspensionis

Declarat. prima, quòd nõ satis est iniicere metum, si absolutio nõ fuit impetrata, Arch. d. ibidem. Secunda, quòd nil refert an sententia sit iusta vel iniusta gl. ibidem: neque quod sit lata à iure, an ab homine, Caiet. vbi supra cas. 41 neque an ipse excommunicatus faciat hoc an alius, gl & Communis ibidem. Tertia, requiritur vt timor sit iustus, sicut sentit gloss. penult. in verbo, vim, eiusdem cap. & communis ibide; quamquam oppositum dicat Caiet. in dicto cas. 41. quod videtur tenendum quo ad forum conscientiæ, per posita capit 17 num. 4. & 29. & melius cap. 23. num. 51.

Decimaoctaua in cap. 2 de iudic libro sexto excommunicat eum, qui fingit casum, vel fraudem aliquam facit, quo iudex ipse vedat ad accipiendum testimonium alicuius fœminæ sed nil refert quòd qui fingit sit ipsemet iudex, neque quòd iudex sit clericus aut laicus. modo præfectio personalis iudicis perficiatur: sed non erit excommunicatus, si ipse non fingi fecit, iuxta communem in dicto capitulo secundo, & Caietan. vbi supra cas. quinquagesimonono

126 *Decimanona in capitulo secundo, de reb. eccles. non alien. libro sexto excommunicat omnes, qui compellunt prælates & alias personas ecclesiasticas ad submittendum perpetuò, vel in longum tempus, ecclesias, bona immobilia, aut iura eorum laicis in casibus iure prohibitis, & acceptantes illis tanquam superioribus patronis vel defensoribus. Et qui aliquid horum habentes per aliquem contractum licitè factum vsi non sunt plusquam per illum illis est remissum, & admoniti ab eo non desistunt.*

Declarat. prima, quòd ad incurrendam hanc est necesse intercenire omnes qualitates in ea tactas: & ideo iuxta gl. illius cap. eam non incurrit, qui hoc facit ad breue tempus, quod iuxta communem est illud quod est minus decem annis l. hu fi. fi ager vectigal. vel emphyt. & gl. ciem. 1. de reb. eccl. & Deci. cons. 11. par quidquid gl dicat. c. 2. de reb. eccles. lib. 6. Secunda, quòd admonitio secũdæ excommunicationis debet esse trina, iuxta gl. & Syl. verb. excommunicatio 9. cas. 19. Quanquam nostra sententia, vna est satis per gl. celeb. clemẽ. 1. §. 1. verb. requisierit. de hæretic. & resolutionem Panormi. & Decis. in cap. cum causa. de offic. deleg. quæ habet monitionem extraiudicialem, quam non facit iudex ad excommunicandum, sufficere vnicam, & etiam eam quæ fit in iudicio alteri quàm partibus litigantibus, & hæc est extraiudicialis, quæ non fit partibus litigãtibus, neque ad ferendam excommunicationẽ, quod glossam decepit, sed ad incurrendum à iure statutam. Tertia, quòd hic modus submissionis appellatur in Castella commenda, & quibus fit, commendatarij, vt apparet ex lege 1 tit 3 libr. 1. ordin. Castellæ, quæ sub aliis pœnis id prohibet.

127 *Vigesima in cap. 1. de relig. domib. libro sexto, excommunicat eos, qui instituunt*

stituunt nouum cultum religionis, aut accipiunt nouum habitum illius, & mendicantes exceptis quatuor ordinibus, qui alsque facultate speciali Papæ recipiunt aliquem ad suum ordinem, & qui ædificant nouam aliquam domum, vel locum, aut vendunt ex acquisitis.

Declarat prima, quòd non incurritur hæc, eo quòd aliquis vel aliqua accipiat aliquem nouum habitum, vt per se solitarius degat in sua domo, vel in alio loco iuxta gl. sing. in eod.cap.verb.habitum. qua commendat Panorm.consil.5.lib.1.modo non instituat ordinem viuendi in societate. Secunda, quòd nostra sententia Caiet.cap.5.prætermisit hanc: quia visum illi fuit eam collectam fuisse à doctoribus ex quadam extrauag.relata per eũ ibid.vbi hoc significat, quæ non extenditur ad tot.

128 *Vigesimaprima in capite quanquam.de cens. libro sexto excommunicat eos, qui per se, vel alios suo nomine, vel alieno exigunt ab ecclesiis, vel eccles. personis portorium, siue pedagium, & ducatum per se, vel alios pro suis personis vel suis rebus, quæs non deferunt causa negotiandi.*

Declarat.prima, hanc hodie contineri in bulla Cœnæ, iuxta Sylvest. verb. excommunicatio 9 cas.21 sed quia, vt rectè declarauit nostro iudicio Caieta per illa verba, *Portoria prohibita*, ibi non includuntur portoria, quæ licitè exiguntur à laicis, sed quæ illicitè petuntur tam à laicis quàm clericis, dictum Sylvest. limitandum est, vt non procedat quo ad ea, quæ licitè exiguntur à laicis, qui non sunt priuilegiati, quãuis illicitè exigantur à clericis & laicis immunibus. Neq; videtur posse fulciri dictum Sylvest. ad intelligẽdum illud generaliter, vt loquitur sexta clausula posita supra eod.cap.nume.67. dictæ bullæ, quatenus excommunicat eos, qui exegerint aliqua onera ab ecclesiasticis etiam sponte concedentibus: quia nostra sententia illa clausula loquitur de oneribus impositis petitis, & rogatis saltem indirectè ratione prouentuum ecclesiasticorum, & non de iis, quæ petuntur vt ab aliis quibuslibet laicis, prout significatur in eadem clausula, & in eius declaratione. Secunda, quòd ex hoc infertur, nos bene concepisse responsionem negatiuam in illo dubio. An portorij exactores, seu publicani, qui exigunt à clericis portorium, seu vectigal, siue gabellam, seu scissam in casibus prohibitis, incurrant excommunicationem Cœnæ, sicuti hanc: quia dicendum est quòd non. Tertia, quòd ille solus dicitur exercere mercaturam, qui emit, vt vẽdat absque mutatione eius: non autem qui emit in suos vsus, & postea per accidens vendit non mutando: nec qui emit vt vendat mutatam in aliam formã, iuxta Archid. & communem in d.c.1 facit cap.eiciens.88.distin Quarta, quòd monasterium, vel clericus, qui habet venam ferrariam suam, & exportat eam in alias terras, vt inde ferrum conficiat, & vendat, nõ debet vecturam, iuxta Federic.consil.207. quem sequitur Anchar.in dicto capit.quãquam. vt nec deberet suos prouentus ecclesiasticos si deueheret, vel sui patrimonij, iuxta Cyn.recept.in homnes.C.de episc. & cleri. per illam legem in §. priuilegia. quamquam deberet, si emeret solam venam, & aliorum ministrorum manibus cõficeret, iuxta Anchar.in dicto capite quamquam nume.5 contra Feder.in hoc vltim. Quinta, quòd locatores, & agricol. partiarij prædiorum ecclesiasticorum, debent soluere pro sua parte, iuxta Dominic. & Perusin. in dict.cap.quamquam. Sexta, quod qui accipiunt guidagia, seu ducatus, seu mercedem ob id, quod ducant, & portoria à clericis & ecclesiis persoluentibus sua sponte, non incurrunt hanc iuxta omnes, sed pauci sunt, qui sic soluant, iuxta Caietan. cas.39. Qui vero recipiunt fictas tallias, vel vectigalia illis imposita, quamuis sponte soluant, incurrunt eam, quæ continetur bulla Cœnæ, de qua sup.eod.cap.nu.61.

129 *Vigesimasecunda in capite quoniã. de immunt.eccles libro 6. excommunicat impedientes iurisdictionem & iudices ecclesiasticos ample* Sed quia id amplius facit bulla Cœnæ, de qua supra eodem numer.69.eius rationem omittimus.

130 *Vigesimatertia, in capite final.de immunit.eccles.libr.6 excommunicat eos, qui habent dominium temporarium, & prohibent subditis, ne vendant vel emant quidquam personis ecclesiasticis, neque molant frumenta, neque coquant panes, neque præstent alia officia.*

Declarat.prima, quod per dominium intelligitur temporariũ, secũdum omnes. Secunda, quod non est necesse vt de hoc statuto caueãt, sed sufficit vt imperent subditis, Domi. ibid. Tertia, quod vt supra dictum est, eod.cap.nume.110. hoc ex se non est cõtra libertatem ecclesiasticam, sed contrã societatem vitæ humanæ: præsumitur tamen fieri contra eã, vt dicit textus singulariter: quia præsumitur quod intentio est vexare eam, Caieta.vbi supra cas.31.& 37. Quarta, quod statuere, vt nemo vẽdat sua prædia ei qui non confert in communia vectigalia non est ex se contra libertatem ecclesiasticã Dominic.ibidem: quia intelligendum est, ita vt non comprehendat clericos, quanquam posset esse ob prauam intentionem, & iniustam extentionem.

131 *Vigesimaquarta in can.2 ne clerico vel monacho lib.6. excommunicat religiosos, qui temere relinquunt habitum sui ordinis.*

Declarat.prima, quod hæc nõ incurritur ob honestam dimissionem, qualis est quę fit iusta de causa gloss. capit.si quis ex clericis.de vit.& honestat.cleric. Secunda, quod neque etiã incurritur ob quamlibet dimissionem temerariam: quia quælibet dimissio absq; rationabili causa est talis: quia necessario vti debet religiosus suo habitu in omni loco cap. vidua. 20. quæst.1.c.sanctimoniales. 23.dist.saltem de honestate, iuxta S. Anton 3.part.tit.24.c.5.& quælibet talis nõ est peccatum mortale, cum dimissio ad cutrendum, vel iaculandum lapidem, non sit talis, iuxta Palud.in 4.distinct. 18. quæst.3.colum. 10. Tertia, quod non incurritur etiã ob quamlibet dimissionem temerariam mortiferam: quia non incurritur ob dimissionem vt expeditius fornicationi indulgeat, Sylu. verb. excommunicatio nona cas 2.nor.2. credens rectè id, quod Palud. vbi supra prima facie huic contrarium dicit intelligi de eo, qui relinquit vt

dissimu

dissimulatus ad fornicādum vadat. Quarta, quòd incurritur ob dimissionem quæ fit ad videndum alio ad scelus aliquod mortiferum, aut in tātum tempus aut ob talem causam & rationem, quòd iudicio boni viri dicatur dimisisse habitum, vt probat Sylvest. Quinta, quòd ex hoc sequitur, quod non incurritur ob dimissionem, si non accipit alium, neque etiam ob acceptionem alterius adeo exiguo spatio, vt vix sit notabile iudicio boni viri vt dicatur reliquisse, siue relinquat illum intra monasterium, siue extra in aliquo hospitio, vel extra: vt qui relinquit hylari aliqua leuitate, vel ob lætum festum primæ missæ, vel nuptiarum, vel doctoratus, vel alterius rei similis secundum sententiam Card. in cle. 1. de vit. & honest. cleri. quæst. 3 Sexta, quòd incurrit etiam, qui nō dimittit omnino, sed gestat occultum, iuxta gl. fing. in dict clemen. 2. verb. extrinsecus, & si oppositum teneat Panorm in capit. Deus qui de vit. & honestat. cleri. cuius opinio videtur vera, cum non adeo occultat, quin familiares cognoscant eum esse religiosum: gloriæ vero, quando abscondit, sic, vt non appareat talis familiaribus, vt optimè innuit Caieta. cas. 61. Et est consuetudo canonicis simplicibus regularibus in Hispania, qui communiter gestāt paruum habitum super saguis veste talari obrectis. Diximus, *Simplices*: quia ordinum militarium quales sunt Iacobi, & Christi, deferunt alia insignia in vestimentis exterioribus, quibus internoscuntur pro religiosis. Septima, quòd incurrit, qui dimittit etiam ad accipiendum alium alterius religionis iuxta cōmunem, quamuis immediatè sumat illum, iux. a Sylvest verb. excommunicatio 9. cas. 25. quæst. 6. & Caiet. vbi supra, licet Lapus. allegat 34. & Dominic. in d. capit 2. oppositum censeant, detorquentes textum a suo proprio sensu.

132 *Vigesimaquinta, quod Concil. Trid. sess 25. cap. 16. de regul. statuit quòd nulla regularis prætendens se vi vel metu ingressum religionem vel ante ætatem deliberam professum, aut quid simile, valeat habitum quacunque de causa dimittere, aut etiam cum illo sine licentia superiorum discedere, audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, ac tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum in æmoneque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur & nullo priuilegio suæ religionis gaudeat. Nullus etiam regularis cuiusuis facultatis vigore transferatur ad laxiorem ordinem, neque detur cuiquam regulari facultas occulte ferendi habitum suæ religionis.*

Vigesimasexta in dicto capitulo secundo nec clericus vel monachus libro sexto excommunicat religiosos qui nolunt ad aliqua studia, etiam theologica sine licentia sui prælati, aut cum ex sine consilio maioris partis conuentus.

133 Declarat prima, quòd seniori licentia indiget religiosus ad addenda studia, quàm alia negotia: quia ad hæc satis est licentia sui prælati, & ad illam non sine sui conuentus. Secunda, quòd non incurrit hanc qui proficiscitur ad alium locum vbi est conuentus sui ordinis, & est studium literarum ad studendum, eo

eo quòd magis dicitur mutare conuentum, quàm ire ad studium literarum, iuxta Caiet. vbi supra cas. 61. Tertia, quòd non incurrit qui proficiscitur cum sola licentia superioris prælati, à quo pendet licentia habitandi extra monasterium, vt in ordinibus mendicantium. Quarta, quòd neque etiam incurrit abbas, vel prior superior ob id quòd ad literarum studia proficiscatur sine licentia sui superioris & conuentus, iuxta Anchar. quem sequuntur ibi Ioan. Andr. Dominic. & Angel. verb. excommunicatio. cas. 27. & communis: quamuis Perus. ibidem dubitet, & Sylvest. verb excommunicatio 9. cas. 25. teneat oppositum, quod per locum à speciali probatur hic non esse quem excommunicatum, eo solo, quòd exeat monasterium sine licentia prælati non dimisso habitu, licet contrarium asserat Rebuff. hinc text. in praxi. benefic. de dispens. cum regu. nu. 17. Quin & videtur expressum in extrauagant. viam. de regul. monitionem præcedi, vt eiusmodi exiens sine licentia excommunicetur, quæ opinio Archid. obseruata fuit Tholosæ erga Illustris. D. Frac. à Nauarra, qui cum hoc Mannale Hispano sermone componebamus, erat Reuerendiss. Episcopus Pacensis, cum antea fuisset prior maior celebertimi Monasterij, simul & Xenodochij seu hospitalis generalis Beatæ Mariæ nostræ Roncæuallis, qui illustribus virtutum eximiarum literarum, & admirabilis vitæ, & consuetudinis ornamentis, & insignibus in illud vsque tempus semper suam regiam stirpem honestauit atque decorauit, quemque tunc Cæsarea Maiestas archiepiscopum Valentinum designauit, declaratis exterioris dignitatis actione incrementa interiora heroicarum eius virtutum, quæ diuino munere in dies magis ac magis illustriores fiebant, & ferebantur in cursum, vbi iam à multis annis, vt par est credere, tam fœliciter fruitur Christo, quàm sanctè vixit in terra: cui viuenti vt magno tempore suauissimè conuixi, vtinam liceat post fata mea, quæ longè abesse nequeunt, beatè conuiuere æternum. Amen.

134 *Vigesimaseptima in dicto cap. 2. excommunicat Doctores, qui docent leges, aut medicinam religiosos qui reliquerunt suum habitum, aut detinent eos arroganter in suis scholis.*

Declarat quòd quatuor faciunt hæc incurrere, scilicet quòd auditor sit religiosus, & audiat leges, vel medicinam, & id fiat relicto habitu: & quod doctor id sciat, eumque doceat, vel arrogater detineat in scholis, iuxta Caiet. in dicto cas. 61 quāuis Archid. in d. ca 2. & Ioan. Andr. & Sylvest. verb excommunicatio 9 cas. 26. teneant non esse necesse vt reliquat habitum: quia licet auditio non relicto habitu sufficiat, vt doctor incurrat aliam excommunicationem latam per cap. nuper. & ca. si concubinæ. de senten. excommun. contra participantes cum excommunicato in crimine ob quod est excommunicatus, vt participat doctor, qui prælegit leges vel medicinam religioso, postquā ob auditionē incurrit excommunicationē: non tamen sufficit ad incurrēdam hanc, quæ requirit habitus dimissionem.

Vigesima

Universidad de Deusto

Vigesimaoctaua in cap. 2. de hæret. libro 6. excommunicat eos, qui scienter præsumunt sepelire in loco sacro hæreticos, credentes, & eorum receptatores, defensores aut fautores, & prohibet absolutionem, quousque suis propriis manibus è sepultura extrahant, & foras mittant.

Declarat. prima, quod qui sint hi credentes, & qui sint implicite & non explicite hæretici, dictum est supra nu. 56. Secunda, quòd tam laicus quam clericus hanc incurrit Io. Andr. in d.c.2. quem sequitur Perus. cum communi.

135 *Vigesimanona in cap. inquisitionis. de hæret. lib. 6. ecce excommunicationes complexa, excommunicat omnes habentes iurisdictionem temporariam non obedientes episcopo, & inquisitoribus in requirendis, prehendendis, & custodiendis hæreticis, credentibus, defensoribus, & fautoribus: & qui non perduxerint illos ad Curiam, & loca ad quæ requiruntur, & qui non prehenderint prædictos, postquam coram brachio seculari fuerint traditi, ad puniendum illos sine mora: & eos qui postquam prehenderunt, dimittunt sine licentia epi, copi, vel inquisitoris: & eos qui aliquo modo cognoscunt, vel iudicant de crimine hæresis: & qui directè, vel indirectè impediunt episcopos, aut inquisitores in illorum processibus: & eos qui ad aliquid prædictorum præstiterint auxilium, consilium, vel fauorem.*

Declar. prima, quòd hæc non est reseruata, sed illi contra quos datur, toties incidunt in eam, quæ est bullæ Cœnæ, quoties se faciunt fautores huius pestiferæ gentis, Caiet. vbi supra. cas. 2. & probatur per clausulam primam bullæ positam supra eo. cap. nume. 55. & 56. Secunda, quòd si episcopus iuberet vnum, & inquisitor contrarium debet supersedere iuxta Ioan. Andr. in dicto cap. vt inquisitionis.

Vigesima nona in cap. 1. de homicid. lib. 6. excommunicat omnes eos, qui per assassinos interficiunt aliquem cbr stianum, aut iubent interfici, quamuis nõ sequatur mors, aut receperint, defenderint, vel celauerint.

Declar. non incurrunt hanc, qui faciunt interficere ob pecuniã, quãuis huiusmodi interfectores vulgus Italicum appellet assassinos: quia non sunt proprie tales: illi enim soli certi quidam pagani ditionis cuiusdam domini, ita persuasi vt putent præcellens opus esse interficere, quẽ suus dominus iubet, quomodocunque, & quacunque de causa iubeat; & non esse id omittendum, quamuis ob id occumbere oporteat, vt gl. Ioan Andr. & Archid. sentiunt in dicto cap. & Aret. in consi. antep. col. 16. vbi non fuit ausus tueri contrariam opinionem.

136 *Trigesima in capitul. 1. de vsur libro sexto excommunicat clericos, qui non sunt episcopi, ob vnumquodque ex quatuor, scilicet, quòd permittant versari in suis terris fœneratores publicos alienigenas, vel quod non expellunt eos ex illis, vel quòd locant illis, vel alio prætextu concedunt domos ad vsuras exercendum.*

Declarat prima, in excommunicationem duorum priorum casuum incurrunt solum clerici, qui sunt domini, in posteriores quilibet, vt annotauit Caietan. vbi supra cas. 31. Secunda, quòd per alienigenam intelligitur

ligitur qui non est natus in illa terra, neque est filius orti in ea: quia dicit alienigena, & alius non oriundus, iuxta communem. Tertia, quod nihil refert an fœnerator sit Iudæus vel Christianus quo ad hoc iuxta Dominic. & Perus. in d.c.1. Quarta, quod non satis est dare domum in habitationem vel in hospitium, nisi concedat ad fœnerãdum actualiter vel virtualiter iuxta sentẽtiam communem ibidem.

Trigesimaprima in c.1 de iniur. lib.6. excommunicat eos qui couerdunt, vel extendunt represalias ad ecclesiasticos, vel eorum bona, nisi intra mensem à concessione vel extensione reuocauerint.

Declaratio prima, quod hæc locũ habet tam in represaliis, quæ iuste conceduntur contra gentem, vel ciuitatem, vnde est clericus vel ecclesia, quã in his quæ iniuste: quia textus generaliter edicit, & eadem est ratio quo ad hoc. Secũda, quod concedere pertinet ad superiorem, qui concedit, & extendere ad inferiorẽ, cui conceduntur glo. d.c.1. verb. extendit. Tertia, quod qui concederet represalias cõtra bona alicuius clerici propter sibi debita, iudicãs hoc conuenire, nõ incurreret hanc, iuxta Arch. quem Io. And. Dominic. & Perus probant. quod validis rationibus confirmat Caietan. vbi supra cas. 31. Quarta, quod propter debita clerici vnius episcopatus, non possunt concedi contra bona alterius clerici eiusdem episcopatus, glos. eiusdem c. verb. concedi.

Trigesimasecunda in c fœliciis. de pœn. lib. 6. § quapropter. excommunicat omnes principes, & alios dominos & iudices non obseruantes tenorem illius statuti contra percutientes vel insequentes hostiliter aliquem Cardinalem. Quæ hodie videtur facta bullæ Cœnæ, vt supra eod. cap. nu 96.

Excommunicationes clementinarum nulli reseruatæ.

SVMMARIVM.

137 *Excommunicatio trigesimatertia non reseruata, & prima clementinarum, impugnantes, sequestrum, vel impedientes. &c. Trigesimaquarta in sepelientes in loco interdicto num. 137. Trigesimaquinta in religiosos qui sibi appropriant decimas. nu. 138. Trigesimasexta in religiosos adiuuantes aulas ad nocendum num. 138 Trigesimaseptima, in monachos habentes arma in monasterio. nu 139. Trigesimaoctaua in impedientes visitationem monialium num. 140. Trigesimanona in imitantes statum beguinarũ nu. 140. Quinquagesima in contrahentes matrimonium in sex casibus. nu. 41. Quadragesimaprima in inquisitores pecuniam accipientes, &c. nu. 142. Quadragesimasecunda in facientes statuta ad soluendum vsuras nu 143. Quadragesimatertia in mendicantes accipientes domos nu 144 Quadragesima quarta in religiosos suadentes decimas. nu 145 Quadragesimaquinta, in negligentes dissuadere decimas. &c nu 145. Quadragesimasexta, in religiosos non seruantes interdictum nu 146 Quadragesimaseptima, in impugnantes literas Papæ electi nu. 147 Quadragesimaoctaua, in interpretantem clementinam Exiui. nu. 147. Quadragesimanona, in beccchos aut beguines num. 148 Quinquagesima, in imprimentes libros sine examine. num 148. Quinquagesimaprima, in impedien-*

Universidad de Deusto Biblioteca

tes nuntiorum receptionem num.146. Quinquagesimasecunda, in alienantes vel locantes bona ecclesiastica.num. 149 Quinquagesimatertia, in mulierum raptores, &c. Quinquagesimaquarta, in cogentes ad matrimonia minus libera. Quinquagesimaquinta, in cogentes virginem, &c ingredi monasterium, &c Quinquagesima exta. in impedientes Virginum sanctarũ veli accipiendi voluntatem, &c. Quinquagesimaseptima, in concedentes locum ad duellum, &c Quinquagesimaoctaua in committentes duellum, &c. Quinquagesimanona, in dantes consilium in causa duelli, & illius spectatores. Sexagesima, in non habentes pro authenticis libros sacrorum librorum, &c. Sexagesimaprima, in mulieres ingredientes claustra monasterium. Sexagesimasecunda, in male tractantes ministros inquisitionis. Sexagesimatertia, in scientes & non revelantes iniuries Cardinalibus. Sexagesimaquarta, in capientes fructus beneficiorum primi anni, &c. Sexagesimaquinta in monialesexeuntes monasteria, &c. Sexagesimasexta, in capientes Christianos in seruos. Sexagesimaseptima, in non parentes inquisitioni generali nu.150.

137 Sequestra infringens cur hodie excommunicatus.

138 Decimas ob retentas quis religiosus incurrat excommunicationem.

138 Religiosus ad eos Regiam ad nocendum prælato, vel monasterio.

139 Canonicus regularis arma gestans an excommunicatus.

140 Visitationem monialium impediens est excommunicatus.

144 Inquisitores ob acceptam pecuniam quomodo excommunicati.

144 Religiosus qui loca ad habitandum accipiens excommunicatus.

145 Religiosus quis dissuadens, vel non suadens decimas est excommunicatus.

146 Religiosi non seruantes interdictum ecclesiæ matricu excommunicati.

147 Papa simul ac electus, est confirmatus à Deo.

147 Glossare clementinam exiui de verb. signifi. an prohibitum.

148 Impressio & editio librorum vt prohibita.

149 Legati qui impedit receptionem est excommunicatus.

149 Locat qui bona ecclesiastica vltra tres annos an excommunicatus.

137 TRigesimatertia in clemen. 1. de sequest. possessio. & fruct. excommunicat eos, qui capientes fructus beneficij impediunt, vel infringunt sequestrum inductum super beneficio ab ordinario ob latam in curia Romana vnam sententiam definitiuam super possessione, vel proprietate eiusdem.

Declar. quo visum fuit Caiet. vbi supra cas. 43. hunc casum raro contingere: quod aliquãdo mirum nobis fuit cernẽtibus quotidie sequestra poni, & infringi, & impediri, donec aduertimus sequestra huius tẽporis nõ poni ab ordinariis, de quibus loquitur hic textus, sed ab ipsis auditoribus Rotę auctoritate Papæ: & sic hodie non incurritur hæc lata à iure, sed alia, quam fert iudex, qui decreuit sententiam.

Trigesimaquarta in clemen. 1. de sepult. excommunicat eos clientes aliquem in loco sacrato interficto in casibus non permissis, aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vsurarios manifestos.

Declar

Declaratio prima, quod incurrunt hanc clerici exempti, & non exempti, laici, fœminæ, glo. 1. d cle. etiamsi iussu prælati hoc faciant. Card. q. 5. ibidem. Secunda, quod incurrunt sepelientes in ecclesia, idem q. 7. ibidem: quamuis textus non loquatur nisi de sepelientibus in cœmeterio: non tamen de sepultis in agris, & locis profanis, etiamsi sint coniuncta sacratis gloss. 5. ibidem. Tertia, quod omnes & soli illi videntur hodie quo ad hunc effectum publici excommunicati, vel nominatim interdicti, qui pro talibus sunt denuntiati, per extrauag ad euitanda relatam supra eodem cap. num. 35. quanquam gloss. 7. eiusdem clem. & doctores saper illa, & Pan. Fel. & alij in c. exceptionem. de excepti. aliud dicant. Quarta, quod vsurarius manifestus dicitur quo ad hoc, qui notorie sine palliatione siue simulatione interesse, vel aliorum contractuum fœnerat, secundum mentem communem, quam exprimit Caiet. cas. 46. Quinta, quod solum qui sepeliunt, & collocant corpus in sepultura incurrunt hanc, & non qui efferunt, vel prosequuntur, aut diuina officia peragunt, iuxta glo. eiusdem cle. verb. sepelire. quamuis solus baiulus sepeliret iuxta Caietanũ, quod videtur defendi posse per adducta supra: quamuis gloss. singu. cum communi refragetur in eadem clem. eo quod constitutio esset ludibrio contra cap. commissa. de elect. lib. 6. pro qua facit limitatio quædam ibi tacta, & fundata in cap. significauit. de iudæ. At quis audeat dicere mille prosequentes funus excommunicari vno solo baiulo sepulturæ inferente, quod consequeretur ex gl. Sexta, quod neque sepelientes incurrunt, nisi scienter & præsumptiue id faciant: & ita qui crederent eos fuisse absolutos aut dedisse cautionem iustam, non incurrerent eam, Caiet vbi supra. Septima, quod horum absolutio fine debita satisfactione, est iniusta & nulla, quia præfata cle. habet, vt sine illa nullatenus absoluantur: quæ dicto nullitatem ipso iure inducit, iuxta gloss. sing cle. 1. de sequest. poss.

138 *Trigesimaquinta in clemen. 1. de decim. excommunicat religiosos quoscunque, qui noualium aut alias decimas ecclesiis debitas ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes appropriare sibi præsumpserint: aut qui exquisitis coloribus & dolis vsurpant: & eos qui non permittunt vel prohibent solui decimas ecclesiis animalium suorum familiarium, vel pastorum vel aliorum quæ suis committerent: aut animalium, quæ in fraudem ecclesiarum in multis locis emunt, & trahunt venditoribus, vel aliis tenenda, aut terrarum quas colendas aliis tribuunt, si requisiti ab iis quorum interest, non desistant intra mensem: aut si quod contra prædicta præsumpserint vsurpare, non restituerunt competenter intra duos menses à fuis lesis.*

Declar. prima, quod hanc incurrũt quilibet religiosi, quamuis sint ordinum mendicantiũ, sed non laici, neq; clerici seculares glo. 1. eiusdem clem. neque religiosus translatus ad ecclesiam secularem: quia nõ est simplex religiosus. Syl. verb. excommu. 9. cas. 36. neque etiam, nostro iudicio, incurreret suspensionem quã incurrunt alij religiosi, qui

habent beneficia regularia, per dicta supra cod. c. nu.101. in excõmunicatione cle.1.de priuileg. per quãdam decisionem Fel.in cap. tua.1. de iureiur. Secunda, quod nemo eam incurrit, cui solo, quod nõ soluit, nisi appropriet, vsurpet, aut prohibeat, vel non permittat gloss. recept. ibidem verbo prohibuerunt. Tertia, quod non incurrunt qui hoc faciũt credentes eas pertinere ad sua beneficia per priuilegium vel præscriptionẽ: quia textus habet, præsumpserunt, & ita requiritur dolus, per dicta in repet.c.accepta.de rest. spol. oppos.8.nu.32. & sed. Quarta, quod sufficit vna requisitio gloss. verb. facta eiusdem clem.

139 *Trigesimasexta in cle. ne in agro. § quia vero. de stat. monacho. excommunicat religiosos simplices, qui petunt aulas principum animo necendi suis prælatis, aut monasteriis.*

Declarat.quod hæc incurritur ab eo qui prædictã facit: quamuis proficiscatur in aulam cum facultate, siue licentia, gloss. in verb. ipso facto, recept.cõmuniter in d.§.quia vero.

Trigesimaseptima in ead. clem. & eo. §. excommunicat monachos, qui sine facultate abbatis habent arma intra claus monasteriorum.

Declaratio prima, quod non incurrunt hanc canonici regulates gl. recepta eiusdem cle. neque qui habent lapides, & baculos glo.3. eiusdem cle.quidquid dicat Pan. in dict. clem. non quia non sint proprie arma, sed quia non fuit legis intentio intelligere de illis, & quia per se nõ sunt bellica, quamuis per intentionem fieri possint talia per ea, quæ late diximus in repe. c. ita quorundam not.11.nu.13.de iudæ.& tactum est supra,nu.63. Incurrunt tamẽ qui habent cassides,thoraces, & alia arma defensiua, quæ ex se sunt talia, secundũ communem. Secũda,quod claustrum est locus vnde exire non licet sine facultate, Cardin. ibidem. Tertia, quod non incurrit qui per negligentiam, ignorantiam iuris, vel obliuionem,sine praua intentione offendẽdi habẽt eiusmodi arma, etiam in cubiculo. Caiet.cas. 63. neque qui habet ad resistendum suo abbati, quem probabiliter timet se inuasurum Card.ibidem. neque qui habet in alio monasterio:neque qui forte venit cũ illis in monasterium, nisi in eodem seruarit gloss. in verb. tenentes eiusdem clem.

140 *Trigesimaoctaua in clem. attendentes.§ fina. de stat. mona. excommunicat eos, qui præsumunt impedire visitatores monialium in eo, quod statuitur à concilio in d.clem. si à visitatoribus admoniti non cessant.*

Declaratio, quod hæc admonitio fieri debet posito iam impedimẽto, & nõ sat est ea, quam ante nonnulli visitatores faciũt:quã quam satis est, vt sit generalis,glo recepta ibidem.

Trigesimanona in cle.1 de relig. domib. excommunicat fœminas, quæ sequuntur statum beguinarum. vel de nouo instituunt, & religiosos, qui eas iuuant consilio auxilio, & fauore.

Declaratio, quod non includuntur hac moniales tertij ordinis S. Dominici,neque S Francisci, ne fœminæ,quæ sine regula aliqua degũt in suis domibus, vel suorũ patrum, vel cognatorum,vel aliorum, cœlibes insistuientes Deo, vt ab ipso afflatæ fuerint,iuxta Caieta.vbi supra cas.6.

cas.6.& communem in dict.clem.

141 *Quadragesima in cle 1.de consang. excommunicat eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdicta, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon religiosos, moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, & inter eos scienter eadem celebrantes.*

Declaratio prima, quod hæc ligat septem genera hominũ, quamuis glos. 1. eiusdem cle.recepta dicat sex:quia omittit clericum qui sciens eiusmodi celebrat contractum. Secunda, quod interpretatio Caietan. principalis, vbi supra cas. 47. huius clem.est obscurior ipsa: & quod non incurritur ob matrimonium cõtractum cum Iudæa, Saracena,vel Pagana, vel cum affine spirituali, vel cum qua intercedit publicæ honestatis impedimentũ,vel aliud quodlibet, quamuis sit tale, vt impediat valorem matrimonij, nisi in solis prædictis septẽ casibus: nec in illis, nisi quando sine iusta dispensatione contrahitur,iuxta dictam glos. 1. & sine conditione, si Papa dispensauerit Couar.in epith cap.5 num.7. Tertia,quod illud aduerbium, *scienter*, tres priores casus tantum respicit, & in septimo loco eius ponitur, *sciens*: quia in aliis non est communiter locus ignorantiæ: vbi tamen esset,idem iuris foret, vt sentit glo. verb. contrahentes. eiusdem clem. recept. sub fin. Quarta, quod à pœna illius clem. sola ignorantia facti probabilis excusat secundum glos. verb. *scienter*. quam dixit singularem Præpositus in cap. ex parte 1. colum. pen. de appel contra quam tenui prælegendo illam Salmanticæ, & nuper consulendo in sacro Pœnitentiæ prætorio, cum Ioan. Imol.& Bonifac.super eadem. Tum quia dicta clem. non loquitur simpliciter de contrahente, sed de contrahente scienter, & lex puniens facientem aliquid scienter, requirit dolum,l.sed si lege.§ scire. ff. de pet. hæred. à quo quæ habet ignorantia etiam crassa excusat. l. igitur. ff. de lib.cau.& l. plagij. C. de leg. Flau. de plag. vbi glo. hoc dicit, etiam in id alias leges in verbo,iusta. Tum quia aliobui nil referret, an lex diceret simpliciter qui contrahit, vel qui scienter contrahit, quod est contra mentem omnium. Tum quia certum est, quod quacunque ignorantia quis aliquid faciat, vere non facit scienter:& ita vere non continetur lege lata cõtra facientem scienter:quamuis quo ad forum exterius aliud interdum præsumi posset, sed hic de foro cõscientiæ agimus. Tum quia quæcunq; ignorantia, quæ nõ est tantum comes, sed etiam causa sine qua non fieret actus, diminuit de culpa illius, secundum S. Thom. recept. 1. 2. quæst.74. art.1. Quinta, quod non incurrunt contrahendo sponsalia, siue matrimoniũ per verba de futuro, neq; ob id quod rem habeãt ante illa. gl. sing. d.cle. verb. contrahere.neq; postea,si eã habuerunt sine volũtate maritali, secus si cũ hac habuerunt,incurrunt,in quo casu intelligenda est d. glo. quæ est vera secundũ antiqua iura. non post Cõcil.Trid.in locis vbi legitime publicatum est,secundum quod hodie nulla sponsalia possunt transire in matrimonium per copulam: quia

nullum est valiturum nisi fiat, saltem coram parocho, & duobus, vel tribus testibus, vt dictum est supra cap. 14.nu.vlt. per præceptum Concil. ex plicatum in cap.12.nume.18.cui hoc addendum erat: sicut & huic loco addendum est, quod habetur in c. 22.nume.43. Sexta, quod ad incurrendã hanc non sufficit, quod scientia supradictorum impedimentorum superueniat post contractum, licèt sufficiat ad peccatum si non separentur secundum gloss.communiter recept. in dicto verb. *scienter*. Septima, quod qui præbent consilium, auxilium, vel fauorem ad id, vel mandant, non incurrunt hanc, quę contra solos contrahentes matrimonium, & clericum celebrantem datur, vt patet ex verbis: quamquam per constitutiones synodales solet extendi etiam ad testes. Octaua, quod qui contrahit matrimonium ob timorem, qui in alijs contractibus foret iustus, non incurreret, per supra dicta cap.22.num.50. licèt peccaret mortifere, etiam ducendo consanguineam in tertio vel quarto graduquia talem trangressionem iustus timor non excusat à mortali, iuxta Caieta.1.2.quęstio.96. artic.4.

142 *Quadragesimaprima in clem.2.de hæret.excommunicat omnes inquisitores, & commissarios suos, aut episcopi, vel capitulo sede vacante, qui prætextu sui officij illicite sumunt pecuniam aliquam & qui scientes confidant bona ecclesiastica.*

Declar.prima, quod per commissarium potest intelligi vicarius episcopi Caiet.in sum.verbo.excommunicatio.cas.4.& per pecuniam quælibet res quæ illa æstimari potest, c. totum.1 quæst 3.& glo.in d. cle 2. Secunda, quod est casus episcopalis, sed præcedere debet satisfactio, & aliàs non valeret: quia admit potestatem dicendo, quod non possint absolui sine ea. quod est verum quando potest satisfacere secundum gloss. in verb. satisfecerit. in d.clemen.2. nisi in articulo mortis. Tertia, quod non est soluenda pęna vltra id quod fuit acceptum, vt valeat absolutio, iuxta gloss. ibidem verb officij. quæ probat quandam conclusionem singularem supra ponam, cap.23.numero 65.

143 *Quadragesima secunda in cle.1. de vsur. excommunicat omnes officiales ciuitatum, vtcunque appellentur, qui faciunt, scribunt, vel dictant statuta vt soluantur vsuræ, vel quòd soluta non possint repeti: & eos qui iudicant vsuras esse soluendas, aut non esse repetendas solutas: & qui ad id potestatem habentes non eradunt e libris talia statuta, vel consuetudinem vim eorum habentem.*

Declar.prima, quod duo requirũtur ad incurrendum hanc, scilicet quod sint officiales ciuitatũ, & quod faciant aliquid ex sex prædictis in ea prohibitis. Caieta. vbi supra cas. 51. & ideo qui sentẽtiam scribit, eam non incurrit, gloss.recep. in d.clem. verbo iudex: quamuis in casu cap. nouerit. de senten.excommu. de qua supra eo.cap. nu.119. in princ. incurrat. Secunda, quod non incurritur statuendo, vt nemo accipiat pro vsura, nisi tantum quid pro viginti in mensem, iuxta gloss.fin.in d.cle. 1. verb. facere. per quam iam pridem defendimus quandam legem Lusitaniæ.

144 *Quadragesimatertia in cle.cupientes. de pœn.excommunicat omnes religiosos mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca in habitatione, aut commutant, vel alienant acquisita ante Concilium Lugdunen aliquo titulo.*

Declar.prima, quod non incurrit hanc, nisi qui est mendicans, & præsumit facere aliquam rem ex his tribus per prędictam cle.cõiunctam prædicto cap.1. & ob id non incurrunt, qui relinquunt, vel mutant accepta post Concilium, de quo. cap. 1.quia illud relinquere, & mutare ad hos solum refertur, iuxta Anch. & Dominic.ibidem. Secunda, quod neque etiam incurrit, qui ad finem, vt sit eremita, accipit, vel construit sibi aliquam domum remotam à populis, vt probatur ibidẽ sub finẽ, vel ob aliam causam quam ad habitationem antiquam, iuxta Dominic. & commu.in dict.cap.1. Tertia, quod Papa Iulius II. de quo in supplemẽto fol 8. concess.27. concessit Minimis, vt non obstante hac prohibitione, possint recipere quaslibet domos, & ædificare basilicas, siue eremitoria, & loca in suam habitationem, sine alia facultate apostolica, & per consequens omnes qui eisdem priuilegijs gaudebunt, vt gaudent fratres minores obseruantiæ per participationem. Quarta, quod etiam possunt ministri prouinciales obseruantię per priuilegium Leonis X.in d.supplemento fol.91.concess. 277.occurrẽte necessaria causa trãsferre, vel mutare ecclesias, tam fratrum, quàm monialium ab vno loco in alium, & conuertere priora loca ad vsus humanos, vt melius videbitur condacere eiusmodi locis, & monasterijs, sic vt materia ædificiorum adhibeatur ad alteram ecclesiam.

145 *Quadragesimaquarta in d. cle. cupientes. excommunicat religiosos, qui concionantur, vel alias dicunt aliquid ad auertendos audientes à soluendis decimis debitis ecclesijs.*

Declar.prima, quod tria requirũtur ad incurrendam hanc, Caiet.vbi supra cas.65.scilicet, quòd sit religiosus, quod habeat intentionem auertendi, & quod decimę debeantur ecclesię. Addimus quartam, vt audientes sint qui eas debent, vt palam colligitur ex eodem textu. Secunda, quod nullus religiosus excluditur ab hac, siue sit, siue non sit mendicans. gloss. verb. religiosi, recept.in dicta clemen. & quod nulla religiosa, & nullus laicus, neque clericus secularis compræhenduntur secundum Guiliel. receptum communiter ibi, & glo.præd.

Quadragesimaquinta in d. clemen. cupientes. excommunicat religiosos, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum incutiunt in confessionibus pœnitentibus de solutione decimarum, & postea non expiata hac negligentia, cum commodè possent, præsumunt concionari.

Declaratio prima, quod quinque requiruntur ad incurrionem huius. Primum quod sit religiosus. Secundum, quod fuerit negligens in onerando scrupulo conscientiam pœnitentis in confessione, vt solueret decimas. Tertium, facere hoc scienter, & non purgare illam negligentiam, cum commodè posset. Quartum, cõcionari absque purgatione illius. Quintum, quod non sit religiosus

Universidad de Deusto

monasterij, quod accipit decimas. Secunda, quod ad hanc non est necesse præcedere requisitionem: quia id non colligitur ex litera, & notat Caiet. cal. 66. quamquam Sylu. sentiat oppositum per excommunicatio 9. cal. 46.

146 *Quadragesima sexta in clemen. 1. de senten. excommu. excommunicat religiosos, qui non seruant interdictum vel cessationem à dominis, quam seruat ecclesia cathedralis, vel matrix, vel parochialis oppidi.*

Declar. prima, quod in hanc non incidunt laici, neque clerici, sed solũ religiosi: & hi sic, siue sint mendicãtes, siue non, glo. verb. religiosi d. cle. recept. si sciunt observationem interdicti gl. ibidem verb. sciuerit. Secunda, quòd non habet locum in interdicto vel cessatione speciali, sed solum in generali. Tertia, quòd habet locum etiam in interdicto, vel cessatione inualida, siue nulla ratione præcedentis appellationis, vel alia, glo. d. clem. probata communiter. & singulariter secundum Rauennatem ibidem. Quarta, quòd nõ satis est illud obseruari à nonnullis canonicis, si portionarij, vel alij capellani non seruant illud, & celebrant publicè. Quinta, quòd quando non est in oppido ecclesia cathedralis, neque matrix, & sunt multæ parochiales diuisæ, necesse est ab omnibus eam obseruari ad huius incursionem, gloss. cum commu. eiusdem clem. verb. matricem. quamuis parochialis intra cuius fines situm est monasterium, obseruet, Cardin. Panor. & Imo. contra Steph. in d. cle. Sexta, quòd quamuis religiosi teneantur obseruare quod matrix obseruat, etiam si nullum sit: non tamẽ sunt immunes ab obseruatione validi, licet à matrice non seruetur, glo. celebr. & recep. in verb. obseruare. & verb. obiicere. d. cle. 1. Immo incurrerent, nisi seruarẽt pœnas per alios textus positas cap. fin. de excess. prælat. cap. authoritate. c. episcoporum. de priuil. lib. 6. Septima, quòd habet locũ in omnibus interdictis, & cessationibus generalib⁹ positis à iure vel ab homine quacunque auctoritate, vt benè determinat Bonifac. in d. cle. col. 10. contra aliquas limitationes Card. & Imol. Octaua, quod Concil. Triden. sess. 25 c. 12. de regul. statuit quòd censuræ, & interdicta nedum à Sede Apost. manantia, sed etiã ab ordinarijs promulgata mandante Episcopo, à regularibus in eorum ecclesijs publicentur, atque seruentur.

147 *Quadragesimaseptima in extrauag. fi. de senten. excom. inter communes, quæ illi tribuitur cle. V. & à B. Anto. 3. parte tit 24 c 68. Bened. III. & à Fel in c. eam te. col. 5 de rescript. excommunicat impugnantes literas electi Papæ, antequã coronetur.*

Declar prima, quod ratio extrauagantis est: quia eodem momento quo canonicè Papa eligitur confirmatur à Deo immediate, & eandem habet potestatem, quam post coronationem, cap. in nomine. 23. dist. Secunda, quòd non habet locum in eo, qui ob iustum timorem fuit electus per textum sing. in d. cap. in nomine. iuxta Pan. in d. c. licet col. 7. & in c. cũ terra. col. 3. de elect. dicentem hoc procedere quãdo iniect⁹ fuit timor in electione illius vel illius, & non quando vnius ex illis vel ex illis: sed idem

idem esse in hoc casu probat Fortu. lib. 5. de vit. fi. illat. 21 col. 11. nu. 310.

Quadragesimaoctaua, in extrauag. Nicol iii relata per S. Anto. 3. par. tit 24. c. 69 excommunicat commentantes cle. exiui. de verb. sig. quæ declarat regulam S. Francisci.

Declar. hæc suspensa fuit per quãdam extrauag. Ioan. 22 quam S. Ant. vbi supra, quem sequitur Syl. & Tabien. asserit se vidisse: & quod Card. eam refert in princ. d. clem. Card. tamen non affirmat hoc, sed quòd Papa Nicolaus III. excommunicat omnes, qui quandam suam declarationem cap. exiit. de verbo. signifi. lib. 6. interpretari fuerit, nisi certo modo, vt patet, in fi. d. cap. exiit. de quo nescio, cur nullus alius faciat mentionem, neque gl. cap. eos. de senten. excom. quæ colligit omnes casus lib. 6. & quòd illam excommunicationem suspendit Io. 22. & quod nemo vetuit interpretationem d. clemen. Quamobrem credimus suspensionem, quam vidit S. Anton. fuisse excommunicationis d. cap. exiit. & non eius quæ data fuit contra interpretantes d. cle.

148 *Quadragesimanona relata à Caie. videtur esse eadem, quæ posita est pro 39. ideo eam omitto.*

Quinquagesima, in Concil. Lateran. sub Leone X sess. 10. excommunicat eos, qui aliquem librum, vel quamlibet aliã scripturam imprimunt, vel facient imprimi sine approbatione certarum personarum.

Declar. quod Caiet. & Frater Bartholomęo Carrancæ videtur, neque hanc neque reliquas censuras positas in Concil. Lateran. postremo obstringere: quia non sunt receptæ, vt dictum fuit supra eo. cap. nume. 110 quamuis pars solennitatis huius seruetur in Hispania, & Concil. Trid. decreuerit sub iisdem pœnis dicti Concilij Lateranen. quod nemo imprimat, vel imprimi faciat librum de sacris rebus absque nomine authoris, neque vendat, neque habeat nisi examinatum per ordinarium, neque sine facultate sui superioris, si fuerit religiosus: & idẽ statuit de eo, qui edit librum aliquem manu scriptum: & amplius quod qui habuerit, censebitur pro authore eius, nisi det alium, & approbatio tradetur in scriptis idque gratis, quæ reponatur in principio libri, quod nescimus an sit receptum, vel an recipietur: quia videmus libros impressos sine illius obseruationis solennitate insignium virorum Dom. Soti, Bartholomæi Carrancæ, & Ambrosij Catharini, qui eidem Concilio interfuerunt. Quamquam nũc in recentibus editionibus cernimus impressos cum dicta solennitate. In regno tamen Castellę lege regia vsu recepta requiritur, & sufficit licentia Concilij Regis supremi, cuius authoritate examinatur prius ab aliquo viro in id designato, quodetiam seruari audio in regno Francię, cum magno reipub. fructu. In vrbe autem vicarius, aut eius vices gerens remittit videndum Magistro sacri Palatij, quo decernente posse imprimi. Typographus imprimit, præfixa in principio libri sola clausula, De licentia superiorum, aut æquipollenti.

149 *Quinquagesimaprima in extrauag. super gentes. Ioan. 22. de consuet. excommunicat omnes qui impediunt, ne*

legati, & Nuntij Papæ recipiantur : vel ne exequantur mandata ob quæ sunt, missi, non obstante quacunque consuetudine de non mittendo legato, nisi eo qui petitur &c.

Hæc quamquam virtute huius extrauag. non est reseruata: est tamen quatenus includitur in bulla Cœnæ, de qua supra.

Quinquagesimasecunda in extrauag. Pauli I. quæ est prima, de rebus eccles. non alien. excommunicat omnes qui alienant, vel locant in plures quam tres annos bona immobilia, vel mobilia pretiosa ecclesiarum extra casus iure permissos : & qui prædicta bona percipiunt

Declar. prima, quod hæc extrauag. non vetat alienationem in casibus permissis iure : & quod in nihilo fuit recept. iuxta Syl. verb. alienatio. quæst. 13. & quod consuetudo valet contra illam iuxta Roch. de Curt. in repet. cap. fin. de consuet. fol. 23. Secũda, quòd Cajeta. vbi supra cas. 15. dicit quòd in aliquibus locis ad nihil, in aliquibus ad aliquid est recepta: Et quod in hac re confessarius inquirere debet de consuetudine, ad internoscendum quẽ, & quanti debeat condemnare.

150 Tertia, quòd idem per eandem rationem debet perpẽdere iudex fori exterioris. Et credimus nullibi esse omnino receptam : quia in nullo loco est vsu recepta priuatio beneficiorum quam incurri iubet ipso iure a b iis, qui fuerunt minores quam episcopi, vel abbates intra sex menses, si perseuerant in dicta alienatione: & quòd in Lusitania non videtur recepta quo ad locationem in solos tres annos: quia passim videmus fieri locationes in quatuor. Quarta, quòd iampridem nos Salmanticæ tulimus sententiam, qua iudicauimus ex probatis coram nobis, irritam & nullam fuisse quandam locationem in plures, quàm in tres annos factam: clericum autem qui eã fecit, non debuisse iudicari excommunicatum iuxta antiquum ius cap. 1 ne prælat. vic. suas. neque per consequens irregularem, eo quòd celebrasset post illam locationem absque absolutione : & sic credimus in paucis locis esse receptam quo ad pœnas extrinsecas : quanquam in multis est recepta quo ad dispositionem principalem, & pœnam intrinsecam nullitatis alienationis & locationis factę in plures quàm tres annos. Quinta, quòd Conc. Triden. sess. 25. cap. 11. de refor. statuit, quòd nullæ locationes beneficiorum anticiparis solutionibus factæ valeant in præiudicium successorum, quocunque induito vel priuilegio non obstante: nec huiusmodi locationes in Romana Curia vel extra confirmentur. Non liceat etiam iurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi aut deputandi vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se, aut alios ea exercere. Locationes verò rerũ ecclesiasticarũ etiã authoritate apostolica cõfirmatas S. Synodus irritas decernit, quas à 30. annis citra ad longum tempus factas Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones cõtractas fuisse iudicabunt. Per longum vero tempus intelligitur decem annorum, etsi varient glossæ l. codicillis. §. instituto. ff. de leg. 2.

Quin

Quinquagesimatertia in mulierum raptores, ac illis consilium, auxilium & fauorem præbentes, qui etiam sint perpetuo infames, & dignitatum incapaces. & si fuerint clerici, de proprio gradu decidant. Concil. Trident. sess. 24 capite 26 de reformat. matrim. & teneatur raptor mulierem r.ptam, siue eam duxerit, siue non, decenter iudicu arbitrio dotare. ibidem.

Quinquagesimaquarta, in eos, qui quouis modo subditos suos, vel quoscunque alios cogunt minus libere matrimonia contrahere, Concil. Trident. vbi sup. capitul 9

Quinquagesimaquinta, in eos qui quomodocunque cogerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem, præterquam in casibus iure expressis, ingredi monasterium, vel suscipere habitum, aut profiteri, quique consilium, auxilium, vel fauorem in id dederint, vel præsentes ei actui scienter fuerint. Concil. Trident. sess. 25. capitul. 18 de regul.

Quinquagesimasexta in eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel profitendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint ibidem.

Quinquagesimaseptima, in concedentes locum ad monomachiam, vel duellum in terris suis inter Christianos: & iuris, ditione ac dominio ciuitatis & loci in quo vel apud quem fieri permiserit, quod ab Ecclesia obtinuerint, prius nim. : & si feudalia sint, directo domino statim acquirantur, per Concilium Tridentinum, sessione vigesimaquinta capite decimonono de reformatione.

Quinquagesima octaua, in eos qui duellum commiserint, & eorum Patrinos, cum bonorum proscriptione, ac perpetuæ infamiæ, ac homicidij pœna. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiastica sepultura ibidem.

Quinquagesimanona, in eos qui consilium in causa duelli dederint, vel illius spectatores fuerint, non obstante quocunque priuilegio, & c. ibidem.

Post hæc anno proxime præterito 1582. nonis Decembris, S. D. N. Gregorius XIII. addidit præfato Concil. Trident. hæc verba, *Statuimus omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, socive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve prouocatoriæ literæ, aut denunciationis chartulæ præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri perinde, ac si publico, & consueto abusu singulare certamen iniissent. Volentes etiam locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes auxilium, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quouis modo sese præbentes, eisdem censuris & pœnis subiacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt impediti pugnam non commiserint si per ipsos non steterit, quominus illa committatur.* Hactenus verba eius. Ex quorum illo *Statuimus*, colligitur hanc additionem continere ius nouum argument. gloss. recept. in capi. vt litigantes. verb. statuimus. de offi. ordin. libro sexto, & consequenter non includere præterita capit. fin. de constitut.

Sexagesima in non habentes pro authenticis omnes libros sacrorum bibliorum, iuxta vulgatam editionem, exceptis tertio

& quar

& quarto libris Esdræ: aut etiam constitutiones apostolicas scienter contemnentes, Concil. Trident sess. 4. decret de canonic. script.

Sexagesimaprima à Pio V. lata excommunicat, cum reservatione omnes mulieres etiam Ducissas, ingredientes claustra monasteriorum etiam monialium, virtute facultatum apostolicarum, quas revocat: & concedentes licentiam, comitantes & recipientes, & prælatos, ac monachos eas introducentes, vel admittentes suspendit, libro suarum constitutionum fol.41.

Adde his primo id, quod in commentar.capitulo statuimus.numero sexagesimo decimonona quæstione tertia scripsimus, scilicet per prædictam extravagant. solum excommunicari ingredientes monasteria monialium virtute licentiæ Apostolicæ: sed Pium V. declarasse mentem suam fuisse includendi etiam ingredientes sine licentia.

Adde secundò, quòd S. D. N. Gregorius XIII. anno 1575. idibus Iunij revocavit omnes facultates ingrediendi monasteria concessas quibuscunque personis,etiam contemplatione Imperatoris, &c cum omnium derogatione amplissima: nulla tamen mentione facta de intrantibus sine tali facultate;sed credendum est eandem mentem ei fuisse, quæ Pio V. & ita servare sacram Pœnitentiariam.

Adde tertiò,quòd idem sanctissimus quando supra,auxit eam ad intrantes cum licentia episcopi, vel aliorum prælatorum, quam possunt dare per Concil. Tridentin.capitulo quinto sessio.vigesimoquinto de regulari. exceptis necessitatibus vrgentibus.

Adde quartò,quòd idem sanctissi anno 1581.vigesimotertio Decembris extendit eam ad episcopos, & alios prælatos, quibus tributa est facultas ingrediendi monasteria, ne vtantur ea, nisi in casibus necessariis, & à paucis, iisdem senioribus, ac religiosis personis comitati.

Sexagesimasecunda eiusdem Pij excommunicat, & punit perinde ac hæreticos, omnes quicunque ex inquisitoribus, aduocatis,procuratoribus, notarijs,aliisque ministris prædictis officij, vel episcoporum id munus in sua diœcesi,aut prouincia obeuntium,seu accusatorem, denunciatorem,aut testem in causa fidei quomodocunque productum,vel euocatum occiderit, verberauerit,deiecerit,seu perterrefecerit:quæue ecclesias,ædes,aliasve res, sine publicas, sine priuatas officij, aut ministrorum expugnauerit,inuaserit,incenderit,expilauerit, aut libros,literas,auctoritates, exemplaria,regesta, protocolla, exempla, scripturas aliasve instrumenta, sine publica,sine priuata,vbicunque posita combusserit, diripuerit,seu interuerterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportauerit, seu qui in conflagratione,expugnatione, aut direptione etiam inermis, sine capiendi, sine comburendi, sine supprimendi causa fuerit, sine res,aut personas seruari, defendine prohibuerit: quiue carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captum ve eripuerit, receperit,occuluerit, seu facultatem fugiendi dederit,seu iusserit id fieri. Qui etiamsi, concursum ve fecerit, sine ve aliquid prædictorum fierent homines accommodauerit, sine

rit, sine aliàs consilium, auxilium, aut fauorem publice, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus,nemo verberatus, nemo extractus,emissus, vel ereptus, nihil expugnatum,nihil effractum,saccensum,direptumve, nullum denique damnum reipsa sit secutum,eod lib fol 128.

Sexagesimatertia eiusdem Pij extendit excommunicationem capitul. felicis. de pœn libro sexto ad scientes quomodocunque crimen in Cardinales commissum, vel committendum, & non reuelantes illud opportune Papæ, vel ordinario, &c. eod.lib fol.150

Sexagesimaquarta excommunicat cum reservatione personas accipientes priuilegio, vel consuetudine aliquid ex fructibus primi, vel vltertoris anni beneficij vacantis & interdicit capitula,& suspendit episcopum idem facientes, non autem includit loca pia.eodem libro folio 184.

Sexagesimaquinta eiusdem Pij excommunicat omnes abbatissas, & monales exeuntes à monasterijs, quacunque de causa, etiam infirmitatis, excepta magni incendij, vel ægritudinis lepræ, vel epidimiæ probatæ literis superioris, & episcopi. eod lib fol 192.

Sexagesimasexta eiusdem, excommunicat eos qui christianos habitantes in terris occupatis à Turcis,capiunt in seruos, & nolunt eos relinquere libere cum bonis suis,eod lib fol 231.

Sexagesimaseptima, eiusdem, excommunicat omnes dominos totius orbis nullis exceptis, non parentes Illustrissimis Cardinalibus Inquisitoribus generalibus Romæ, in pertinentibus ad officium S. Inquisitionis.eodem libro folio 266 quam. vt à viris fide dignis audio, suo imperatorio, & regio exemplo confirmarunt ante paucos dies Imperator Rodulphus. & Rex Catholicus Philippus II. mittendo ad vrbem ad prædictæ inquisitionis requisitionem duos de crimine hæresis impetitos, quæ vtrique Monarchiæ magnæ gloriæ fuit.

De suspensione quid, & quotuplex.

SVMMARIVM.

151 *Suspensio quid,an peccatum, excommunicatio,irregularitas, vel depositio?nu.152.*

153 *Suspensio vera non tollitur sola pœnitentia, & est triplex, numero 154.*

155 *Suspenditur ipso iure clericus notorius fornicarius. eligens talem in episcopum, ordinatus sine licentia, vel extra tempora, vel sine licentia, vel extra tempora, vel sine legitima ætate,numero 156. An in duello pugnans,excommunicans sine monitione, vel sine scripto, capiens fructus vacantis ecclesiæ, nu. 156. Conservator excedens.Iudex ecclesiasticus male iudicans concurrentibus 4.admittens ad sacramenta tempore interdicti, mendicantium prælatus admittens ad professionem ante annum. Clericus vestem verficolorem deferens Religiosus sic alienans. nu 157. ordinatus cum pacto non petendi alimenta,nu.158.*

151 CIrca hæc dico primò, quòd suspensio generaliter accepta,iuxta mentem iurium citatorum à gloss.& aliis in cle.cupientes.& in rubric.

rubric.de sentent.excommunicat.& cap.si aduersus.de hæretic & etiam doctorum,præsertim Cald.de eccle. interdi.membr.1.est prohibitio vsus officij,vel facultatis alicuius:nam & appellatio dicitur suspendi,capit. venientes.de iureiur.& petitorium per possessorium cap.pastoralis.id est,de caus.possess.sed hic accipitur specialiter pro tertia specie censuræ ecclesiasticæ, quæ definitur esse censura, qua alicui personæ ecclesiasticę prohibetur exercitiū sui officij, vel beneficij ecclesiastici.in totum, vel in partem,in certum tẽpus, vel in perpetuum, quo ad partem ob suã culpam à iudice,vel à lege. Dixi,*censura*, pro genere:quia omnis suspensio est censura,non contra,capit.quærenti, de verb.signifi. & ad significandum, quòd nõ potest ferri nisi ab habente ordinem,& iurisdictionem ecclesiasticam exteriorem, ad quam pertinet ferre cẽsuras (vt vbi supra dixi eod.c.nu.1.eam definiens)argu.c.dudum.2.de elect. Dixi.*qua prohibetur persona ecclesiastica*, ad excludendas prohibitiones aliorũ exercitiorum, vel ab illis factas aliis personis profanis,aut ecclesiasticis alio respectu, quàm quia sunt ecclesiasticæ. Dixi, *vel perpetuum quo ad partem*:quia prohibitio totius exercitij, officij, vel beneficij,in perpetuum, est depositio, vel priuatio & non suspensio, iuxta Card.in clem.1.§.cæterum.nu. 6.de priuileg & sentit Panor.in cap. at si.nu.7.de iudic.& Bonif.in clem. cupientes.de pœn.numer.43.Dixi,*ob suam culpam*, quia licet suspensio ob qualemcunque culpam mortalem ferri possit secundum Aret.in c.cum non ab homine.de iudi.immo & ob venialem secundum Caiera.in sum. verb.suspensio.non potest tamen fine vlla propria,cuius sit pœna,argu. c.2.de constit.nam quæ ob senectutem.lepram. debilitatem, vel aliam causam fit,iux.cap.tua nos.& cap.de rectoribus.& c.fi.de cle.ægro.& c.1. eod.tit.libr.6.licet possit dici generaliter suspensio:non tamen est strictè censura.de qua loquimur. Vnde sequitur primo,quòd prohibitio, siue suspensio confessarij à celebrando, non est proprie suspensio: quia non est facta ab habente iurisdictionem, quæ est vera ratio,cur cõtraueniens illi non sit irregularis secundum gl. rece.in capi.is cui.de sentent excom. libr.6.post Specul.de dispens.§.iuxta. num 32.

151 Secundo dico, quòd quicquid fere omnes incogitanter dicant, licet prohibitio, qua mortali peccato infectus prohibetur celebrare, vocetur generaliter suspensio.in c.fin. de cohab.cler.& c.fi.de cleri.excom. non est tamen talis strictè accepta. Tum quia suspensio non est peccatum, sed eius pœna, iuxta omnes. Tum quia peccatum mortale antiquius est iuribus canonicis,quorum inuentum est suspensio. Tum quia non est censura, qualis est suspensio.

Tertio dico, quod neque excommunicatio maior, neque minor est suspensio. Tum quia est species diuersa censuræ.Tum quia non vetat exercitium ecclesiasticũ quatenus est tale, sed quatenus est species cõmunicationis humanæ christianæ.

Quarto dico, quòd quãuis quodlibet peccatum mortale, & excommunicatio minor suspendant à perceptione sacramentorum, in hoc sensu,

sensu, quòd percipiendo peccetur mortaliter,non tamen incurritur irregularitas:quia non contrauenitur suspensioni, prout est species censuræ, sed solum prout est prohibitio resultans ex natura illorum.

Quinto dico,quòd neque irregularitas,neque depositio verbalis,neque degradatio realis, est suspensio, licet Innoc.in c.fi.de excess.prælat.& multi alij appellent eas suspensionem,quod verum est capiendo verbum suspensio generaliter,non strictè, vt hic capitur. Tum quia non sunt censuræ, cap.quærenti.de verb. signif. Tum quia sunt ptiuationes, vel inhabilitationes, quæ priuãt officio,vel inhabilem faciunt omnino ad ordinem obtinendũ,vel exercendum.At suspẽsiones solũ sunt impedimenta exercitij, iuxta mentẽ Pan. in d.c.at si.nu.7.de iudi.& commun.

153 Sexto dico, quòd illa diuisio suspensorum Pan.in ca.si celebrat.de cler.excom.nu.4.& aliorum scilicet, quòd quidam sunt quoad se solum, alij quo ad alios solum, alij & quo ad se, & quo ad alios,licet communis sit & vera accipiẽdo vocabulum suspensum generaliter: non tamen accipiendo, vt hic,pro impedito per suspensionem speciem censuræ ecclesiasticę,per proxime dicta de peccato mortali, & de excõmunicatione minore Et quia exemplum tertij membri,quod afferunt de sacerdote peregrino, qui deuotionis causa potest celebrare in occulto, & non publico,cap.tuæ de cler.peregr.non est idoneum: siquidem peregrinus non peccans,non incurrit suspensionem quæ sine peccato à iure nõ imponitur,vt rectè dixit Caie.verb.suspẽsio.

Septimò dico, quod neque vlla suspensio, laici est suspensio, de qua hic agimus,& per cõsequens,neque suspensio officij aduocandi etiam in foro ecclesiastico: quia non est propriè ecclesiasticum, neque suspensio facultatis dandi gradus cõcessæ per Regem, vel Imperatorem,quicquid sentiat gl.cle.cupientes. colum.2. & Tabien.verb.suspensio.in princip.

154 Octauò dico, quod suspensio est triplex, officij & beneficij simul, capit.tuarum.de priuileg.officij tantum,vel partis eius, & beneficij, vel rei pertinentis ad illud tantum, vt colligitur ex exemplis positis,per gl. magnam, & fi.cle.cupiẽtes,de pœn. Est item duplex, lata à iure, & lata ab homine. A iure ipso facto feruntur mulctæ, quas tangit prædicta gl. & ante omnes Ang.verb.suspensio.à num 2.in ordinem redegit. *Quarum (omissis raro contingentibus,) prima in cap.nullus præter.32.dist.& cap.scisciatantibus.15 quæst 8.& aliis multis capitulis suspendit presbyterum, diaconum fornicarium notorium,donec pœniteat, capi si qui sunt. 81.distinct* ita quòd sicut ipso iure tollitur per pœnitentiam, iuxta gloss recep.in d.c.de qua plura supra capit.25.numer.77.vbi dicitur quòd huiusmodi fornicarius vtens ordine suo ante pœnitentiam, fit irregularis:quia infringit cẽsuram suspensionis. Et nota, quòd longe differt prohibitio, qua huiusmodi fornicarius vtitur ordinis sui vsu,à prohibitione qua infectus crimine magno depositione digno, & notorio, prohibetur: quoniam hæc est irregularitas delebilis ab episcopo, cui contraueniens peccat, sed non incurrit aliã irregularitatem,de qua sup.c.25. nu.73.

Universidad de Deusto

nu.73. illa vero est suspensio, & vera censura, qui contrauenies incurrit irregularitatem à solo Papa delebilem distinctâ à suspensione sic violata, de quâ in d.c.25.nu.77.

156 *Secunda in c. cum in cunctis §. fin. de elect. suspendit triennio à beneficiis clericos eligentes in episcopum eum, qui non est legitimus, vel legitima ætate, scientia, & moribus præditus.*

Declaratio, quòd comprehendit etiam eos, qui eligunt tanquam cõpromissarij, c. si compromissarius. eod. tit. lib. 6. Secunda, quod non cõprehendit eos, qui eligunt in aliam dignitatem, neque laicos, vt reges, & imperatores, qui præsentant in episcopos, neq; Cardinales qui eligunt Papam, arg. l. interpretatione. ff. de pœn. c pœnæ. 2. de pœnit. dist. 1. quia solum loquitur de clericis eligentibus episcopum.

Tertia in extrauagan. cum ex sacrorum. Pij 11. suspendit eos, qui sine legitima facultate, vel ætate, vel extra tempus legitimum, ordinem sacrum accipere præsumpserint, & facit irregularem ordini vtentem.

Declar. prima, quod ob ignorantiam illius extrauag & per cap. vel non est compos. de tempo. ord. quod non suspendit, sed iubet suspẽdi, oppositum dixerunt fere omnes cum glo. cle. generalem. de æta. & qualit. & in d. cap. vel non est compos. S. Ant. in 3. par. tit. 14. cap. 16. Maior. in 4. dist. 24. quæst. 1. Secunda, quòd nõ comprehendit eum saltem quo ad forum conscientiæ, qui bona fide & simplicitate existimans se legitimũ, ordinatus est, vt latè diximus in repet. cap. accepta. de resti. spo. oppos. 8. à nu. 31. quia textus habet, *præsumpserint*, quod significat dolum, secundũ 156 doctrinam Card. in cle. 1. quæst. 38. de priuil. quod idem ausi fuimus dicere ibi de eo, qui temerarie quidem ordinatus est, postea tamen bona fide, & candida simplicitate, per pœnitentiam purgato peccato, exercuit ordinem, existimans sibi licitum esse: quamquam ad illud vsque tempus non fueramus ausi affirmare.

Quarta est in cap. 1. de cler. pug. in duel. suspendit clericum qui prouocat ad duellum, vel acceptat prouocationem, & in arenam descendit, iuxta Sylvest. verb. suspensio versicul. vndecimo, & Tabiensis idem: sed non est verum, quia textus in dicto capite 1 solum dicit deponendum fore.

Quinta in capi sacro. de sentent. excommunicat suspendit vno mense ab ingressu ecclesiæ eum, qui excommunicat absque monitione, quæ debet esse talis, qualem supra diximus eodem capit. numero decimo & vndecimo.

Sexta in capite 1. de sentent. excommunicationis libro sexto suspendit ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officiis eum, qui excommunicat, interdicit, aut suspendit aliquem solo verbo sine scripto, aut expressa causa illius, vel non dat copiam requisitus.

Septima in capite quia sæpe de elect. libro sexto suspendit à quolibet officio, & beneficio, Capitula & singulares personas, quæ vacante sede episcopali, vel collegiata, vsurpant sibi aliqua bona, quæ reliquit vita functus, aut collecta fuerunt tempore vacationis. Quod locum habet etiam in reditibus sigilli, & in quolibet alio emolumento clemen. statutum. de elect.

157 *Octaua in capite præsenti. de officio ordinar. libro sexto suspendit episcopos, & superiores eorum ab ingressu ecclesiæ, & inferiores ab officiis, & beneficiis, qui vsurpant aliquid ex reditibus dignitatum, & ecclesiarum vacantium, & illis subditarum, quos reliquerunt mortui, vel collecti fuerunt durante vacatione, nisi habeant speciale priuilegium, vel consuetudinem præscriptam ad hoc.*

Nona in cap. fina. de offic. delegat. libro 6. suspendit vno anno ab officio conseruatorem Sedis Apostolicæ, qui scienter cognoscit causas quæ non sunt notoriæ. Quod intelligendum est de his, quæ conceduntur sine clausula, quod possit cognoscere etiã de aliis, cum qua ante Concil. Trident. concedebantur: per illud tamen statutum fuit sess. 14. cap. 5. vt esset longe restrictior vsus.

Decima in cap. 1. de re iud. lib. 6. suspendit vno anno à suo officio iudicem ecclesiasticum, qui contra ius, & suam conscientiam aggrauat partem gratia, vel sordibus. Sed debent concurrere quinque, vt hæc incurratur. Primum, quod non sit episcopus gloss. ibi verb. ordinarius. argu. cap. quam periculosum. de senten. excommun. lib. 6. Secundum, quod aggrauet contra iustitiam. Tertium, quod faciat contra conscientiam. Quartum, quod sit iudex: quia non satis est, quod sit merus executor, vel arbiter. Quintum, quod faciat pretio, amore, timore, vel odio, vt ex glo. recept. colligitur.

Vndecima, in cap. episcoporum. de priuileg. libro 6. suspendit ab ingressu ecclesiæ (quousque satisfaciant) eos qui admittunt ad diuina officia, aut sacramenta, aut ecclesiasticam sepulturam, excommunicatos, aut interdictos publicos. Quæ tamen, vt dictum est supra capit. 25. numero 94. locum non habet, nisi contra exemptos, iuxta commu. contra glo. eiusdem cap.

Duodecima in cap. non solum. & cap. constitutionem. de regul. libro 6. suspendit eos, qui admittunt aliquem ad professionem ante finitum annum probationis in aliquo ordine mendicantium.

Decimatertia in cle. 2. de vit. & hone. cler. suspendit in sex menses clericos beneficiarios qui gestant vestes partitas, vel coloribus distinctas, & sacro ordine initiatos, qui non sunt beneficiarij, & minoribus insignitos, qui cum prima tonsura gestant tales vestes, inhabiles efficit ad beneficia in idem tempus. Non autem incurrit illam qui ob celebrationem nuptiarum, vel doctoratus, vel alicuius alterius similis festi, aut aliam iustam causam gestat, iuxta Cardin. in d. cle. q. 3.

Decimaquarta in cle. 1. de rebus eccl. non alienan. suspendit quoslibet religiosos qui habent aliquam administrationem, & alienant aliquam rem ad eam pertinentem, etiam solum præbendo alicui ad vitam alijsque necessitate, aut absque facultate sui capituli si habet, vel sui prælati si non habet capitulum. Hanc non incurrũt qui in modicum tempus locant fructus, per finem illius cle. licet incurrant aliam excommunicationem extrauag. 2. de de reb. eccle. non alien. vt supra dictum est eod. c. nu. 143.

158 *Decimaquinta in cap. penult. de simo. suspendit papaliter, qui sacrio initiatur sine patrimonio cum pacto non petendi ab episcopo victum: & qui ordinatur ad præsentationem alicuius*

beneficiarij: cum pacto nihil petendi ab eo.

Declaratio prima, quod per eandem rationem nostra sententia suspenditur qui ordinatur cum patrimonio, vel alimentis promissis, vel donatis ab aliquo pactus antequam ordinaretur se non petiturum, postquam ordinatus fuerit, qui casus est valde quotidianus. Secunda, quod qui post ordinationem remittit, vel retrodonat ius, aut patrimonium, quod illi fuit donatum, vel promissum sine pacto ante ordinationem facto, non incurreret, arg. gl. sing. c. tuis de præb. & glo. memorabilis c. si episcopus. eod. titul. lib 6. Tertia, quod qui ordinatur cum facultate sui episcopi, impetrata ad titulũ patrimonij donati, & ante ordinationem renunciati, nõ censetur nostra sententia ordinari absque facultate, quo ad effectum incurrendi aliam suspensionem supra positam nu. 35. quia talis renunciatio facta antequam ordinetur, non videtur valere, per ea quæ omnes dicunt in d.c.peu. etiamsi esset iurata, iuxta Fel. & Ana. contra Pan. hanc tamen incurrit.

Decimasexta in constitutionibus Pij V. fol. 407. suspendit episcopum ordinantem absque titulo clericum religiosum ordinis, in quo solum sit votum temporale religionis: quia is quo ad hoc reputatur secularis.

Quarto dico, quod rursus est duplex suspensio, altera à diuinis, altera ab aliis, vt colligitur, ex cap. 1. §. fin. de senten. excom. lib. 6. & cap. 1. de re iud. eod. lib. cum eis anno. & quantum differat harum altera quo ad irregularitatem transgressorum dicitur infra.

Quis, cur, & quomodo potest suspendere, & suspendi, & absolui, & quæ pœna contrauenientis.

SVMMARIVM.

159 *Suspendere, & suspendi quis possit requiritur monitio scripta, & peccatum non certa verba.*

160 *Generalis non incurritur ab episcopo, quæ forma tollitur.*

160 *Suspensio ab vno non est ab alio: & sic à iurisdictione non est ab ordine: nec cõtra, & à beneficio, non est ab ordinibus, vel iurisdictione: nec quæ ab officio est à beneficio. nu. 161.*

162 *Suspensionis transgressor quis irregularis, & vt peccat participans. num. 161.*

163 *Absoluere quis possit à suspensione lata à iure, vel ab homine.*

159 CIrca hoc dico sequentia. Primo, quod communiter omnes, & soli illi qui possunt excõmunicare, possunt etiam suspendere: & quamuis omnis Christianus possit excommunicari, solæ tamen personæ ecclesiasticæ possunt suspẽdi, per definitionem suspensionis supra eo. c. nu. 151. positam. & quod suspensio scripto ferenda est, sicut excommunicatio, cap. 1. de sent. excom. lib. 6. & quod debet præcedere monitio suspensionem quãdo ponitur ob contumaciam, quamuis non quando in pœnam, iuxta Innoc. in cap. fin. de excess. præla. recept. per Pan. & com. in cap. reprehensibilis. de appel. & quod ob quodlibet peccatum mortale, immo & veniale, potest quis suspendi, vt dictum est.

Secundo dico, quod vt excommunicatio

nicatio lata post legitimam appellationem est nulla, & inualida, sic suspensio: & vt appellatio nõ suspendit excommunicationem præcedentem, sic neque suspensionem Domi. cum communi. in cap. 1. §. & hæc. de senten. excom. lib. 6. per cap. ad hæc quoniam. de appel. & c. is cui. §. fi. de sent. excom. lib. 6.

160 Tertio dico, quod suspensus à quibusdam actibus, non est suspensus ab aliis non annexis eis. Ex quo sequitur, quod suspensus à iurisdictione, non est suspensus ab ordine, qui est diuersus ab ea. cap. aqua. de consecr. eccles. vel altar. & c. transmissum. de elect. cum eis annot. neque contra, suspensus ab ordine, est suspensus à iurisdictione, neque suspensus à beneficio, est suspensus ab ordine, neque à iurisdictione, quæ ei conuenit alia ratione, quam beneficij à quo est suspensus. Neque suspensus simpliciter ab officio, censetur esse à beneficio quo ad ea, quæ dantur non interessenti diuinis officiis, modo suspensio nõ sit tam diuturna, vt tacite, vel expresse habeat vim priuationis, iuxta Bonif. in dict. cle. cupientes. à nu. 31. vbi hoc latissime probat, quidquid dicat Card. & Imol. post Gasparem: quia multa ad beneficium pertinẽtia potest facere suspensus ab officio clericali, qualia sunt regere & gubernare illa quæ ad se attinent, & alia quæ non sunt diuina officia.

Per quæ nuper respondi beneficiarium suspensum, ideò quod presbyter factus fuit ante annum vigesimumquintum cœptum, non perdidisse fructus beneficij: quia per illam transgressionem suspenditur tantum ab officio.

161 Quarto dico, quod suspensus ab ingressu ecclesiæ tantum, potest excommunicare, & absoluere: quia adhuc retinet iurisdictionis vsum, c. sacro. de sent. excom. & quod quis eo quod sit suspensus à beneficio, non est ab officio, neque suspensus officio tantum est à beneficio: & vt suspensus ab officio, & beneficio simul, est ab vtroque iuxta omnes, sic suspensus ab officio, aut beneficio diuisim à nullo illorum est, iuxta Panor. recep. contra glo. c. latores. de cler. excom. minist.

Quinto dico, quod nõ incurrunt hanc censuram latam generaliter à iure episcopi, nisi fiat mentio specialis illorũ, licet secus de excommunicatione, c. quã periculosum de sent. excom. lib. 6. cum gl. & ei annot.

Sexto dico, quod suspensio ferri & tolli potest quibuslibet verbis id significantibus: quia nulla sunt præscripta in formam substãtialem suæ lationis, vel solutionis: quamquã in absolutione necessarium est iusiurandum, vt in excommunicationis absolutione, cap. super eo. cap. venerabili. de senten. excom. licet communiter quando est certa suspensio, docti vtantur hac forma: Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam, & restituo te pristinæ executioni: & si est dubia hac, Si teneris aliquo vinculo suspensionis quo te possum absoluere, absoluo te, iuxta sententiam Sylvest. verbo absolutio 6. dubio 2. aliquantulum reformatam: & quod suspensio tam lata ab homine quam à iure, quæ certo tempore, aut facto, aut omissione facti alicuius

terminatur, tollitur lapso tempore, vel adueniente termino, ipso facto, absque vlla absolutione, secundum glo. in cle. 1. verb. donec. de decim. recepta communiter, & putata sing. à Panorm. c. 1. de iudic. not 5. quæ tamen habent alias similes.

162 Septimo dico, quod à suspensione lata ob contumaciam, & non in pœnam delicti absolute sine termino & reseruatione, siue iure communi, siue particulari, confirmata, vel non confirmata per Papam, potest absoluere episcopus, & eius vicesgerens argu. cap. nuper. de sent. excom. & melius cap. ex literis. de cõstit. tradit Inno. communiter quo ad hoc receptus, in cap. 2. de solut. & quod à lata in pœnam alicuius delicti etiam à iure, non potest absoluere episcopus siue sit temporaria, siue perpetua, quidquid dicant glo. clem. 1. de hæret. §. pen. verb. excommunicationis & cap. cupientes. §. cæterum. verb. suspensus. de elect. lib. 6. licet communiter recipiantur in suis locis, vt probat efficaciter Pan. in c. 2. de solu. & c. tam literis. de testib. vbi eum sequitur Aret. & Feli. altius ibi rem perpendẽs quam in dict. c. nuper. & in c. pastoralis. §. præterea. de offic. ordi. vbi aliud dicit, eo quod non satis perpenderat dict. Pan. recept. ab omnibus, qui ea diligenter expenderunt, quod non fecerunt aliqui, vt Syl. verb. suspensio. q. 8. & alij qui sibiipsis contradicunt dum sequuntur Pan. tenentem contrarium eius quod ipsi. Potest tamen in ea dispensare, si posita fuit ob adulterium, aut alia minora delicta secundum eundem Pan. in d. c. cum literis, & cap. de solu. iuxta not. in c. at si. §. de adulteriis. de iud. Dixi, *A iure*: quia à suspensione absolute posita ab homine regulariter non potest absoluere, nisi qui eam tulit, aut eius superior, aut successor, arg. c. pastoralis. §. præterea. vbi Fel. offic. iud. del. Male autem exceperunt à regula prædicta, quæ habet suspensos à iure ob contumaciam posse absolui ab episcopo, clericos, & religiosos qui administrant sacramenta, aut sepulturam hæreticis, aut accipiunt eleemosynas ab illis: quia textus c. excommunicamus. 2. §. fin. de hæret. quo nituntur, non loquitur de suspensis ab officio, sed de priuatis, & de suspensione irrogata in pœnam, & non ob contumaciam, & de pœna reseruata. Male etiam excipiunt exauthoratũ, siue degradatum, aut depositum realiter, cum neque hic, neque depositus verbaliter, sint suspensi per dict. supra eo. c. nu. 152. Male etiam excipiũt suspensum ob collationem beneficij factã indignis. iuxta c. graue. de præb. quia illa suspensio irrogatur in pœnam, & non ob contumaciam.

163 Octauo dico, quod omnis qui violat suspensionẽ stricte acceptam pro vna specie trium cẽsuratum ecclesiasticarũ peccat mortaliter, arg. c. 2. de maior. & incurrit irregularitatem, si violat eam exercendo aliquem actum peculiarẽ alicuius ordinis, siue maioris, siue minoris, per c. 1. de sent. excom. lib. 6. & cap. 1. de re iudic. eo. lib. & vtrobique Innoc. receptus communiter dicit, quod illa duo capp. non solum habẽt quo ad hoc locum in casibus in quibus loquuntur, sed etiam in omnibus aliis violantibus suspensionem: quia non

non fuit mens eorum conditoris, qui fuit ipsemet Inno. IIII. quidquam noue inducere in illis, sed declarare secundum antiquas sanctiones canonicas, de quibus meminit textus, eam incurri. Dixi, *aliquem actum peculiarem ordinis*: quia secus si exerceret alium etiam ecclesiasticum, & ad officia diuina pertinentem, qualis est psallere etiã in choro cum aliis, canere responsa defunctorum, vel litanias, baptizare sine solennitate, vt alius laicus, & alia id genus, quæ non sunt peculiariter alicui ordini deputata. Illa autem dicũtur deputata alicui ordini, quorum faciendorum specialis potestas traditur in ordinatione, vt in presbyterio potestas consecrandi, baptizandi, solenniter dicendi collectas in choro: in diaconatu potestas canendi solenniter euãgelium: in subdiaconatu canendi solenniter epistolam: in acolitatu ferendi cereos, &c. Dixi *etiam minori*: quia violans exercendo solenniter actum deputatum ordini minori, ita incurrit ac exercens deputatum maiori, secundum Inno. & communem cap. fin. de excess. prælat. Repetij sæpe, *solenniter*: quia faciens aliter aliquod horum, vt cantans epistolam, ferens cereos, vel vrceolos tanquam alius laicus, non incurrit secundum omnes.

Ex quo infertur primo, quod verius est episcopum celebrantem in apparatu pontificali incurrere irregularitatem: quia id est actus peculiaris ordini episcopatus, quem esse verum ordinem distinctum ab aliis significasse Concil. Tridenti. dictum est supra cap. 22.

Secundo infertur, quod psallere in choro non facit irregularẽ: quia non est peculiare vlli ordini vero: licet enim videatur peculiaris psalmistatui, siue primæ tonsuræ, tamen illa non est verus ordo, per ibidẽ dicta.

Tertio infertur, quod suspensus à perceptione sacramentorum, quãuis peccet mortaliter in percipiendo ea, non tamen est irregularis, c. si celebrat. de cler. excommu. minist. quia perceptio nõ est officium diuinum, neque opus peculiariter ordini alicui addictum.

Quarto infertur, quod suspensus ab eorum collatione, dando illa non tanquam ad suum ordinẽ pertinentia, sed vt alius quilibet laicus, non incurrit eam, iuxta Host. in cap. 1. de sent. excom.

Quinto infertur, quod sacerdos suspensus ab officiis sacerdotalibus administrando in ordine inferiori non peccat, neque est irregularis.

Sexto infertur, quod suspensus à beneficio non peccat eligendo, si ius eligendi non competat ei ratione illius c. cum in cunctis. §. fi. de elect.

Septimo infertur, quod suspensus ab officio peccat, sed non incurrit irregularitatem eligendo & acceptando electionem de se factam, c. cum dilectus, de consuetud. iuncta glo. & excommunicando, & conferendo beneficia cap. quia diuersitatem. de conces. præb.

Octauo infertur, quod licet suspensus ab officio prædicandi, celebrando nõ peccat, nec fiat irregularis, secundum Pan. & communem in d. cle. cupientes. cõcionando tamen peccat, & est irregularis, secundum opinionem, quam sequimur supra

cap.25.nu.141.quod actus prædicandi est lege diuina, vel humana, vel consuetudine actus peculiariter diaconatui deputatus: quia licèt institutione diuina sit soli sacerdotio peculiaris: tamen dicimus.16.q.1. lege tamen,& consuetudine humana videtur deputatus diaconatui, vt tandem Caiet.vbi sup.concludit,quando saltem solenniter vti ex officio suo tãquam sacerdos prædicat.

Nono infertur, quod sicut tenemur vitare excõmunicatum in omnibus, per supra dicta eo. c.nu.26.& seq.ita suspensum in eo,à quo est suspensus,& non vitãdo in diuinis officiis,& in actibus deputatis suis ordinibus peccamus mortaliter si est denunciatus,aliàs non,per extrauag. ad euitanda.relatam supra num.55.& per latius d.c.1.§.laboret. de pœnit. distin.6.

Interdictum quid,& quotuplex.

SVMMARIVM.

164 *Interdictum hic non generaliter, sed specialiter sumitur, quo conueniat, & differat ab excommunicatione, & suspensione nu.165.*

166 *Interdictum triplex, & quid vnumquodque includat, nu.167.*

164 CIrca hæc dico sequẽtia. Primum, quod vt interdicere significat prohibere,insti. de interd. in prin. sic interdum generaliter dicitur quælibet prohibitio: sed hic accipitur specialiter pro vna trium cẽsurarũ ecclesiasticarum, quod vt in rep.c.dilectis.de appel.dixi, cautius definiri potest,quàm à Caldetino in tract.de eccles. interdic.memb.1.col. 1. esse censura ecclesiastica, qua prohibentur diuina officia,sacramenta, & sepultura actiuè,& passiuè, exceptis aliquibus. Dixi, *Censura ecclesiastica*, pro genere, quo distinguitur à cessatione à diuinis,de qua,in c.irrefragabilis.de offic.ord.& cap.quamuis. eo.tit.lib.6.quæ non est censura ecclesiastica: quia non est nisi ipsa omissio officiorum diuinorum,iuxta Pan.in d.c.dilectis.num. 18. Reliqua adduntur ad differentiam inter interdictum ex vna parte, & inter excommunicationem, & suspensionẽ ex altera,quæ tres cõueniunt in nouem,iuxta Calde. vbi supra col.1.receptum per communem Dom.& Peru.in d.c.1.§.superior. de senten. excommu.lib.6.Syl.& Tabien verb.interdictum, & per complures alios alibi.Cõueniunt enim primo, quod quælibet earum est censura ecclesiastica, cap.quærenti. de verb.signi. Secundo, quod quælibet in scriptis debet ferri,& cũ causa in eis expressa,c.1.de senten.excom.lib.6.Tertio, quod nullam earũ suspendit appellatio subsequuta,& quãlibet annullat præcedens,c.is cui.§.fi.eo.tit.lib. 9. & c.ad hęc quoniam.de appel.Quarto, quod quãlibet debet præcedere monitio, c.reprehensibilis.de appel. cũ fertur ab contumaciam,&non cũ in pœnam,c.2.de const.lib.6.&c. quanquam.de censi.eo.lib. Quinto, quod quælibet est nulla, cum fertur sine canonica monitione ab excommunicatore contra participantes excõmunicatis à se,c.statuimus.iuncto c. statutum de sent.excom.lib.6.Sexto, quod quælibet impedit à diuinis, excepta illa suspensione quę non sit ab eis,c.pastoralis.§.verũm. de appella. iuncto.d.cap.is cui.Septimo,quod in absolutione omnium iuratur, c. venerabili.& cap. ex tenore.de senten. excomm.Octauo,quod nulla earum contra receptos in filios speciales Papæ ab ordinario ferri potest, cap. 1.de verbo.signifi.lib.6. Nono, quod quælibet est à superiore seruanda, c. cum ab ecclesiarum.de offic. ordin. immo & à ferente quousque eam tollat Cald.vbi supra memb.1. col.3. Differunt autem primò, quod excõmunicatio directè priuat cõmunicatione quatenus est communicatio humana.Suspẽsio priuat directe vsu facultatis ecclesiasticæ.Interdictum vero priuat directe sacramẽtis & diuinis officiis.Dixi, *Directè*:quia indirecte & per consequentiam priuant etiã consequentibus directe prohibita.Secũdo quod excommunicatio non potest suspendi, & aliæ sic, d.c. ad hæc quoniam-quamquam idem esse de excõmunicatione dixit Dec. ibi,quem per multa fundamenta sequimur ibidem.Tertio,quod episcopus non incurrit suspensionem, neque interdictũ latum à iure, nisi exprimatur in eo, excõmunicationem vero sic,c. quia periculosum. de sen. excom.lib.6.cum glo.Quarto, quod vniuersitas non potest excommunicari. c. Romana.§. in vniuersitatem. de sent.excom.lib.6 suspendi autem & interdici sic.cap.quia sæpe.de electio. lib.6. cap.de sententia. de sent. excom. eod. lib. Quinto, quod excommunicari nunquam admittuntur ad diuina officia,alij vero sic interdum, cap. fin. de senten. excom. eod.lib.Sexto, quod excommunicatio,&suspensio non feruntur nisi ob culpam propriã,& maior ob mortalem,& minor & suspensio etiam ob venialem:interdictum tamen etiam ob alienam,d.cap.si sententia. Septimo, quod absolutio excommunicationis semper requirit aliqua verba: suspensionis verò,& interdicti non, quando feruntur quousque certum quid fiat: quia sufficit, vt illud fiat; glo.putata sing.cle.1.de decim.verb. donec. quæ tamen habet alias quatuor similes citatas à nobis in cap.1. no.6.de iudic.

166 Secundò dico,quod interdictũ est triplex,locale tantum, personale tantum, locale & personale simul, locale tantum est, quo solus locus interdicitur,quod rursus est duplex, generale, quo interdicitur locus vniuersalis, vt regnum, prouincia, episcopãtus,ciuitas, oppidũ, pagus aut parochia.Et speciale,quo interdicitur aliquis locus particularis, vt ecclesia,& non definit esse tale, eo quòd cõprehendat multa loca, modo sint particularia,quale est, quod interdicit multas ecclesias, etiam si interdicat omnes ciuitatis,episcopatus,prouinciæ, regni, aut quotquot sunt in mundo,iuxta Cald.vbi supra memb.2.receptum per Dom.Peru.& Com in cap.præsenti. de senten.excom.lib.6.singulare autem quod addit Ange.verb.interdictum 1.§ 1. est species interdicti particularis minimè necessaria. Interdictum personale tantum est, quod interdicit personas tãtum, quod etiam est duplex,scilicet,generale, quod interdicit aliquam vniuersitatem hominũ, vt populi, regni, prouinciæ, ciuitatis,oppidi,collegij,aut pagi,d. cap. si sententia. Et speciale, siue particu-

lare,quod interdicit personas singulares, vnam, aut multas,certas, aut incertas: vt quod interdicit hoc, vel illud facientem. Interdictum locale & personale simul est,quod interdicit locum & personas simul:& quod interdicit locum, & populum,& tales, vel tales personas: exemplũ quotidianum est in interdicto,quod appellant ambulatorium, quo interdicitur aliqua persona & locus vbi est, vel fuerit, quamdiu ibi fuerit, aut etiam certo tempore postquam recesserit, de quo quatenus est locale, iudicandum est,vt de locali tantum: & quatenus est personale,vt de personali tantum, arg.l. quæ de rota. ff. de rei vend. quibus addimus vnumquodque illorũ posse diuidi in simplex,& mixtum,hoc est generale tãtum,aut particulare tantum,aut generale,& particulare simul. De quo quatenus est generale,iudicandũ est vt de generali,& quatenus particulare,vt de particulari,arg.d.l. quæ de rota.& cap.pastoralis.§. item cum totum.de offi.deleg.

167 Tertio dico,quod interdictum generale loci nõ includit populum, nec persona eius. Neque interdictũ generale populi alicuius loci comprehendit eum: itaque quando est interdictus vnus locus, qui sunt in eo, & non fuerunt causa interdicti, possunt audire & dicere in alio loco diuina officia,& dare & accipere sacramenta, & alij aliorum oppidorũ non possunt hoc facere in illo loco interdicto, cuius illi sunt.Et quando interdicitur solus populus, illi qui sunt eius, non possunt audire,neque ibi,neque alibi:& exteri possunt audire ibi,& in eo potest celebrari patentibus ianuis, exclusis eius hominibus,perinde ac si non esset interdictus,d.cap.si sententia.cũ ei anno. Rursum interdictum clerici alicuius loci non comprehendit locũ, neque populum & habitatores eius laicos: neque è contrario interdictum populi comprehendit clericos, d. cap.si sententia.Cuius rei nouam rationẽ tradidimus,in c.2.de præb.post Dec. ibi & in c.ecclesia.de constit. col. 4. quamuis interdictum cleri videatur includere religiosos, & religiosas, conuersos,& conuersas,nouitios, & nouitias,secundũ Domi.in d.c.si sententia.in fin.princ. & Cal. vbi supra memb.2.Item interdictum ciuitatis includit suburbia, & ædificia prope mœnia, c.si ciuitas. de sent. excom. lib.6.quæ vero ædificia dicenda sint talia relinquitur arbitrio iudicis,gl. ibidem.Interdictum etiam ecclesiæ, licèt speciale tantum,includit sacella & cœmeterium contigua,alia non d.c.si ciuitas. Interdicta vero ecclesia,non censentur interdicti clerici eiusdem:neque contra, interdictis clericis,censetur interdicta eorũ ecclesia,arg.cap.per exemptionem. de priuileg.lib.6.

Quis,cur,& quomodo potest interdicere & interdici.

SVMMARIVM.

168 *Interdicit communiter,qui excõmunicat,& suspendit,& contra.*

168 *Interdictum fertur ob culpam alienam sed non ob culpam debiti,& ponitur ipso facto à iure his casibus, num.169.& quæ opera prohibeat, nu.170.*

168 Quar

168 QVartò dico, quod cõmuniter qui potest excommunicare, & suspendere, potest etiam interdicere:& qui potest excommunicari,& suspendi, potest etiam interdici. Et vniuersitas quæ non potest excommunicari, cap. Romana. §. in vniuersitatem.de sent. excom.lib. 6. & locus qui non potest suspendi, vt supra dictum est,potest interdici, d. cap.si ciuitas.& d.cap.si sententia.Et quamquam aliud est populus, vel vniuersitas , & aliud particulare eiusdem arg.cap.denique.7.quæst.1. & l. proponebatur. ff. de iudi. interdicto tamen illo, censentur interdicti omnes eius particulares, fontes, & insontes,d.cap.si sententia.vbi id affirmant Dominic.& Peru.quia potest vnus interdici propter culpam alterius, licet non excommunicari, vel suspendi, vt prædictum est: quamuis semper debeat interuenire culpa propria, vel aliena, vt feratur interdictum: nec sufficit culpa non soluendi debitum, vt feratur interdictum generale auctoritate ordinaria, vel delegata sine speciali Papæ mandato,extrauag.prouidæ.de sentẽ.excommu.quamuis particulare ecclesiæ ferri posset,iuxta Calde.vbi supra memb.1.cap.4.& Dominic.in cap. præsenti. de sentẽ.excommu. lib.6.non tamen parochiæ,quamuis per incogitantiam, nostro iudicio, contradixerit Stephan.de potest. eccle.cas.10.

Interrogatus olim Salmanticæ,an infans lactens,& amens includantur interdicto? Respondi,includi,nec esse admittendos ad diuina: quia vt prædictum est, sine culpa propria quis potest interdici.

169 Quintò dico, quod fertur generale ipso facto contra vniuersitatem,quæ facit solui portoria illicita clericis,cap.quamquam.de censũ.lib. 6.& contra eam,quæ facit,vt capiatur,percutiatur,vel in exilium mittatur suus episcopus.cle.1.de pœn. Et contra eam cuius dominus impedit ingressum,aut negotia Nũcij Apost. extrauag.super gentes. de coniuct. Immo & in omnibus casibus,in quibus iure fertur interdictum locale generale,ob delictum populi, in eisdem fertur etiam generale personale contra suum populum: quamuis non,quando fertur ob delictum solius domini,si nõ exprimatur, cap. si sententia.de sen.excommu lib.6.fertur etiam particulare locale ecclesię in aliquot casibus, scilicet, quando vniuersitas facit,vt capiatur, percutiatur, vel mittatur in exilium suus episcopus.d.cle.1.de pœn. Et quando clerici,aut conuentus ecclesiæ,nolũt restituere corpora,aut monumenta eorum, quos in ea sepelierunt: & quod inducti ab eis iurauerunt se electuros sepulturas. in cap.1. de sepult.lib.6.

170 Sexto dico, quod interdictum personale particulare solum includit personas nominatas, & actus in eo expressos,& qui includũtur in illis.Si vero nulli exprimantur,omnes qui verantur interdictis censentur inclusi. Vnde interdicto simpliciter Petro,omne illud quod interdictum prohibet,vetatur illi. Interdicto autem eo quo ad ministerium altaris, reliqua omnia potest facere: quo ad ingressum vero ecclesiæ omnia diuina officia illi prohibentur, iuxta illam:quia includuntur in prohibi-

Universidad de Deusto

tione ingressus illius, & nulla extra illam: quia potest facere domi, vel in tabernaculo, iuxta glo. cap. is cui. de sentent. excom. lib. 6. & Com. aut in sacello non effecto auctoritate episcopi, perinde ac si nulla re esset interdictus, iuxta S. Anto. 3. par. tit. 29. c. 2. §. 2. & ante illum Cald. secundum quem approbatum, ab Ancha. Dom. & Peru. in d. c. is cui: cui est interdictus ingressus ecclesiæ bene potest introire in eam, & orare quando nō aguntur diuina officia, vt gl. sing. dicit de excommunicato, c. qui studet. 1. q. 1. & Inno. in cap. nuper. de sentēn. excom. quamuis multi contra sentiant, sed male: non potest tamē audire diuina officia, iuxta Domini. & Com. in d. cap. is cui. quidquid dicat Cal. vbi supra col. 16. sed nostra sententia potest transire per eam, etiam quando illa fiunt: quia id non est audire, arg. eorum quæ supra eo. c. nu. 54. diximus de excōmunicato. Quorū ratio est: quia prohibitio ingressus ecclesiæ solum respicit diuina officia, ne ea faciat. vel audiat in ea. d. c. is cui. cum ei annotatis, & c. præsenti. 5. q. 2.

Quæ prohibeantur interdicto, & tempore interdicti.

SVMMARIVM.

171 *Interdicto vetantur omnia diuina officia, sacramenta, & sepultura, præter expressa.*

172 *Officia diuina quæ, & permissa quomodo in interdicto generali. n. 174.*

173 *Missa vna singulis hebdomadis licita in interdicto speciali.*

174 *Clerici etiam alieni admittuntur ad diuina tempore interdicti, & an coniugati.*

174 *Aqua benedicta, vt benedicēda, & vsui adhibenda tempore interdicti.*

175 *Interdicto in loco, & etiā in ecclesia, clerici recitant horas, nu. 176. & vt campanæ pulsatio, episcopi benedictio, & sacramentalia vsus liceant, nu. 177. & 178.*

178 *Confessio item, & alia plurima.*

179 *Interdicta quæ priuilegia particularia relaxant, & 2 seq.*

181 *Interdictum iure suspenditur quatuor festis, & an alio priuilegio religiosorum, & 2. seq.*

187 *Interdictum non denunciatum non obligat, neque nullum, & quando tale, & validum violando qui laici, & mortales peccant.*

188 *Cessatio à diuinis quid, & est duplex, & in his differt ab interdicto.*

189 *Cessatio qualis, & cur ponatur post interdictum, nu. 190.*

171 SEptimo dico, quod per quodcunque interdictum prohibētur omnia diuina officia, sacramēta, & ecclesiattica sepultura (exceptis his quæ expressè, vel tacitè permittuntur) vt colligitur ex cap. non est. de sponsa. & cap. fi. de excess. præl. & c. quod in te. de pœn. & rem. & cap. responso. de sen. excom. cap. quoniam. & cap fi eo. tit. lib. 6. & notatis in eis, & ex definitione interdicti supra nu. 164. data. Ex quo sequitur, quod regulariter prohibentur omnia exercitia specialiter deputata alicui ordini, siue maiori, siue minori, vt dicendi Epistolam solēniter cum manipulo Subdiacono, & Euangelium Diacono, offerendi vrceolos Acolito, dicendi missam, aut agēdi hebdomariū quando peragitur matutinū, aut aliæ horæ canonicæ Presbytero, & ordinandi Episcopo, quia omnia ta

nia talia exercitia sunt diuina officia, quæ est ratio noua & firma non perpensa ab aliis.

172 Octauò dico, quòd malè definierunt Ang. verb. interdictum 5. §. 4. & aliqui alij diuina officia in hac materia esse officia diuina in missali & breuiario contenta: quia neque omne in illis ordinatum est diuinum officium, nec omne diuinum officium est in illis ordinatum: siquidem multa sunt ordinata in pontificali, & multa in missalibus & breuiariis, quæ non sunt diuina officia prohibita tempore interdicti. Qualis est benedictio mensę, & fructuum, qualis baculi, & sacculi ad peregrinandum, & habitus nouitiorum. Possunt autem rectè definiri esse officia ordinata in dictis tribus libris, aut in aliis legitimè ad vsum ordinum & aliorum sacramentorum, vel sacramentalium, aut ad horas canonicas.

173 Nonò dico, quòd potest dici vna missa quaq; hebdomada etiam in ecclesia specialiter interdicta, ad renouandum sanctum sacramētum, quod asseruatur infirmis, cum moderatione versiculi sequentis, capite permittimus. de sent. excommun & etiam plures quàm vna, si necessitas infirmorum id postularet, iux. Host. ibidem. Et quod possunt celebrari omnia diuina officia in loco generaliter interdicto, sicut prius ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis, & interdictis, cap. fin. §. adiicimus. de sentent. excommu. lib. 6. expulsis item non habentibus priuilegium iuris communis, aut specialis, iux. gl. d. §. adiicimus. ver. interdictis.

174 Dixi, *In loco generaliter interdicto*: quia in interdicto specialiter non habet locum, iuxta glosl. recept. in d. cap. fin. verb. ecclesia.

Et quamuis Anchar. dicat, quòd talia officia diuina debent fieri per solos clericos & monachos illius ecclesiæ vel monasterij, & non per alios, cuius opinio obseruabatur meo tempore in Gallia, vbi pauca interdicta ponuntur, sed contrarium scilicet, quod omnes clerici maiorum & minorum ordinū etiam primę tōsuræ vndecunque, & cuiuscunque ecclesiæ, nisi fuerint causa interdicti possint admitti ad dicendum & audiendum illa, tenēt Ioan. Andr. Dominic. & Philip. in eodem cap. fin. Feder. cons. 70. Angel. verb. interdictum 5 § 3. & Sylvest. verb. interdictum 5. quæst. 1. quod seruatur in tota Castella, vbi feruntur infinita interdicta, & etiam in Lusitania, vbi feruntur pauciora, etsi plura, quam in Gallia: sed clerici coniugati non sunt de horum numero: quia quidquid dicat Margarita confessorum, non gaudent nisi duobus priuilegiis cap. 1. de cler. coniug. lib. 6. e quibus non est hoc, & cōsequenter quo ad hoc habentur pro laicis, vt iam pridem respondimus Salmanticæ. quamquam si esset consuetudo præscripta, qualis fertur esse in Aragonia, valeret illis, argum. cap. fin. de consuet. etiam si esset introducta per errorem iuris, arg. eorum quæ infra nu. 177. dicuntur. Et adeo quidem excludendi sunt non habentes priuilegium, vt non sint admittendi ad oblationem, quæ fieri solet in medio missæ, neque sit eis porrigenda pax, neque aperiēda fenestra,

neque

neque foramẽ, ſed quæ intueri poſſint corpus D. N. iuxta clem. 1. cum ſuis gloſſ. de ſent. excom. Neque ſacerdos poteſt benedicere aquam abſque prædicta modificatione, neque benefacta illa inſpergere populum abſque illa ante miſſam, cum antiphona, Aſperges, &c. ſicuti ſolet, iuxta Cald. vbi ſupra membr. 6. columna 14. Quamquam credimus populum poſſe ſumere aquam benedictam cum ingreditur eccleſiam & clericum dare ei, tamquam laicum ſine peccato, quidquid ſentiat idem Cald. vbi ſupra: quia id nullibi prohibetur. Et vox debet eſſe tam ſubmiſſa, quę foris non audiatur, vel ſaltem proferatur ea intentione, vt non audiatur, & cum debita cautione: quia hoc excuſaret peragentes officia, quamuis ab aliquibus curioſis audirentur contra eorum voluntatem: ſiquidem tam clare eſt proferenda, vt alij ab aliis poſſint audiri in choro, iuxta mentem textus c. alma mater, & omnium doctorum. Poſſunt tamen accipere funeralia, Cald. in d. membr. 6. col. 20. & alias oblationes factas pro defunctis, quamuis ſepeliantur extra locum ſacrum, & illi eſſent interdicti, ſi deceſſerunt pœnitentes: ſiquidem poteſt & debet rogari pro eis, arg. c. fi. de ſepult. & c. à nobis 1. de ſen. excо.

175 Decimò dico, verum eſſe id quod Salmanticæ reſpondimus & defendimus ſequentes mentẽ Hoſt. in c. quod in te. de pœnit. & remiſſ. cum. c. illud prælegeremus contra Villadieg. de irregul. col. 14. & ſatis contra Cald. d. memb. 6. colum. 12. & Angel. & Sylueſt. verb. interdictum 4. quæſt. 2. ſcilicet, quòd in tempore generis alis interdicti nõ ſolum vnus, ſed etiam duo, tres, & plures recitare poſſunt ſuas horas in campo, ianuis quæ non ſunt, non clauſis, & domi, & in cubiculo clauſis illis, & etiam non clauſis, modo non audiantur ab aliis non habentibus priuilegium ad audiendum, quamuis audiant aliqui per tranſitum & caſu. Et quòd etiam intra eccleſiam poteſt quis ſolus non clauſis ianuis recitare horas ita ſubmiſſe, vt à nemine alio à ſe audiatur: & ita duo vel tres diuiſi in aliquo ſacello, aut tam ſubmiſſe, aut tam ſeiuncti à populo vt audiri nequeãt, & à fortiori intra vnum ſacellũ clauſum, quãuis ianuæ eccleſiæ, vbi illud eſt, ſint apertæ, quidquid dicant Hoſt. Ioan. And. & Card. in d. capit. quod in te, quia intentio iuriſtũ quæ permittunt diuina officia cum prædicta moderatione in eccleſiis, non eſt excludere alia loca, vt ponderabat Villadieg. vbi ſupra, immò à fortiori includere illa, vbi regulariter non audiuntur ab aliis permittendo ea dici in eccleſiis, vbi ſolent audiri: & principalis ſcopus prohibendi diuina officia eſt, ne audiantur à laicis, arg. dicti cap. quod in te. & d. cap. alma mater. cum non obſtante illo quiſque clericus teneatur dicere ſuum officium, gloſſ. recepta cap. 2. de cleric. excom. facit glo. ordin. cap. illud eo. tit. & cap. preſbyterum. 28. diſt. Dixi, *Tempore interdicti generalis*: nam in loco ſpecialiter interdicto non eſſet licitum quidquam horum facere, neque clauſis ianuis, neque apertis, argu. gloſſ. dicti. capit. alma. verb. eccleſiis.

176 Vndecimò, quòd non prohibetur

betur oratio matutina, meridiana, & veſpertina, quam vocant Aue Maria: neque benedictio menſæ Cald. vbi ſupra colum. 16. neque ea quam Epiſcopi iter facientes concedunt. Neque prohibetur lectio, neque declaratio pſalmorum, aut euangeliorum, aut aliorum ſimilium quæ in diuinis officiis dicuntur, cum non prohibeatur prædicatio cap. reſponſio de ſent. excommun. neque oratio priuata in eccleſia etiam illis ipſis, quorum cauſa poſitum eſt interdictum, licèt illi ſint interdicti perſonaliter, iuxt. Monald. recep. per Ang. verb. interdictum 6. §. 14. neque dare, neque accipere aquam benedictam in ingreſſu eccleſiæ, neque cãtus laicorum, etiamſi cantent litaniam aut pſalmos, & laudes Dei, aut eius ſanctorum in ſuis confraternitatibus etiam intra eccleſias, Cald. vbi ſupra memb. 6. col. 10. excõmunicare neque abſoluere excõmunicatum abſque ſtola & ſolemnitate ſacerdotali, iuxta Inno. in cap. fin. de exceſſ. prælat. & Cald. vbi ſupra. neque etiam introducere puerperã in eccleſiam ad reddendum Deo gratias in illa, etiam cum confeſſione generali abſque ſtola & ornatu ſacerdotis, Cald. vbi ſupra col. 5. neque conſequenter confeſſio generalis quam ſolent facere laici ſacerdoti, idem ibidem col. 14. neque adoratio crucis Veneris ſancti, idem ibidem col. 15. neque recommendatio animarum defunctorum, Cald. vbi ſupra: neque alia ſimilia: quia non ſunt officia. Et quamuis laici non poſſint ſepeliri in loco ſacro tali tempore, neque extra illum cum officio diuino, licèt ſublato interdicto deferri debeat ad illum: & ſi ſepeliatur in illo durãte interdicto, non ſunt extrahendi, iuxta glo. receptam cap. à nobis 2. verb. forma. de ſent. excomm. Clerici tamen ſeruantes interdum poſſunt ſepeliri in ſacro abſque ſollennitate: quia id eis permittitur d. cap. quod in te. quãuis ſint coniugati, ſi conſuetudo præſcripta habet, vt clericus conſugatus cum vnica & virgine, perinde poſſit intereſſe diuinis tempore interdicti, ac alij non coniugati, aliàs non, iuxta dicta ſupra eo. ca. nu 174.

Ad quæſitum, an dictum Cald. de litaniis habeat locũ in clericis? Reſpondeo habere: quia litaniæ cum cantu, vel ſine cantu abſque ſolennitate cõſueta Crucis leuatæ, ſuper pelliciorum, & ordinis procedendi, de quibus loquitur Cald. licent; tam clericis quàm laicis; cum prædicta vero ſolennitate neutris, licèt minus clericis quam laicis: quia hæ ſunt diuinum officium, illæ vero nequaquam per dicta ſupra.

177 Duodecimò dico, quòd nõ poſſunt pulſari campanæ, neque campanulę ad horas canonicas. Cal. vbi ſup. memb. 7. col. 16. quamuis ſic ad alios fines, veluti ad Aue Maria prædictum, aut ad oſtendendum reliquias, aut notificandum horas; aut prædicandum, aut ad aliud quod nõ ſit officium diuinum Cald. d. memb. 6. col. 16 receptus communiter in c. fi. de ſent. excom. lib. 6. Vnde fortaſſis originem duxit Salmanticenſis conſuetudo pulſandi ad interdictum (hoc eſt ad notificandum illud) horis quibus finienda erat pulſatio ad primam, & ad veſperas: quæ tamen etſi noſtra ſententia

iam excusset à pœna, & à peccato, ob id quòd potuit sua antiquitate effectum interdictorum quo ad hoc minuere: tamen non excusasset in exordio, neque modo excusaret vbi primùm incipieretur: quia esset manifesta fraus, vt ad aliud propositum dixit Cald.d. memb. 6. col. 16. Neque etiam potest Episcopus tempore interdicti publicè benedicere solenniter cum baculo, & versu, Adiutorium nostrum, &c. secundum Cald.memb.6 col. 15. neque benedicere Abbatem, neque Abbatissam, neque consecrare calices, altaria, virgines, neque benedicere corporalia, & alia ornamenta ad dicendum missam, neque vela monialiũ: neque ipse parochus potest bene dicere aquam, vt declarauit bene Feder. cons. 3.col.2. & 3.Cald.vbi supra col.14.& 15.& seq. neque candelas in die purificationis, neque palmas & ramos in Dominica palmarum. Cald.d.colu. 15. neque missam quam siccam dicunt, sine consecratione. Sylu verb. interdictum quæst. 3. quia sunt diuina officia. Dixi, *Publicè*: quia clam iannis clausis, &c. bene possunt iuxta eundem: quia non sunt, vt ille dicit, sacramenta, sed diuina officia ad facienda quædam sacramentalia: & ideo etiam fieri possunt in festis, in quibus tollitur interdictum. de quibus infra eod.cap.nu.172.iuxta Feder. in dicto cons.3.& Cald.vbi supra.

178 Decimotertiò dico, quòd sola & omnia illa sacramenta, & sacramentalia, quæ ius aut priuilegium exprimit, aut tacitè permittit, sunt permissa in loco interdicto, siue interdictum sit generale, siue speciale, iuxta Cald. membr. 6. col. 19. quale est sacramentũ baptismi pro paruulis cap. non est. de sponsal. & etiam pro adultis cap.quoniam. de sentent. excom. lib. 6. qualia sunt catechismus & exorcismus, & vnctio olei, & chrisma, siquidem in baptismo iubentur hæc fieri, capit. accepisti. de consecr. dist. 4. quale etiam est sacramentum cõfirmationis. cap. responso. de sentent. excom. & consecratio chrismatis quę ad id, & baptismum est necessaria. dicto cap. quoniam. & eadem ratione consecratio olei baptizandorum. Quale est sacramentum pœnitentiæ pro infirmis, dicto cap. non est, & etiam pro sanis, dicto cap. fin. qui non fuerint excommunicati, neque interdicti, neque fuerint causa interdicti sua culpa, neque consilium, neque fauorem, neque auxilium præbuerint delicto, ob quod fuit positum. Siquidem hi nequaquam sunt admittendi ad sacramentum pœnitentiæ, nisi satisfaciant prius si possunt, sin minus, præbeant idoneam cautionem, iurando se daturos operam fideliter vt satisfiat per se, aut per alios dicto cap. fin. § illis. Quale est etiam eucharistia, siue viaticum d. cap. quod in te. solum in articulo mortis, glo. d.c. fi. recepta, & sic non potest dari sanis, quãuis sint clerici & religiosi, iuxta Cald. in d. memb. 6. col. 22. & Philip. in d.c fi. § adiicimus. & §. seq.

179 Quod verum est nisi haberent priuilegia quibus non præiudicaret Bulla S. D. N. Greg. XIII. relata sup. nu. 68. licet secundum ius commune possint sumere, quando celebrant: quale est celebrare semel in hebdomada ad renouandum sanctissimum

Sacramẽtum cap. permittimus. de sent. excom. quale etiam pulsare campanulam, quando fertur ad infirmos, & etiam ostẽdere ipsum in reditu vbi mos est, Calde. vbi supra memb. 6. colum. 19. partim quia videtur iustum & decorum. dicto c. quoniam, partim quia non est de actibus prohibitis per interdictum conspectus S. Sacramẽti, nisi in missa. Quale est etiam sacramentum matrimonij glo. cap. fin. etiam inter interdictos personaliter, & specialiter, iuxta Cald. d. memb. 6. col. 21. sed non est talis benedictio nuptiarum, iuxta Host. in d.c. non est receptum per Com. ibidẽ, & Cald. dicto memb. 6. col. 22. Non est etiam tale sacramentum extremæ vnctionis, d. c. quod in te. etiam quo ad clericos: quia quamuis sint priuilegiati quo ad sepulturam, non tamen quo ad extremam vnctionem, iuxta Ioan. And. d. cap. quod in te. neque religiosis potest dari extrema vnctio secũdum ius cõmune. Neque etiam est tale ordinare in loco interdicto, iuxta Inno. in d.c. non est. neque extra illum si ordinator, vel ordinatus sint interdicti personaliter. Pan. ibidem, & melius Cald. mem. 1. col. 22.

180 Decimoquartò dico, quòd priuilegiũ audiendi diuina officia tempore interdicti cum prædicta moderatione, non valet ei, qui fuit causa eiusdem, aut cuius culpa aut fraude fuit positum, aut commissum delictum, ob quod fuit positum: ei autem qui hoc non commisit, si est persona singularis, valet, non solum pro se, sed etiam pro suis familiaribus domesticis, qui non sint fraudulenter recepti ad audiendum, aut celebrandum cum illo. cap. licet. §. cum conceditur. de priuileg. libr. 6. sed si est collegium, non valet nisi 181 collegis, d. cap. licet. Et quamquam in aliis materiis per familiares & domesticos intelliguntur mulier, filij, nepotes, serui, & famuli illi subiecti, qua ratione potestatis paternæ vel dominij degunt cum illo, iuxta glo. & determinationem Aret. & Felyn. in cap. in literis. de testib. in hoc tamen casu non sumitur tam latè, iuxta Anchar. capi. licet, & sic, nostro iudicio, in hoc casu illi tantum intelligẽdi sunt familiares domestici alicuius, qui eum de more comitantur. Hæc enim ampliatio huius priuilegij fit ne inutile sit, vt posset esse, nisi sic ampliaretur ad multos qui sine comitatu non possunt honestè ad ecclesiam ire, aut celebrare in ea, iuxta gloss. solen. quæ pen. est d. cap. licet, & commendata ad pulchram cõclusionem per Dec. in c. cum ordinem. de rescript. col. 2. Et sic clericus qui habet vnum famulum laicum, potest dicere missam in ecclesia seruiente illo, siue receperit ante interdictũ, siue post, & in eius locum si ægrotaret, vel abesset, posset sumere alium etiam laicum. Calderi. vbi supra memb. 6. Addo etiam quòd priuilegia concessa aliquibus religiosis, vt tẽpore interdicti possint admittere, ad diuina officia suos cõfratres, intelliguntur de illis, qui licet sint, & maneant extra monasteria, tamẽ se addixerũt illi ordini mutato habitu sæculari, aut donarunt inter viuos sua bona suo ordini, seruato sibi quãdiu vixerint vsufr. c. vt priuilegia. de priuil. Eodem modo qui habẽt priuilegia,

quòd

quod tempore interdicti possint admitti ad diuina officia, possunt sepeliri in cœmeterio, iuxta Calder. in 6.memb.col.24.quem sequitur Ang verb.interdictum 6.§.35. licet Feder. cons.3. in contrarium inclinet, cuius opinio facile defendi posset, si consideretur sepultura pro principali,& officium pro accessorio, sicut & opinio Cald. consideratione contraria,& tamquam fauorabilior seruanda videtur.

182 Decimoquinto dico,quod etiã possunt fieri omnia diuina officia festis Natiuitatis,Paschæ, Pentecostes, & assumptionis Dominæ nostræ diebus solum, & non octauis, etiam sine prædicta modificatione, apertis ianuis,campanis pulsatis, & alta voce, exclusis excommunicatis, & admissis interdictis: ita tamen vt quorum culpa tale interdictum positum fuit, non accedant ad altare: quia id expresse permittitur per c.alma mater.§.in festiuitatibus.de sent. excom.lib.6. Quod idem postea permissum fuit in festo corporis Christi, & tota octaua per Martinum V. & Eugenium IIII. in suis extrauag. quæ legi solent intra octauam eiusdem festi, & in die conceptionis, & sua octaua Virginis Matris in ecclesiis,in quibus dicitur officium ordinarium per protonotarium Leonardum Nogarolum, & eius missa quæ incipit, Egredimini: & non in quibus illud non dicitur, vt monnimus in Enchirid. siue Manuali de oratione,& hor.canonicis,siue repe. cap.quando.de consecrat.dist.1.c. 10. numero 86.

183 Decimosexto dico,quòd in diebus in quibus à iudice suspẽditur interdictũ,id omne & solum ad quod suspenditur potest fieri multis : ita quòd si non suspẽditur ad aliud quã ad sepeliẽdum aliquẽ, aut faciẽdam certam missam, aut certũ officium, aut dandum certum sacramẽtum(vt sæpe fit Salmanticæ)non potest fieri nisi illud: & ideo cum suspenditur aliquod interdictũ,scire oportet quo ad quantũ tempus,& quo ad quę officia illud suspẽditur,quod tenor su-
184 spensionis mõstrabit. Et si nouerimus interdictum esse simpliciter suspensum in vnum diem,vel dimidiatum, poterimus in eo facere omnia quæ possunt fieri,nullum esset interdictum. Si autem nouerimus esse suspensum quo ad officia diuina tantum,vel ad aliquot missas tantum faciendas, non licebit facere alia: & ita non licebit alia sacramenta, vel sacramentalia dare, suscipere vel facere. In prædictis autem quatuor diebus suspenditur à primis vesperis illorum arg. cap.1. & 2.de feriis. vsque ad completorium inclusiuè dici,aut octauæ postremæ Archid.Domin.& Perus.in cap.fi. de sent.excom. contra glo. antepenult.
185 eiusdem. Et suspenditur illis diebus,in d.ca.fi.§.festiuitatibus. de sentent.excom.lib.6. quo ad omnes missas,& omnia diuina officia illorum festorum,& quæuis alia tam publica quàm peculiaria,& tam ordinaria,quàm extraordinaria, iuxta glo.ver.sicut prius.recept.per Domi. Perus.& Com. ibidem. quia textus dicit generaliter missæ celebrentur,
186 alia diuina officia dicantur sicut prius,& quia sic vsus habet. Et consequenter publice potest Episcopus in illis consecrare, Abbates Abbatissas,

Abbatissas, calices, ecclesias, virgines, corporalia, & alios apparatus altaris,vela, & omnia alia, quæ fieri possent secreto prædicto tempore, de quibus supra eod.c. num 177. Et quamquam aliàs nobis visum fuit quòd die corporis, & cõceptionis, & eorum octauarum non poterant peragi, nisi officia diuina eorum festorum, ponderantibus illud verbum, *huiusmodi officij*, quod est in dicta extrauag. Martini V. & Eugenij IIII.quia tamen mens authoris videtur fuisse suspendere quo ad illos dies tantum, quantum suspendebatur à iure quo ad prædictos quatuor dies, & etiam amplius, siquidem suspendit quo ad octauas, & quia videtur sic eam interpretari consuetudo, dicimus permissum esse in illis omne id, quod permittitur in præfatis quatuor festiuitatibus etiam in omnibus aliorum sanctorum prædictorum ordinum in ecclesiis, quibus suspenditur.

187 Decimoseptimò dico, quòd nemo tenetur nostra ærate seruare interdictum aliquod nisi denunciatum, vt supra dictum est de suspensione eod. c. num. 163. & de excommunicatione nu. 15. & 36. per extrauag.ad euitanda. cuius tenor de verbo ad verbum refertur supra eod. c. nu. 35. Nec quando interdictum est in se nullum, & nullitas est sufficienter publicata, exceptis religiosis qui debent illud obseruare, si ecclesia matrix id obseruat, vt dictum est supra eo.c.num.146. Interdictum autem est nullum regulariter in eisdem casibus in quibus excommunicatio,de quibus supra eo.c.nu.4.

Decimooctauò dico, quòd laicus non dicitur violare interdictum vllum quamuis sit validum & denunciatum,audiẽdo missam, vel alia diuina officia in loco interdicto etiam ab eo,qui dicẽdo ea peccet,& quamuis audiat cum aliquo personaliter interdicto, iuxta Caiet. verb. interdicti violatio. §. pen. exceptis quatuor casibus in quibus peccaret, quamuis non incurreret irregularitatem. Primò,cum ipsemet est interdictus personaliter, etiam si interdictum sit generale oppidi eius, quidquid ille dicat ibidem. Secundò, cum expresè vel tacite est causa quod illa dicantur, rogando, iubendo, aut præbendo ad id causam sua præsentia,& auditione: quia facientes & consentientes, &c. arg. c. 1. ad Rom. & c.1. de off. deleg. & facit optime glo. sing. cle. fi. de priuil. Tertiò, cum dicit talia officia, qualia dicendo violarent clerici, argu. rationis cap. pastoralis. §. 1. de cler. excom. minist. vt sentit Cald. in d. membr. 6. col. 10. affirmans, quòd tali casu potest puniri per iudicem ecclesiasticum : quia delictum est ecclesiasticum. Quartò, cum mentiendo asserens se esse clericum minorum, aut habere priuilegium intraret ad audienda diuina officia vetita,vbi dicebantur clausis ianuis.

Decimononò dico, quòd monachi, & moniales, qui nullum ordinem habent, peccant mortaliter faciendo officia prohibita clericis: quia merentur includi ob id in aliis monasteriis strictioribus, quo faciant pœnitentiam d.c pastoralis. & licet non incurrant irregularitatem, fiunt tamen ineligibiles actiuè, &

passiuè, iuxta Cald. d. membr. 6. Et à fortiori clerici qui violant interdictum peccant mortaliter, quantumlibet dubitet Cajet. vbi supra: & censentur violare quo ad hunc effectum, quod illis est prohibitum per interdictum personale, aut locale, & quo ad effectum incurrendi irregularitatem, illis tantum vicibus, quibus supradictum est, c. 25. nu. 83. & 94.

188 Vigesimò dico, quod cessatio à diuinis est quædam desistentia à diuinis officiis, & ab administratione sacramentorū, iuxta mentem Inno. & Communē in c. dilectis. de appel. & cap. irrefragabili. de offic. ord. quæ est duplex, generalis quæ fit in loco vniuersali, vt ciuitate, oppido, aut parochia, & particularis quæ particulari, vt in ecclesia, aut ecclesiis. Quo fit, non esse certum, quod asserit author compendij priuileg. verb. interdictum 1. §. 17. allegans in hoc duos Doctores Salmanticenses, scilicet, cessationem à diuinis generalem, & interdictum generale esse idem, contra mentem Cald. vbi supra membr. 3. col. 3. & Card. in clem. 1. §. in cessationis. de sent. excom. vbi Bonif. num. 4. declarat. Tum quia vt supra eod. cap. nu. 164. dixi, cessatio non est censura, & interdictum sic. Tum quia secundum Inn. in d. c. irrefragabili. num. 4. & in d. c. dilectis. nu. 3. receptum ibi per Ant. Pan. Perus. & Præpositi. qui transgreditur cessationem à diuinis etiam particularem, non est irregularis: & qui transgreditur interdictum, quamuis sit generale, sic. quod optime probat Bonifac. in d. cle. 1. num. 90. post Car. & Imo. licèt Io. And. in c. si canonici. de off. ord. lib. 6. quem sequutus fuit Ang. verbo cessatio, teneat contrarium, sed male, vt demonstrauimus Salmanticæ repetentes d. c. dilectis. Tum quia ipse Ang. verbo cessatio. fatetur cessationem particularem, non esse idem quod interdictū particulare, neque facere sui transgressorem irregularem: c. is qui. de sent. excom. lib. 6. ob id quę qui habet priuile-

189 gium audiendi diuina officia tempore interdicti, non poterit tempore cessationis arg. c. priuilegia 5. dist. & c. porro. & c. sane. de priuile. neque qui habet priuilegium audiendi tempore cessationis generalis, poterit tempore specialis: quamuis verum sit, quod interdictum generale, & cessatio generalis æquantur quo ad modificationē prædictā, d. c. alma. & quo ad rigorem prædictæ cle. 1. de sent. excom.

Roganti vero cur ponatur sæpè cessatio post excommunicationem, & interdictum, quibus non est certum, si interdictum est fortius illa? Respondeo, quod hoc non fit nisi à summo Pontifice: & quod ille non ponit cessationem generalem post interdictum generale, sed aliud interdictum speciale, aut cessationem specialem, quæ aufert celebrationem diuinorū officiorum etiā clausis ianuis, &c. Cæterum quando feruntur simul interdictū, & cessatio specialis, ponderandæ sunt diligenter literæ, & secundum eas iudicandum. Tum quia transgressor censetur irregularis ea ratione, qua est interdictum, & non ea qua est cessatio, per prædicta. Tum quia interdicta & cessationes posita à summo Pon

mo Pontifice nonnumquam sunt strictiora, nonnunquā vero laxiora quàm cōmunia, tantùm etiā & non plus astringunt, quantum ille vult, secundum omnium sententiam. Alia de cessatione vtilia, sed confessariis non vsque adeo necessaria, tradit nouissimè vir eruditissimus, & clarissimus Alphonsus Aluarez Guerretus Præses Regius in Regno Neapolitano, in suo laude dignissimo Iuris Ponficij ac Cæsarei Speculo, varia eruditione referto, c. 37. de ecclesiastico interdicto. Qui tamen potius referre, quam probare videri debet Philip. Frāc. in cap si canonici. de offi. ordin. dicentem, cessationem generalem positam ab habente potestatem eam ponēdi vim interdicti ad inducendam irregularitatem habere, quum paulo ante eum cōmuni contrarium rectè teneat.

190 Porro, vt quod ad nu. vlt. huius cap. supra retuleramus, hic opportunius expediamus, multa super interdictorum suspensione priuilegia sunt à Sede Apostō. concessa religiosis, quorum summam hoc in loco in vulgari scripseramus: sed quia putamus ea esse sublata per cap. 12. & postremum de regul. sess. 25. Conc. Trid. consulto etiam super hoc S. D. N. eam prætermittimus, desiderantes, vt Sanctitas eius faceret illis facultatem suspendendi interdicta in diebus tantum, & non octauis sanctorum sui ordinis, modo eandem faceret etiam parochis quo ad dies sanctorum suarum ecclesiarum patronorum, quam puto faciet, si humiliter petatur. Dixi, *In dubiis tantum*, ne nimis eneruetur neruus censuræ ecclesiasticæ. Dixi, *Modo, &c.* vt seruetur æqualitas & concordia, qua, vt post Salustium ait Hiero. etiam paruæ res crescunt, vt discordia magnæ dilabūtur. Non arbitror tamen eis sublata priuilegia super necessitate, vel modo præsentandi ordinariis confessarios sui ordinis: quia credimus quod per præfatum c. si. de regu. solum tolluntur eis priuilegia contraria iuribus communibus, quæ in c. præcedētibus eiusdem tituli iubentur seruari, & in nullō illorum iubetur seruari ius commune præsentandi præfatos confessarios, sicut ius commune de interdictis seruandis iubetur seruari, in d. c. 12. & alia in aliquibus aliis. Qua ratione idem dicendum est de aliis priuilegiis concessis eis contra alia iura communia, quæ non iubentur in illis seruari. Et hæc quidem de tribus censuratum ecclesiasticarum speciebus, puta excommunicatione, suspensione, & interdicto dicta sufficiant. Veniamus nunc ad irregularitatem.

De irregularitate, & de eius multiplicitate, & regulis generalibus.

SVMMARIVM.

191 *Irregularitas quid: humanum inuentum est: tollitur manente peccato. & est quintuplex, nulla mentalis tantum nu. 192.*

193 *Irregularis nemo in dubio iudicandus in foro exteriori, sed sic in interiori.*

194 *Irregularitatem non duplicat celebratio, nec tollit bulla communis.*

194 PRimo dico, q. nomē irregularitas est parum latinum, & generaliter acceptum significat id

quod aliquem extra regulam ponit: quia componitur ab, in, pro non, & regularis secundum omnes. Sed irregularitas accepta, vt in hac materia sumitur, definiri potest ex mente canonum & Inno. in c. nisi. nu. 7. de renunciat. cõmuniter recept. paulo cautius quam definiat Speculator de dispen. §. iuxta. & Villadieg. de irreg. col. 1. Nic. de irregul. S. Ant. 3. par. tit. 28. c. 1. & Alua. de planct. eccl. lib. 1. art. 46. & alij alibi, esse impedimentum inductum à iure canonico, directè impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum, aut aliquem vsum eorum quatenus sunt ordines, etiam post pœnitentiam, Dixi, *Impedimentum*, pro genere, & *inductum à iure canonico*, ad significandum non esse inuentum iuris naturalis, neque diuini. Dixi, *directè impediens*, ad differentiam excommunicationis, suspensionis, interdicti, & aliorũ impedimentorum canonicorum, quæ quamquã ordines, & eorum vsum impediunt, quatenus sunt cõmunicatio, aut sacramenta, aut officia, aut beneficia ecclesiastica, non tamen quatenus sunt ordines, saltem directè. Dixi, *Aut aliquem vsum acceptorum*; quia aliqua irregularitas impedit acceptionem, & non vsum acceptorum, & aliqua vnum vsum & non alium c. 1. de cle. ergo. vt statim dicetur. Dixi, *post pœnitentiam*, ad maiorem eius naturæ declarationẽ, & ad significandum posse quem absolui à peccato, quo irregularitas incurritur, remanente ipsa, secundum Card. in clem. dudum. §. ac deinde q. 8. de sepult. quidquid innuat extrauag. 1. de prin. Ex quo sequitur primò, quòd rectè dixit Inno. c. ad audientiam. de homic. omnem irregularitatem inductam esse à iure canonico humano, quãuis aliqua eius origo in veteri testamento fuisset, secundum mentem glo. §. 1. de consecr. dist. 1.

Secundò, quòd incaute Sylu. & Tab. verb. irregularitas, in principio significauerunt irregularitatem esse suspensionem, & plus aliquid. Tum quia irregularitas non est censura ecclesiastica, suspensio vero sic, cap. quæreti. de verb. sig. Tũ quia est species pœnæ multum differens ab illa.

Tertiò, quòd incautius Spec. in d. §. iuxta. significat omnem excommunicationem & suspensum, aut interdictum esse irregularem.

192 Quartò, quòd iuxta mentem textuum (omissis multis modis diuidendi doctorum.) irregularitas diuidi potest in quinque species, quæ manant ex quinq; defectuum generibus, scilicet, sacramenti, corporis, animæ, lenitatis perfectæ, & delicti. Quanquã Aluarus Pelagius dixit esse innumerabiles in lib. de planctu eccle. lib. 1. art. 24. arg. c. fin. 15. q. 1. quod verum esse potest accipiendo eam generalissime, sed non accipiendo specialiter, vt prædictum est: quia in solis casibus iure expressis incurritur, c. is qui. de sent. excom. lib. 6.

193 Quintò, quòd prima regularum, quibus regulanda est irregularitas, quòd nulla earum incurritur sola volũtate faciendi, nisi fiat id, ob quod imponitur, & ideo nulla est mentalis vt infra dicetur, nu. 210.

Secundò dico, quòd vt Pan. in c. si ad audientiam. de homic. recept. per complures recentiores dixit, in foro exteriori nemo in dubio irregularis iudicandus est, quamuis in interiori secus, aptus tex. in c. significasti. 1. de homic. Interius autem reputatur non solum forum pœnitentiæ, sed etiam consilij, secundum Villadieg. de irreg. col. 43. Cuius differentiæ ratio non est, vt diximus in c. si quis autem. de pœn. dist. 7. num. 35. quòd in rebus dubiis non sit accipienda pars securior, sed quòd nemo potest facere absque peccato id de quo dubitat an sit peccatum, necne, & quòd nullus iudex debet cõdemnare aliquem, de quo dubitat, an debeat condemnari necne, propter ibi allegata, monstrando quòd Inno. in d. c. ad audientiam. non dixit quod ei Pan. & alij imponunt.

Tertiò, quòd licet irregularis qui celebrat antequam obtineat dispensationem peccet mortifere, arg. c. fi. de temp. ord. & c. inquisitionis. de accus. non tamen incurrit nouam 194 irregularitatem. Tum quia Inno. in c. si celebrat. num. 3. de cler. excom. receptus, id dicit primò de irregulari ob defectũ corporalem, aut illegitimitatis. Tum quia paulo post idem asserit de irregulari ob magni criminis notorietatem. Tum quia ratio eius, scilicet, quòd id iure non cauetur, & quòd sedes Apostolica quando dispensat cum præfatis irregularibus qui celebrarunt, solũ dispensat super irregularitate, quã ante celebrationem incurrunt, militat in aliis. Tum quia firma ratio dictorum Inno. quam nec ille, nec alius aduertit, est quòd vt supra diximus, irregularitas non est vera suspensio, nec censura ecclesiastica: & ita celebrans illa irretitus, nullam violat censuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem, & illa non incurritur nisi cum exprimitur, vt mox dicetur.

Quartò, quòd potestas absoluendi à peccatis ad dispensationem irregularitatis non extenditur. Dom. & Alex. per illum tex. in c. miror. 50. dist. neque potestas quæ per bullas Papæ datur ad absoluendum. vt rectè dixit Villad. vbi supra in fine, & probatur latius infra num. 250.

Quintò, quòd nemo fit irregularis, nisi in casibus à iure expressis.

Sextò, per quam respondetur quæstioni circa hæc propositæ videlicet, quòd irregularitas quamlibet occulta, tantùm nocet, quo ad forum conscientiæ, quantum publica & æque necessaria est dispensatio in vtraque. Nec obstat, quod Castr. lib. 2. de leg. pœn. loquens de illegitimitate occulta contrarium teneat. Tum quia nouum, & sine textu, & efficaci ratione dictũ, contra Com. Ant. in cap. 1. de fil. presb. & contra tex. ferè expressum c. nisi. §. personæ. ibi, si tamen culpa latet, & cau. de renunciat. Tum quia est contra omnem vsum ecclesiæ hactenus seruatum. Tum quia communis efficaciter colligitur, ex cap. 6. sess. 24. Conc. Trid. cuius verba sunt. *Licebit Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua*

ter seipsum, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere impertita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum non eorum vicariis sit permissum.

Ad quæsitum autem circa hoc dico, cum qui tacita irregularitate occulta ordinatur, & impetrat beneficium, debere occulte dispensationē impetrare: & si scienter accepit possessionem, quia per id incidit in intrusionem, quæ fecit eum inhabilē ad illud, iuxta citata per Fel. in c. in nostra, corol. 7. de reser. debet facere mentionem de illa in impetratione à Papa, vel certe impetrare habilitatem ab eo, & postea eam collationem ab ordinario, modo non fuisset reseruatum Papę, quando obtinuit illud, quod nos nuper consuluimus.

Septimò, colligitur ex c. 6. Concil. Trid. in 6. dicto relato, scilicet, quod in omni irregularitate descendenti ex delicto occulto, & nō deducta in iudicium, excepta ea quæ descendit ex homicidio voluntario, potest Episcopus dispensare. Ex quo eo. c. 6. nota primò, quòd difficilior impetratu est dispensatio super irregularitate occulta homicidij, & mutilationis iustorum, quam iniustorū, non voluntariorum: quia illa à solo Papa potest haberi, vt clarè colligitur ex d. c. 6. hæc verò etia ab Episcopo. Secundo, nota textum expressum contra Castre. vbi supra ad hoc, quòd omnis irregularitas descendens ex crimine quāliber occulto, indiget dispēsatione, licèt hæc dari possit hodie ab Episcopo. Tertiò q; per illud nō datur Episcopis vlla potestas dispēsandi super illa irregularitate occulta descēdēte aliūde q̄ ex delicto, & cōsequenter, neq; super illegitimitate, vt dicitur infra nu. 221.

De prima specie irregularitatis ex bigamia.

SVMMARIVM.

195 *Bigamia quid, est triplex, & qualibet iuris humani, delebilis à Papa, & similitudinaria etiam ab Episcopo, quæ non contrahitur à laico contrahente nulliter cum vidua, & 2. seq.*

195 Dico primò, quòd bigamia est status cōiugati cū duabus coniugibus, siue ante, siue post baptismū ductis, c. acutius. 26. dist. gl. c. vna. ea. dist. de qua secundum gl. in sum. eiusdē dist. fuit statutū, vt esset impedimentum ordinū ob quatuor, scilicet, quod bis coniugatus non potest apte significare vnionem Iesu Christi cum ecclesia vnica sua & sancta sponsa, c. debitum. de biga. cuius gl. recept. verb. sacramentum, id latè declarat: & quòd excellentia sacramenti ordinis hoc meretur, d. c. vna. & quòd est signū incontinentiæ, cap. proposuisti. 82. dist. & quòd ad persuadendā castitatem auctoritatem adimit. d. c. vna.

Secundò dico, quòd triplex est bigamia, scilicet vera, interpretatiua, & similitudinaria, iuxta gl. receptā in c. 2. de biga. quam sequuntur ibi Ant. & alij, & dixit antea Rota decisio. 447. in nouis, quæ in nouissimè rubricatis est prima eiusdem tit. & declarauit Specul. de dispen. §. iuxta. nu. 6. Vera est eius qui habuit, & cognouit duas vxores, res veras, alteram, mortua altera, d. c. debitum. quamuis vtramque, vel alteram antequam fuisset Christianus habuisset, d. c. deinde. & c. acutius. 26. dist. Interpretatiua est quam incurrit is, qui fingitur duas vxores habuisse, qualis est contrahens cum vna sola, sed vidua, aut cum corrupta per alium c. maritū. 33. dist. secus si per se. gl. recep. in d. c. fi. de biga. & c. 2. de cler. coniug. Idem si cum virgine, quam post commissum adulterium ab ea, cognouit, c. si cuius. 24. dist. quamuis per ignorantiam id contingeret, gl. recept. in d. c. si cuius. Pan. in c. si vir, de adult. qualis est etiam contrahens cum vna validum matrimonium, cum alia inualidum, aut cum duabus de facto, cum neutra valide, ob aliquod impedimentum viuentibus ambabus, aut cum vna mortua altera. Similitudinaria est quam incurrit ordine sacro insignitus, vel voto solēni adstrictus cum aliqua etiam vnica contrahens, & consūmans, c. quotquot. 27. q. 1. & c. fi. de biga. licèt illa sit virgo, vt sentit Aug. verb. bigamia. §. 9. cui consentiunt Syl. verb. bigamia in princip. & S. Anto. 3. part. titu. 21. cap. 1. Primo per d. cap. quotquot. Secundò, quòd licèt neque de iure, neque de facto contrahat cum duabus, vel vna corrupta valide, tamen habet affectū contrahēdi cum opere subsequuto, postea quam per ordinem sacrum, vel votum solenne contraxit similitudinariè cum Christo. Dixi, *Ordine sacro insignitus, vel voto solemni adstrictus*, ad significandum, quòd nec laicus, nec minoribus tantum initiatus contrahens cum vidua, siue corrupta inualidè, siue nulliter propter aliquod impedimentū efficitur irregularis, vt in sacra Pœnitentiaria nuper conclusum fuit. Tum quia nullo iure id cauetur, & irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, c. is qui. de sent. excomm lib. 6. Non obstat Rota decis. 1. de biga. quæ per c. fi. eiusdem tit. tenuit contrarium in clerico minorū ordinum: quia non aduertit integrā rationē decidendi illius c. fi. esse prædictā, quæ cessat in tali clerico. Tum quia non obstat cap. nuper eo. tit. quia loquitur de presbytero, & verb. *Clericis*, in eo posito. addit Inn. constitutis in sacris. Nec etiā obstat d. c. fin. quia loquitur de subdiacono, nec ratio in eo expressa, scilicet, quòd habuit affectum contrahendi opere subsequuto: quia non est integra, sed in tegranda supplendo (& quia iam similitudinariè contraxerat cum alia) quæ suppletio colligitur ex ipso textu non frustra loquente de subdiacono, cui est annexum votum solenne castitatis. cap. à multis dę æta. & qualit.

196 Tertiò dico, quòd nō incurrit quis sine matrimonio de iure aut facto cōtracto, eo quòd habeat concubinas etiam multas, etiam si eas coniugatus cum vna sola virgine haberet, c. pe. de biga. & c. nu. 34. dist. neque eo quòd cum despōsata alteri per verba de præsenti matrimoniū contrahat, modo adhuc illa virgo esset. c. debitum. de bigam. neque etiam si cum multis contraheret, si non haberet copulā, nisi eum vna tantum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

197 Quarto dico, quòd qui matrimonium cum muliere scurrili, seruæ aut cum publica fabularum nctrice contrahit, non est bigamus si erat virgo, quamquam mortua illa non liceat ordinari, cap. si quis viduam 2. 34. dist.

Quintò dico, quòd quidquid aliqui dicant, pro certo habetur posse Papam cum bigamis dispensare ad ordines, vt ait Inno. in cap. 2. de bigam. & c. ad audientiam. de homic. & S. Thom. in quodlib. 4. art. 8. quē sequitur Anch. in c. 1. de bigam. & Rota decis. 447. quæ in nouē rubricatis est prima eiusdem titu. & Comm. haber in omni bigamia posse Papam dispensare: quia omnis irregularitas solo iure humano introducta est, licet fuerit inducta à S. Paulo, cap lector. cum gl. 34. dist. quamuis in vera nō soleat, neq; possit sine magna causa ordinaria potestate dispensare, iuxta Rot. in prædicta decis. 447. In interpretatiua verò, & similitudinaria solet, & iuste potest saltem cum iusta causa.

Sextò dico, quòd nemo alius à Papa in vera, vel interpretatiua ad ordines sacros potest dispensare, iuxta omnes, neque ad minores, iuxta Ioan. And. Anch. & Phil. in c. 1. de bigam. lib. 6. vbi bonus textus, & ibi Dom. quamquam S. Thom. in 4. dist. 27. & Syl. verb. bigam. q. 6. oppositum dicant, & Rota in d. decisio. 447. quorum opinio admitti posset quo ad vsum ordinum susceptorum, arg. d. c. lector. sed non ad accipiendum nouos.

Septimò, quòd super similitudinaria si illa erat virgo, Episcopus dispensare potest, c. 1. cum glo. qui cler. vel vouēt. quod ibi tenet Pan. cum Card. Præpositi. & communi.

De secunda specie irregularitatis ex defectu corporali.

SVMMARIVM.

198 *Irregularitas ex quali defectu mēbri, vel visus nascatur: & quæ quo ad vnum officium, & nō quo ad aliud. In qua solus Papa dispensat, nu.* 109. & 200.

201 *Irregularitas illegitimitatis quos notat, & à quo tollitur.*

202 *Irregularis quis minor, æger, obsessus, lunaticus, furiosus, hermaphroditus nu.* 203. *seruus, infamis & abstemius, nu.* 204.

198 DIco primò, quòd defectus cuiuslibet mēbri principalis contingens ob culpā inducit secundæ speciei irregularitatem, c. 1. cap. si euangelica. 55. dist. quamuis membrum sit occultū, neque facultatem vtendi ordine impediat, vt sunt pudenda, c. si quis absciderit. & cap. seq. 55. dist. quamuis quis sibi non abscindat, sed alius sua culpa: quia iussit aut rogauit, aut quia rei illicitæ dans operā id casu perdidit, arg. c. presbyterum. c. continebatur. de hom. aut in pœnā alicuius delicti ab inimicis fuit illi abscissum, vt Host. in summa de corpo. vitia. §. & quæ. & in c. ex parte. eo. tit. quē sequuntur Ioan. And. & Com. determinauit de eo cui maritus mulieris, cum qua fuit deprehensus, pudenda abscidit, & à fortiori, si iure à iudice abscissa fuere, arg. c. si. de tempo. ord.

Secundò dico, quòd etiā defectus partis membri, quam ipse per indignationem abscidit, eam inducit, ca. qui partem. 55. dist. quamuis facultatem naturalem bene celebrandi nō adimat, si est notorium, quod per indignationem, & impatientiam fecit, & aliàs non, iuxta Anto. & Card. in cap. fin. de corpore vitiat. quamquam de eo Villadieg. dubiter, vbi supra, col. 38. & possunt conciliari dicendo, quòd non est irregularis ob defectum membri, sed ob notorietatem peccati, quod abscindendo commisit, d. ca. fin.

199 Tertiò dico, quòd neque imbecillitas membri, neque eius defectus contingens absque propria culpa (nisi impediat celebrationem) irregularem efficit, qualis est illius, cui consilio medici, aut chirurgi propter valetudinem aut ab infidelibus, aut ab inimicis sine sua culpa abscinditur. Qualis illius qui natus fuit sine pudendis, aut post per vim à parentibus aut alijs castratus. Qualis claudicatio eius cui scipio in altari non est necessarius, gl. c. si quis in infirmitate. 55. dist. Qualis macula oculi, quæ non priuat visu, neque notabilem deformitatem tribuit, cap. 2. de corpo. vitiat. Qualis gibbus, & nimia magnitudo alterius, aut vtriusque oculi, si non sint notabilis deformitatis.

Quartò dico, quòd verum videtur, quod iam pridem respondi, scilicet, quòd quamuis monoculus sit irregularis, d. ca. si euangelica. non tamen qui caret visu oculi dextri, qui alijs videtur sanus, & sinistro quantū satis est ad benè celebrandum cernit, licèt, gl. in c. 2. de verb. sign. lib. 6. idem de carente oculo, & de carente eius visu videatur censuisse, etiam si integer appareat, secundum Alex in cap. hinc etiam. 49. dist. & Vuendel. in 4. dist. 15. q. 1. col. 18. quod teneri potest de oculo sinistro, quē stilus Romanus oculum canonis appellat, cum est necesse videre eo, vt canonē missæ sine indecora, & nimia faciei ad populum conuersione legere possit, aliàs secus, quod nuper consuluimus ei qui visu dextri oculi tātum valebat, vt sine tali conuersione legere posset: magis enim deformitas, quam defectus visus videtur in hoc expensus, & ideo cap. si euangelica. disponens de carentia oculi, quæ grauem inducit deformitatē, non est extendēdum ad carentiā visus, quę eā nō facit, arg. cap. odia. de reg. iur. lib. 6.

200 Quintò dico, esse errorē vulgi dicere, oportere eum, cui abscissa sunt virilia, ea arefacta, aut in puluerem redacta secum gestare ad celebrandum, vt ait gl. fing. recept. in c. eunuchus. 55. dist. & Host. in c. fin de corpo. vitiat. dicit melius etiam fore, quòd nonnulli neque viridia gestarent, cuius falsum dictum est verum, quando ob illud non essent irregulares.

Sextò dico, quòd quilibet defectus, aut imbecillitas cuiuslibet mēbri, quæ inhabilem facit ad celebrandum, saltem sine notabili horrore, deformitate, aut scandalo, irregularem efficit, siue incurratur culpa, siue sine ea, cap. pen. & c. fi. de corpo. vitiat. quæ est regula Pan. in cap. 1. de cler. ægrot. quā dixit fing. Villadieg. de irregul. col. 39. quod ipsum de membro superuacaneo, aut nimis grādi dicendum, arg. gl. d. ca. qui partē. Quis autē defectus

Universidad de Deusto

aut deformitas sit talis, determinabit Episcopus, iuxta Inno. in c. 1. de corp. vitiat. per c. 2. eiusdē tituli receptum per Card. & Ant. & nō confessionemque alius prælatus eius qui est ordinādus, quamuis sit religiosus, Syl. verb. corpore vitiat. q. 1.

Septimò dico, quòd defectus aut excessus membri, qui aliquē efficit inhabilem ad exercendum aliquod officium ecclesiasticum, efficit irregulariē ad illud, non autē ad aliud, secundum Pan. in c. 2. de cler. ægrot. per illum textum. Exemplū de clerico, qui eo quòd membro aliquo captus sit, nō potest missare, sed sic pœnitentes absoluere, & aliqua alia officia exercere. Quod verum nobis videtur, quando non incurrisset eum sponte, aut sua culpa, iuxta Villad. vbi supra col. 39. & probatur per dicta supra & quo ad iam ordinatos, non autem quo ad ordinandos, arg. cap. fin. de corpo. vitiat. & not. ibi per gloss. & argu. cap. 2. de cleric. ægrot. & notat. ibi per Pan. & gloss. in cap. forum. de verb. sign. quod etiam sensit eruditiss. R. D. Simmachus in tract. de irregul. c. 2. & alijs locis.

Octauò dico, quòd in ista irregularitate solus Papa dispensat, secundum Inno. in cap. 1. de re iud. lib. 6. & in cap. 2. de corpo. vitiat. receptū à Ioan. And. & Ant. in cap. significauit. de corp. vitiat. licèt Villadieg. col. 49. Sylvest. verb. corpore vitiatus, quæst. fin. & aliqui alij contrarium teneant.

101 Nonò dico, quòd defectus natalium siue vt ita dicam, illegitimitas, qui ad defectū corporalem redigitur, includit omne illegitimorum genus gloss. cap. nisi cum pridem. de renunciat. verb. mansores, & cap. per venerabilem. §. quod autem. qui filij sint legit. & omnes facit irregulares, cap. 1. & fin. de fil. presb. quamuis eorum defectus occultus sit, & publicè habeantur pro legitimis, quales sunt multi, quos coniugatæ ex adulteris habuerunt: adeo quidem, vt qui scit aut credit per dictum matris se talem esse, legitimationem occultam debet petere. quæ facile illi concederetur, iuxta Anto. in d. cap. 1. post Host. quamuis matris adulteræ credere si nolit, non teneatur, iuxta eosdem ibidem, & dicta supra cap. 16. à nu. 45. & alia super hoc vide supra nu. 94.

Decimò dico, quòd in hac irregularitate solus Papa ad ordinem sacrum, dignitatem, & beneficium curatum dispensat, sed ad minores & vnum beneficium simplex potest etiā Episcopus c. 1 & 2. de fil. presb. li. 6. & professio religionis ad omnes ordines c. 1. de fil. presb. non tamen vt possit esse prælatus, aut prælata, Palu. in 4. dist. 45. q. 3. etiam cum dispensatione Episcopi, secundum Villad. vbi supra col. 39. & efficaciter probatur per c. 1. de fil. presby. verb. nullatenus, adiuncta gl. fi. cle. vt hi qui. verbo nullo modo. de ęta. & quali. quarenus habet perverba illa, *Nullomodo*, tolli potestatem dispensandi Episcopis.

102 Vndecimò dico, quòd ætatis defectus qui etiā ad defectum corporalem reducitur dum durat, irregularem facit, iuxta Villad. vbi su. col. 39. facit cap. fin. de tempo. ord. lib. 6. Quæ verò ætas in ordinando requiratur dictum est supra cap 25. nu. 106

num. 106. Et quanquam ordinatus ante legitimam ætatem characterem accipiat (licèt sit infans, & ordinetur presbyterio, iuxta Arch. in c. si quis suadente. 17. q. 4) non tamen ordinum exequutionē, neque priuilegia ad eā pertinentia, quamuis sic ad characterem spectantia, qualia sunt canonis & fori, iuxta d. c. si quis suadente. & c. 2. de foro compet. & cle. vt hi qui. de ætat. & qualit. verb. constitutus. iuxta glo. cle. fin. de ætat. & qualit.

Duodecimò dico, quòd in hoc defectu solus Papa dispensat, iuxta gloss. & Card. ibi, quamuis sit religiosus, nō obstantibus priuilegijs, quæ videntur exclusa per Concil. Trid. sess. 23. c. 12. de refor.

Decimotertiò dico, quòd lepra, quæ etiam ad hunc defectum corporalem redigitur, irregularitatem inducit, & non solum susceptionem ordinum, sed vsum susceptorū impedit, cap. cum percussio. 7. q. 1. & cap. de rectoribus. & cap. ex parte. de cler. ægrot. quod ipsum in qualibet alia corporis infirmitate, quæ notabile scandalum ordinū vsui præbet, videtur dicendum, saltem quo ad actus, in quibus id facit, argu. l. illud, ff. ad l. Aquil & c. 2. de transl. prælat. & in hac solus Papa dispensat. arg. not. in cap. at si clerici. §. 1. de iud. & Villad. vbi supra, co. 48.

103 Decimo quartò dico, quod qui patitur epilepsiam, quam quidam appellant epilentiam, alij morbum caducum, cap. in literis. 7. q. attreptitius item, energumenus, aut à dæmone obsessus, est irregularis, iuxta Aluar. de planct. eccles. lib. 1. cap. 48. litera F. qui dicit epilepsiam duplicem esse (quod ille philosophicè declarat) & quod solus Papa super ea dispensat, per not. in d. c. at si clerici. & Villad. vbi supra col. 48. & adeo est irregularis, vt semel hoc morbo infectus, nunquam amplius possit ordinari quamuis omnino sanus appareat, arg. §. fin. 15. q. 1. neque qui iam ordinatus est, si sæpe decidit: neque etiam si raro, modo spumas ore vomat, celebrare potest, aliàs sic, vt colligitur ex cap. communiter. & duobus seq. 35. dist. & cap. illud. c. nihil. 7. q. 1. & c. pe. 7. q. 2. adiuncto socio præparato ad perficiendam missam incœptam, si fortè morbo corriperetur, d. cap. nihil. excepris obsessis à Dæmonibus. qui nunquam celebrare debent, vt sentit S. Anto. 3. par. tit. 28. cap. 5. & Villad. col. 42. vbi supra: & quod dicitur de epileptico. idem de amente, lunatico, & furioso, iuxta eundem ibidem, dicendum est.

Decimoquintò dico, quòd Hermaphroditus, qui est vtroque sexu præditus, non est capax characteris, si sexu fœmineo magis quàm virili præstet: & licet sit eius capax, si magis virili quàm fœmineo polleat, non debet tamen ordinari, arg. c. illiteratos. 36. dist. & c. fin. 49. dist. secundum S. Anto. vbi supra cap. 6. §. 5. receptum: quia est monstrum, & in hac solus Papa dispensat per prædicta.

Decimosextò dico, quòd est irregularis seruus, sic vt non possit sine facultate sui domini ordinari, & si cū illa ordinatur sit liber, illo verò ignorante, vel contradicente manet seru⁹ sicut antea, si nō initietur nisi minoribus, Et si initietur subdiaco-

nat

Universidad de Deusto

natu, vel diaconatu se liberare potest, dato alio seruo æquali sui loco, aut iusto pretio soluto. Ad presbyterium autē promotus manet liber dato suo peculio, aut redimendo se, si peculium non habet: & si nec illud habet, nec hoc facere potest, satisfaciet præstando domino obsequia non indecentia presbytero, iuxta S. Anto. vbi supra ca. 6. §. 6. & colligitur ex c. 1. 2. & 3. & c. nulli. & cap. ex antiquis. & cap. frequens. 54. dist. & toto tit. de ser. non ordi.

204 Decimoseptimò dico, quòd infamis tam facti quàm iuris infamia, est irregularis, cap. infamibus. cum glo. & not. ei per Fran. de reg. iur. lib. 6. & c. 2. iuncta gl. fin. de ordin. cogni. & cap. ipsi Apostoli. 2. quæst. 7. in qua, cum nascitur ex infamia iuris, solus Papa dispensat, iuxta Villad. vbi supra, col. 50. nisi quando Episcopus dispensat super delicto, ad quod sua facultas se extendit, accessoriè infamiam demit, iuxta gl. sing. cap. Euphemium. §. 1. 2. q. 3. cui similis in cap. Domino. 50. dist. & ea quæ post Decium dicimus in cap. at si. §. 1. de iudic. In ea verò que nascitur ex infamia facti, qualis est illa quæ nascitur ex crimine graui notorio, etiam Episcopus dispensat, vt dictum est supra. Quin etiam pœnitentia iusta, & emendatione vitæ interdum aliqua tollitur: quia omnis res per quascunque causas componitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. de reg. iur. & cap. testimonium de testib. & gloss. cap. primum. 25. dist. in fin.

Decimooctauò dico, quòd qui vinum non potest bibere, quin euomat, est irregularis, gl. sing. d. c. ipsi Apostoli cum quo etiam Papa non posset dispensare, nisi teneatur eum posse dispēsare, vt qui celebrat non sumat sub vtraque specie, contra cap. comperimus. de consecr. dist. 2. & cap. illiteratos. 36. dist. cap. fin. de temp. ordi. lib. 6. de quo tractare hic non conuenit. non video tamen, cur is non possit promoueri ad ordines minores, cum non teneatur communicare sub specie vini, etiamsi seruaretur cap. peracta. de consec. dist. 2. quo glossa illa mouetur.

De tertia specie Irregularitatis ex aliquo defectu animæ.

SVMMARIVM.

205 *Irregularis quis Idiota, Neophytus, & Infidelis, & quis dispensat.*

205 Dico primò, quòd idiota siue illiteratus, penitus ignarus literarum, est irregularis, cap. illiteratos. 36. dist. de quo latè dixi in prælectione cap. si quando. de rescrip. exceptio. 13. Nunc autem addo Conc. Triden. sess. 2. quod c. 4. de refor. videtur facere irregularē, etiam ad primam tonsuram, eum qui nescit legere & scribere, & ad quatuor minores, eum qui saltem latinam linguam non intelligit.

Secūdò dico, quòd raro aut nunquam in hoc defectu directè Papa dispensat, & si sic indirectè, dispensando super ætate necessaria ad discendum, vt dixi in dicta prælect. cap. si quando. de reser. excep. 19. de amentia vero & defectu iudicij continuo vel interpellato supra §. proximo meminimus.

Tertiò dico, quòd defectus fidei irregularitatē facit, ita vt qui non est baptizatus non est capax ordinis

c. 1. & cap. veniens. de presby. nō baptiz. quamuis sit catechumenus & sanctus: quia character ordinis præsupponit characterē baptismi, iuxta Io. Andr. & commu. in d. c. 1. Neque baptizatus ordinatur, licèt capax, si est hæreticus, aut fautor hæreticorum, quamuis sit iam conuersus, cap. si quis omnem. 1. q. 7. & c. 2. § hæretici. de hæret. lib. 6. neq; etiā filius hæretici, qui talis excessit vsque ad secundam generationem per lineam virilem, aut vsque ad primam per fœmineam d. §. hæretici. & cap. statutum 2. eo. tit. & libr. Neque Saracenus, Iudęus, aut Paganus, Neophytus, siue recenter conuersus, aut baptizatus, c. 1. & 2. 84. dist. & cap. cōstituit. 17. q. 4. Dixi, *Recenter conuersus*, & non nouus Christianus quia vulgus nouos Christianos appellat etiam ab hinc plus decem, viginti, triginta, & quadraginta annis conuersos. in quibus hoc locum non habet arg cap. eam te. de rescri. vbi Fel. nu. 2. & minus in eorum filiis quos etiam praua nōnullorum consuetudo nouos Christianos appellat; quamuis statutis aliquarum ecclesiarum à Sede Apostō. confirmatis aliud statutum sit.

Quartò dico, quòd in his irregularitatibus defectus animæ solus Papa dispensat, arg. eorum, quæ supra proximo §. dicta sunt, & notatur in q. 1. cap. at si. de iud. neque ille satis benè potest in defectu iudicij continui, vt sentit Bald. in cap. cum adeo. nu. 10. de reserip. neque in defectu baptismi: quia ea iure naturali aut diuino in eo qui est ordinandus requiruntur, iuxta illa, quæ adduximus in d. cap. si quando excepi. 10.

De quarta specie Irregularitatis ex homicidio iusto ob defectum perfectæ lenitatis.

SVMMARIVM.

206 *Deformare hic capitur pro occidere, vel mutilare circa irregularitatem ex homicidio, & seq.*

207 *Irregularis est ex defectu perfectæ lenitatis omnis & solus qui, & 208. & ita Iudex, accusator, testis &c. qui fuerunt causa deformationis sequutæ nu. 209. & seq.*

211 *Causa propinqua deformationis quid, & quotuplex, & multa illata. & seq.*

213 *Intentio virtualis specialior necessaria ad irregularitatem iustam, quàm iniustam.*

214 *Irregularis non est sic dans arma, hortans, iuuans, pugnans &c. contra Aluarum Pelag. & qui ferens ligna, panes, fames, & alia ad deformandum nu. 215.*

216 *Irregularis deformans ob defensionem parentum, & patriæ &c. non autem denuncians &c.*

216 *Dispensare nequit Episcopus cum irregulari iusto, & cum male ordinato sic nu. 245.*

206 Dico primò, quòd hæc oritur ex occisione, vel mutilatione mēbri hominis in casu licito: quia visum est Ecclesiæ nō posse eū satis referre lenitatē atque mansuetudinem D. N. Iesu Christi (qui propter nos suum proprium sanguinem fudit, & morti se tradidit) eum, qui occidit vel mutilat etiam licitè, per dicta S. Tho. 2. 2. q. 40. art. 2.

Secundò dico, quòd illa sola pars hominis dicitur membrum, quæ officium per se distinctum habet, vt manus, pes, auris, arg. c. singula

89.dist. quare digitus non est membrum, sed pars membri, iuxta Batt. receptum in l. 2. ff. de public. iudic. quē firmiter sequimur cōtra Caiet. 2.2.q. 95. artic. 1. licèt eum sequatur Soto lib. 1. q. 5. art. 1. de iust. & iur. Primò, quod à communi opinione præsertim recepta, non est discedendum sine textu aut ratione necessaria iuxta cap. de quibus. 10. dist. & Io. And. recep. in c 1. de consti. quales ipsi non afferunt. Secundo, quòd Caiet. confitetur quòd ille, cui vnus digitus abscinditur, sine quo bene celebrare potest, nō est irregularis, consequenter non perdidit membrum, cum amissio membri apparentis irregularē faciat, iuxta omnium mentem. Tertiò, quòd in l. itē Offilius. ff. de ædil. edi. habetur, quòd habens abscissum vnum digitum, habet abscissam partem membri, & non ipsum membrum. Et in l. non sunt liberi. ff. de statu. homi. innuitur habentem æquo plures digitos, non habere æquo plura membra. Quarto, quod falsum est id quod Caiet. pro se adducit, scilicet, quod vt sit membrum, non est necesse, vt habeat officium distinctum ab aliis membris, & satis est quod sit socius, & adiutor in illo officio faciēdo, quia etiam pars digiti manum in suo officio iuuat, attamen non est membrum vt ipsemet fatetur: rum quod c. 1. de corp. vitiat. ab ipso citatū, potius pro nobis quàm pro eo facit, quamquam neutram partem probat. Quinto, quod non est verum id quod assumit, scilicet testiculos hominis sine parte genitali membrum per se facere: quia quamuis qui sua culpa eos amisit, non possit ordinari, non tamen ex eo sequitur esse membrum. Nam non potest ordinari, qui sua culpa partem digiti amittit cap. qui partem. 55. dist. & c. 1. de corpor. vitiat. quam tamen non esse membrum ipsemet confitetur. Sexto, quod nullus æquus iudex iudicare auderet, quod statutum irrogās magnam aliquam pœnam in abscindentem alteri membrum, includat digitum abscindentem. Nam & Fel. in d.c. cum illorum. de sen. excom. ponens sex casus in quibus digitus habetur pro membro, oppositum pro regula ponit. Monemus tamen nullam esse gloss. quæ hanc conclusionem Batt. expresse teneat, licet Soto fuerit visum id tenere gl. cl. 1. de homi. quæ tamen nihil tale habet, nec vllus nostrorum eam in id citauit.

Tertio principaliter dico, quod quamuis paria sint quo ad hoc, interficere & membrum abscindere, cle. 1. de homic. non tamen sunt paria, abscindere illud & debilitare, etiam adeo vt nihil eo facere possit, secundum Card. Pan. & Præposit. in c. 1. qui clerio. vel vouent. post Cald. ibidem: quia saltem excusat à de-
207 formitate. Contra quod tamen facit quod idem Pan. in d. cap. cum illorum quem sequuntur Ang. Syl. & quidam alij, contrarium tenuit, asser- s quod cle. 1. de homic. quæ de hoc loquitur, pro diuersis ponit mutilare & truncare: & quod per mutilare intellexit debilitare. Pro quo facit, quod Bonif. eadem cle. 1. colum. 6. ait quod irregularis est, qui facit alium irregularem, id est, inhabilē ad sine scandalo celebrandum, quæ duo assumpta esse falsa

iampridem probauimus Conymbricæ. Tum quia præfata cle. 1. non habet trūcare, sed solùm mutilare, vt palam est. Tum quia vt supradictum est nu. 59. per cap. is qui. de sen. excom. lib. 6. irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, e quibus non sunt illi, quos ipsi de suo addunt. Tum quia iura statuentia irregularem eum qui occidit, aut mutilat, oppositū de debilitā te significant, argu. c. nonne. de præsum. & l. cum prætor. ff. de iudi. Tum quia generans filium extra matrimonium, irregularem facit c. 1. de fi. presby. hoc tamen est ob hoc ipse irregularis: & iudex furem furti damnando, facit eum irregularem cap. tantis Daniel. 81. dist. & c. omnipotens. de accus ipse tamen ob hoc nō est irregularis. Tum quia membrum aridum verè est membrum cap. sicut vrgeri. 1. q. 1. ibi, si cuius manus arida est, mēbrū quidē est, licet inefficax.
208 Quarto dico, quòd ad maiorem breuitatem vtemur hoc verbo deformare, loco illorum verborum occidere, & mutilare membrum, & non absque, quia vterque potest dici deformator. Mutilator quidem, quia tollit formam figuræ accidentalem. Occidens autem: quia tollit formam substantialem, arg. eorum quæ habentur in cap. de fabrica. de consec. distin. 1. & in cap. quadam. de celeb. missar.
209 Quinto dico, quod omnis & solus ille est irregularis huius speciei, qui iā baptizatus hominem deformat in casu licito, alio quàm infirmitatis, aut dat causam propinquam deformādi aliquē, aut saltem vt citius deformetur, quàm aliàs

includendum quatuor causas scilicet, efficientem, materialem, formalem & finalé, de quibus infra.nu.219. Dixi, *Propinqua*: quia non sufficit esse remotam, arg. c. de occidentibus 33. q.5. & glo. sing. c. de cætero. de homicid. Causa vero propinqua quo ad hoc est dictum vel factum licitum directum sufficienter in deformationem inde sequutam. Dixi, *Licitum*: quia illicitum causat irregularitatem speciei sequentis. Dixi, *Directum*, quia oportet vt sit tale, quod tendat in deformationem ex se, siue suapte natura, vel intentione operantis, vt est ictus mortifer, etiam sine intētione occidendi, vel contra ictus ex se non deformatorius cum intentione deformandi. Dixi, *Sufficienter*: quia non sufficit qualiscunque: non enim sufficit directio, quia minimus ictus ex se dirigitur in deformationem, neque directio per quamlibet generalem intentionem, qualem habet qui præbet arma militi ad bellum iustum generaliter, & qui hortatur generaliter exercitum ad prælium iustum & ad victoriam, etiam inuando sine intentione speciali deformandi. Dixi, *Saltem*: quia sufficit vt sit causa vt deformetur citius quàm aliàs deformaretur. Dixi, *Extra necessitatem inuitabilem*: quia hæc excusat iuxta cle. 1. de homic. quamuis ante illam oppositum tenuit S.Thom. 2.2. quæst. 64. art.7.ad 3. eo quòd nondum per illam hoc ius nouū erat inductum, vt opinatur Caietan. ibi, licet illa non contineat verba ius nouum de notātia: sed parui refert an nouum, an vetus contineat. Idem autem esse de deformāte ob necessitatem euitandæ mutilationis dixit Card. in d.clem. 1. quæst. 3. Ille vero dicitur esse in prædicta necessitate, qui neque fuga, neque vllo alio modo, nisi interficiendo aut deformando aggressorem, eam vitare potest, iuxta gloss. clem. 1. & cap. suscepimus. eod. tit. quia licèt regulariter quis non teneatur fugere ad peccatum vitandum ne aggressorem interficiat: tenetur tamen quo ad vitandam irregularitatem, vt rectè Pan. declarauit in cap olim. nu. 17. de rest. spolia. & senserunt gloss. d. cle. 1. verbo non valens. & c. suscepimus. eod. titul. verb. interimetur. quia hæc sine peccato incurritur, vt supra dictum est: non tamen dicitur fuga posse vitari, cui ipsa est periculosa secundum communem, quam sequitur Fel. in d. cap. suscepimus. Dixi, *Sequutam*, quia sine illius consequutione alia non sufficeret, etiam si alia pœna sanguinis irrogaretur, iuxta dicta sup. nu. 193. & glos. recept. in c. si aliquis. de homicid. Dixi, *Inde*: quia non sufficeret aliunde: nam si captus à iudice contra quem fuit latus, occideretur ab alio quàm à iudice, vel ab eo alia de causa, vel non moueretur per meum dictum: quia non vidit vel floccipendit, non essem irregularis: quippe, quòd ex meo dicto non fuit sequuta mors.

212 Ex qua regula sequitur primò quòd est irregularis huius speciei iudex iustè procedēs, accusator aut promotor fiscalis, testis, & notarius qui sententiam scribit aut pronunciat, aut testimonia testium scribit, aut legit quādo publicātur: scribēs aut dictans litteras, quibus iubetur deformatio, agens aut procurans contra reum talem deformationem patientem, etiam pro reo, qui vicit cum condemnatione talionis, per quam accusatus fuit deformatus, assessor, & quilibet alius officialis, c. aliquantos. 51. dist. & c. clericis. & c. sententiam. ne cler. vel monach. & gl. summæ. 15. dist. & clem. 1. de homic. omnes enim hi deformant, vel dant causam propinquā deformandi, per prædicta.

Secundo sequitur, quòd non est irregularis qui alteri arma præbet, vt se aliàs se defendere non valentem defendat, si ille aggressorem deformet: quia quum per seipsum deformando non incurreret, per c. si. d. clem. à fortiori non incurreret faciendo id per alium, arg. c. pen. de homicid.

Tertio sequitur, quod è contrario qui dat arma proximo non valenti se sine illis defendere, & ille occidat inuadentem, est irregularis: quia tota regula conuenit ei, quum non det illa ad necessariam suæ vitæ defensionem: & à fortiori si non daret illi arma, sed ipsemet illis occideret eiusmodi inuadentem, vt tenet gl. ferè ab omnibus recept. in d. cle. verb. suum, solerter ab illa expensum.

213 Quarto, quod est irregularis qui deformat aliū ob defensionem iustam vitæ alterius, etiam patris, aut matris, etiam in bello iusto, etiam in casu in quo nisi ipse id faceret, ciuitas obsessa caperetur, aut exercitus iustum bellum gerens fugaretur: & à fortiori qui ob iustam defensionē sui honoris & bonorum, aut proximi deformat, licet id iustè faceret, quod fieri posse dictū est c. 15. num. 2. & 3. post alios citatos ibi, & latius in c. olim. 1. de rest. spol. quia solus ille qui necessitate ineuitabili suæ personæ deformat ab illa excusatur, d. cle. 1. cum glo. ferè ab omnibus recepta de homic. Caiet. 2. 2. q. 40. art. 2. Nec obstat, quòd doctissimus Fortunius in l. vt vim. ff. de iust. & iur. col. 9. oppositum tenuit, quem aliqui sequuti sunt mori eo, quòd non incurrit excōmunicationem, qui clericum propter defensionem necessariam proximi percutit, iuxta Inno. recep. in c. si verò. de sen. excom. quod certum est licere, immo & interdū oportere proximum defendere, c. dilecto. de sent. excom. lib. 6. c. quantæ. eo. tit. in antiq. Non inquam hæc obstant: quia excommunicatio generalis non incurritur sine peccato mortali, vt supra eo. c. nu. 9. dictum est, irregularitas autem sic, per dicta num. 206. & quia non sufficit iustam esse deformationem quo non inducat irregularitatem: & quia sequeretur ꝙ qui defendendi honoris, aut bonorum causa in casu licito interficit, non foret irregularis, quod asserere esset mille decisiones in theoria & praxi receptas sine ratione sufficienti mutare contra textum ferè expressum, in d. cle. vbi glo. recepta ferè per omnes hoc tenet. Dixi, *Iustam*: quia qui ob iniustam defensionē, aut in bello iniusto hoc facit, non est irregularis huius speciei, sed sequentis hac deterioris & difficilioris dispensationis: nullā tamen illarum incurrunt, qui iudicibus denunciant proditiones, homicidia, & alia delicta

cum protestatione se hoc facere solum, vt impediantur ne fiant, & non vt aliqua pœna saltem deformante puniantur, etiam si sint clerici eiusmodi denunciantes, vt supra c. 18. & in 1. per. c. inter verba. 11. q. 3. diximus: modo ea extra confessionem sciant, quia licèt clericus qui alium ob alienas iniurias corã iudice etiã cum prædicta protestatione accusat, irregularitatem non vitet, si iudex accusatum deformet, vt supra dictum est, non tamen incurreret si ad euitanda mala quæ imminent eos denunciet cum prædicta protestatione, præsertim ad id conscientia eum perstringente per locum à maiori. Quamquam etiam laici qui hoc faciunt sine prædicta protestatione, huius speciei irregularitatem incurrunt, licet non peccent, & clerici beneficiarij, vel ordine sacro initiati alterius speciei deterioris, quia peccant.

214 Quintò infertur, quòd eam non incurrunt laici, vel clerici qui deferunt ad iudicē crimen, quod nõ meteretur deformationem, licèt capram ob illud, iniustè, vel ob alia aliunde ad eum delata deformet, modo non tenerentur credere id euentarum: quia non præbent prædictam causam propinquam, neque sufficit quòd interfint deformationibus, quæ per iudicis sententiam fiunt, glo. Pan. & Com. in c. sententiam, ne cler. vel monachi. nisi interfint aut horitatem, vel auxilium præbendo, sed tantum nil dicendo, aut faciendo quo deformatio fiat, aut anticipetur, quãuis clerici, secũdum eandem gl. recept. peccẽt si eis interfint sine causa rationabili, vt consolandi, aut cõfitendi condemnatum, secũdum Pan. ibid. Quod nostro iudicio restringendum est ad clericos sacrorum ordinum, & beneficiarios, per supra d. c. 15. nu. 110. & Ang. ver. clericus. 4. §. 1. & Syl. ver. cle. 2. §. 4.

215 Sexto infertur, quod clericus præsens bello iusto etiam adhortando ad victoriam generaliter, & percutiendo multos propriis manibus & efficiendo, vt commilitones eius ope, & hortatu multos occidant, non fit irregularis si per se non deformet: quia nõ dat causam propinquam deformandi supra definitam, cum non faciat actum speciatim ad deformationem directũ quo ad percussos ab aliis, & licèt faciat talem quoad percussos à se: illi tamen non sunt deformati, secus si per se deformat: quia licèt necessitas defendendæ patriæ, parẽtum, cognatorũ, aut alius proximi à peccato excuset, non tamẽ ab irregularitate per proximè dicta.

Septimo infertur, quod ex hoc colligitur ratio cur interdum præbere lanceam, aut ensem, balistam, aut sclopetũ, non faciat aliquem irregularẽ, & interdũ sic, & interdum præbere ante prælium non, & in eo sic: quia interdum datio illa est causa propinqua, & interdũ non, & ita interdum inducit irregularitatem, interdum non, non enim facit talem eum, qui non dat principaliter ad deformandum licèt det generaliter ad bellandum, præliandũ, & vincendum, vt passim dant patres, patrui, cognati, amici, & domini ecclesiastici, & seculares, & colligitur ex Pan. & Com. in d. c. sententiam. & S. Anto. 3. part. tit. 18. cap. 2. §. fin. & aliis

aliis supra citatis: neque etiam iuxta Inno. in d. c. sententiam. qui dat balistam, aut sagittas sagittariis, vt iaciant in hostes sine tamen intentione speciali, vt deformet, sed generali, vt vincant: nec eadem ratione qui sclopetum, aut globulos præbet: & à fortiori, nec qui dat lanceam, ensem, & alia arma quibus rarius quis interficitur: neque qui hortatur milites, vt animosè, & fortiter aggrediantur prælium iustum, vt Deo, iuramento, Regi, & Imperatori suis satisfaciant: neque etiam qui in ipsõ prælio cohortatur, & dicens præliamini, vincite, iuxta Com. in d. c. sententiam.

216 Octauò infertur vetus intellectus c. quod in dubiis. de præ. quatenus habet sacerdotes, qui ad præliandum inciteant in bellis esse irregulares, gl. c. ita quorundam. de Iudæ. dicentis irregularem esse, qui ad præliandum dat arma, si eis aliquis interfectus fuerit, & Com. in d. c. sententiam, concludentis qui in prælio ad interficiẽdum incitat esse irregularem, quamuis bellum iustum sit ex parte sua: & illius dicti Inno. approbati cõmuniter ibidem, scilicet, cum qui balistam aut sagittas præbet ei, quem credit interfecturum, si interficit, esse irregularẽ, quamuis bellum iustum sit: intelligi enim debent de incitante, vel dante arma cum prædicta intẽtione sufficienti ad cõstituendum causam propinquam deformationis.

Contra hæc tamen omnia plurimum vrget primò, quòd intentio actualis, siue expressa, & virtualis, siue tacita æquiparantur, in l. cum quid. ff. de reb. cred. & in c. quemadmodum. de iureiur. & qui incitat, iuuat, aut præbet arma ad præliandum. & vincendum hostes, virtualiter videtur velle, vt percutiatur, mutilent, & occidant eos, vel aliquẽ eorum, quum id non possit contingere moraliter nisi ea faciendo: & qui vult consequens, vult necessarium antecedens, l. 2. ff. de iurisdi. iud. c. præterea. de offi. deleg.

Secundò vrget, quòd qui hortatur suos in prælio iniusto secuta deformatione fit irregularis, ea sola ratione, quod videatur virtualiter deformare.

Tertio vrget, quod dupliciter vult quis aliquid, scilicet in sese, vel in causa sua: & quòd sufficit velle in causa homicidiũ ad incurrendum irregularitatem, pro quo est cap. presbyterum. & c. cõgregabatur. cum multis aliis. de homic. Ad soluendum hæc, & constituendũ definita supra in hoc dicto, & septimo, & octauo corollario eius prædictis, quę nullibi satis resoluta legimus, adhibito multo studio & diuino fauore per sacra implorato, vigilia S. Matth. anno 1556. ea occurrerunt vnà cum consideratione, quòd non omne quod sufficit ad dandã causam propinquam, & habendã intentioneni sufficientem deformandi quo ad deformationem iniustã, vt incurratur irregularitas, sufficit ad dandam causam propinquam & habendam sufficientem intentionem occidendi quo ad occasionem iustam, vt eadem incurratur. Tum quia qui iubet aliquem percuti baculo iniustè, etiam expresso modo, ne interficiat, si iussus interficit, est irregularis: quia dat propinquam

causam, & habet intentionem ad id sufficientem, c. fi. de homic. lib. 6. At prælatus qui ciuitati cuius iurisdictionem temporariam habet, gubernatorem præficit, vt iustitiæ munera exequatur, non videtur dare causam propinquam, nec habere intentionem sufficientem, vt interficiat, quamquam expresè id non prohibeat, c. prælatis. de homic. lib. 6. cum tamen certius sit illum gubernatorem aliquem morte condemnaturum, quàm iussum percutere, occisurum. Tum quia opem ferens & assistens etiam sine armis iniustè præliantibus dat talem causam, & habet talem intentionem sufficientem, vt post Inno. in c. pen. de homic. supra dictum est: qui tamen assistit iustè præliantibus non, c. igitur. cum 3. seq. 23. q. 8. etiamsi assistat armatus. c. continebatur. de cler. percuss. etiamsi hortetur, c. 3. eo. tit. nec etiamsi percutiat, d.c. pe. Per quam respondetur tribus argumentis prædictis, quòd assumpta in eis sunt vera quidem regulariter, sed fallunt in his quæ spectant ad hanc irregularitatem: quia sicut speciale est in ea, vt pro actu etiam iustissimo imponatur, ita speciale est, vt ad id requiratur causa ita propinqua, & intentio adeo specialis, vt dictum est.

217 Nonò consequitur hæc omnia modus excusandi ab irregularitate prælatos clericos, qui non solum solent interesse bellis sactis, & piis cum suis subditis & militibus, sed etiam exhortari eos ad præliandum & vincendum, sine tamen intentione speciali ad deformãdum per alios, & sine deformatione ab ipsismet facta, quamquam nulla probabilis excusandi eos ratio occurrisset Aluar. Pelag. de planc. eccle. art. 48. modus item excusandi ab ea clericos & fratres Lusitanos, qui magno zelo fidei Christianos, & non minori animo suos in Indiis contra Saracenos & Paganos hortari solent manibus crucẽ gestãtes, & acie ipsam præeuntes, qui non irregulares, sed regularissimi sunt.

Decimò facit, quòd est irregularis huius speciei qui vt consequatur indulgentias, fert ligna quibus hæreticus vratur, si ex eis factis cooperatus fuit ad occidẽdum, aliàs non, iuxta S. Ant. 3. par. tit. 28. c. 2. §. 5. & Com. Quæ consequitur, quòd quando antea strangulantur hæretici quàm vrantur, non fieri irregulares eos, qui huiusmodi ligna detulerunt, neque etiam quando viui vruntur, si ligna iacta fuerint mortuis iam illis.

Vndecimò facit, quòd sit irregularis comitans iudicem tanquam notarius, satelles, aut custos damnati ducti ad mortem, aut deformationem: vendens item vel commodans scalas, funes, enses, sagittas, balistas, aut alia instrumenta ad sagittis configendum, ad laqueo suspendẽdum, iugulandum, aurem aut aliud membrum decidendum.

Duodecimò, qui capit, aut indicat furem, aut reum vt à iudice capiatur, & qui etiam suæ vtilitatis causa tradit, aut conqueritur de aliquo apud iudicem sine protestatione ne procedat ad deformationem, c. prælatis. de homi. lib. 6. quia omnes isti sunt causa propinqua deformationis in casu licito, & ita irregula

irregulares. Dixi, *Etiam suæ vtilitatis causa*: quia si causa alienæ tantum id faceret, etiam cum protestatione, fieret irregularis, per d. c. prælatis. in verb. suas; secũdum comm. quam Franc. sequitur ibi. Quòd autẽ protestatio non solum verbo, sed etiam mente debeat fieri quo ad forum cõscientiæ, dicetur infra nu. 227.

Decimotertiò, quòd etiã est irregularis hortans condemnatum, vt admoueat caput ad stipitem, aut cippum, aut ascendat scalas, aut faciat aliquid aliud ex quo acceleretur deformatio. Et qui acuit gladium, aut præparat funes, aut instrumenta, quo citius, & minori cum dolore fiat exequutio, iuxta mẽtem S. Anto. vbi supra, & omnium aliorum.

An autem adiuuãs chirurgum ad secandum iuste membrum hac irregularis quæstio noue mota est. Pro cuius parte affit mãte facit, quòd adiuuans iudicem iuste iudicãtem occidere, vel mutilare sit irregularis per prædicta. Ergo eadem ratione adiuuans chirurgu iustè mutilãtem incurrit eam. Sed rẽnẽda est pars negatiua. Tũ quia rem, quæ culpa caret in damnum vocari nõ conuenit cap. 2. de constit. Et quod præfatus actus iuuandi est bonus iuxta illud Apost. ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate*. Tũ quia nullo iure cauetur, quòd iuuans chirurgum incurrat irregularitatem absque sua culpa propter mortẽ, vel mutilationem cap. ad aures. de æta. & qual. & cap. tua. de homi. cum eis adnot. per Inn. recep. de iuuante autẽ iudice sic. c. sententiam sanguinis. ne cler. vel monac. Et ad oppositum, cui nullibi responsum memini respondetur, negando in vtroque casu eandem rationem idẽ ius dictari: quoniam iudex damnans aliquem, vt mutiletur, & is qui eum quoquomodo ad mutilandum reum iuuat, licet moueantur ad id virtute iustitiæ: finis tamen eorum est vindicare, & actum terrorem, & hortorem incutientem facere, vel ad illum iuuare: chirurgus autẽm volẽs mutilare, & qui eum iuuat, mouentur misericordia, & pietate ad sanandum ægrotum, & Ecclesia induxit irregularitatem ob homicidium, & mutilationem ad assimilandum Christo miti, & mansueto ministros eius, quo mites essent, & non crudeles, nec similes crudelibus, quales sunt etiam, qui iusta occidunt, vel mutilant iuxta c. *non est crudelis, qui crudeles iugulat: sed crudelis ideo vocatur: quia crudelis patientibus esse videtur. Nam latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat.* 23. q. 5. chirurgus autem, & qui iuuant illũ misericordia, & pietate mori nec sunt crudeles, nec similes crudelibus, & ita longè diuersa ratio induxit Ecclesiam ad constituẽdum iudicẽ, etiam iuste iudicantẽ, & iuuantem eum irregulares, quàm chirurgum, & eum iuuantem. Pro quo facit primum dictum supra nu. 206. Ex quibus infertur idem esse iudicandum de medico, & iuuantem illum; quod dictũ est de chirurgo, & eum iuuante; quoniam nec illi, nec iuuantes illos absque culpa incurrunt irregularitatẽ: cum culpa autem sic, vt Inno. communiter recept. ait in d. cap. ad aures. & c. tua. arg. l. illicitas. §. ficuti. ff. de offic. præsid.

218 Sextò principaliter dico, quòd in hac irregularitate solus Papa

Universidad de Deusto
Biblioteca

dispensat, sed longè facilius, & ex minore causa quam in sequenti, quæ ex actu illicito nascitur: licet post Conc. Trid. in illa ii est occulta dispensat episcopus, & in hac non, vt in Rubrica 140. dicetur.

De quinta specie irregularitatis, ex homicidio iniusto vno ex delictis, vnde illa nascitur.

SVMMARIVM.

219 *Irregularis per deformationem illicitam est omnis, & solus ille, &c.*

219 *Causæ sunt quatuor, efficiens formalis, materialis, & finalis.*

219 *Causa propinqua deformationis neque definita, & seq.*

120 *Irregularem facit omnis deformatio illicita mere intenta, & nulla mere casualis: mixta verò facit contentum in hac regu. 28. correllatiu ornata de monacho, chirurgo, abortiente, vulnerante, & non defendente, ministrante arma, iuuante, & hortante: accusante sine protestatione, detinente furē, alente ferum, magistro castigante, ludente illicitē, clerico venante, cordigero equitante, & de adulterante à nu. 221. vsque ad nu. 229.*

233 *Mandans vel consulens hoc differat, nec refert, an cito, an tarde executio fiat, & seq.*

219 DIco primo, quod quo ad hunc effectum paria sunt occidere & mutilare, siue abscindere membrum non tamen debilitare, vt dictum fuit supra nu. 207. & vt ibi, ita hic vtemur verbo deformare pro occidere, aut mutilare seu membrum abscindere.

Secundo dico, quod deformatio est triplex, merè voluntaria, mere casualis, & mixta. Merè voluntaria est deformatio intenta seu volita in se iustè, vel iniustè, qualis est quam quis intendit facere iustè, vel iniustè, per se, vel per alium, iubendo, consulendo, aut cooperando, vel iuuando testimonio, vel patrocinio, ferro, veneno, aut aliis modis, aut deducendo ad locum vbi deformetur, aut procurando, vt faciat aliquid ob quod deformetur. Merè casualis est non intenta seu volita in se, neque in causa ad eam sufficienter ordinata; qualis est mors quam infert fulmē eo loco illi, qui sine talis deformationis præsumptione ad eum iuit, vel missus fuit. Illa enim neque est volita in se, neque in causa ad illam sufficienter ordinata. Mixta est quæ non est intenta, vel volita in se, sed sic in causa sufficienter in illam ordinata, qualis est facta à seruo iusso palo cædere alium citra deformationem, & testificatio in causa sanguinis nolētis deformationē. Illæ enim non sunt intentæ, siue volitæ in se, sed sic in causa sufficienter in eam ordinata, vt bene declarat S. Thom. 2.2. q. 64. art. 8. vbi multa Caiet. tametsi; nec ipse, neque alius adeo breuiter, & clare resoluat.

Tertio dico, quod sicut ad soluenda dubia occurrentia circa irregularitatem quartæ speciei posuimus vnam regulā, ita nunc ad soluenda dubia circa hāc tradimus alteram, scilicet, quod omnis & solus ille est irregularis hac specie irregularitatis, qui discretus & baptizatus seipsum, aut alium hominem illicitē deformat, aut causam propinquam illicitam illius, aut suæ anticipationis præbet. Dixi, *Discretus*, quia infans & furiosus qui nūquam habuit iudicium, aut amisit illud ante deformationem, eam non incurrit clem. 1. de homic. Dixi, *Baptizatus*: quia prius facta non sufficit, cap. si quis viduam. 60. distin. & per dicta supra nu. 107. Dixi, *Deformat*, ad includendum occidentem & mutilantem, sed non solum debilitantē, etiā sic, vt sine scandalo non possit celebrare, vt proxime diximus. Dixi, *Seipsum*: quia cum nemo sit dominus suorum membrorum l. liber homo. ff. ad l. Aquil. c. contingit. 1. de sen. excom. etiam irregularitatē incurrit qui seipsum illicite deformat, c. si quis abscideri. & c. hi qui. 55. dist. quamuis id sancta intentione faciat, vt qui se castrat, quo melius castitatem colat. d. cap. hi qui Dixi, *Aut alium hominem*: quia non satis est deformare embrionē nondum anima rationali animatum. c. sicut ex tuarum. de homi. c. quod vero. & cap. Moses. 32. q. 2. aut cadauer ea destitutum Arch. c. si quis, 15. q. 1. Dixi, *Illicite*: quia qui ob morbum consilio chirurgi abscindi facit, aut abscindit aliquod suum, aut alienum membrū, hāc irregularitatem non incurrit, c. si quis à medicis. & cap. si quis in infirmitate. 55. dist. quamuis aliam quę ex defectu corporali nascitur incurreret, si ob eam fieret inhabilis, aut deformis ad celebrandum sine scandalo per supradicta eo. c. nu. 100. Dixi, *causa*, generaliter ad comprehendendum quatuor causas, quæ sunt efficiens, materialis, formalis, & finalis, iuxta Aristotel. libro 6. Physic. & nos

collegimus dudum ex gloss. 1. Decret. & tradit Marian. in hoc proposito, in d. c. ad audientiam. q. 42. de homicid. & consequenter ad includendū eū, qui est causa efficiens deformitatis, qualis est qui eam facit, iubet, mandat, ratificat, vel iuuat, & eum qui est causa materialis illius, qualis est qui dat arma, aut deducit aliquem ad locū, vbi sunt inimici parati ad deformandum ipsum, & eum qui est causa formalis, qualis est qui instruit, docet, aut consulit, & eum qui est causa finalis, qualis est qui præmium, aut receptationem deformatori pollicetur. Dixi, *Propinquam*: quia non sufficit quod sit causa remota, per gloss. sing. cap. de cætero. de homic. receptam per omnes, qualis est de se omnis armorum fabricatio. Dixi, *Illicitam*: quia irregularitas huius speciei, quæ oritur ex deformatione illicita, nunquam sine peccato saltem veniali nascitur, vt statim dicemus. Causa vero propinqua illicita deformitatis potest definiri esse dictum aut factum illicitum directum, sufficienter in deformationem inde sequutam, declarando partes eius, vt supra nu. 210. excepto quod non requiritur intentio tam specialis ad incurrendam ex causa illicita, de qua ibi, venu. 211. declaratur. Dixi, *aut anticipationis*: ad includendum eos qui dicunt, aut faciunt aliquid, sine quo deformatio quidem sequeretur, sed non tam cito, iuxta Specul. de dispens. §. iuxta, nu. 12. & 13. Pau. in c. sententiam. ne cler. vel monach. Vill. ad. vbi supra col. 22. S. Anto. 3. part. tit. 28. cap. 2. §. 5.

Ex hac regula sic declarata infertur primò, quod prima deformatio intenta & volita in se semper inducit irregularitatem.

Secundò infertur, quod nulla secunda deformitas, licèt mere casualis inducit illam, quia neque est in se, neque in sua causa volita.

121 Tertiò infertur, quòd omnis & sola deformatio mixta sequuta ex opere illicito lege iustitiæ, quod est causa propinqua eius, inducit irregularitatem huius speciei, cap. tua. cap. suscepimus. de homic. & cap. fi. eo. tit. lib. 6. quæ de opere in se illicito loquuntur, & cap. continebatur. & cap. presbyterum eod. tit. quæ de opere licito illicite facto agit. Dixi, *Lege iustitiæ*: non enim sufficit, quòd sit iniustum lege charitatis. Nam iudex, qui iuste secundum legẽ iustitiæ iubet homicidam occidilicèt forte id faciat animo vindictæ priuatæ, vel quia erat clericus beneficiarius, qui licitè non poterat esse talis iudex neque miles, qui occidit in bello iusto hostem, malo tamen animo non est irregularis hac specie irregularitatis, sed tantum specie præcedenti defectus lenitatis, quæ est facile dispensabilis. Dixi etiam, *Sola*: quia nulla deformatio casualis quæ ex opere licito licite facto nascitur, facit quẽ irregularem huius speciei, cap. lator. c. dilectus. c. ex literis. 1. & 2. c. Ioannes. de homic. & c præfatis. eo. tit. lib. 6. Non dixi vt aliàs, *De opere licito illicite facto*: quia opus licitum illicite factum illicitum est, c. cum minister. 23. q. 5. glo. iuncto tex. c. 1. de colluf. deteg. Dixi *Quod est causa propinqua eius*: quia nõ sufficit quòd sequatur ex illicito, nisi sit causa eius propinqua, qualis est deformatio fulminis ictu facta eius, qui male iussus aliquo ibat: quia illa mala iussio, neque de se, neque per intẽtionem directam in illam est causa propinqua ipsius per prædicta: sicut & culpa præcedens casum fortuitum non efficit, vt fortuita imputentur contra l. si creditor. & l. quæ fortuitis. C. de pig. act. nisi illa culpa dirigatur sufficiẽter ad illũ, vt in hac ipsa specie singulariter dicunt Ancha. & Franc. in gl. pe. cap. fi. de homi. lib. 6. Nam & tunc demum culpa præcedens casum nocet commodatario, cum illa aliquatenus ordinatur ad illum, iuxta mentem omnium in d. c. 1. de commod. & c. fin. de deposit. Mula enim commodata periens in itinere ictu fulminis nõ perit commodatario, licèt propter eius culpã in ludendo vel fornicãdo non transiit prius locũ vbi fulminauit: quia culpa illa non fuit sufficienter directa in illũ casum, & in c. fi. de homic. lib. 6. ideo mandans percutere citra mortem, si mandatarius occidat, fit irregularis: quia percussio culpaliter mandata, sufficienter dirigitur in mortem. Quod autem dicatur sufficienter directum boni viri arbitrio terminandum est, arg. l. 1. ff. de iure delibe. cap. de cauſis. de offic. deleg.

122 Quarto infertur, pro resolutione eorũ quæ cõtra hæc adduci possent ex Soto lib. 5. q. 1. art. 9. de iust. & iur. & alijs infra citandis, dicendum esse, quòd non est aptus nec verus intellectus quẽ pro certo dat Sotus cap. tua homic. scilicet, quod monachus qui vtẽdo chirurgia ob solam

solam pietatem curat vulnus, & aperit, ex quo infirmus exponens se vento contra præceptum eius, moritur, non est irregularis, & si ob lucrum curat sic. Tum quia Io. And. Pan. Ana. & Fely. dicunt in vtroque casu esse irregularem, quamuis in altero casu, quam in altero facilius dispensetur. Tum quia textus aperte dicit illum monachum exercendo alienum officium sibi vetitum peccasse, ibi, *Licet ipse monachus multum deliquerit, officium alienum vsurpando, quòd sibi minime congruebat.* & ita ex opere illicito sufficienter ad id tendenti sequuta fuit deformatio. Tum, quia textus in illis verbis, *Si tamen &c.* palam concludit necessariam fuisse illi dispensationem, etiam si ob solam pietatẽ curasset.

Quintò infertur, quòd nimis audacter videtur dixisse idẽ Sot. contra omnes Canonistas, immò & Theologos nõ esse textum probantem, quòd ex deformatione casuali ex opere illicito sequuta fiat quis irregularis. Tum quia cap. dilectus. & c. ex literis. de homic. id probant à contrario sensu, quod licet, vt ipse dixit, sit infirmum logicis: iurisconsultis tamen firmissimum est l. 1. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdict. & c. Apostolica. de his quæ fi. à prælat. sine con. cap. saltẽ quando desumitur probãdum illud, cuius contrarium non est iure expressum, iuxta cap. à nobis 2. de sen. excom. & glo. cap. significasti. de foro compet. vt in proposito contingit. Tum quia prædicta duo c. dilectus. & ex literis. non solum probant id à contrario sensu, sed etiã à cessante ratione & causa, quod est validum l. adigere. quamuis. de iure patro. c. cum cessante. de appel. vt palã est ea perpendenti. Tum denique quia plurimi sunt textus, quibus pro regula statuitur, quòd qui deformat, irregularis est, c. miror. c. si qui viduam. c. clerico. c. de his. 50. dist. ca. continebatur. & c. presbyterum. de homic. & adeo quidem, vt videantur includere etiam eos, qui iuste, & sanctè, directè, aut indirecte deformant, aut illius causa sunt. Quin multi & in his S. Tho. 2. 2. q. 64. art. 8. contra casum cle. 1. de homic. tenuerunt esse irregularem etiam deformantem ob necessariam suę vitę defensionem. Cum ergo à regula non sit discedendum nisi iure, aut ratione in id cogente, glo. l. omnis definitio. ff. de reg. iur. & in rubr. de reg. iur. li. 6. recept. per omnes. cumque ius ab hac irregularitate non eximat, nisi casu citra culpam deformantem regula præfata probata relinquitur.

123 Sextò infertur, quòd deformãs embrionem inanimatum, vel cadauer exanimatũ, non est irregularis, per dicta supra num. 118. Nec qui propinat mulieri, aut viro potum, quo eis generandi facultas impeditur: quia non deformat, cap. si aliquis. de homi. neque qui prægnantem abortire facit antequam fœtus anima rationali animetur, ea. sicut extuarum. de homic. quæ quadragesimo die masculo, & octuagesimo fœminæ infunditur, iuxta glos. sing. in prin. dist. 5. Si verò nescitur, an fœtus abortiuus, quem abortiuit post diem quadragesimum, sit mas, an fœmina, debet se censere irregularem, qui eius causa fuit.

Universidad de Navarra Biblioteca

c. grauc. ad audientiam. de homicid.

Septimò infertur, quòd non est irregularis, qui vulnerat plures & plurimum, etiam cum maxima sanguinis effusione, etiam abscindēdo aliquas partes membrorum, modo non abscindat membrum, nec vulneratus moriatur, etiam si maneat inhabilis ad decēter celebrandum, quia non deformat. Monemus autem quòd licat auris, siue cartilago illa sensum auditus exornans, non videatur esse membrum eius, tamen carentia videtur inducere irregularitatem, ob deformitatem quam in parte adeo edita, & publica induxit, argu. cap. qui partem. 55. dist. & eius quod paulo ante diximus, pen. illud quòd Specul. placuit. in §. iuxta de dispen.

Octauò infertur, quòd non est irregularis qui iustè aliquem percutit & non occidit, licèt ab aliis sine ipsius culpa occidatur, c. significasti. 1. de homi. aut moriatur culpa medici, aut regimine, aut morbo superueniente: quia illa mors non est sequuta ex eius opere illicito: secus tamen est de iustè percutiente: nam etiam si percussio non sit mortifera, est tamen causa, quòd alius eum interficiat, aut incidit ob illam in morbum, quo moritur etiā culpa medici, vel malo regimine: quia quo ad hoc pari sunt interficere, & iniustè percutere, ex quo mors sequatur, etiam sine alia culpa percutientis, vt singulariter probant cap. presbyterum. cap. ad audientiam. de homic.

214 Nonò infertur, quòd non est irregularis, qui nō occidit, nec mutilat, licet debiliter membrū, adeo vt nequeat celebrare per supra dicta.

Decimò infertur, quòd est irregularis huius speciei prebens arma ad bellum iniustū euntibus, si quis in eo deformetur, iuxta gl. cap. ita quorundam. de Iudæ. fundatam in c. quod in dubiis. de pœn. & à fortiori si ipsemet prælietur. Immò & quidquid dicat Spec. tit. de dispen. §. iuxta. vers. 56. & nonnulli alij, nos opinionem Inn. Pan. & Communē, in c. pen. de homi. certam putamus. scilicet, quod qui in prælio, vel alia quacunque rixa intersunt illis, ex quorū parte sunt iniusta, auxiliando, vel fauendo, sunt irregulares, si aliquis in eis deformetur, siue intersint armati, siue inermes, siue deformēt, siue non, siue ūb id timor inimicis augeatur, siue non, quāuis non qui intersunt ad dissuadendum prælium, & suadendam pacem, licèt inde nonnihil animi suorum parti, & nonnihil timoris aduersæ redderetur. Neque etiam qui intersunt iis, qui iustè bellum gerunt, etiam ad faucdum, modo suis manibus non deforment, etiam si animo deformandi percutiant, & ex percussione postea sequatur deformatio culpa percussi, vel medici: quia hoc differt iusta percussio ab iniusta. Addo etiam quòd qui suis manibus interficiunt in iusto bello, non sunt irregulares huius speciei, sed illius quæ nascitur ex defectu perfectæ lenitatis, de qua supra à num. 206. si sunt laici, nec si sunt clerici si initæ ipsis pugnæ tanta est necessitas, vt excuset à peccato, quamuis non ab irregularitate, vt contingere potest, iuxta notata per Caiet. 2. 2. q. 40. art. 2. & tractatur

tractatur supra eo. c. nu. 214. & 217.

225 Vndecimò infertur, quòd est irregularis huius speciei laicus, vel clericus, qui alium in iudicio iniustè criminis merentis mortem, aut deformitatem accusat, si ea sequatur. Et qui inimico indicat vbi sit, quod iret teneat, quomodo inueniet quē quærit ad deformandem iniustè, si illud sequatur. Iudex item condemnans iniustè, & omnes eiusmodi condemnationi scienter fauentes. Dixi, *Iniustè*: quia quamuis laicus, qui iustè accusat, sententiam fert vel exequitur, cum omnibus ad id auxilium præbentibus, sit irregularis alterius speciei, vt dictum est sup. nu. 209. non tamen huius quæ est deterior, & difficiliotis dispensationis quàm illa, excepto clerico ordinis sacri, qui hoc facit etiam iustè accusando sine protestatione prædicta, quia facit actū illicitum, iuxta regulam S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. vnde sequitur deformatio.

226 Duodecimò infertur, quòd non est irregularis huius speciei, nec alterius qui ad recuperandum sua decinet furem quo ad iudex veniat, aut eidem tradat: neque qui furi sibi facti mēsam in iudicio, quāuis suspendatur, modo expressè protestetur, se nolle vt iudex illi irroget pœnam sanguinis, c. prælatis. de homic. lib. 6. & aliās sic etiam in foro conscientiæ, licèt id ei verè displiceat, vt colligunt ex glos. & Arc. in d. cap. prælatis. & affirmat Calder. probatus ibi à Perus. col. 2. si autem verè placeat, fiet irregularis, quo ad forū conscientiæ, etiam si scripto, aut verbo protestetur contrarium, secund. Ioan. And. Dominic. & Perus. in d. c. prælatis. Et ideo non semel consuluimus quibus id contingit, vt dispensationem obtinerent: quāquam Felyn. in c. postulasti. de homicid. li. 6. contrarium significet, allegando in id Ioan. And. in c. 2. de homic. lib. 6. qui tamen in meo libro id non dicit, neque in libris Domin. & Perus. in d. c. 2. qui eum pro nostra parte allegant, & bene: quia ipse remittit se ad Hostien. in summa de homi. §. qua pœna. verb. si verum. vbi copiosius quàm omnes id quos nos asserimus tenet. Nec obstat, quòd per solā voluntatem, aut intentionē sine opere exteriori irregularitas non incurritur, vt supra dictum fuit num. 195. per cap. hin. 13. q. 1. quia in proposito cum voluntate concurrit accusatio, aut querimonia exterior, quæ ad iudicem defertur, & deformatio illam consequuta, & protestatio non est talis qualem ius requirit ad excusandum ab irregularitate; ius enim non requirit protestationem mendacem & fraudulentam, qualis est præfata: in nullo enim casu mentiri permittitur, cap. primum. 22. q. 2. c. super eod. de vsur. Hæc tamen irregularitas non est huius speciei, sed præcedentis, quæ ex defectu perfectæ lenitatis nascitur, nisi in clerico factis initiato, vel beneficiario, qui peccat sic detinendo, tradendo, aut accusando sine dicta protestatione, vt dictum est.

227 Decimotertiò infertur, quòd est irregularis huius speciei qui illicitè rixatur, aut certat cum alio, si eius amici superuenientes eum deforment, etiamsi absque aliquo eius consensu id faciant, iux. Ioan. And. in c.

in c. Petrus. de hom. recep. à Pan. & Fel. & Com. quia ex eius opere illicito in id aliquo modo ordinato, sequuta est deformatio.

Decimoquartò infertur ; quòd est irregularis huius speciei, qui domi suæ alit, aut custodit feram aliquam bestiam, vt Leonem, Elephantem, aut Vrsum : & est in culpa soluendo, vel tenendo solutam, & illa aliquem deformet : secus si non est in culpa, secundum Inno. Card. & Com. in d. cap. ad audientiam : quia quum est in culpa ex opere illicito sequitur deformatio, non autem, cum non est in ea.

228 Decimoquintò infertur, quòd est irregularis huius speciei chirurgus, vel medicus, cuius dolo, ignorãtia, aut negligentia, aut audacia omittendo suæ artis regulas, ictus vel ægrotus deformatur: aliàs secus, iuxta mentem Spec. recept. vbi sup. nu. 11. & Inn. & omnium in c. tua de homic. Custos item infirmi, qui dolo, aut notabili culpa, vt contra consilium curantis præbet, aut facit aliquid quo infirmus deformatur saltem citius: non autem si id faciat bona fide sine culpa notabili, licèt in aliquo errauerit, & potest se liberare scrupulo consilio doctorum, qui si etiam dubitant, irregularem se debet putare, iuxta Specul. vbi supra num. 13.

229 Decimosextò infertur, quòd est irregularis, secundum Spec. vbi supra receptum, qui cum nõ sit medicus, neque chirurgus, sagittam aut aliud telum corpori infixum percusso euellit, vt citius moriatur, vel si ob id celerius moriatur quàm aliàs moreretur: & etiam qui ad aliam partem infirmum vertit, vt citius moriatur : & qui aliquid horum iubet, rogat, aut consulit, & ob id citius moriatur, aliàs non.

230 Decimoseptimò infertur, quòd non est irregularis infans, neque dormiens, neque furiosus alium deformans, cle. 1. de homi. Infans autem quo ad hoc dicitur minor septennio, secundũ glo. prædictæ clem. qđ certum est quo ad fori exterius: quo ad forum autem interius videtur iudicandus talis maior eo, si iam nactus est iudicii sufficiens ad peccandum: & minor eo, si nondum nactus est illud, vt colligitur ex Ioan. Andr. & Panor. in c. 1. de delictis puero. Imo. & Bonifa. in d. cle. vbi fuit defectus iudicij, quod præsumitur post septem annos, & non ante. Et quamuis Zenzel. recept. per Catd. & Ioan. Colonien. & Villad. in tract. de irregula. col. 28. & Syluest. verb. homicidium 3. q. 4. dicat, quòd est irregularis qui ebrius iudicio carens deformat : quia causa fuit illius, cum se inebriauit, c. inebriauerunt. 15. q. 1. nobis tamen nunquã placuit, quo ad omnino ebrũ, & extra iudicium positum. Tum quia furiosus quamuis sua culpa furat, siue insaniat, non est irregularis deformando, iuxta glo. ca. si quis insanierit. 15. q. 1 & Card. in d. clem. 1. q. 6. & Imol. in gloss. 2. Tum quia multi inebriantur citra suam culpam. Tum ob duodecim argumenta, quæ adhibet Maior in 4. dist. 15. q. 8. ad probandum quod ebrius non peccat in eo, quod extra iudicium manens facit. Tum quia neq; qui dormiens deformat, sit talis, etiamsi deformet quem vigilans deformare

formare intendebat, vt in d. clem. communis. declarat. Et magnopere lætatus fui, cum primum hoc benifacium tenere vidi, in d. clem. num. 26. quamquam communis opinio procedere potest in ebrio, qui iudicium omnino non amisit, & quo ad forum exterius, si tanta ebrietas non probaretur: & etiam quo ad forum interius, in eo qui sciens solere se inebriatum sumere arma, & alios percutere, sua culpa inebriatus fuit, vt Marian. annotauit in c. ad audientiam. nu. 55. de homic. quia facit opus illicitum ordinatum ad id consuetudine ipsius. Quod ipsum dici potest de dormiente, & furioso, qui interdum ad se redit, si admoniti se dormientes, aut furentes capere arma, & percutere alios, sunt in culpa non prouidendi tempori quo dormierint vel furuerint, ne talia faciant, à paritate, siue identitate rationis l. illud. ff. ad l. Aquil. & cap. 2. de translat. prælat.

231 Decimooctauò infertur, quòd sit irregularis iniuria affectus, si eius amici iniuriantem deformant, rogati, vel iussi ab ipso : & etiam si eo sciente & non contradicente id faciant, aliàs secus.

Decimononò, infertur, quòd est irregularis qui auertit aliquem à liberando alio ab iniusta deformatione, arg. c. si quis viduam. 50. dist. c. periculosæ. de pœnit. distin. 1. quia ex ipsius opere illicito ad eam ordinato, sequuta est: quamquam nemo sit irregularis ex sola complacentia, quòd deformetur alius : quia id non sequitur ex ea, glo. recept. d. c. si quis viduam. licèt in eo peccet. Nec cõsequenter medicus, qui non vult curare infirmum qui ob id moritur nec diues non pascens, vel non vestiens fame, vel frigore morientem ; nec qui cum potest, non defendit quem deformat, nisi sit iudex, aut qui suo officio ad id tenetur iuxta S. Anto. 3. par. tit. 28. ca. 2. quia non sequitur ex opere illicito iustitiæ lege: & omissio operum charitatis etiam obligantis ad mortale, non obligat ad restitutionem damni, nec ad pœnas irregularitatis, per d. in c. 24. num. 5. & in Apolog. lib. de red. ecclesiastic. quæst. 2. monito 3. Ex quo sequi videtur nonesse irregularem eum, qui omittit aliquod trium prædictorum facere, etiamsi

232 omittat voluntate & desiderio mortis eius, cui subuenire omittit, se cũdũ S. Ant. 3. par. tit. 28. ca. 2. in prin. quamuis Syl. oppositum teneat verb. homicidium 2. q. 5. & ante illum An. verb. homicidium 1. §. 17. sed sine ratione & textu idoneo : quia cap. quantæ. de sent. excom. quod Ang. adducit, & est fortissimum fundamentum omnium, quæ allegari possunt, non loquitur de irregularitate, sed de excommunicatione ; & magis inducit præsumptionem quo ad forum exterius, quàm veram dispositionem, vt diximus sup. c. 24.

233 Vigesimò infertur, quòd est irregularis qui iubet, mandat, vel consulit aliquem deformari illicite, sequuta deformatione c. si quis viduam 30. dist. siue statim, siue multò post id faciat, antequam iussum, vel mandatum reuocetur expresse, aut tacitè per restitutionem inter eos primæ amicitiæ, ita vt in notitiam iussi, vel mandatarij veniat iuxta Inno. in c. ad audientiam. de homic.

homic. communiter recep. ibi, & Villad. vbi supra, col. 32. Idem de iubente, mandante, vel consulente perfectionem alicuius citra deformationem, ea sequuta c. fin. de homic. lib. 6. & gl. recept. ibidem. Dixi, & [illegible] tract. *Illicitè*: quia secus si licitè, quidquid Sylu. verb. homicidium 1. q. 4. subtiliter, sed periculosè dicat. Tum quia tunc non sequitur deformatio ex opere suo illicito. Tum quia ex dicto Sylu. inferretur, eum qui exercitum ad præliandum, & vincendum absque alia intentione expressa, vel virtuali interficiendi cohortatur, esse irregularem huius speciei, cum tamen non sit etiam speciei præcedentis per probata supra nu. 211. Idem de ratificante deformationem suo nomine factam, quam antequam fieret mandate poterat: quia ratihabitio his duobus concurrentibus mandato comparatur, c. ratihabitionem. iuncto cap. ratum. de reg. iur. lib. 6 & c. cum quis. de sent. excommu. eod. libr. facit gloss. in c. omnes. 17. q. 4. quidquid ibi Arch. dicat, & aliàs non: vt si factum fuit alterius nomine, aut suo cum esset infans, aut furiosus, qui mandare non potuit, iuxta Ioan. And. & Panor. in c. 1. de conuers. infid. Hæc autem procedunt, siue is contra quem consulitur, iuberet, vel mandatur, deformetur, siue consultus, iussus, vel mandatarius, iuxta Panor. in d. c. ad audientiam. Inter consulentem autē, & alios hoc distat, quòd consulens non satisfacit reuocando cōsilium: quia tenetur persuadere contrarium: nam consilium datur gratia eius cui consulitur, qui non tam cito credit ei qui contrarium priori consilio suadet, quàm iussus vel mandatarius mandanti, vel iubenti. Ex quibus colligitur, fuisse irregularem illum clericum, qui me pridem consuluit, dicens se consuluisse coniugi cuiusdam absentis quæ facta erat prægnans, certum modum abortiendi, quod postea pœnitentia ductus reuocauit: sed illa verita maritum regredientem, exequuta consilium, abortiuit.

234 Vigesimoprimò infertur, quòd non est irregularis, qui scit tractari de alicuius deformatione illicita, & non significat illud ei, quamuis peccet mortaliter, si nec facto ad id iuuet, quidquid dicat Sylue. verbo homicidium 1. quæ. 10. per dicta superius eo. c. nu. 231. est tamen qui interest pugnæ iniustæ auxiliando, incitando, aut exhortando suos, aut animos contrarijs imminuendo, & etiam custodiendo vestimenta, aut sarcinas eorum, qui ad præliandum, aut deformandum iniustè proficiscuntur.

235 Vigesimosecundò infertur, quod magister castigans discipulum non sit irregularis, etiamsi moriatur, si circumspecte faciat, aliàs secus, c. presbyterum. de homic. & clericus ludens cum clerico aut laico, qui decidens suo se cultello deformat, sine alicuius notabili culpa non sit irregularis, si licito ludo licitè ludebat, aliàs secus, c. lator. & c. continebatur. de homic. Et quod tecta reficiens, aut aliquos lapides in alium locum iacicns, aliquem deformat, est irregularis, si dicto aut signo debite non præmonuit illac transituros, alioqui secus, argu. l. si putator.

si putator. ff. ad l. Aquil. & c. si duo. & c. clerico. 50. dist. Et quod iaciens lapides in sues, aut alia animalia aliquem deformat, est irregularis, si admisit culpā non satis circunspecte id faciendo, aliàs non gl. d. c. clerico. & quòd clericus venans, aut balista se exercens, aliquem casu deformat, est irregularis, iuxta Ang. verb. homicidium, nu. 2. § 15. & Syl. eod. verbo q. 7. quod intelligendum est de venatione aut exercitio illi illicitis, non autem de licitis. Non enim omnis venatio, nec omne balistæ exercitiū est illicitū illi, vt illi præsupponitur, arg. gl. receptę in ca. 1. de cler. venat. & not. in c. 1. de sagit.

Vigesimotertio infertur, quòd clericus introducēs meretricem per tecta in domum suā, si decidens moriatur vel abortiat, sit irregularis; si vero introducat per viam planam, & idem contingat, minimè: quia licèt vtrunque opus sit illicitum: & ex vtroque sit secuta deformatio casualis, prius tamen est sufficienter ordinatum ad eam; & posterius non. Et quod circumuersans campanam, cuius tintinabulum solutum aliquem deformat, non est irregularis, si non fuit in culpa malè ligandi tintinabulum, aliàs secus: vt quia erat campanarius ad id obligatus, c. Ioan. cum ei annot. de homic.

236 Vigesimoquarto, infertur, quod iocans, aut saltans cum grauida muliere, quæ ob id abortit, non est irregularis, si licitè id facit, vt frater propinquus, aut amicus honestus; secus si illicitè, vt amator obscœnus, aut clericus, aut monachus, cui eiusmodi saltatio esset prohibita, cap. sicut ex ruarum, cum annot. ei per Panor. de homic. Et quod monachus, vel clericus beneficiarius, aut ordine sacro initiatus videns furem furripientem vociferatur, latro, latro, secuta deformatione, est irregularis huius speciei, si animo, vt deformaretur clamauit: aut credēs quod superuenientes eum deformaturi erant, vel ad Iudicē vt deformaretur ducturi, aliàs non, c. significasti. cum ei annot. de homicid. Laicus autem, vel alius clericus idem faciens, esset irregularis præcedentis speciei.

Vigesimoquinto infertur, quod est irregularis qui dormiendo suffocat infantem in eodem lecto illicitè à se positum, aliàs secus. Quando autem id licitè fiat, & quando non dictum est sup. c. 15. nu. 13. Idem de mittente puerum ad puteum, aut ad flumen vbi suffocatur. Et de eo qui fugiens ictum vnius, propellit alterum qui deformatur, & alia similia, quæ illicitè facta inducunt irregularitatem, aliàs non.

237 Vigesimosexto infertur, quod rectè dixit Sotus, aberrasse Syluest. dicēdo irregularitatem incurri à clerico, qui cædendo alienam arborem casu aliquem interimit, etiam adhibita diligencia quæ ipsum cædentem propriam à culpa excusaret. Rectè etiā dixit, non fieri irregularem monachum, eo quod sursum versus ipso mouente campanam tempore prohibito, illius tintinabulum aliquem occidat, si eam diligentiā adhiberet quæ sufficeret ad excusandum eum à culpa, si tempore debito id faceret: licet enim his duobus casibus opus sit illicitum, culpa tamen nullatenus dirigitur in mortem.

Vigesi-

Vigesimoseptimò infertur, quòd eadem ratione recedo ab eodem Sylu. verb. homici 3.q. 2. dicente irregularem fieri clericum qui mercans illicitè casu occidit aliquam absque alia culpa in id ordinata: & quod limitandus est Caiet. dicens, quòd licèt clericus occidés casu venando, si tantam diligentiam quantam laicus adhibet, ne homicidium sequatur, non magis peccet, quàm ille, incurrit tamen irregularitatem, quã non ille: limitãdus est, inquam, ne procedat in venatione, quæ sua natura in homicidium non dirigitur, qualis est venatio passerum, & perdicum ad aucupis cantum, vel accipitris sine armis, in prouinciis in quibus non est prohibita: licet clericus peccaret id faciendo tempore, quo diuinis interesse tenetur: neque si rogatus, vt se venantem comitaretur, fulminis ictu periret. Dixi, *Limitandus*: quia saluari potest in venatione Vrsorum, Aprorum, & Ceruorum, quæ armis exercetur, si mors per illa contingeret.

238 Vigesimooctauò infertur, quòd nõ sit irregularis monachus minor peccans equitando: eo quòd mula mãsuetissima qua vehitur citra suã aliam culpam puerũ occidat: quia culpa infessionis eiusmodi mulæ nullatenus dirigebatur in talem mortem & quod adulter qui à marito cum vxore deprehensus sui defensionis causa eum occidit, est irregularis, vt dixi supra c. 15. n. 7. sequutus S. Ant. 3. par. tit. 5. quia adulterium est actus illicitus, & sufficienter directus ad mortem inferendam, attenta maritorum proclinitate & cõsuetudine interficiendi adulteros & suas vxores: & legę permittente in certis casibus patri & marito eos, & adulterantes occidere, arg. l. patri l. marito. ff. ad leg. Iul. de adult. & l. Graechus. C eo. & eadẽ ratione clericus adulter fit irregularis, si maritus ob id occidat vxorẽ secundũ meam opini. quam fel. rec. Pius V. probauit, cũ in sacra Pœnitentiaria id controuerteretur.

De dispensatione Irregularitatis.

SVMMARIVM.

239 *Missam quis irregularis iustè dicat.*
239 *Dispensare potest, sed non solet, Papa in irregularitate homicidij voluntarij.*
239 *Homicidium voluntarium exactè definitum, & cum quo dispensat Episcopus. nu. 240.*
239 *D. Franciscus Toletus Societatis Iesu insigniter laudatus.*

239 DE dispensatione huius irregularitatis dico primò, id quod pridem respondimus, scilicet, licere facere sacrum post debitam contritionem & confessionem ante dispensationẽ ei qui occultissime occidit alium, & probabiliter est certum, & creditum infamatum iri eum illud fecisse, nisi celebret: quia lex naturalis & diuina de defendenda sua fama præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate, per dicta supra capit. 7. num. 2. & 3. & cap. sicut. de consecrat. distinctio. 1. Ad quæstionem autem quam hic quærit quidam vir eruditus, scilicet, an idem sit dicendum de excommunicato occultissimo posito in simili periculo infamiæ, & de moniali incidente occultissime in censuram Papalem, vt ante moram petendi absolutionem possit communicare, quando aliæ ad id tenentur, & interesse choro, & aliis, à quibus si abstineret fama eius & monasterij periclitaretur? Ad quod respon. affirmatiuè eadem ratione.

Secundò, quòd tam mala est quo ad forum conscientiæ hæc irregularitas occulta, quam publica, per dicta supra eo. nu. 194. vbi transcripsimus capitulum 6. sess. 24. Conc. Trid. quo Episcopis noue conceditur facultas dispensandi super quacumq; irregularitate descendente ex quocunque delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Super dispensatione vero descendentis ex voluntario idem Conc. sess. 14. c. 7. de refor. statuit in hæc verba.

Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari auelli debeat: quia sua voluntate homicidium perpetrauerit, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat: sed omni ordine ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, vt quis à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium & beneficia quæcumque ac dignitates iure quod. ammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Ex quibus duobus cap. nota primo, quod ante prædictum Concil. non licebat Episcopis dispensare super hac irregularitate publica, neque occulta. Ad quod probandum aliàs hic adduximus multa, quæ nunc tanquam superuacanea omittimus.

Secundo nota ex d. c. 7. duplex homicidium voluntarium illicitum. Alterum in se intentum ac volitum, super quo statuitur, ne dispensetur. Alterum volitum in se causa defensionis. Nam vers. si vero ponit duplex genus homicidij illiciti, scilicet, casuale, & factum causa defensionis, quod intelligendum est de intento, & volito in se, licet causa defensionis, alioqui enim superflueret: quia contineretur sub casuali altero membro distinctiuæ. Ex quo tertio nota, quod homicidium intentum & volitũ in se causa defensionis, licet sit illicitũ ob excessum inculpatæ tutelæ, non est indispensabile, quod est quotidianum in praxi: ad quod hunc canonem efficaciter in sacra pœnitentiaria inducentem iucunde audiui admodum Reuerẽdum Collegam in ea meum Franciscum Toletum, excellentem sacræ paginæ Doctorem, & acerrimum antea Gymnastam, ac nonnullis annis primum fœl. rec. Pij V. & nũc S.D.N. Ecclesiasten cum primis Vrbis & orbis suspiciendum, Illustrissimæque Societatis Iesu singulare ornamentum.

240 Tertio nota, quod ex eodem c. 7. & his quæ aliàs hic, & prius in principio dist. 1. de consec. dixi, potest definiri homicidium voluntarium, super cuius irregularitate

dispensandi potestas excipitur in omnibus facultatibus dispensandi super irregularitate factis tam summo Pœnitentiario quam Legatis, Cruciatarum Commissariis, & quibusuis aliis. Definiri inquam, potest, esse homicidium illicitum, intẽtum, siue volitum in se saltem æquipollenter, aliàs quam vitandæ mortis causa ab oratore. Dixi, *Illicitum*, ad differentiam eius quod neque est licitum, quale est factum ab infante vel furioso c. illud. 15. q. 1. eius item, quod est iustum, quale est quod ministri militiæ, vel milites in bello iusto iustè faciunt, de quo supra in quarta specie. Ex quo videtur inferri prædictos, & alios, quibus sit facultas dispensandi super omni irregularitate excepta illa, quæ nascitur ex homicidio voluntario, posse dispensare super ea, quæ nascitur ex homicidio iusto, cum solum homicidium iniustum dicatur voluntarium per prædictam definitionem. Dixi, *Intentum, vel in se volitum*: quia non sufficit, vt sit volitum in causa, quale est omne casuale producens irregularitatem secundum S. Thom. recept. 2. 2. q. 64. art. fin. Dixi, *Saltem æquipollenter*, ad includendum illud, quod non est quidem intentum seu volitum in se, sed in causa adeo propinqua morti, vt moraliter vix sint patibilia, velle illam causam, & nolle occidere. Cuiusmodi sunt, nolle occidere, & venenum quod scit esse mortiferum propinare, vel ferire ense punctim circa præcordia, vel circa caput etiam cæsim. Dixi, *Aliàs quàm*, &c. ad excludendum intentum ob defensionem vitandæ mortis causa, per dictum septimum caput. Dixi, *Ab oratore*, quia non sufficit vt intendatur ab alio: fit enim sæpe, quòd idem homicidium sit voluntarium vni & non alteri, quale est, quod facit Petrus percutiendo alium animo occidẽdi, mandante Ioanne, vt aliquam iniuriam leuem citra deformationẽ ei dicat, vel faciat. Illud enim Petro est voluntarium, & Ioanni non. Et contra quod famulus facit propinando potum veneno infectũ animo iocandi, mandato heri persuadentis esse solo sale inspersum, id enim famulo non esset voluntariũ, & hero sic. Quæ definitio fundatur, tum in d. c. 7. quatenus in tribus locis significat omne homicidium indispensabile esse volitum in se, scilicet, ibi, *Per industriam*, vel *per insidias*, & ibi, *Voluntate sua*, & ibi, *Ex proposito*. Tum quia Sanctus Thomas receptus vbi supra ait voluntarium differre à casuali, eo quòd est volitum in se, & casuale in causa tantum. Tum quia longè magis peccat, qui intendens occidere, occidit, quam qui non intendens illud facere, id facit. Adeo quidem quòd occidens sine animo occidendi, minus peccare dicatur, quam vulnerans animo occidendi, l. 1. §. diuus. ff. de sicar. & facit l. 1. & l. is qui. C. eod. quia hic est in dolo, ille in culpa, & dolus præponderat culpæ l. item si obstetrix. §. fin. ff. ad l. Aquil. Tum quia mãdans vulnerare aliquem citra mortem, licet mandatarius occidat, nõ debet pœna ordinaria mortis puniri, sed minori, secundum Communem, quam post plurimos alios sequitur Dec. cons. 622. & Alciat. in l. magna negligentia. ff. de verb. signific. & non alia ratione, quàm quia non intẽdebat occisionem. Ergo qui occidit aliquem non intendens occidere, nõ incurrit irregularitatem indispensabilem, quam incurrit intendens occidere, quum secundum mensuram delicti debeat esse plagarum modus Deut. 25. & c. non afferamus. 24. q. 1. Tum quia c. fi. de homi. lib. 6. quod maxime contra hoc facit, non probat mandantem percutere citra mortem, ea consequuta, esse homicidam voluntarium, neque irregularem irregularitate indispensabili, sed tantum esse irregularem, quod & nos fatemur. Tum quia nullo iure probat Caiet. in d. art. fin. quòd percutiens in vtero prægnantẽ, sine animo causandi abortum, si ille sequatur, est homicida voluntarius. Et quòd faciens sine animo occidendi aliquid, ex quo vt plurimum sequitur mors, illa sequuta, est homicida voluntarius: quia id maximè fundat in d. c. fi. & in dictis S. Tho. quod autem in d. c. fi. non probetur supra probatum est: & quòd dicta S. Tho. id non probent, probatur eo quòd ait in corpore quæstionis, omne quod non est volitum in se, sed in causa tantum, esse casuale, & 2. arg. & eius solutione sentit homicidium percutientis in vtero prægnantẽ sine occidendi animo esse casuale, licet publice, & non voluntarium. Tum quia d. cap. fin. si probaret quod. ait Caiet. probaret quòd etiam faciens id, ex quo non sequitur vt plurimum homicidium, esset homicida voluntarius: quia vt plurimum non sequitur mors ex percussione nolentis occidere: nam & ex percussione volentis occidere pluries definit sequi mors quàm sequatur, vt experientia docet. Tum quia in c. significasti. 2. de homic. clare significatur dispensandum esse cum clerico, qui percussit sacrilegum fossorio, sine animo occidendi, licet ob id ab aliis fuerit occisus. Tum denique, quòd, vt supra ponderatum est, prædictum capitulum septimum probat non omne homicidiũ illicitum intentum & volitum in se, esse indispensabile, dicens, non esse tale intentum causa defensionis.

Quarto nota, quod post prædictum Conc. non potest Episcopus dispensare cum homicida voluntario ad vllos ordines, neque vllum beneficium, etiam simplex, vt disponitur in d. c. 7. quamuis cum alio posset dispensare quo ad ordines minores, iuxta notata in c. ad audientiam. de homic. & etiam ad beneficium, per c. 2. de cler. pugn. in duel. omnium iuris optimum secundum Anan. ibidem: modo sit simplex, iuxta Pan. ibidem, & Fel. in d. c. ad audientiam. & etiam ad retinendum curatum iam obtentum, licet non ad obtinendum, iuxta Dec. in c. at si. §. 1. de iud. nu. 16. concordantem sic opiniones contrarias.

De Irregularitate delicti accipiendi, aut exercendi male ordines.

SVMMARIVM.

241 *Irregularis vt sit ordinatus, aut ordine vtens in censuris, aut ab Episcopo censurato, aut extra tem-*

pora, aut vtroq; ordine non habito, & duobus sef.

241 Circa hæc dico primo, quod est irregularis, qui sciens, aut scire debens se esse excommunicatum excommunicatione maiori, aut interdictum, aut suspensum saltem à suscipiendis ordinibus, ordinatur, cap. 1. de eo, qui furt. ordi. suscep. & c. cum illorum. de sent. excom. Dixi, *Excommunicatione maiori*: quia minor, quamuis sufficiat ad peccandū, non tamen sufficit ad irregularitatem incurrendam, c. si celebrat. de cler. excom. mini. Dixi, *Vel debens scire*: quia ignorantia crassa non excusat, c. Apostolicæ. de cler. excom. qualis est eius qui ad constitutum diem sub pœna excommunicationis fuit citatus, & non comparuit, & postea celebrat nesciens se à iudice fuisse excōmunicatum, vbi de consuetudine tales contumaces excommunicantur, iuxta Anch. in d. c. Apostolicæ. receptum etiam per Villad. col. 4. vbi supra. Neque Episcopus in hac potest ture antiquo dispensare, nisi cum ingredicnte religionem post bonam aliquanti temporis cōuersationem, c. fi. de eo qui furt. ordin. Dixi, *Iure antiquo*. quia nouo Tridentino, sess. 24. c 6 potest, si delictum sic celebrandi est occultum, erit autem occultum, si excommunicatio est occulta, licet celebratio sit publica, arg. l. in delictis. §. si extraneus. ff. de nox. act. quia quamuis actus celebrandi sit publicus, non est tamen publica eius malitia: quod in sacra Pœnitentiaria definitum fuit.

Secundo dico, quod etiam est irregularis qui quatuor ordines minores, & subdiaconatū vno eodemque die suscipit, c. 2. eod. tit. (sed consuetudine excusari potest, iuxta S. Ant. 3. par. tit. 14. c. 16. §. 16. vt supra c. 25. nu. 71. diximus.) Et à fortiori, si duos sacros ordines suscipit, quamuis Episcopus potest cōcedere vsum aliorum prius susceptorum, d. c. 2. de eo qui furt.

Tertio dico, quod est irregularis qui ordinatur ab Episcopo qui se abdicauit episcopatu suo quoad locum, & quo ad dignitatem, c. 1. de ord. ab Episc. qui Epis. renun. sciens, aut debens scire eius abdicationem, quamuis de facultate sui Episcopi ordinetur, iuxta omnes c. secundum. 19. dist. c. quod quidam. §. quamuis, & §. sciendum. 1. q 7.

Quarto, quod qui ab episcopo excommunicato, interdicto, aut suspenso, simoniaco, schismatico, hæretico, aut deposito, aut degradato ordinatus, est irregularis, quia quamuis characterem suscipiat per prædicta, & per c. gratiā. & c. statuimus. 1 & 2. 1. q. 1. non tamen executionem, si quidem qui eam non habet, alteri dare non potest, modo sit denunciatus talis, per extrauag. ad euitanda relatam supra eod. nu. 35. & ad id iusto timore non cogatur, arg. c. constat. 1. q. 1. Potest autem Episcopus dispensare cum eo qui ignorans denunciationem, ordinatur, arg. c. si. de ord. ab epis. & c. statuimus. & c. si à simoniacis. 1. q. 1.

Quinto dico, quod qui ordine sacro ordinatur ante legitimam ætatem, vel extra tempora legitima, vel absque litteris dimissoriis, non est irregularis, est tamen ipso iure suspensus, & si antequam absoluatur, eum

eum exerceat, sit irregularis, per extrauag. cum ex sacrorum. citatam supra c. 25. nu. 70 & in hoc nu 155.

242 Sexto dico, quod quāuis qui per salutē ordinatur accipiendo maiorem ante minorem ordinem, verū ordinem susciat, etiamsi primo saltu ex laico presbyter fiat iuxta gl. c. solicitudo 52. dist. & c. 1. de cler. per salt. promot. recept. communiter, est tamen suspensus, & prætermissum ordinem sine dispensatione accipere nequit. Potest tamen Episcopus antequam accepto vtatur dispensare, vt prætermissum suscipiat, & postea ambobus vtatur, sed si priusquā dispensetur, vtatur accepto, aut prætermisso, videtur talis irregularis, cum quo solus Papa ad maiorem ordinem dispensat, si sciens errorem id fecit, si autem per ignorantiam, Episcopus potest, immo & si scienter vsus fuerit ad exercendum acceptum, quamuis non ad maiorem suscipiendum, arg. c. 1. & eorum quæ post alios ibi annotat Pan. de cler. per salt. promot. & Syl. verb. irregularitas. q 11.

Septimo dico, quod est irregularis, qui ordine quem non habet vtitur, c. 1. de cler. non ord. minist. modo illo vtatur serio, & non ioco, argu. c. illud. 15. q. 1. & tanquam ordinatus eo, & non vt laici ex consuetudine interdum exercent officium minorum ordinum, iuxta S. Tho. in 4. dist. 24. & S. Ant. 3. par. tit. 28. c. 1. aut non initiatus presbyterio, sine consueta solennitate, vt alius baptizat, aut nondum subdiaconus, epistolam cantat ex choro, aut altari etiam cum dalmatica, sed sine manipulo, aut cum eo, vbi est talis consuetudo, iuxta S. Ant. vbi supra §. 3. & affirmat Villadel. vbi supra, col. 4. fratribus mendicantibus esse consuetudinē eam dicere etiam cum manipulo, secus enim si solum executione carceret, eo quòd in ordinatione aliqua solenniras accidentalis defuit: licet enim peccet vtendo antequam illa suppleatur, c. 1. de sacram. non iteran. cum anno. ibi, non tamen sit irregularis. Quin pridem respondi, quod quamuis clericus primæ tonsuræ qui solenniter cantauit epistolam cum manipulo tanquam subdiaconus, vbi non erat consuetudo cantandi eam cum illo nisi subdiacono sit irregularis: in foro tamen animæ non est talis, si noluit id facere tanquam subdiaconus, licet in foro exteriori putaretur talis: quia præsumeretur id feciſſe, vt subdiaconus. Ad dubium de laico audiente serio confessionem sacram, & absoluente, simulando se presbyterum, respond. quòd sit irregularis per prædicta: quia solenniter facit actum appropriatum ordini presbyterali quo caret.

243 Octauo dico, quòd est irregularis violans interdictum generale, aut speciale, locale, aut personale sepeliendo, administrando sacramenta, aut celebrando diuina officia sic, vt aliquod opus peculiare alicuius ordini faciat, vt dictum est supra eo. cap num. 190. Dixi, *Clericus*: quia laicus quāuis sæpe peccet mortaliter violando interdictum, nunquam tamen irregularitatem incurrit, vt supra eo c. nu. 187. dictum est. Dixi, *Interdictum*: quia secus de cessatione non mixta interdicto, vt dictum est supra eo. c. nu. 188.

Universidad de Deusto Biblioteca

Vnò dico, quòd solus Papa cum tali ad ascendendum ad maiorem ordinem dispensat, quàuis ad vtendum accepto possit Episcopus, Pan. in c.1. de cler. non ord. minist.

De Irregularitate ex delicto violandi censuras celebrando.

SVMMARIVM.

244 *Irregularis vt sit censuratus celebrando, aut actum ordini proprium agendo.*

244 PRimò dico, quòd excõmunicatus excõmunicatione maiori, interdictus, aut suspensus, qui sciens aut scire debens celebrat officia diuina, faciẽdo solenniter aliquid a licui certo ordini suo deputatũ tanquã ordinatus tali ordine, aut audit authorãdo, est irregularis iuxta Com. quam Host. Io. And. Pan. & alij tenent in c.1. de cler. excomm. minist. Et probatur de excommunicato in cap. si celebrat. à contrario sensu, eo, tit. & desuspenso in c.1. de re iudic. lib.6. Dixi, *Excommunicatione maiori*: quia minor ad hoc nõ sufficit, per d.c. si celebrat. de cle. excom. minist. Dixi, *Sciens*, ad excludendum eum qui per ignorantiam probabilem hoc facit, & ad includendum eum qui per crassam, arg. c. Apostolicæ. cum ei annot. eo. tit. Dixi, *Diuina officia*: quia peragendo alia, puta, iudicando, visitando, castigando, præsentando, eligendo, confirmando electum, &c. nõ incurritur: quia id nullibi cauetur, & ita non est dicendum, c. legatur. 24. q. 2. & cap. is qui. de sent. excom. lib.6. Dixi, *Aliquid alicui certo ordini suo*, ad excludendum, iuxta doctrinã Inn. in c. fi. de excessib. præl. receptam communiter, eos qui recitant aliquas horas, etiam canonicas, & responsoria ad sepulchra mortuorum cantant, aut Psalmos in choro, quod etiam consueuerunt laici facere, aut ferunt cereos, aut faciunt aliquid aliud minoribus ordinibus annexum, quæ mere laici consueuerunt facere, vt S. Tho. & Ant. citati supra proximè dixerunt. Dixi, *Solenniter*, ad excludendum eum, qui dicit epistolã, aut euangelium sine apparatu solito, vt proximè dictum est. Dixi, *Tanquam ordinatus tali ordine*, ad includendum hebdomadarium, qui tanquam sacerdos capitulum dicit, & orationem in choro, & aquam solenniter benedicit. Quod Sylu. declarat ver. irregularitas. q. 13. Dixi, *Aut audit authorando*, ad includendum prælatum, aut dominum qui legatus aliqua censura corã se celebrare facit aliquem, siue sit ligatus ea, siue nõ: aut aliquem ligatũ, licèt ipse non sit ligatus, iuxta gl. fin. in clem. 2. de priuileg. verb. celebrare, commendatum per plurimos.

245 Secundo dico, quod nõ distinguimus, vt alij inter suspensum quo ad se solùm, & inter suspẽsum quo ad se & quo ad alios: quia loquimur de suspenso suspensione propria, quæ est species censuræ ecclesiasticæ, sup. eo. c. n. 151. definita, qualis non est ea, quam peccatũ mortale, vel irregularitas facit, vt ibidem dictum est.

Tertiò dico, quòd in hac irregularitate solus Papa dispensat Inn. & Comm. in c.1. de re iud. li.6. adiunctis, quæ dicit in c.1. de sen. excom. eod. lib. & c. fin. de excess. prælat.

De Irre

De Irregularitate ex delicto iterandi Baptismum.

SVMMARIVM.

246 *Irregularis est bis baptizans, aut bis baptizatus. nu. 247.*

246 PRimum dico esse irregularem, qui sciens se esse baptizatum, iterũ se permittit baptizari, cap. eos. de consecr. distin. 4. & qui rebaptizat quem scit esse baptizatum, cap. 2. de aposta. etiam ignoranter. c. qui bis ignorantes. de consec. dist. 4. nisi ignorantia esset probabilis & iusta, iuxta Scotum in 4. distin. 6. q. 8. & Card. S. Xist. in d. c. qui bis. quãuis gl. Arch. & citati per eum aliter ibi dicant per illum tex. cui nos nouè respõdimus. & etiam dubium probabile excusat: quoniam non monstratur esse iteratũ, quod nescitur esse factum, c. solennitates. 1. de cõsec. dist. 1. & c.1. de cler. per saltum promot. Ignorantia probabilis est'ei, qui adhibita diligentia debita scire nõ potuit, an qui offertur, sit baptizatus, vel non, qui baptizandus est sub ea conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo c.2. de bapt. Talis tamen non est ei, qui scit eum natum ex parentibus Christianis, & educatũ inter Christianos qui infantes recens natos baptizant: debẽt enim credere esse baptizatum, cap. veniens. de presb. non baptiz.

Secundò, quod vt diximus in d. c. qui bis. parochus nõ debet iterato baptizare illum, quẽ obstetrix baptizauit, donec cognoscat ex ea, an & quomodo baptizauit: & si cognouerit eam scire baptizare, & baptizasse rectè, debet alia omnia supplere, sed non baptizare, etiam sub conditione si non es baptizatus; &c. quosdam tamen qui sic baptizarunt bona fide, respondi pridem non fuisse irregulares quo ad forum exterius, licet peccauissent: quia vere non baptizarunt, cũ conditio esset de præterito, vel præsenti, & talis falsa faciat cessare actum, l. cum ad præsens. ff. de rebus cred. cum gl. & citat. in ea. Et quia intentio eorum non fuit iterare baptismum, & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum l. non omnis. ff. eod.

247 Tertiò dico, quòd idem est de iteratione reliquorum sacramentorum quæ characterem imprimunt, quæ sunt confirmatio, & ordo, secundum S. Ant. per c. dictũ. de consec. dist. 5. quod agit de bis confirmatis, & c.1. 68. dist. quod agit de bis ordinatis, licèt acerrimus Scotus, in 4. dist. 7. q. vlt. cõmuniter receptus oppositum teneat, cuius opinio etsi iuri scripto aptior videatur, consuetudini tamen illud interpretanti aptior est. S. Ant. & ideo tenenda, ar. c. cum dilectus. & c. fi. de consuet.

De Irregularitate ex delicti notorietate.

SVMMARIVM.

248 *Irregularem sola enormitas peccati non facit, quid aliud requiratur. n. 249.*

249 *Sodomita non est irregularis, sed hodie grauissimè punitur.*

250 *Matthæus Contarellus S. D. N. Datarius laudatus.*

251 *Collatio beneficij facta irregulari nulla.*

Universidad de Deusto

Irregularis ab omnib incapax beneficij.

252 *Irregularitas pœna maior excommunicatione minore nu.253.*

253 *Commissio sicut mandatum expirat morte committentis.*

254 *Confessus eo quo per bullam electus tollit irregularitatem.*

255 *Occultum & pene occultum quid, & quotuplex.*

Publicum quid, & quotuplex.

Qualitas aliunde verbo iuxta eius tempus intelligitur.

Dispensat vt Episcopus in irregularitate notorij criminis, & in nulla Confessarius.

248 Dico primò, esse irregulare eum, qui notorio crimine, enormi, & digno depositione notatur, d.c.fi.de temp.ordi. Dixi, *Notorio*: quia id requitur. Quod autem sit illud dictum est supra c. 25. n. 73. de hac ipsa re tractãdo. Quibus est consequens, non sufficere quòd probari ponit, aut sit fama de eo, aut sit confessum extraiudicialiter, vt S.Anto. dixit 3. part. tit. 28.c.6. §. 7. Dixi, *Depositione digno*: aliàs secus, vt dictum est vbi supra.

Secundò dico, quòd crimina depositione digna sunt adulterium, & omnia alia maiora illo, concubinatus diu continuatus præsertim notorius, & stuprum virginis, & alia similia, de quibus late Pan. & alij, in cap. at si clerici. §. 1.de iudic. & Aret. in cap. cum non ab homine. eo.tit. glos.in summa 15.quæst.8. & cap.1.81.dist.

Tertiò dico, quòd quæcunque enormitas sine notorietate nõ sufficit, quãuis contradixerunt gl. in c. fi.25. dist.& cap.ex tenore. de temp. ordin.& Villad. vbi supra col.35. & Ang.& Syl. verb. irregularitas. q. 4. post S.Ant. vbi supra malè iniicientes magnos scrupulos multis ecclesiasticis, qui delicta enormia occultissima commiserunt. Tum quia contra eos est d. c.ex tenore. vbi expresse hoc ait Inn. Tum quia Bartho. Brixien.in additione gl.in d. c. fi. 25. dist. tenet cõtra eam, inducendo c. fi.de corp. ordin. per quod nouè declarauit Greg. IX. nulla crimina occulta præter homicidium facere irregularem. Tum quia hoc probatur per c. is qui. de sent.excom.li.6. quatenus habet, nullum crimen quantumlibet graue irregularitatem inducere, nisi de quo id à iure specialiter statuatur, vt hunc effectum habeat, vt homicidium. Tum quia nullo solido fundamento nituntur contradictores: solùm enim nituntur auctoritate Bern.& Host. in c. nisi. §.1. de renunc. & Spec.in tit. de dispen.§.iuxta. nu.17.& Io.in c. vlt. 25. dist. quos licèt Ant. sequatur in d.c. nisi.§.1. contra tamen tenet in d.cap.ex tenore. sequutus ibi Inn. Spec. etiam vltimo loco.nu.18. refert opin. Vincentij contrariam. Tum denique per ea quæ adducit contra illos Aret.in d. c.cum non ab homine.col.13.& duab.seq.

249 Quartò dico, quòd hæc consequitur crimen occultũ sodomiæ, licèt nefandum, de quo interrogamus, non inducere irregularitatẽ: quamuis Specul. in d.nu. 17. contra teneat, nisus opinioni supra reiectæ tum per prædicta. Tum quia vt dictum est, enormitas non sufficit, nec requiritur ad inducendam irregularem: hæresis enim mentalis enorme

enorme crimen est, & multo maius quam quædam alia inducentia irregularitatem. S.Th.2.2.q.11.art.3. & etiam dispensatio, idem ibid. q. 20. art.3.& multo enormius odiũ Dei, idem ibid.q.34. art.2. quorum tamẽ nullum irregularitatem inducit: & alia multa minora eam inducentẽ cap. presbyterum. c. continebatur. de homicid. quin aliquando opera bona, vt supra nu. 206. Tum quia nunquam vidi, nec audiui dispensationẽ super hoc à Sede Aposto. Tum quia vbi supra Aret.ex professo hæc tractans irrefragabiliter id comprobat. Nec me in contrariũ mouent illa plurima, quæ diligentissimè tradit præfatus Illustr. Preles in cle.1.de homicid. 1. part. nu. 6. quia vt ipsemet fatetur, non est de casibus expressis in iure, extra quos non incurritur irregularitas, vt dictum est per d. cap. is qui.

Quintò quòd dubitari potest, an incurrat eã iure nouo extrauag. fel. re. Pij V. cuius tenor quo ad hoc est.

Omnes & quoscunque presbyteros, & alios clericos seculares & regulares cuiuscunque gradus & dignitatis tam diriũ nefas (puta sodomiæ) exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico præsentis canonis auctoritate priuamus. Ita quod per iudicẽ ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur.

Ad quod dico primò, non inducere illam quo ad laicos: quia nil agit de illis.

Secundo dico, quòd nec quo ad clericos, si teneamus pœnas eius ipso iure non incurri: quod tamen teneri nõ potest, propter illa verba *Præsentis canonis auctoritate priuamus.* quæ cum sint præsentis temporis, inducunt ipso iure pœnã, c. excom. municamus. de hæret. & multa capitula Bullæ Cœnæ insertæ sup. eo. nu.52. & tradit Fel.in c. Rodulphus. nu.28. & melius nu.33. de reseri. & sentit gl.c. in pœnis. de reg.iur. lib. 6. communiter recep.

Tertiò dico, non includere illam quemcunque clericum sodomitam, sed solum exercentem, quod verbum dixit mihi S.D.N.Greg. XIII. de industria posuisse in ea Reuerendis. eundémque doctiss.ac integerrimum. nec pretio, nec precibus à recto flexibilem virum Matthæum Cantarellum Datarium eiusdem 250 Sanctiss.fidelis.quia à me consultus idipsum respondit. Ideoque arbitror tantũ comprehendere eos, qui quasi ex vsu continuato id exercent, arg. l. sciendum. §. illud. ff. de ædil.edi. per quẽ Bar. in proœmio ff. nu. 10. quem sequitur Pan. in cap. 1. nu.24. de iudi. dicit artificem, vel mercatorem non dici eum qui semel, aut iterum, artem vel mercaturam exercet, sed eum qui toties, vt vulgi opinione habeatur pro tali: sicuti etiã erro & abigeus nõ dicitur quis pro vno, vel altero actu, in l.quis sit fugitiuus.§. errorem. ff. eo.& l.fi.ff. de abig & ita tẽperanda videtur d. extrauag. saltem quo ad forum conscientiæ, vt solum comprehendat eum qui sic labitur in præfatum crimen, vt boni viri arbitrio dici possit exercitor eius, non autem qui tantum cadit aliquoties & pœnitet cecidisse.

Quartò dico, quòd cupiẽti mihi, vt solum forum exterius respiceret, idem Sanctissimus respondit, etiam

interius respicere, quum non fundetur super præsumptione, nec ponat discrimẽ inter vtrunque forum.

Quintò dico, quòd etiam videtur temperanda ne comprehendat omnem exercentem luxuriam contra naturam, quæ cõprehendit omnem pollutionem extraordinariam, secundum S. Tho. 2.2. q. 154. art. 11. neque exercentẽ omnem actum sodomiticum qui comprehendit omnem pollutionem habitam cũ alio, vel alia extra vas ordinarium, secundum eundem ibid. sed solum habentem copulam sodomiticam, arg. c. fi. de respons. quod habet, non cõsummari copulam, nisi intra vas naturale semen effundatur, & cap. extraordinaria. 35. q. 2. quod habet ex tali pollutione non gigni affinitatem. Quærenti autem, an vt vidimus eam grauiter in foro exteriori recepram, ita eã in foro interiori sit recepta? respõdemus quæstionem esse facti, ad quam respondere non est iurisconsulti, argu. l. vt responsum. C. de transl.

Sextò dico, quòd quo ad illos quos comprehendit inducit depositionẽ ipso iure, quæ non est irregularitas, sed peior illa, per dicta sup. 251 Sexto principaliter dico, quòd nulla irregularitas inducit priuationem beneficij iam quæsiti ipso iure, quæ videtur sententia Inn. in c. cum nostras, de concess. præb. communiter recepti ibi, & vbique præsertim à Fel. in cap. inquisitionis. de accus. & probatur per c. clericis. ne cleric. vel monach. verb. priuetur, quod probat irregularitatem ex homicidio natam, nõ inducere illam: & cum illa sit potissima. argu. cap. maior. 50. dist. à fortiori non indücent aliæ.

Septimò dico, quòd omnis irregularitas præcedens collationem reddit ipsam subsequutam nullam ipso iure. quod probatur primò, quod verior resolutio illius grandis quæstionis tractatę à multis citatis à Fel. in cap. 2. de reser. An collatio beneficij facta criminoso valeat? est, quod facta irretito crimine inducente irregularitatem non valet, facta vero alij sic, arg. c. de temp. ordi. & aliorum citatorum vbi supra per Fel. Et ita ratio, cur valet, vel non valet, non est criminis magnitudo, vel paruitas, sed quod inducit irregularitatem, quæ ratio non esset iusta nisi irregularitas impediret valorem collationis. Tum quia inhabilis ad vnum, est inhabilis ad ei annexum, c. translato. de constit. & in hac specie dicit hoc gl. notab. in cap. studeat. 50. dist. & probat cap. postulatis. de cler. excom. minist. At irregularis est inhabilis ad ordinẽ & vsum eius, & beneficium ecclesiasticum prærequirit ordinem & illius vsum: quia datur propter officium, cap fi. de rescript. lib. 6. ergo irregularis est inhabilis ad beneficium, & consequenter collatio illi facta nil valet. Deinde quod c. 2. de cler. pug. in duel. & d. cap. studeat 50. distin. probant irregularem esse inhabilem etiam ad beneficium simplex sine dispensatione.

252 Contra tamen hoc facit, quod ex eo sequeretur quod collatio facte initiato aliquo ordine, qui sine sua culpa fieret irregularis defendendo iustè proximũ, vel amittendo aliquod membrũ, vel deformitatem grandem

grandem incurrendo casu, vel morbo, vel malitia aliorum non valeret, quod videtur contra totum titulum de cler. ægrot. & c. cum percussio. 7. q. 1. quòd licet omnis irregularis sit incapax omnis ordinis suscipiendi, non tamen est incapax omnis ordinis vsus suscepti, vt per eius definitionem patet, & constat ex c. 2. de corp. vitiat. quod probat, clericum qui perdit aliquod membrũ, quo fit inhabilis ad sacrificandum, non ideo fieri inhabilem ad alium vsum ordinum, scilicet ad canendum in choro, vel ad audiendas confessiones, & ad absoluẽdum. ergo saltem irregularis quum sit habilis ad aliquem vsum ordinis suscepti, etiam erit habilis ad beneficium, cui seruiẽdo sufficit ille vsus & consequenter videtur, quòd qui est irregularis ob defectum quo solum est inhabilis ad celebrandum, & non ad canendum, licet inhabilis sit ad susceptionem ecclesiæ parochialis, non erit ad susceptionem beneficij simplicis. Pro quo faciunt etiam capit. 2. & cap. studeat. 50. dist. quibus conceditur dispensatio ad beneficium simplex ei, cui non conceditur ad officium altaris: sed responderi potest, per hæc solum probari, quod ei qui sine sua culpa incidit in irregularitatem quæ nascitur ex defectu ad vsum vnius ordinis & non alius iam suscepti, potest dari beneficium non requirens maiorem vsum, quod concedimus: & consequenter in casu d. cap. 2. de cler. egro. ei qui duos digitos, & dimidiũ palmæ amisit sine sua culpa, posset conferri beneficium non requirens celebrationem, non autem requirens illam. Nec ex hoc sequitur quòd quilibet laboranti quarta specie irregularitatis, quæ sine culpa cõtrahitur, possit conferri quodlibet beneficium, ad quod huius ordinis iam suscepti sufficit. non inquam hoc sequitur: quia licèt sine culpa contrahatur; non tamen contrahitur ob defectum habilitatis ad vsum vnius ordinis, & non alius suscepti, sed ob defectum contrarium cuiuslibet ordinis suscepti, & suscipiendi, vsui scilicet defectus lenitatis ad omnium ordinum vsum requisitæ.

Octauo dico, quòd ad incurrendam irregularitatẽ, quæ ex delicto nascitur non sufficit, ꝙ illud sit veniale, quod sentit Sot. lib. 7. q. 1. art. 9. de iust. & iur. Tũ quia irregularitas est pœna valde grauis, quippe quæ omnium ordinum vsu priuat, & ideo non imponenda pro culpa veniali, arg. c. non afferamus. 34. q. 1. Tũ quia sine contẽptu non incurritur, dicẽte Pan. in c. pastoralis. §. verũ. de appel. nu. 15. ꝙ est pœna contemptus, ꝙ ipsũ dixit Dom. in c. solet. de sentent. excom. lib. 6. vbi bona gloss. penult. pro illis, & Felin. in c. Rodulphus nu. 43. de rese. Tum 253 quia non obstat ratio Caietan. contra tenentis in summ. verb. irregularitas: scilicet ꝙ excõmunicatio minor, quæ incurritur per peccatũ veniale, est maior pœna quàm irregularitas: quia id falsum est. nam licet nõ priuet sacramentorum perceptione passiua, vt excommunicatio minor. ca. fin. de cler. excom. minist. priuat tamen actiua & collatiua, & omni ordinis vsu, quod est maius, a qua omni priuat ille, per

d. sup.

Universidad de Deusto Biblioteca

supra eo.l. nu. 24. & præterea excommunicatio minor est medicinalis, & facilè solubilis, cap. cum desideres. de sent. excom. Irregularitas autē difficilis, cum regulariter à solo Papa sit delebilis; qua ratione licet excommunicatio maior dicatur pœnarū maxima, in c. corripiantur. 24. q. 3. quia tamen est facilis solutionis, & medicinalis, censetur minor aliis multis, secundum Pan. & Comm. vbi sup. Nec obstat q. Pan. & cōmunis tenent, in d. c. fin. quod licet excommunicatus minore non peccet mortaliter nisi celebrando, peccat tamen venialiter conferendo sacramēta, eo q textus, in 2. part. id videtur exprimere: quia ille intellectus est ineptus, vt in d. nu. 24. tetigi, & contrarius textui, probanti quod minor excōmunicatio tantum prohibet a participatione sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit: & ita ne textus sibi sit contrarius, quatenus ait peccare conferendo sacramenta, debet intelligi de collatione, quæ fit vnà cū perceptione, de mente Hostien. & Ancha. ibid. qualis est collatio eucharistiæ facta sano a celebrante, & ordinis ab Episcopo missante, vt ibidem dixi.

Nono dico, quòd subiicerē hic in alia editione quandā resolutionem Cosmæ glossatoris Prag. sanct. quā attexuit §. nihilominus. tit. de concubinariis vers. inhabiles. quam quia intelligo non esse adeo perpēsam, ac solent' esse aliæ illius viri doctiss. omitto, & illi substituo rationē qua nō debeat D. Lector fidere illi decisioni quotidianæ, ac periculosæ relatæ in hac materia dispēsationū à viro alioquin eruditiss. in tract. de irregularit. nuper edito lib. 5. c. 5. nu. 6. scilicet quòd cum Papa dispensat per cōmissionē factā ordinariis, vt de veritate precū cognoscatur iuxta Cōc. Trid. c. 5 sess. 22. de refor. commissio illa non expirat morte Papæ, etiā re integra. ad qđ citat Silu. Armil. & Feder. immò & me al qua ex parte in id inuoluit; qđ tamen non est verū, quia mandatū, & cōmissio alteri facta expirat re integra morte mādantis. l. mandatū. C. de mandat. etiam si sit iudiciale c. relatū. de offi. deleg. & ibi per omnes. Nec ob- 854 stat auctoritas eorū, quos allegat: nam Feder. quē alij sequuntur, non loquitur de mandato, vel commissione dispensandi: sed de gratia potestatis factæ ad dispēsandum, & de dispēsatione iam facta: loquitur enim de gratia, qua Papa concessit cuidam Magistro prædicatorū potestatem dispēsandi cum 100. Fratribus sui ordinis illegitimis, vt possint esse priores: & de dispensatione iam facta ab illo Magistro, & non de mandato & commissione dispensandi cum tali, vel tali religioso: nos autē loquimur de commissione dispensandi cum tali, vel tali, si preces eius veritate nitantur, quæ non est gratia facta Cōmissario, sed mandatum conditionale de gratia facienda alteri tertio expresso: sicut facultas, quam facit Papa cuipiam conferendi aliqua beneficia aliquibus personis idoneis, non exprimendo eas, censetur gratia facta illi delegato, quæ non expirat re integra morte Papæ. Facultas autem à Papa concessa cuipiam conferendi aliquod beneficium alicui certæ personæ non videtur gratia facta illi; sed

sed mandatum de gratia facienda ei, cui conferendum est beneficium & ideo si Papa re integra moriatur expirat, vt expresse habet text. sing. c. ii cui. de præ. lib. 6. & hoc est quod voluit dicere Dec. in d. c. relatū. num. 5. quatenus ait id, quod Pan. concessionem, quæ gratiam continet, non expirare morte mandantis ea. si super gratia de offic. deleg. lib. 6. & d. c. si cui. de præben. eod. intelligendum esse de concessione facta per viam gratiæ eius, cui fit concessio, & non de facta per viam simplicis commissionis alij tertio qualis est commissio dispensandi cum aliquo expresso, si preces veritate nitantur: quia tunc non fit gratia ei, cui committitur, sed tertio cum quo est dispensandum, in quo citat Ioan. And. & alios, & efficaciter probatur per prædicta.

254 Decimo dico, quòd cum nullo irregulari dispensare potest confessarius electus per bullas Papæ, quæ solum habent clausulam absoluendi à qualicunque censura: quia irregularitas non est censura, neque absolutio eius est necessaria ad peccatorum absolutionem, vt dictum est supra eo. c. num. 194. post Dom. Alex. & Villad. ibi citatos: neque etiamsi habeant clausulam dispensandi à quibuslibet votis & absoluendi à quibuslibet censuris, & pœnis. Tum quia stilus Curię habet, quòd per eam non intelligatur data facultas dispensandi super irregularitate, nisi exprimatur, quod colligitur ex eo quòd aliquoties eam exprimit. Tum quia quoties id exprimit dando facultatem expressam dispensandi super irregularitate, solet excipere illam, quæ ex bigamia & homicidio nascitur. Et ita ex contrario consequeretur quòd clausula absoluendi simpliciter ab omnibus censuris, & pœnis quæ passim in Iubileis & bullis indulgentiarū ponitur sine irregularitatis expressione, maioris virtutis esset, quam cum ea: quia in hoc casu semper excipitur irregularitas, quæ ex bigamia, & homicidio voluntario manat, & in illo non. Tum quia pari ratione posset absolui à pœna pecuniaria pro illo peccato à Iudice imposita, vel imponenda, quod est palam falsum. Tum quia facultas illa absoluendi à censuris & pœnis quæ ponitur in dictis Iubileis & bullis, solum videtur respicere illas cēsuras, & pœnas quæ impediunt absolutionem à peccatis: quia in illum finem datur, vt colligitur ex illis, verbis. Et cum absolutio peccatorum rectè fieri possit sine sublatione irregularitatis, vt supra eod. nu. 192. dictum est, non videtur eius sublatio concessa, nisi exprimatur: quia ex fine sumenda est intētio Authoris l. & si non sint. § perueniamus. ff. de aur. & arg. legat. & l. fi. ff. de hæred. inst. Non obstat, quòd secundum hoc, verba illa, *aliis pœnis*, superfluerent, quum non videatur occurrere alia pœna distincta à cēsuris, cuius sublationem prærequirat absolutio sacramētalis & sacra communio, non inquam hoc obstat: quia immò potest dari aliqua, scilicet suspensio à cōfessario, ne intra certum tempus cōfiteatur, vel cōmunicet, quam non esse proprie censuram diximus supra eod. nu. 151. Et etiam illa quam ipse pœniten

nitens promitteret aliquo bono fine subire, vel soluere, si intra certum tempus illa sacramenta susciperet. Et illa qua aliquot canones pœnitentiales mãdant arceri quem intra aliquod tempus à communione, ca. presbyter. 82. dist. & c. de his verò. 33. q. 2. Adde quod fere omnes prælati omniũ religionum possunt dispensare super qualiber irregularitate sui monachi excepta illa, quæ nascitur ex homicidio voluntario, & bigamia, non quidem iure communi; sed priuilegio concesso specialiter eis, vel generaliter communicando illis priuilegia omnia omnibus aliis concessa.

Vndecimò dico, quòd in hac materia, & facultatis concessæ ad dispensandum super occultis, & non publicis, vt in c 2. de sortileg. & cap. 6. sess. 14. Concil. Trid. & aliis, ac bullæ Sacræ Pœnitentiariæ, & aliquorum Legatorum, circũmspectis omnibus, videtur resoluendum, quòd occultũ est quod non est publicum.

255. Publicum autem quod est notorium, manifestum, vel famosum. Tum quia ratio cur alterum concedatur, & alterum negetur, est, vt obuietur scandalo publico, iuxta c. nihil. de præscript. cui satis obuiatur non dispensando in notoriis manifestis & famosis. Tum quia non est de occulti essentia, quod suapte natura non sit probabile, qualia sunt sola mentalia c. erubescant. 32. dist. Neque quòd licèt suapte natura sit probabile, nullatenus tamen probari possit: quia id est contra §. hæc ergo. iuncta glo. verb. secreta, sub c. quis aliquando de pœnit. dist. 1. quatenus probant dici occultũ factum in præsentia quinque: & contra c. 2. de apostat. quatenus probat ministerium Acolyti iuuantis rebaptizantem posse esse occultum. Tum quia penè occultum videtur esse species occulti, d. cap. vestra. §. ceterum. quatenus occultum dicit esse, quod toleratur, etiamsi ab aliquibus sciatur, & gl. ibi, & c. manifesta 2. quæst. 1. communiter recep. ait id dici penè occultum, quod probari potest, licèt difficulter. Tum quia nulla irregularitas contrahitur sine facto sua natura probabili, & paucæ sunt quarum factum aliquo modo probari non possit, per supra dicta eod. c. nu. 139. Tum quia omne quod non est publicum, potest dici occultũ, & publicum definitur esse q̃ patet omnibus, secundum Bart. in l. 1. §. pe. ff. de suspe. tut. Et ita oportet esse saltem notorium, manifestũ, vel famosum; sufficit tamen esse tale viciniæ, collegio, vel monasterio, licet non prouinciæ, ciuitati vel parochiæ. Tunc autem dicetur tale alicui eorũ, quando maiori parti eorum fuerit tale, modo saltem decem inueniantur in eo, per notata à Pan. & citatis ab eo in d. c. vestra. nu. 10 & 16. & supra c. 25. num. 73. Publicum autem est triplex, scilicet notorium, quod nititur scientia maioris partis prædictarũ communitatum. Manifestum, quod nititur fama eiusdem partis maioris, orta à scientibus. & Famosum, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno scienti vel ex indiciis, vel præsumptionibus illi æquipollentibus iuxta gloss. dict. cap. manifesta. 2. quæst. 1. & cap. vestra. de cohabit. cleric. Occultum item triplex, scilicet

licet, quod non est probabile suapte natura, qualia sunt sola mentalia: & quod est probabile suapte natura, sed non potest probari; quia coram nemine factum est; & quod probari quidem potest, sed adeo à paucis, quòd nulla inde fama orta est; nec est in iudicium deductum; quod præfatæ glossæ penè occultum appellant.

Duodecimò dico, quòd vt delictum dicatur publicum, non sufficit, vt actus qui est delictum sit publicus, nisi etiã publicè sciatur esse delictum: missa enim facta coram populo ab excommunicato occulto actus publicus & delictum est, non tamen delictum publicũ: quia nescitur publicum esse delictum. Tum quia qualitas adiuncta verbo debet intelligi secundũ qualitatem eius. l. in delictis. §. 1. ff. de noxal. quatenus probat non dici dominum serui delinquentis, qui non erat dominus serui cum deliquit, & vt aiunt Dialectici, non dicitur vidisse Papam, qui vidit eum solum antequã esset Papa. Tum quia testamentum factum ab aliquo ante militiam, non censetur militare, nisi in ea approbetur l. Titius, ff. de testament. & Barto. ibi & in d. §. 1. ait, quòd pupillus moriens post mortem tutoris, per cuius scientiam reputabatur sciens in vita eius, dicitur mori ignorans, quo ad effectum. l. cum antiquioribus. C. de iur. delib.

De sex casibus quibus Ecclesia pro polluta habetur, ita quod non liceat in ea celebrare.

SVMMARIVM.

256 *Ecclesia vt dicatur polluta in sex casibus. & seq.*

257 *Polluta Ecclesia pollutum est cœmeterium, sed non contra.*

256 PRimus casus est in c. ecclesiis. 68. dist. & c. ecclesiis de consecr. dist. 1. c. proposuisti. de consec. eccle. quando intra eam sanguis humanus iniuriose effunditur, aut causa naturalis eius effusionis, aut mortis datur. Dixi, *Intra*: quia secus si extra eam etiã desuper in tecto, vel subter eam in specu. iuxta Archid. in d. c. ecclesiis. & gloss. in cap. 1. de consecra. eccles. lib. 6. Dixi, *Ecclesiam*, generaliter, ad comprehendendam tam nondum consecratam quàm consecratam. cap. fin. de consec. eccles. quamuis quo ad reconciliationem sit magna differentia: quia reconciliatio consecratæ debet fieri ab Episcopo, & cum aqua benedicta ab ipso, aut ab alio Episcopo: non consecratæ verò potest fieri à solo presbytero, & cum aqua à seipso benedicta, c. aqua. de consecra. eccles. dict. cap. fin. quam probant ibidem Ioann. And. Ancharan. Cardin. & Panormit. licet dubitet Anto. ibidem. Dixi, *Effunditur*: ad significandum, quòd non sufficit aliquarum guttarum sanguinis emissio: quia iura requirunt effusionem quæ largitatem denotat, cap. reuertimini. 16. quæst. 1. & gloss. sing. in hac specie c. cum illorum. de sentent. excom. verb. effusionem, commendata per Felin. ibi, & Panormit. in dict. cap. proposuisti. Dixi, *Sanguinis*, quia non sufficit percussio quæ non sit mortifera sine eius effusione, quamuis sit eiusmodi vt carnes contundat, aut ossa frangat, iuxta Specu. de dedic. eccles. col. 10. in rationali diuin. offic.

Dixi

Dixi, *Humanus*: quia nulla effusio cæterorum animalium ad id sufficit, glos. d. c. 1. de consec. eccles. verb. sanguis. li. 6. Dixi, *Iniuriosè*: quia non sufficit naturalis effusio per nares, aut per os, aut quæ casu fit lapsu, vel offendiculo, aut ictu lapidis, aut tegulæ per se decidentis, glos. d. c. 1. recepta. neque facta ob iustam defensionem: Pan. in d. c. proposuisti, & Dominic. in dict. cap. 1. neque ludo, aut ioco, Spec. vbi supra, col. 9. quod nostro iudicio intelligendum est de licito, & licitè facto, argu. c. continebatur. & c. lator. de homici. Qualis raro accidere potest in ecclesia, nisi cum aliqua pia repræsentantur, arg. c. cum decorem. adiúcta glo. de vit. & honestat. cler. & c. decet de immunit. eccles. lib. 6. & per ea quæ in cap. quando. de consecr. distin. 1. cap. 5. num. 36. diximus. nec effusio facta per furiosum, aut stultum, Arch. in d. cap. 1. aut per puerum iudicio carentem, Collectarius in d. cap. fin. argum. cap. 1. de delict. puero. Dixi, *Aut datur causa, &c.* quia sufficit vt vulnus infligatur intra eam, quamuis percussus ante egrediatur, quàm sanguis in illam infundatur, & quamuis recipiatur ille aliquo vase ne in eam decidat, nec contra sufficit, quod sanguis in illa effundatur, si vulnus extra inflictum est gl. in d. cap. communiter recepta. Dixi, *Naturalis*: quia non sufficit vt feratur sententia condemnatoria, etiam intra illam, si per eius exequtionē effusio extra illā facta est. Dixi, *Aut mortis*: quia satis est ad id suffocare, aut aliàs intra illā hominem sine sanguinis effusione interficere, gl. in c. pro posuisti. facit l. qua actione. §. 1. ff. ad l. Aquil. sufficit etiam mors, & effusio sanguinis ob fidem catholicam occisi, vel vulnerati, Arch. & gl. recepta in d. c. 1. non tamen sufficit interficere, aut percutere aliquo telo, vel tormento misso ab ecclesia in existentem extra eam quamuis sufficiat mors, vel effusio facta in ecclesia per tormentum foris missum, secundum mentem prædictorum. Ad quæstionem hîc propositā respon. quod nec ista, neq; alia pollutio occulta impedit celebrationē in ecclesia, secundum gl. recept. c. 1. de consec. eccl. lib. 6. ex qua cū eam Salmanticæ prælegerem, intuli fieri posse, vt effusio sanguinis, vel seminis facta ab hinc octo diebus, hodie incipiat impedire, & non ante: nam facta tunc videntibus duobus, & vsque nunc tacentibus, nunc autem publicantibus, ita vt fama gignatur, non impediet, vt ita dixerim, ex tunc, sed ex nunc.

257 Secundus casus est, quando in ecclesia semen humanum voluntariè effunditur. Dixi, *Humanum*: quia cæterorum animalium ad id non pertinet, glo. in d. c. 1. verb. humanum. & quia satis est, vt sit cuiuslibet hominis, siue fœminæ, viri, clerici, laici, fidelis, siue infidelis, & quòd effundatur. iuxta, contra, aut extra cursum naturalem. text. in d. c. ecclesiis. verb. cuiusque, & Specu. vbi supra tit. de dedic. eccle. col. 10. Immo & per copulam coniugalem iuxta glo. notab. in d. c. 1. de consec. & in cap. ecclesiis. 68. distin. & alias tres, quamuis alia oppositum teneat in d. cap. ecclesiis. de consecra. distin. 1. quam eius additio à nobis ibi

ibi probata confutat. Dixi, *Voluntariè*: quia non sufficit quæ dormiendo fit, glo. sing in dicto cap. ecclesiis. communiter recepta, quamuis Angelus in verb. consecratio ecclesiæ. §. 9. oppositum dicat, sed absque sufficienti ratione: quia ex eo quòd teneatur coniugalem violare, non sequitur sufficere eius qui dormit, cum ista non contineat eam irreuerentiam, quam illa erga ecclesiam.

Tertius casus est, quando in ea aliquis excommunicatus sepelitur cap. consuluisti. de consecrat. eccles. vel alta.

Quartus est, quando in illa aliquis infidelis sepelitur cap ecclesiam el. 1. & 2. de consecr. distinct. 1. quamquam in hoc casu non solum reconciliianda est ecclesia, sed etiam parietes illius abradendi, licet in præcedenti reconciliatio sufficiat, iuxta Panor. in d. c. consuluisti.

258 Quintus est, quando ecclesia per Episcopum excommunicatum publicum, consecratur, aut benedicitur argumen. dicti cap. consuluisti. vbi notat Panor.

Sextus, quando omnes parietes renouantur, glo. in cap. ligneis. de consecrat. eccles. Sed contrarium verius videtur, vt docuimus in d. c. ecclesiis. nota. 3. nisi quando omnes, aut maior pars eorum simul deiiciuntur, quod raro fit Et addo quòd quoties aliqua ecclesia polluitur etiam cæmeterium illi contiguum est pollutum, quamuis non id quod non est cōtiguum, licet è contrario, polluto cæmeterio ecclesia illi contigua non polluatur cap. 1. de consec. eccle. vel altar. lib. 6.

De casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

259 *Casus reseruatus quid, & quetuplex.*
259 *Casus reseruatus dicitur, quia tollitur, non quia non datur.*
260 *Absoluere omnes omnis Sacerdos iure diuino potest.*
260 *Papa à quo, & quâ potestate absoluitur.*
260 *Absoluitur Episcopus non potestate à se data.*
261 *Casus nullus reseruatus Papæ sine censura, qua sublata cessat reseruatio: secus in Episcopali.*
262 *Casus quot, & qui reseruantur Episcopo*
262 *Blasphemi absolutio, vt faciendo.*
263 *Papa iurisdictionem immediate sumit à Deo in omnes.*
263 *Papa absoluit ab omnibus sibi, & aliis reseruatis.*
263 *Regio operibus præfecti faciebat hoc modo peccant.*

259 CIrca hoc dico sequentia. Primò, quòd casus videtur propriè descendere à cado, & significare ruinam, iuxta illud Curtij, *Casu tabefacta inopinato oppressus.* per translationem autem significare alia, scilicet miseriam, per quam quis ruit à statu fœliciori, iuxta illud,

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros.

Et euentum inopinatum, quia cadit & deuiat à regula prudentiæ. In proposito autem significat peccatum, quo quis cadit à rectitudine virtutis, & est duplex. Alter reseruatus, alter non reseruatus. Reseruatus est, cuius absolutio adimitur alicui inferiori Sacerdoti: & est

Universidad de Deusto Biblioteca

duplex, alter papalis, cuius absolutio adimitur omnibus Parochis, & etiam Episcopis: alter episcopalis, cuius absolutio adimitur solis Parochis.

Secundò dico, quòd ex his infertur, casum non dici reseruatum eo solo, quòd non concedatur potestas absoluendi ei, qui non habebat eam actu, vel habitu, (vt aliqui sentire videntur,) sed quia tollitur, & minuitur ei, qui eam actu, vel habitu habebat: & ita verissimum videtur id quod ait Palud. in 4. lib. sent. dist. 17. q. 3. art. 2. relatus à nobis in c. 1. in prin. num. 73. de pœnit. dist. 6. scilicet omnes sacerdotes simul cum ordine sacerdotali accipere potestatem super verum Christi corpus ad conficiendum Sacramentũ eucharistiæ, & super corpus Christi mysticũ ad absoluendum ab omnibus peccatis mortiferis, eius sumptionem impedientibus: quod nos latius quàm alij fundauimus in cap. placuit. de pœnit. dist. 6. per illius contextum, & multa alia. Quibus nunc addimus primò cap. adiicimus. §. ecce. & cap. generaliter. §. ecce. 16. q. 1. in quibus Gratianus exactè concludit quòd omnes sacerdotes, siue regulares, siue sæculares in sua consecratione & ordinatione æqualem suscipiunt potestatem baptizandi, prædicandi, & pœnitentias dandi, & peccata remittendi, &c. licèt eis omnibus interdicatur exercitium illius potestatis, donec iure ordinario per electionem populi, vel de alius licentia concedatur.

Secundò, quòd Pan. iam senex, & id animaduertens in cle. 1. de priuileg. reuocauit quædam, quæ in cap. significasti. de foro competen. di xerat, quem postea omnes, qui eum legerunt sunt sequuti.

Tertiò, quòd S. Ant. in 3. part. suæ summæ tit. 17. cap. 11. pro re certa præsupponit, sacerdotibus datam esse plenariã potestatem absoluendi à Christo, & sacerdotem posse diuino iure omnia quæ pertinent ad forum pœnitentiale, præter ea quæ iure humano fuerint ei adempta.

Quarto, quod Gratianus in d. c. adiicimus. & d. c. generaliter. §. ecce. concludit monachos accipere tãtam potestatem in hoc per suam consecrationem, quantam parochi, & alij sacerdotes: quia eisdem verbis consecrãtur omnes. & subdit, quod cum in consecratione coniungantur, non debet fieri diuortium, siue diuisio quo ad potestatem: sed tantũ quoad exequutionem eius.

Quinto, quod Bar. quem sequuti sunt omnes, dixit in l. 1. ff. de iudic. esse iudices, quos vocant chartularios habentes iurisdictionem in habitu, & non in actu, super eos, qui se voluerint illis subiicere: sicut delegatus à Sede Apostolica contra aliquem expressum cum clausula, *& quosdam alios*, generaliter, habet quidem in expressum iurisdictionem in habitu, & actu, & in expressos habitu tantum, vt probatur in c. Sede Apostolica. de rescript. & in c. eum in multis. eod. tit. lib. 6. Quales videntur fuisse in primitiua Ecclesia communiter omnes sacerdotes, donec parochiæ diuiderentur, iuxta cap. 1. 13. q. 1. & Vrbanus statuerat, ne quis audiret confessiones alienorum parochianorum in c. placuit. de pœnit. dist. 6.

260 Ter

260 Tertio principaliter dico, quod etiam ex prædictis infertur non satis caute dixisse Sotum in lib. 4. sent. distin. 18. q. 4. art. 2. vnum esse omnium consensum, quod in ordinatione sacerdotis nulla iurisdictio absoluendi à mortalibus conferatur. Tum quia omnium consensu iure diuino competit eis potestas & per nullum actum eis cõceditur illa iure diuino, nisi per cõsecrationem: ergo in sua consecratione, & ordinatione accipiunt illam iurisdictionem saltem in habitu. Tum quia expresè habetur in d. c. adiicimus. & c. generaliter. quod potestas absoluendi datur in consecratione iure diuino: licèt iure humano adempta sit eius exequutio, donec assequantur eam ratione tituli, vel de alia licentia.

Quarto dico, quod etiam infertur ex eisdem incautè ipsum dixisse, Papam constituere sibi confessarium, & dare illi iurisdictionem super se. Tum quia si confessarius acciperet iurisdictionem à Papa, nõ posset eum absoluere potestate iure diuino sibi data, eum eam solum haberet ab ipso iure humano. Tum quia non aduertit id, quod nos longe ante ipsum scripsimus in d. c. placuit. scilicet non posse asseri quod ipse dicit. Tum quia Papa non habet iurisdictionem super se, immo neque super successorem suum. c. innotuit. de elect. Tum quia iure naturali vetatur quis habere iurisdictionem super se, secundum omnes. l. penul. ff. de recept. arbit. & l. ille, à quo. §. rempestatium. ff. ad Trebel. & nemo potest dare alij, quod ipse non habet, c. quod autem. de iure patro. l. si vniuersi. C. de leg.

Quinto dico, quod incautius idem ipse subiicit, idem prorsus esse in Episcopo, quod in Papa, scilicet, q in eligendo confessarium, iuxta c. fi. de pœnit. & remiss. ipse dat iurisdictionem illi, quod nusquam alius dixit cum secundum omnes confessarius non absoluat Episcopum, virtute iurisdictionis acceptæ ab eo, sed virtute iurisdictionis diuinitus acceptæ per claues, quas accipit in ordinatione, non ab homine, sed supernaturaliter à Deo, vt ipsemet dixit distin. 20. q. 1. art. 5. & sentit art. 1. & distin. 18. q. 4. art. 1. & 2. dum per multas rationes nobis applaudentes concludit, solum sacerdotem esse verum ministrum sacramenti pœnitẽtiæ, nec sufficere quod sit sacerdos, sed oportere, vt sit proprius vel delegatus à proprio: & quod tres soli dicuntur, quoad hæc proprij sacerdotes, scilicet Papa, Episcopus, & Parochus, quos ait esse iure diuino proprios, & ita accipere à Deo diuinitus potestatem absoluendi. Et cum per nullũ alium actum, quàm per cõsecrationẽ eam accipiant, & omnes eodem modo, & eisdem verbis consecrentur, vt in supradictis capp. adiicimus & generaliter habetur, consequitur eos accipere à Deo iurisdictionem, saltem in habitu in sua ordinatione, & consecratione, vt eruditissime vbi supra dixit Pan. quem omnes postea sequuti sunt, & dilucidè Gratianus vbi supra concludit, omnes sacerdotes accipere potestatem dãdi pœnitentiam, & absoluendi à peccatis per consecrationem, licèt iure humano vetatur eis exequutio eius

donec per titulos, vel alio modo licentiam assequatur.

Sextò dico, quòd ex hoc sequitur aliud esse casum reseruatum, aliud censuram, quæ est pœna eius, vt est tactum supra eodem c. nu. 151.

Septimo dico, quòd Concilium Trid. c. 7. & can. 15. sess. 14 definit esse hæreticum dicentem, quòd Episcopus non possit reseruare aliquem casum quo ad forum interius, sed solum quo ad exterius. Et addit quòd in articulo mortis omnis casus, & omnis censura definit esse reseruata: & in c. 6. sess. 24. de refor. quòd Episcopi absoluere possunt in omnibus casibus occultis reseruatis Papæ, cuius tenor refertur supra eod. numero 194. Huic. §. in editionibus prioribus latinis hic posito: videtur contradicere bulla Cœnæ Domini in §. cæterum relato supra eod. num. 70. quatenus reseruat absolutiones excommunicationum illius bullæ, non obstantibus quibusuis Conciliis. Per quæ verba videtur derogare præfato c. 6. sess. 24. de refor. Et quòd vt audio S. D. N. non permittit, vt Episcopi absoluant per se ipsos, nec per suos vicarios speciales hæreticos occultos: licet illud concedatur eis per illud c. 6. Et quòd eadem ratione videtur eis ablata facultas absoluendi ab omni excommunicatione, & casibus reseruatis in illa bulla: nisi dicamus quòd hic §. limitat illum, ne procedat in occultis, & habentibus cõplices, & ita non sunt contrarij. Pro quo facit, quòd lex specialis non censetur tolli per generalem, siue præcedat, siue sequatur iuxta glo. fin. & recept. in auct. offeratur. C. de litis contest. cui similis in l. sciendum. ff. [illegible] cogan. quatenus probant [illegible] auct. licet sit posterior, limitari per præfatam l. sciendum. licet sit prior, & non tolli per d. auctẽ. licet sit posterior, & trad. Dec. in reg. 1. ff. de reg. iur.

261 Octauò dico, quòd nullus est casus reseruatus Papæ, cui non sit annexa aliqua censura, vt testatur S. Ant. vbi supra col. 1. & sentit Caiet. in verbo casus. Quo fit vt bulla, quæ concedit facultatem absoluendi à casibus Papalibus, videatur concedere potestatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis.

Nonò dico, quod ab omnibus peccatis habentibus annexam censuram Papæ reseruatam, post sublationem eius legitimam simplex parochus absoluere potest: quia per id definit esse reseruatum, Caiet. in summa verb. casus, nisi cum reseruatione censuræ Papalis concurreret etiam Episcopalis, qua sibi reseruat peccatũ, ob quod illa censura ponitur, arg. c. ex tuarum. de auth. & vsu pal. & l. si domus. ff. de seruit. vrba. præd. quatenus habent altero ex duobus impedimentis sublato, alterum non tolli, quod quamuis iure nitatur, videtur tamen vsu indistinctè interpretatum, sublatã esse episcopalem reseruationem, & cẽsuram sublata papali, per ea quæ diximus in c. ita quorundam. de sudæ. noc. 11. nu. 71.

Decimo dico, quod Episcopatus concedendo casus suos siue sibi reseruatos, non videtur concedere absolutionem à censuris sibi reseruatis: quoniam à diuersis non fit illatio, l. Papinianus. ff. de minor. & cap.

c. ad audientiam. de decim. & aliud est ne[illegible]atum reseruatum Episcopo, aliud censura ei reseruata. Nam aliqua sunt peccata annexam censuram non habentia, quæ sunt Episcopo reseruata: & etiam sunt censuræ aliquæ illi reseruatæ, peccatis ob quæ illæ dantur ei non reseruatis. Nec etiam concedendo absolutionem à suis casibus & censuris videtur concedere absolutionem, aut dispensationem votorum aut irregularitatum, à quibus ipse potest, quia nec sunt casus, nec censuræ ipsi reseruatæ, & ita ex illis non infertur ad hæc, neque è contrario, arg. prædictorũ iurium. Ad quæstionem de Parocho habente facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopo suo, an possit absoluere pœnitentem alterius Episcopatus, cũ iusta licentia sibi cõcessa à peccatis reseruatis suo Episcopo? respondi, posse. Tum quia glo. c. placuit. 16. q. 1. & clarius per multa Pan. in c. cum contingat. nu. 29. de foro compet. habent confessarium legitimum vnius parochiæ posse absoluere confessum à peccatis vbicunque commissis: & Episcopi videntur tacitè velle debere, vt idem sit de peccatis eis reseruatis, quando confessio fit habenti facultatem absoluendi à reseruatis suo Episcopo. Tum quia id videtur habere consuetudo: nunquam enim intellexi vllum confessarium legitimum, cui esset præfata facultas, remisisse quem ad Episcopum alterius episcopatus. Et consuetudo ampliare potest iurisdictionem, immo & dare nõ habenti, cap. duo simul. cum glo. de offic. ord.

Vndecimo dico, quod Episcopus cõcedendo alicui omnem suam facultatem, & omnem suam authoritatem ad audiendam cõfessionem, & absoluendum auditos, non videtur concedere casus sibi reseruatos iure communi aut suo particulari, aut consuetudine generali vel speciali, arg. c. fi. de offi. vic. lib. 6. & eorũ quæ Io. And. citat in c. tua. eod. tit. quamquam oppositum credo quando concedit omnes suos casus: quia iuxta communem loquendi consuetudinem, quæ attendi debet, cap. ex literis. de sponsi. libe. §. quod tamen Cassius. ff. de leg 3 per suos casus peccata illi reseruata intelliguntur. nec S. Ant. 3. part. tit. 17. c. 13. oppositum tenet. Et etiam quando concedit omnem suam facultatem excepto tali casu reseruato, arg. c. dominus. 32. quæst. 7. & eorum quæ latè notat Dec. in regu. 1. ff. de regu. iur. Et etiam quo ad forum conscientiæ quando apparet intentionem Episcopi fuisse concedere reseruatos ei, cum omnem suam facultatem concessit, arg. c. intelligentia. de verb. signific.

262 Duodecimo dico, quod excõmunicationes Episcopo reseruatæ referuntur sup. eo. c. nu. 111. cum seq. Qui autem & quot sint casus ei reseruati, magna est inter doctores contentio, vt colligitur ex glo. c. 2. de pœnit. & remis. lib. 6. S. Ant. tertia parte, tit. c. 11. & Ang. verb. casus, in prin. & Syl. eo. verb. q. 2. & glo. & doctores in cle. dudum. §. statuimus. de sepul. in qua controuer. sia communior conclusio est, esse quatuor, quinque, aut sex. Primus est, peccatum clerici, quod irregularitatem annexam habet, se-

cundum Syl. & eos quos ipse refert vbi sup. q 3 sed nobis verius & vsitatius videtur dictum Card. in cle. dudum. §. ac etiam, de sepult. scilicet, clericum qui ob aliquod peccatum irregularitatem incurrit, posse absolui a censura, si qua subest, & à peccato, antequam cum illo in irregularitate dispenseur. Secundus est incendium domorum, frugum, aut aliarum rerum ex proposito factum, & consilium, & auxilium in id præstitum 23. q. 8. cap. pessimam. Tertius est peccatum, ob quod pœnitentia solennis imponenda est, quæ ob solum notorium peccatum graue, & scandalosum imponitur, cap. fi. adiuncta gl. 26. q. 6. quę tamē non est in vsu. Quartus, absolutio blasphemiæ publicę & notoriæ, per cap. statuimus. de maled. cui commun. innititur, sed non probat: quia loquitur de foro contētioso, vt rectè Ange. insinuauit vbi supra, & quia ius nouum §. ad abolendam. sess. 7. Conc. Lateren. sub Leone X. oppositum eius quod communis dicit, significat: quatenus vetans, ne confessarij blasphemos in foro conscientiæ, nisi cum grauissima pœnitentia ad arbitrium seueri confessarij imposita absoluant, innuit eos posse cum prædicta pœnitentia absoluere. Quintus, dispensatio votorum, & iuramentorum: sed hic non debet numerari inter casus, cum non sint peccata, qualia illos esse diximus supra eo. cap. nu. 154. Sextus, absolutio excommunicationis maioris, gl. d. c. 1. de pœni. & remiss. lib. 6. sed hic non est casus reseruatus: quia non est peccatū, sed illius pœna, neque intelligenda est de omnibus excommunicationibus, [illegible] reseruatis Papæ, quarum aliquibus casibus inferiori conceditur, per quem Episcopus intelligitur, vt dictum est eod. cap. nu. 111. nam ab alijs casibus non reseruatis Parochi quo ad forum conscientię iure cōmuni absoluere possunt, per dicta supra, eo. nu. 59. Per quæ videtur, vnum vel alterum tātum ex his casibus esse vsu receptum. Alij vero casus reseruantur Episcopis ipsi per consuetudinē generalē, aut quasi generalē, quos tangit & refert gl. extrau. inter cunctas. de priuile. Primus est homicidiū voluntariū aut realis membri abscissio: quia mentalis nec verbalis etiam perueniens ad percussionem non comprehenditur S. Ant. 3 par. tit. 17. c. 11. in fi. Secundus, peccatum fallitatis falsandi scripturas, ac dandi testimonium falsum, aut tacendi verum coram Iudice, iuxta not. à Pan. in c. 1. de cri falf. & Bart l. 1. ff. eo. & peccati admissi ab Aduocatis, Procuratoribus, & Notarijs ostendendo scripturas partibus aduersis, iuxta l. 1. §. qui deposita. ff. eod. Tertius violatio libertatis, aut immunitatis ecclesię, de qua supra eo. c. nu. 118. & c. 15. nu. 17. per quā iniustè personis aut rebus ecclesiasticis iniuria infertur. Quamquam nunc sæpe habet annexam excommunicationem Cœnæ, per dicta supra eo. cap. nu. 120. in fin. & consequenter videtur quod omne sacrilegium est casus Episcopali per consuetudinem Sylvest. verbo casus quæst. 4. Quartus peccatum rerinendi incerta aliena, quem supra in cap. 17. nu. 92. vtiliter declaramus. De casibus tamen qui per consuet

consuetudinem, aut constitutionem [illegible] episcopatuum reseruatur, ce[illegible]egula dari non potest, iuxta omnes: quia vnaquæque prouincia suo sensu abundat, cap. vtinam. 56. dist.

163 Decimotertio dico, quod non videtur satis tuta opinio cuiusdam viri eruditi, quā publicauit in tractatu suo de casibus Sedi Apostolicæ reseruatis sub finē: nempe quòd confratres Sanctissimæ Trinitatis, & alij Christi fideles non possunt absolui à casibus reseruatis Episcopis eis inconsultis authoritate Bullæ S. D. N. Gregorij XIII. per quā facit facultatem prætatis Christi fidelibus in hæc verba. *Et insuper ipsi confratres, & alij Christi fideles indulgentiarum, remissionum, relaxationum præfatarum Deo propitio facilius efficiantur participes illis, & eorum cuilibet, vt temporibus, & diebus supradictis quæcunque seculares, vel quorumuis ordinum etiam mendicantium regulares presbyteros idoneos ab ordinariis locorum approbatos in suos possint eligere confessores, qui eorum confessionibus diligenter auditis, & eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in litteris in die Cœnæ Domini legi consuetis: totiens quotiens, & etiam à criminibus in eis litteris contentis semel in vita tantum, & in mortis articulo eadem authoritate absoluere, ac pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, &c.*

Præfatus enim auctor fundat suam opinionem in eo, quòd Papa non potest tollere ius diuinum, & quòd iure diuino est concessa potestas Episcopis reseruandi sibi aliquos casus, quæ potestas videretur eis auferri, si virtute præfatæ concessionis possent prędicti Christi fideles absolui à peccatis reseruatis Episcopis. Quæ tamen opinio non est vera nec bene fundata. Tum quòd Papa habet super omnes christianos iurisdictionem per extrauag. vnam sanctam. de maior. & obed. & dictum Innoc. in cap. 1. de constitut. amplificatum ibi per Felin. à nu. 1. & non solum qualem qualem, sed immediatam quoad omnia spiritualia, vt colligitur ex S. Thoma recep. in tract. contra errores Græcorum conclu. 65. alias cap. 32. conclu. 33. & sicut habet illam immediate à Deo, ideo nemo alius potest eam illi tollere, vel minuere cap. cuncta per mundum & cap. per principalem. 6. quæst. 3. Tum quia non satis cautè arguit tolli ab Episcopis ius reseruandi casus, eo quòd Papa conferat facultatē absoluendi ab eis aliquibus alijs in aliquot casibus, vt in casu proposito quia effectu arguit à sublatione partis ad sublationem totius, & sic à minori ad maius affirmatiuè, contra regulam Dialecticorum, & Bald. in l. conuenticulam. C. de episco. & cleri. Tum quia etiam omnis presbyter solo iure diuino attento potest absoluere quemlibet à quolibet peccato, vt dictum est supra eo. in prin. & efficaciter probauimus in c. placuit. de pœniten. dist. 6. attamen plurimis non licet iure humano Papæ id vetante. Nec sequitur ex hoc tolli eis potestatem illis diuinitus datam:

sicut iure diuino & naturali cuilibet licet pacisci & contrahere l.1.ff. de pactis, nihilominus iure non solũ Pontificio sed etiam Regio vetãtur multi ad pacisc endum, & contrahendum, neq; propterea dicitur tolli ius naturale, & diuinum: sed tantum ex æquo, & bono restringi. Tũ quia omniũ est vna conclusio multa iura iure naturali, & diuino comprehendia multis restringi, & limitari posse à summo Ecclesiæ Principe quoad spiritualia, & à sæculari quoad temporalia, iuxta c. quod in dubiis. & c. pen. de pœnis. tam per interpretationem inter ius, & æquitatem interpositam iuxta l. 1. C. de legib. quàm per pœnæ impositionẽ iuxta l. quisquis C. ad l. Iul. maiest. & cap. cũ secundum de hæret. lib. 6. quàm per iustam dispensationem c. ex multa. & toto tit. de voto. & c. quanto. cum eis adnot. de iureiũr. quidem per rationem iustam naturalem iuxta l. Lucius. ff. de euictio. & l. item si verberatum. ff. de rei vend. & l. venditor. § si constat. ff. comm. prædio. & copiosè tradunt Fel. Dec. & alij in d. c. quæ in ecclesiarum. & palam est in casu proposito solum ius Episcoporum restringi, & limitari ex iusta causa sancta, & honesta. Tum quia gl. c. omnis de pœnit. & remiss. damnatur ibi cõmuniter, quatenus dicit confessos religiosis habentibus à Papa priuilegium audiendi confessiones teneri confiteri iterũ suis Parochis, si absque ipsorum licentia confessi fuerint ipsis. Tum quia prefata opinio sapit hæresim Ioann. Poliaci damnatam in extrauag. vas electionis. de hære. quatenus asserit, quòd stante statuto c. omnis vtriusque [illegible] non potest Papa facere, vt [illegible] non teneantur confiteri proprio sacerdoti, seu Parocho Ecclesiæ. Et quòd Papa non potest dare licentiã audiendi cõfessiones, quin cõfessus habenti eam teneatur eadẽ peccata iterũ proprio Parocho fateri. Tum quòd destruit ele. dudum. de sepult. & omnia iubilea, cruciatas, & confessionalia, quibus sit facultas eligendi confessores, & consuetudinem generalem totius ecclesiæ christianæ, quæ contrariam eius opinionis sententiam vbique terrarum seruat. Tum denique quòd facile diluitur argumentum eius, cõcedendo quidem Papam non posse tollere ius diuinum in totum c. sunt quidam. 25. q. 1. immò & concedendo potestatem reseruandi sibi aliquos casus iure diuino Episcopis conuenire. c. 7. de casuum reseru. sess. 14. Conc. Trid. negando tamen quòd nõ possit Papa illam ex iusta causa limitare, & restringere aliquo prædictorum modorum: negando itẽ quòd per limitationem, & restrictionem in hoc casu factam tollatur Episcopis potestas reseruandi sibi facultatem absoluẽdi in aliquot casibus per supradicta. Quin & Pan. dicit in c. fi. de consuet. nu. 3. secutus Inn. recep. ab omnibus, quòd per rationẽ naturalẽ potest declarari, & limitari ius naturale, & diuinum, non solum per legem Papæ quoad spiritualia, & per legem alterius principis quoad temporalia, sed etiam per consuetudinem rationabilem, vt passim limitatur præceptum de non occidendo, & de standa duorum, vel trium testimonio, &c. Dixi supra,

Imo &

Imo & [illegible] cedendo, &c. Tum quia [illegible] Trid. in prædicto cap. 7. non [illegible] potestatem reseruandi dari Episcopis iure diuino, id est immediatè à Deo: sed magnopere ad christiani populi disciplinã pertinere vt hanc potestatẽ habeãt, summi quidem Pontifices in toto orbe: Episcopi verò in suis diœcesibus. Quod longe aliud est, cũ multa iure humano cõstituta multum ad christiani populi disciplinam pertineant. Tum quia hæc reseruandi potestas non pertinet ad ordinis substantiam, neque ad iurisdictionem ad absoluendum necessariam: sed ad aliam extrariam Ecclesiæ Christianæ gubernandę valde oportunam. Tum quia nullibi probari videtur iure diuino cõpetere Episcopis aliam iurisdictionem, quàm illam, quæ datur eis per ordinationem, & consecrationem quia omnis alia conceditur eis immediatè, vel immediatè à Papa c. in nouo. 21. dist.

Per quam considerationem negari possit quod ita immediatè suscipiant Episcopi iurisdictionem hanc reseruandi extrariam à Deo, sicut ordinis characterem: sed à Papa per electionem, confirmationem, vel aliam dispositionem ordinariam, vel delegatam, expressè, aut tacitè per traditionem, & consuetudinem iam inde ab ipso Petro in hunc diem continuatam.

Ad primam quæstionem hìc propositam respon. quòd Regis præfectus publicis operibus, qui minore pretio cogit subditos ad importandam materiam eorum, non potest iustè in gratiam alicuius priuati etiam gratis cudere, vt importent similem ipsius operi. Ad secundam quòd non sufficit ad id consensus Regis, qui operas subditorum non potest ita in vtilitatẽ priuatã ac in publicam imperare. Ad tertiã, quòd talis priuatus non excusatur, eo quod ipse præfectus suæ conscientię oneri id accipit, magis quam Pilatus suscipientibus in se Iudæis culpam damnationis Christi: nec magis quàm iuuans ad furãdum eum qui totam culpã in se recipit: quia facientes & consentientes &c. ad Rom. 1. & cap. 2. de offic. deleg.

Miscellaneum 1. de præsentatione Confessariorum Religiosorum.

SVMMARIVM.

264 *Præsentatio fratrum ad audiendas confessiones &c.*
265 *Concilio non derogatur nisi expresse.*
266 *Præsentatus semel & admissus noua præsentatione non indiget.*

264 DE præsentatione fratrum confessariorum facienda ordinarijs, iuxta cle. dudum. de sepult. hoc in loco scripsimus in vulgari multa & diligenter quidem, quæ ob iustas præter hæc pauca in editione latina omittimus. Primũ, quòd iuxta dictã cle. dudum. §. statuimus. & Conci. Latera. sub Leone X. sess. 11. tenẽtur prælati fratrũ petere ab Episcopis, & superioribus, vt placeat ipsis, quo fratres ad id per suos prælatos nominati, possint in suis ciuitatibus & diœcesibus liberè eorum subditorum cõfessiones audire, & salutares pœnitentias imponere, & cũ sua facultate & bona

Universidad de Deusto

venia absolutè, quidquid dicat Syl. verb. confessor 2.q.1. allegando Card.in d.§.statuimus. qui licèt ibi subobscurè loquatur, tamen in §.ac deinde.q.5.clarè resoluit, teneri fratres ad petendum prædicta. Secundum,quòd iuxta dictum §. ac deinde.debent fratrum Prælati eligere fratres idoneos in numero conuenienti ad tria prædicta, & eos præsentare Episcopis. Dixi, *Præsentare*: quia non sufficit nominare, iuxta gloss.singul..& recept. ibidem verb. præsentare, quod dixit esse sensibus corporis exhiberè. Tertium, quòd Episcopo sine iusta causa nolente, admittere,possunt præsentari facere illa perinde, ac si fuissent admissi, dict.cle.§. si verò. Nec videtur obstare c.15.de refor. sess. 23. Con.Trid. Tum quia huiusmodi præsentatus. & sine causa ab Episcopo reiectus habetur pro approbato ab eo sicut & regularis petens licentiam transeundi ad regulam strictiorem negata ea sine iusta causa habetur pro licentia donata,c. licet.de regula.& sicut Abbas,qui petiit tertio benedictionem ab Episcopo habetur pro benedicto, si eam ille sibi neget c.1. de supp.neg. prælat. Tũ quia Conc. Trid. non videtur voluisse derogare iuri communi, & conciliari d. cle. dudum. § si vero. neque Concilio Lateranen. sess.11. argu. dicti solen-
265 nis Archid. in c.1. de constit. lib. 6. quod requirit derogationem expressam Concilij ad hoc, vt illi censeatur derogatum, de quo latè Fel. in cap. nonnulli. de reseri.Tum quia expedit iura concordare cap. cum expediat. de election.lib. 6. & possumus hæc iura commode concordare dicendo, quòd C nelliani Trid.limitetur per alia du- præ- cta ob rationem specialitatis, quæ colligitur ex eis, *Ad frenandam aliquorum Episcoporum duritiem.* vt in d. cap.1.de supp.negl. præla. statuitur, cum etiam posteriores leges limitentur per priores.l. sed & posteriores ff. de legib. Quartum,quòd
266 semel præsentatus & admissus non indiget noua præsentatione, etiam si aliquoties exierit diœcesim, ad quam fuit præsentatus; d.clemen. §. iidem. vbi Cardi. q. 1. Quintum, quòd præsentatus non debet absoluere à casibus Episcopo reseruatis, nisi data ei ad id facultate, & minus dispensare in iuramentis vel votis, iuxta gloss. rece. in d.§. si vero.quod est tutius secundum S.Anto.3. part tit. 17. c.11. licèt Sylu. verb. confessor.q.5. contra teneat quo ad casus per ipsum Episcopum reseruatos. Sextum, quòd prædicti confessarij per priuilegium Papæ Sixti IIII.possunt audire confessiones omnium qui ad sua loca confitendi causa venerint, licèt non sint ex episcopatu,ad quem fuerunt præsentati,supplem.fol.58. concess. 159.non tamen possunt extra loca pro quibus sunt præsentari nisi,&c. Septimum,quòd Episcopi si voluerint, possunt remittere religiosis obligationem petendi, & præsentandi,habendo eos pro præsentatis, arg. c.quod ob gratiam. de reg.iur. lib.6.& sentit prædicta sess. 11. Conc. Later.ibi,nisi eos exhiberi sibi petierint. Octauũ, quòd prædicti Patres habent priuilegium Innocẽtij VIII. quo se possunt aliter præsẽtare episcopis,relatum in Cõpendio priuil.

fratrum

trum minorũ verb. præsentatio melius verb. absolutio quo ad seculares,& habetur in monumentis primæ impressionis, fol. 95. & secundæ impressionis 93. & in supplem.fol. 9. concess. 352. Hæc tamen præsentatio non est tantæ virtutis ac alia: quia non nisi in vnum annum durat,neque facit vt sic præsentati pro præsentatis habeantur, iuxta formam iuris,nec consequenter,vt gaudeant priuilegiis quib.præsentati gaudent, vt colligitur ex tenore concessionis, quæ quia est priuilegium,stringi debet c.porro. & c. sanè. de priuil. & eo non esse vtendum consulit Compilator præfatorum priuilegiorum vers. præsentatio.§.vlti.

Miscellaneum secundum de quibusdam regulis Confessariorum.

SVMMARIVM.

267 *Bona facta in peccato mortali, ad hæc multa prosunt.*
268 *Absolui non debet sacramentaliter non confessus,etiam non valens.*
269 *Confessio facta vni non sufficit, vt alter absoluat.*
270 *Voluntas non fertur in incognitum.*
271 *Religiosus qui tectans non absoluendus.*
272 *Excommunicati mortui cuius absolutio non petenda.*
273 *Mortuus absolui, & excommunicari an possit.*
274 *Heres cuius excommunicati absolutionem quærere non debet.*
275 *Excommunicatum etiam non confessum absoluit sacerdos, etiam excommunicatus in morte.*
276 *Absoluere non potest laicus excommunicatum etiam in morte.*
277 *Collatio beneficij facta excommunicato quæ valida.*
278 *Excommunicatio non ligat extra Episcopatum,etiam ipso volente.*
279 *Excommunicatio conditione non tractatur retro.*
280 *Appellatur ab excommunicatione durante conditione, etiam post decennium.*
281 *Pensio cui quis per se consentit statim tenet.*
282 *Ignorans cur non incurrit pœnam extraordinariam.*
283 *Dispensare potens super voto,cur non potest super iuramento.*
284 *Volens intrare religionem, an teneatur extra prouinciam.*
285 *Absolutio excommunicati ad cautelam quotuplex, à Confessario vt dari potest.*

267 PRo cõrentis in regulis Confessariorũ, & Pœnitentium hic in vulgari positis, quæ excepto vno supra locis opportunioribus inseruntur, substituo illud, & alia sexdecim responsa totidem nouè quæsitorum.Primò, quòd vltra illa ad quæ in prælu. 7. num. 3. diximus prodesse opera bona facta in peccato mortali, prosunt etiam ad implenda præcepta, & excusandum à nouo peccato, iuxta ea quæ diximus in prin.c.1. de pœnit. dist. 6. nu. 45. & ad illustrandam mentem peccatoris, quò suum malum statum agnoscat, & eius pœniteat, c. falsas. de pœnit.dist.5.& ad quærendas virtutes morales, c.vides. 23. quæst. 6. & ne peccatum nos suo ipondere in aliud trahat, secundum Altisiod. in 4.part.summæ:& ad quærendam cordis lætitiam, iuxta illud Pauli

Rom.

Rom.11. *Spe gaudentes.* & ne angelus noster tutelaris ob ingratitudinem nos omninò deserat, & ne tam citò Deus nos puniat, tardius enim puniuit Achab: quia se humiliauit. 3. Reg. 21. Id autem quod hic diximus in vulgari de actu de se malo fieri bonum ex circunstantia, & contra, explicatum est supra c.23.num.1.per quod soluitur dubium.

268 Secundò quòd firmiter est tenenda sententia posita sup.c. 26. nu. 28.scilicet, non debere quē absoluere sacramentaliter infirmum, qui verbis, vel nutibus non fuerit ei confessus aliqua peccata, licèt antequam obmutesceret, vel iudicium amitteret, vocauerit eum quantam libet voluntarem confitendi cum signis contritionis ostenderit alij, vel aliis quàm absoluturo. Tum per rationem irrefragabilem ibidem in sinuatam. Tum quòd S. Thom. pro contraria parte citatus in opusc. 65. dicens posse talem vngi extremè, baptizari, & à peccatis absolui, intelligendus est de absolutione alia quàm sacramentali, puta generali deprecatiua, vel à pœna per indulgentias ei concessas. S. item Aut. 3. par. tit. 10.c.2.de infirmo, pro eadem citatus, qui solum ait in tali casu sacerdotem debere prębere infirmo quidquid humanitatis potest absoluendo reconciliando, est secundum prædicta intelligendus. Medina etiam pro eadem citatus in C. de confess.tract.2. de absol. ab oblitis, potius concordat sequendo glo. cap. 15 qui. 26. q. 6. quæ, vt vbi supra diximus, verbum, pœnitentiam in textu positum intelligit de alia absolutione, quam sacramentali. Tum quia quamuis valeat cōfessio facta scripto absenti, saltē ex it[illegible] vt dictum est sup.c.21. nu.36. non tamen sufficit velle scribere illa nisi scribat, & id faciat animo confiten-

269 di ea, & non cuicunque, sed illi presbytero, à quo vult absolui: & ita non sufficiet vocare confessarium, & dicere se velle confiteri, immo neque confiteri peccata coram alio, nisi ad summum quum confiteretur omnia ei mandando vt deferret illa tanquā nuncius ad presbyterum eum absoluturum. Tum quia contra Cōc. Trid. & omnes receptas sententias esse videtur dicere, quòd voluntas confitendi absque confessione, vel confessio facta vni præsertim nō presbytero, vel aliter quàm sacramentaliter, sufficiat, vt absoluatur ab alio, qui eā non audiuit, & iudicialiter debet absoluere; cum voluntas non feratur in incognitum, secundum August. in lib. 9. & 13. de Trinitate. & probatur in c. 1. 29. q. 1. præsertim iudicis (qualis est confessarius.) l. de qua re. ff. de iudic. Tum quia non vendicat sibi locum eadem ratio in hoc sacramento, quæ in baptismo, eucharistia, & extrema vnctione: nam illa non ministrantur iudicialiter, & causa cognita, vt hoc: nec vllius eorum pars essentialis est concursus vllius actus actualis illa sumpturi quo ad eorum ministrum: immò sufficit voluntas præcedens ea suscipiendi, in hoc autem non sufficit voluntas confitendi, & accipiendi absolutionem, immò confessio est eius pars substantialis, vt definit Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. 3 & 5. & cano. 4. Tum denique quòd si maior cognitio peccatorum

[illegible] requireretur ad absolu[illegible], non concluderetur confessionem esse iure diuino præceptam, per illud Ioan. 21. *Quorum remiseritis*, &c. vt subtiliter insinuauit Medina vbi supra, quod est contra veritatem declaratam in Conc. Triden sess. 14. cap. 5. & cap. 3. & 9. de sacram. pœnit.

270 Tertiò, quòd confessarius absoluere, & si moriatur in sacro sepelire non debet vllum religiosum etiam canonicum regularem (qui omnium laxissimæ regulæ seruit, c. quod Dei. de stat. monac.) testātem. vel testari volentem, nisi à proposito desistat, & si quod testamentum fecit, reuocet illud, aut certè efficaciter reuocare proponat, arg. c. non dicatis. 12. q. 1. c. 1. de testa. c. monachi. & c. super eo. & c cum ad. de stat. monac. latè tradit admodum Reuerendus Pater Ioan. Trullus eruditione, ac pietate insignis, simul Prior sanctæ Christianæ canonicorum regularium Aragoniæ, de ordine suo optimè meritus, in cap. 22. lib. primi ex quatuor libris de eodē ordine canonicorū regularium piè valdè, ac eruditè scriptis, in c. 40. nu. 11. ait cauendum esse cuiuis Canonico regulari, & à fortiori cuilibet alij monacho, à scribenda scheda, vel memoriali significante suam de vllis rebus suis vsibus deputatis sic, vel sic distribuendis voluntatem, vel intētionem vltimam: quod tamen solùm intelligendum est de faciente illa ea mente, vt sint testamentum, codicillis donatio mortis causa, vel alia vltima voluntas vim ex sua dispositione trahens, non autem de illo qui expresse, vel tacitè protestatus nolle testari, vel nullatenus disponere, solùm rogat suum Prælatum, vel Conuentum, vt pro sua libera voluntate, illud, aut illud pietatis aut misericordiæ opus illi aut illi faciat, quum hoc nullatenus sit disponere, sed ad pie disponendum alium piè rogare aut exhortari, quod cuilibet religioso, etiam Franciscano licet, quia misericordia est virtus omnibus, etiam pauperrimis, communis, c. in singulis. 86. distin. quæ quotidiana conclusio est, quam nuper paulo latius tradidimus in tractatu de paupertate, super c. non dicatis. 12. quæst. prima.

271 Quartò, quòd hæres eius qui moritur absolutus à peccatis, & susceptis aliis sacramentis, & in loco sacro sepultus, licet postea credat eum obiisse excommunicatum, non tenetur petere absolutionem. Tum quia mortuus propriè, & quo ad Deum, nec absolui, nec excommunicari potest: quia non est homo mortalis, quem solùm excommunicari posse supradictum est. Nec obstat c. si quis. de hæret. per quod gloss. eius contrarium dixit per illa verba, Dicatur mortuo, anathema. quia non significauit quòd excommunicetur, vt putauit glo. cum Pan. ibid. sed quòd fiat ei maledictio, qua declaretur decessisse anathematizatus, vt pulchrè ait Castren. lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 19. nec absolui: quia ille solus potest absolui qui excōmunicari, & è contrario, per supradicta. Nec obstat prædictū c. à nobis. in 2. quia sensus non est, quòd excōmunicatus mortuus propriè quo ad Deum absoluatur, sed

quod

quòd denũcietur Ecclesiæ decessisse quo ad Deum absolutus, ita vt liceat ei nominatim orare pro illo, secundum mentem Pan. & Com. ibi, & Cast. vbi sup. c. 20. Tum quia si quo ad Deum, & culpam per pœnitentiam fuit absolutus, non indiget absolutione quo ad illa: & quum excommunicatio esset occulta, non indiget etiam quo ad Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, cap. si omnia. 6. q. 1. & si per pœnitentiam non fuit absolutus, nil prodest quo ad Deum absolutio. Tum quia solus denuntiatus excommunicatus indiget absolutione quo ad Ecclesiam, per d. extrauag. ad euitanda. & hic de quo quæritur, non erat denunciatus; nõ inquam, tenetur, immò nec expedit petere: quia nil prodest animæ quo ad Deum, & nocet honori quo ad homines.

271 Quintò, quòd idem omnino dicendum est de hærede illius qui sine absolutione cum signis tantum contritionis in excommunicatione occulta moritur, arg. c. fin. de sepult. & c. in literis. de raptor. non autem de hærede excommunicati denunciati: quoniam is debet quærere absolutionem ab eo, à quo viuus & sanus erat absoluendus, si non fuit absolutus saltem ab aliquo sacerdote simplici in articulo mortis, d. ca. à nobis, qui tunc potest absoluere vt clarius quam omnia alia iura antiqua definit Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. in hæc verba, *In articulo mortis omnis sacerdos quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere potest.*

Sexto, quod per hoc videtur, quod omnis sacerdos potest absoluere ab excommunicatione i articulo mortis, etiam non confes[illegible] do signa contritionis præcedat: quia in tali articulo non solum habet facultatẽ absoluendi à peccatis, etiam reseruatis, sed etiam à censuris, vt per prædicta verba patet, quod clarè sentit Pan. in d. c. à nobis num. 10. dum ait, quod præsuppositio quod laicus posset absoluere à censura in articulo mortis, illa prodesset, ne iterum oporteret eum absolui. Et constat secundum omnes non posse laicum absoluere à peccatis ergo à fortiori absolutio sacerdotis sine absolutione à peccatis prodesset. Præsuppositum tamen Pan. non est verum, vt dictum est supra capit. 26. quod ipsum postea videtur confirmasse prædictum Conc. Trident. per prædicta verba, quæ non habẽt, omnis homo, sed (omnis sacerdos) significando non posse id facere etiam alium clericum, etiam sacris initiatum, quando minus laicum.

Septimò, quòd per eadem verba ausim dicere, quòd sacerdos etiam excommunicatus, & denuntiatus potest hodie absoluere licitẽ constitutum in prædicto articulo, sicut non excommunicatus. Tum quia Concil. vniuersaliter nullum excipiendo loquitur. Tum quia non obstat, quòd per excommunicationem tollatur, vel certè suspendatur iurisdictio, quam saltem habitualem habet iure diuino, § ecce. 16. quæst. 1. sine qua non potest consistere absolutio: quia probabiliter credi potest piam matrem Ecclesiam non auferre illi, nec suspendere iurisdictionem quo ad talis articuli tempus: licèt,

[illegible]cèt, vt proximè dictum est, non credi, quòd laico eandem quo ad eundem articulum videatur concedere: quia quo ad eum non agitur de non tollenda, vel non suspendenda iurisdictione, sed de nouo danda, quod est difficilius, cap. quem admodum de iureiur. præsertim incapaci, qualis est laicus, talis iurisdictionis. cap. tuam. de ord cogn. & c. 2. de iud. Ausim, inquam, id nunc dicere, quamuis ante prædictum Concil. Communis contra tenuerit, in cap. non est. de sponsa. & S. Thom. in 4. lib. sent. dist. 17. quæst. 3. & 3. part. quæst. 82. art. 7. ad 2. quam ipse quoque immemor prædicti Concilij sequutus fuit, supra cap. 26. numero 26. Cæterum faceſſat subtilis illa nouitas differentiæ quorundam inter articulum mortis, & periculum mortis: eadem enim sunt quo ad iura facientia facultatem absoluendi in eis, vt satis probat c. cos. de sent. excom. lib. 6.

Octauò, quòd illud dictum de collatione beneficij facta alicui excommunicato, quòd sit nulla, procedit etiam in eo qui se excommunicatum ignorat, secundum glo. Pan. & com. in c. pen. de cler. exco. mini. Nam licèt ignorantia excuser à pœna transgressionis, non tamen efficit capacitatem acquisitionis, cuius excõmunicatus est incapax, c. postulastis. eo. tit. sufficeret tamen dispensatio Episcopi, si ad eum spectabat collatio, secundum omnes; non tamen si ad aliũ, quidquid dicat Pan. in d. c. postulastis, q. tamen non procedit in collatione facta à Papa, vel Legato cum clausula absolutionis quo' ad effectum præsentium consequendum in literis eorum apponi solita, de qua Fel. in c. Apostolicæ. col. 1. de except. & alij alibi.

273 Nonò, quòd non est tenenda opinio Bart. in l. 1. nu. 45. C. de sum. Trin. cõmuniter recepti à Legistis, vt tradit Hippol. in l. fin. ff. de iurisd. omn. iudi. nu. 141. scilicet quòd excommunicatio Episcopi ligat extra Episcopatum ipso id volente. quia irrefragabiliter confutatur, per c. 2. de const. lib. 6. & fortius per rationem eius sumptam ex dict. l. fin. vt rectè affirmat Panor. in c. à nobis. 1. nu. 11. de sent. excom. Nec obstat l. fin. ff. de decret. ab ord. fac. qua magno colore motus fuit Bart. quia est male traducta è græco in latinum, vt testatur eruditissimus And. Alciat. lib. 2. disputat. cap. 18. secundum cuius translationem nihil facit pro Bar. & sequacibus.

Decimò quod excommunicatio conditionalis impleta conditione non retrotrahitur: quia fictio retrotractionis non habet locũ in censuris. Tũ arg. c. licet. de sent. excom. lib. 6. Tum quia fictio fundatur in æquitate l. qui in vtero. ff. de stat. hom. tradit Bart. recep. in l. si is qui pro emptore. ff. de vsuc. nu. 67. & nulla æquitas suadet, vt qui iustè communicabat ante conditionem impletam cẽseatur iniustè tunc communicasse: id enim esset fingere impossibile secum pugnans contra l. vbi repugnantia. ff. de regul. iur.

Vndecimo, q. sicut excommunicatio lata sub conditione non ligat ante eam impletam, ita potest quis appellare ante illam impletam, etiam

etiam post decennium: ita quod sine scrupulo potest cõmunicare, etiam ea impleta, vt sentit gl. quam contra Panor. sequitur communis. in c. præterea. 1. de appellat.

274 Duodecimò, quòd pensionarius qui personaliter consentit constitutioni pensionis, nõ soluens eam die statо, incidit in censuram etiam ante intimationem literarum, secus, si consentit per procuratorem, iuxta stilum Curiæ, de quo testatur Cassiad. decis. 2. tit. de pens. super regul. Cancel. & 12. de rescript.

Decimotertiò, quòd pro communi opinione, quam tenuimus supra nu. 16. contra gloss. 1. c. à nobis. 1. de sent. excom. scilicet, quod ignorantia probabilis excusat ab excommunicatione statuti, pro facto damnato, vltra ibi dicta facit, quod licet non requiratur consensus delinquentis in pœnam, vt obligetur ad eam: quia obligatio non nititur eius consensu, sed potestate legislatoris imponentis eam, requiritur tamen consensus in causam, ob quam imponitur, vt dixit S. Tho. 2. 2. quæ. 64. art. 8. & vt quis dicatur consentire in causam alicuius, non sufficit quòd consentiat in eo, quod est causa, sed requiritur quòd sciat vel scire debeat id esse causam. argu. l. in delictis. §. 1. ff. de noxal. & qui scit aliquid esse malum, & ignorat pœnã ob id impositam, scit quidem id quod est causa illius, non tamen causam illius. Nec obstat, quod ex eo sequeretur quod mulier, rusticus, & alij qui probabiliter pœnas legum ignorant, in nullam earum inciderent, responderi enim potest negando quidem sequelam, quo ad pœnam ordinariam, [illegible] mediocrem proportionatam de [illegible] cundum naturam eius statuta, vel prudentia communi imponendam, quam quilibet discretus paulo plus minus prœuidere potest, saltem hallucinãdo per legem naturalem dictante delicta mediocriter puniendа l. ita vulneratus. ff. ad. l. Aquil. concedendo vero sequelam quo ad pœnam extraordinariam, & exorbitantem, & auctam vltra naturam suam nude consideratam propter frequentiam, vel aliàs circunstantias, personæ, temporis, loci, &c. ea ratione diuersitatis, quòd quicũque scit, vel scire debet aliquid esse malum, scit vel debet scire id esse puniendum iuxta naturã eius: & ita non solum consentit in eo quod est causa eius, sed etiã in eo quod scit vel debet scire esse causam eius: secus tamen est de pœna exorbitanti aucta, & addita vltra naturam eius: ob frequentiã & alias circunstantias, quia nec scit, nec scire debet illud malum esse causam illarum, cuius genetis est excommunicatio, & eo magis quo sola ratio naturalis, quæ docet pœnã debitã malo, non pertingit ad illam sine lumine fidei. Quæ est ratio germana c. 2. de constit. lib. 6. per quam extenditur ad quascunque alias pœnas exorbitantes, sola natura delicti considerata. Per eandem rationem idem censeo cum Sylu. verb. ignorantia. §. 8. de excommunicatione lata per legem communem Pont. Max. vt probo in commenta. cap. fraternitas. 12. q. 2. cum multis eruditis Curiæ, putantibus multas Extrauagantes cũ censuris grauissimis latas super crimini

crimini [illegible] damnatis, quarum notiam [illegible] quam trãsiit Pyræneum, nec Apex, non excommunicasse Hispanos eas penitus ignorantes. Nam & percutiens clericum, aut patrem, aut dominum, & interpellãs monialem, vel virginem ignorans probabiliter eorum qualitates, quas sciens id non fecisset, non incurrit pœnas extraordinarias pro illis additas, cap. si vero. 2. de sent. excom. & l. si quis ignorans. ff. loca. quia etsi sciat esse malum id quod facit, nescit tamen, nec scire debet tantam pœnam pro illo malo impositam: & minus peccat, qui frangit legem grauissimis. & extraordinariis pœnis munitam ignorando eas probabiliter, quàm sciendo: sicut minus contemnit, & peccat qui ingreditur hortum leui cespite septum causa furandi, quàm qui alto pariete cinctum.

275 Decimoquarto, quod nullus præter Papam sine eius cõmissione speciali, potest absoluere ab hæresi, & censura ei annexa, etiã occultissima: quia Papa eam sibi reseruat in bulla Cœnæ: quamuis Concil. Trid. cap. 6. sess. 24. de refor. concedit Episcopo, vt per semetipsum in suo Episcopatu possit absoluere subditos suos ab occulta hæresi: quãuis item possit cõtendi, quod non sit derogatum quo ad hoc illi per bullam Cœnæ: quia S. D. N. Gregor. XIII. & & Pius V. adeo id expresè declararunt, vt etiàm summo Pœnitentiario negauerint illam facultatẽ, nisi cum certis modificationibus, sine quibus nec hic absoluit sine maxima causa, nec ille dum vixit absoluebat, etiam cum illa. Per quod & arg. cap. fin. de off. vic. lib. 6. & cap. in generali. de reg. iur. eod. lib. moueor ad credendum, quod nec virtute Iubileorum, nec bullarum Cruciatarum, in quibus non datur specialis facultas absoluendi ab hæresi, potest quis absolui ab ea, licèt expresè detur facultas absoluendi à casibus bullæ Cœnæ, arg. cap. frater noster. 16. q. 1. iuncto dicto S. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 77. §. 1. f. quod facultas generalis absoluendi ab excommun. non includit absolutionem illius. quæ specialiter non fuisset concessa.

Decimosexto, quod confessarius eo quod sit munitus facultate dispẽsandi super voto, non potest dispensare super iuramento etiam eiusdem materiæ. Tum quia iuramentum videtur cõtinere duo vincula, promissionis, & iuramenti, quæ sunt fortiora vno cap. 1. de treug. & pac. qua ratione S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 8 ait votum iuratum esse firmius non iurato. Tum quia secundum eundem alia ratione ligat iuramẽtum, quàm votum. Iuramẽtum enim ligat. quia est sacræ rei attestatio, ratione reuerentiæ, qua quis debet implere, quod per nomen eius promittit. Votum vero ratione fidelitatis, qua quis debet implere quod Deo promisit. Tũ quia secundũ omnes, votum vt votum, non est iuramentum, nec contra: nam diuersitas nominum, definitionum, & titulorum de iureiur. in 2. Decret. & de voto in 3. & rationum obligandi supra dictarum, concludit esse diuersæ speciei iuramentum & votum, & facultas dispensandi super vna specie, non extenditur ad aliam, arg. cap. cui de non sacerdotali. de præb. lib. 6. quatenus probat, virtute mandati, vel priuilegij de conferen-

do beneficio vltra tis maioris, non posse conferri beneficium minoris. Tum quod Abbates habentes potestatem absoluendi à sententia canonis si quis suadente. iuxta cap. cum illorum.de sent. excom. non possunt absoluere à multis aliis excommunicationibus minoris authoritatis, iuxta Fed. cons.14. Monachus Perusinus, quia exorbitantia à iure communi non sunt extendenda de alio ad aliud,reg.quæ à iure.lib.6.

6 Hoc ipso die, quo hæc in prima editione latina excudebantur puta, pridie Idus Octob. An.1573 (quo sui sacræ Pœnitẽtiariæ Prætorij primũ habuit conuentum illlustriss. & Reuerendiss. Card. Stanislaus Hosius postea quam fuit in summum Pœnitentiarium à S. D. N. designatus, magna cum laude, & gloria vtriusque,vt porè gratis & absens, nilque minus præuidẽs, ob solam eandemque celeberrimam pietatis,integritatis,& eruditionis famam, qua non solum Vrbi, sed orbi toti christ. etiã ante purpuram fuit notissimus) tactum fuit,an qui Hispanus probabiliter ante 20 annos vouerat ingredi religionem fratrum minorum Conuentualium, qui postea à fel.re. Pio V. in tota Hispania abrogatus fuit, teneretur quærere extra illam, vbi non est abrogatus monasterium in quo reciperetur? Et videtur non teneri, tum per dicta supra capit. 12. num.48. Tum quod actus agentium non operantur vltra fines eorum l. non omnis.ff. de reb.cred. Et orator non intenderat intrare extra Hispaniam.

277 Eodem die rogatus de potestate absoluendi ad cautelam confessarij electi per confessionalia [illegible] Philæa, & alias bullas Apost.dico [illegible] ultrie primo, quod absolutio ex[illegible] ni. simplex est absolutio integra excom. quæ scitur esse lata, & valida. Absolutio vero ad cautelam est quæ non est talis: & ita est triplex, dimidiata, quæ ad certum tempus, vel actum fit,& integra,eius, quæ dubitatur esse lata:& eius quæ scitur esse lata, sed dubitatur an valeat. Quæ colliguntur ex cap. solet. de sent. excom.lib.6. & scribentibus ibi,præsertim Innoc.& cap.veniens, in 2. iuncta gloss. vlti.de testib.& Ioã. And. & Panor.super ea,& aliis alibi.

Secundo, quod præfatus electus confessarius non potest dare primam harum,& ita non potest absoluere cum reincidentia. Tum quod illa non est integra. Tum quod in effectu est quædam suspensio, vt ait Inno. in cap. cum bonæ.de ætate.& qualit.& Dec. cons.145.& confessario huiusmodi non est potestas dimidiandi absolutionem, nec suspendendi. Tum quia cum dare esset ferè absoluere purè, & excommunicare sub conditione, ad quod faciendum nulla est illi potestas: nec potest absoluere ad certum tempus, vel actũ: quia id effectu esset absoluere cum reincidentia.

Tertio dico, quod potest dare secundam, quam passim dant confessarij confessis ignorantibus se esse excommunicatos per verba illa. Si teneris vinculo excommunicationis &c. Per quam absoluitur ab ea, vel eis in quas potestas eius extenditur. 278. modo præmiserit satisfactionẽ, vel aliud quod Bulla requirat, vel certe eo sit animo, quod faceret illud, si meminisset se esse excommunicatum, & faciet cum primum meminerit. Tum quia attenta sua ignorãtia, satis videtur facere quod potest,& facienti quod potest, non est neganda absolutio. Tum quia passim ita absoluunt confessarij laudari ob hoc ab eruditis, vt etiã prædictum est in cap.16.

Quarto dico,quod non potest dare tertiam sine præuia satisfactione, si confessus agnoscit esse veram offensam, ob quam est excommunicatus: quia quum offensa est manifesta,non potest dari illa etiam cum cautela sufficienti sine præuia satisfactione, dicto cap.solet. Potest autem dare, si dicat se non offendisse, sed si dicat se dubitare de offensa, videtur quòd non possit: quia commissa simpliciter absolutione non censetur commissa absolutio ad cautelam,iuxta gloss.sing cap. capitulum.de rescript. Non obstat quòd semper tenuerim & teneam, quòd delegatus, cui commissa est causa, potest partes absoluere ad cautelam, cum Aretin in dicto cap.de testibus. columna 3. recepto frequenter à Decio, & nobis contra gloss. communiter recept. in d. cap. solet. quia gloss. loquitur de commissione absolutionis ab excommunicatione quæ tractari potest commode sine absolutione ad cautelam, & decisio Aret. & vsus loquitur de cõmissione causæ quæ sine absolutione partium ad cautelam non satis cõmode posset tractari. Adde iis illa,quæ scripsimus in cap.1.in prin.à num.6.de pœni.distin.6.

Quinto dico, quod confessarius, cui committit Sacra Pœnitentiaria, vel alius superior, vt absoluat latorem ad cautelam in foro conscientiæ tantum, non tenetur seruare formam d. cap. solet; quia illi foro non congruit citatio partis,quam illa requirit secundum Inno. recept. in d.cap.solet sed satis est quòd constet ei per confessionem partis, preces veritate niti.

Sexto,quod confessarius cui simpliciter, vt simplici confessario, committitur absolutio ad cautelam in vtroque foro, debet antea accipere cautionem sufficientem, iuxta d.capit.solet. licet non debeat citare partem, nec audire excipientem de manifesta offensa, saluo, si aliquid amplius, vel minus faciendum ei præcipiatur: quia vno onere sublato, non censetur sublatum alterum. capit. ex ruarum. de aut. & vsu pall. & ita cum absolutio ad cautelam requirat citationem, & sufficientem cautionem, etiamsi sit dubia offensa,per d capit.solet. licet onus citandi tanquam incongruum foro pœnitentiæ tollatur.satisfactio tamen, vel cautio sufficiens, quæ etiam illi foro congruit, non videtur tolli: adeo vt putem, quod si excommunicatus agnosceret offensam esse veram, deberet eum cogere ad prius satisfaciendum. Dixi, *In vtroque foro:* quia si cõmitteretur quo ad forum conscientiæ tantũ putarem sufficere seruare propositum firmum satisfaciẽdi debito,vel offenso, si apparuerit eã valere, quum quo ad illud cor magis respiciatur.quã man⁹,c.si quid inueniſti.14.q.5.Dixi. *Nisi plus, vel minus præcipiatur:* quia si præciperetur,

vt sine vlla cautione, vel cum sola iuratoria, vel satisfacto dimidio, vel toto absolueret, id esset seruandum, cap. cum dilecta. cum notat. ibi à Felin. de rescrip.

Septimo, quod confessarius, cui committitur absolutio specialis alicuius ad cautelam in vtroque foro, debet absoluere coram notario & testibus, vel saltem testibus, vt absolutus posset probare aliis suam absolutionem, quæ non præsumitur, nisi probetur cap. sicut nobis. de sentent. excommu. & gloss. cap. proposuisti. de cler. excom. mini.

Octauo, quod excommunicato, denunciato, & absoluto à confessario, siue simpliciter, siue ad cautelam quo ad forum conscientiæ tantum, non tenētur communicare alij præsertim publicè, neque iure possunt, nisi probabiliter illud credētes: quia limitata causa limitatum producit effectum. l. in agris. ff. de acq. rer. do. nec absoluto quo ad vtrunque forū, nisi legitime id ostendatur, vel probabiliter credatur, per d. c. sicut nobis. & per d. gloss. d. cap. proposuisti.

Miscellaneum III. de scientia, credulitate, opinione, dubitatione, & scrupulo.

SVMMARIVM.

279 *Scientia, fides, opinio, dubium. & scrupulus quid, vt differūt, & conueniunt. & seq.*

280 *Conscientia quid, quotuplex, ad quid obligat. scrupulosa quam mala, nascitur ex sex causis, & curatur 10. medicinis à nu. 282.*

281 *Dubiis in rebus pars tutior an necessario eligenda.*

282 *Legis rigor temperatur per equitatem quinque modis.*

284 *Intellectus illius dicti* Bonamentis est culpam timere, vbi non est.

279 DIcimus primo, quod scientia, fides, opinio, dubitatio & scrupulus, in quibusdam conueniunt, & in quibusdam differunt, vt resolutius aliis tradimus in cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7. à nu. 9. Quorum summa est, quod scientia est cognitio visiua rei, gloss. sing. in l. 2. §. antep. ff. de aqua plu. arc. tam intellectus, quàm sensus, vt prælud. 2. & 3. dictum est. Fides est cognitio, qua firmiter ita esse iudicamus, id quod non videmus, iuxta illud Augustini. *Fides est credere quod non vides.* cap. in domo. de pœn. dist. 4. iuncta gloss. 7. quæ citat illud Greg. *fides non habet meritum, vbi ratio humana præbet experimentum.* Opinio est cognitio qua iudicamus aliquid esse vel non esse, quod nō videmus, nec firmiter credimus ita esse, sed cum formidine ne cōtrarium sit verū, facit gloss. d. §. antepe. & gloss. in l. si duo. §. pen. ff. vei possidet. Dubitatio est cognitio duarum rerum contrariarū neutram earum iudicando veram gloss. recep. l. de statu. ff. de testa. & gl. rub. ff. de iur. & fact. ignor. quę dubietatem appellauit titubationem. Scrupulus est cognitio argumenti apparentis contra prædicta. Ex quibus infertur, hæc quinque cōuenire in hoc, quod sunt cognitiones & actus potentiæ cognitiuæ, & non appetitiuæ, vt ex verbo cognitio, apparet, & quod differunt in eo, quod scientia est firma & euidens cognitio. Fides firma non tamen euidens, sed obscura, cap.

firm ter. de sum. Tri. Opinio au- euidēs, nec firma, quamuis sic iudicatiua. Dubitatio vero nec euidens, nec firma, nec iudicatiua. Scrupulus autem est solum quoddā argumentum contra aliquem prædictarum. Eo quod quatuor prima sunt contraria, quæ non possunt simul inesse vni, & eidē personæ eod. respectu. Scrupulus autem cum qualibet aliarum quatuor esse potest.

Miscellaneum 4. de conscientia.

280 Conscientia, vt definit & diuidit S. Tho. 1. part. q. 79. art. 13. non est potentia, nec propriè habitus animæ, sed actus eius iudicatiuus, interdum testificans quod illud fecimus, vel non fecimus, iuxta illud Eccl. 7. *Scit conscientia tua te crebro maledixisse aliis &c.* interdum accusans, vel excusans dictando aliquid benè, vel malè factum esse, iuxta illud B. Augustī. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accusat.* cap. senti. 11. q. 3. & interdum dirigens dictando aliqui faciendum, vel non faciēdum esse, cap. per tuas. 2. de simo. & ita hic accipitur, definiriq́ue potest esse scientia, fides, opinio, aut dubitatio, de aliqua re facienda, vel non facienda, secundum Com. in locis proximè citatis, & est duplex. Vera quæ verè iudicat aliquid esse faciendum vel non faciendum. Et erronea, quæ falsè iudicat esse faciendum, vel non esse faciendum, d. c. per tuas. c. inquisitioni, de sent. excom. Est & aliter triplex. Certa, quæ pro certo iudicat. Dubia, quæ nullatenus iudicat, & Scrupulosa, quæ cōtra id quod iudicat habet argumenta. Porro, quælibet conscientia certa ligat eam habētem. Quantum autem quælibet harum obliget dictum est prælud. 9 à nu. 9. Quibus addo, non semper esse necessarium partem tutiorem eligere: quia satis est quo ad præcepti implementum tutam eligere, vt latè in d. cap. si quis autem. à nu. 34. probauimus, etiam in his quæ ad fidem, & mores pertinent: in aliis enim nec de consilio quis tenetur eligere tutiorem vt ibidem probatur.

Miscellaneum 5. de causis, ex quibus fit conscientia nimis scrupulosa.

282 Dico primo, quod conscientia nimis scrupulosa nascitur ex vitio naturali vel acquisito.

Secundo dico, quod conscientia nimis scrupulosa gignit multa mala s. inconstantiam, augmentum peccatorum, animi paruitatem, nebulas intellectus, inquietudinem mentis, accidiam, & id genus alia.

Tertio dico, quod huius vitij causæ, secundū S. Ant. 1. part. tit. 3. c. 10. §. 10. sunt complexio timidæ, melancholia & mania, dæmon tranquillitatis osor, vigiliæ, ieiunia immodica, & conuersatio cum scrupulosis.

283 Quarto dico, quod decem sunt huius ægritudinis medicinæ, secundum S. Ant. 1. par. tit. 3. c. 10. §. 10. Prima Deus per suam gratiā intus habitans, & foris benignè assistens. Secunda pharmacum contra melancholiam, maniam, & alios malos humores, iudicium debilitātes. Tertia auersio cogitatus à re scrupulosa.

Quarta submissio sui aliorum iudicio. Quinta contrauentio scrupulorum. Sexta visus epieiæ siue æquitatis circa leges, de qua S.Thom.2.2. q.120.persuadendo sibi non peccare qui simplex legem secundum mentem authoris, licèt verba offendat S.Thom.ibi art.1. neque qui eam in sensu benigniore seruat, quamuis in duriore violet l. benignus. & l. seq. ff.de leg.neque qui eam non seruat vbi, & quando est impossibile, vel valde difficile, S.Aut.vbi supr. col. 6. neque qui eã non seruat, vt pro stulto non habeatur, neq; qui in rebus dubijs secundum cõmunem bonorum vsum seruat, arg.§.leges. 4.dist. 284 & l. minimè. ff.de leg. Septima rectus intellectus illius vulgati, *Tutior pars est elegenda in dubio.*cap.ad audientiam. de homic. c. si quis autem. de pœn dist.7. nempe, in eo quod est propriè dubium, quale non est cùm sufficienti authoritate, aut ratione altera pars creditur: neque cum ex multis opinionib⁹ vna pro vera eligi gitur. Octaua rectus intellectus illius cap. ad eius.5.dist. *Bonarum mentium est etiam culpas agnoscere, vbi culpa non est.* cuius vnus verus sensus est, generaliter se culpam agnoscere, licèt non meminerit specialiter culpam, iuxta gloss. d. cap. ad eius. iuxta latè tradita à S. Antonino 1. parte. tit 3 cap.10.col.6. Alius, qui visus est. 2.part.de nat.& qualit. conscien. alphab.2. Ioan. Gerson. aptior signum animæ in bonum propensæ, timere ne sit culpa, quod nõ est tale: quamquam hoc non est bonitas, immò scientiæ, aut probi iudicij defectus.

Quæ opinio deligenda.

SVMMARIV

285 *Opinio communis, quæ, alteri præiudicat.*

286 *Opinio quæ deligenda latè, & resolute,*

288 *Opinio deponat dubium antequam iudicet, consulat aut operetur.*

290 *Scrupulos mitigat sibi parum & multum Christo fidere, & eum talem imaginari.*

290 *Auxilio sine speciali Dei quæ bona mortaliter agi possunt.*

291 *Deus, vt Deus nullius figuræ, vt homo, gratiosissimæ, & benignissimæ.*

285 NOna medicina est electio bona ex variis opinionibus & quiescere in ea. Electio autem bona fit secundum Matth. Mathes. lib.de elect. verior opin. 1. volum. tract.& alios alibi eligendo primo consuetudine receptam l. minime. cum gloss.ff.de leg.& cap. cum dilectus. de consuet. nisi sit cõtra legem naturalem vel diuinam certam contra quam consuetudo nihil potest cap. mala & cap. frustra.8.dist.Dixi.

286 *Certam:* quia dubiam interpretari potest consuetudo, & eius interpretatio seruanda est iuxta Pan. in cap.j. de iudi. Secundo cessante consuetudine eligendo eam, quę nititur alicui texui, cui contraria licèt sit communis nequit aptè respondere, etiam si quæstio principalis sit vnius iuris, & textus alterius, per citata à Philip.Franco in prine cap. si pater. de testa lib.6. Tertio eligendo eam, quę nititur aliquo argum. cui apte responderi non potest. cap. capellanus.de ferijs. Quarto cessantibus his eligendo communem si sciatur esse talis, arg. cap. prudentiam. de

offi.d leg. cap. de quibus.10.dist. Quinto cessante cõmuni eligendo eam quæ pluribus fundamentis, & rationibus nititur, quãuis facis apte dissolui queant: quia cęteris paribus 287 funiculus duplex aut triplex difficilius rumpitur. Eccles.4. cap.1. de treug.& pac. Sextò cessantibus prædictis, eam quæ benignior, aut fauorabilior fuerit l semper in dubijs. ff.de regul.iur. Qualis est quæ iuramento fauet, arg. cap. quamuis. de pact. lib.6.& cap. cum contingat.de iureiur. Et quæ matrimonio, dotj, testamento aut libertati l. quoties dubia.ff. de reg.in cap.fin.de re iudi. aut alijs pijs, & religiosis rebus, l. sunt personæ. ff. de relig. & sumpt. fun.aut pupillo, viduæ, peregrino, aut alteri personæ miserabili, argu. totius dist.85. Qualis etiam quæ priuato cõtra fiscum fauet l.non puto. ff. de iure fisc secundum Mathes.not. 13.cum fiscus in delicto priuati fundatur, aliàs secus l.2. C de iure fisc. lib.10.vt rectè Decius declarauit in l.in ambiguis pro dote.ff. de reg.iur. aliàs secus. Qualis etiã est quæ valorem actus defendit, siue actus de cuius fauore agitur, sit vltima voluntas l. quoties ff. de reb. dub. siue contractus l.quoties.ff.de verborum signific.siue libellus, litis contestatio, sententia, aut quilibet actus iudicialis, rescriptum aut priuilegium Math. in d.tract.colum.4 quia præsumptio pro actus valore præponderat aliis l. in contrahenda, quam ad hoc ibi ponderat Dec.num. 6. de reg.iur.quãuis valor actus in actoris fauorem, & damnum rei redundet, argum.l.inter pares. ff de re iudic. Septimò prædictis deficientibus illam quæ reo fauet, argum.cap. cum sunt iura partium. de reg. iur. lib. 6. & l. fauorabiliores. ff. eod. Octauo si nullo modo prædictorũ alia opinio aliam superat, illam quam affirmant Doctores authoritate, & scientia in materia de qua agitur præstantiores, argu.l. septimo mente. ff. de statu hom.& eorum quę per eam ait Dec. in cap. proposuisti. num. 11. de proba. & ita quam tenent Theologi, si quæstio est theologa, & quã Canonistæ, si pontificia, & quam Legistæ si ciuilis, argumen. d. cap. proposuisti.cum not. per Panormit. & alios.

288 Quatuor autem nobis videntur addenda omnibus qui hac de re tractarunt quo ad forum conscientiæ. Primum quod Iudex, Consultor aut ageus, qui in re dubia iudicaturus, consulturus, aut facturus est aliquid, antequam id faciat debet, vt non peccet expellere, ex animo illam dubietatem, & credere aut certe opinari opinionem dicto modo electam esse veram, & secundum eam debere in eo casu iudicare: quia si priusquam id faceret, & dubius iudicaret, consuleret, aut faceret, peccaret contraueniendo conscientię dubię per dicta supra.num.277. Secundum est quod in vtroque foro vnus & idem de vna, & eadem re potest, & debet credere aliquid esse verum quo ad vnum effectum propter vim alicuius rationis, & contrarium quo ad alterum propter vim alterius, arg. cap. Dominus. de secund. nup. & cap. inquisitioni. de senten. excommu. & multorum quæ pro eius vera concordia adduximus in d. cap. si quis. à num.102. Per quæ probatur vnam

& eam dem mulierem posse, & debere credere suum maritum esse illum, cui cohabitat, quo reddat debitum, & contrarium ad effectum exigendi. Tertium, quod quamuis in foro contentioso regulariter prædicta obseruari debeant, in foro tamen conscientiæ ad effectum non peccandi sufficit eligere pro vera eius opinionem, quem merito censemus esse virum idoneũ ad id, scientia, & conscientia prædictum, iuxta 289 dicta nu. 281. quibus adde gl. 2. cap. capellanus. de fer. adiuncta doctrina Pan. Quartum, quod non videtur vna opinio appellanda communis ad effectum præiudicandi alteri eo solo, quod plures eam sequãtur tamquam oues aliæ alias, quæ præcedunt sine iudicio sequentes: velut aues quę vnam volantem aliæ omnes sequuntur secundum Dec. in consi. 494. incipiente, Quod sup. &c. col. fi. Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex vel septẽ Authores classici rem ex professo tractãtes assererent, quam probatam à 50. sola fere authoritate priorum ductis. Opinio enim communis non ex numero opinantium, sed ex pondere authoritatis sit, vt dicit Alex. consi. 101. lib. 7. num. 6. relato à Ludo. Gomez. in quæst. 2. proœmij regul. Cancellariæ. quin & arbitror vtramque ad hoc posse dici communem, quãdo vtraque habet. 8. vel 10. assertores graues, & eum iudicio eam deligentes. Quo fit vt non sit multum laudanda diligentia quorundam recentiorum inquirentium vtram teneant plures: doctrina enim præfata Ioan. And. in cap 1. de consti. de sequenda communi, intelligenda videtur, cum pauci respectu aliorum teneant contraria.

290 Decima scrupulosi colligitur, cõsiderando primo, quod opinio quæ videtur esse S. Augustini & aliorum antiquorum, (quam sequitur Greg. Arim. 1. lib. sent. dist. 41. & in quam inclinat S. Tho. 1. 2. qu. 109. artic. 6. & S. Bonau. dist. 28. quamque munit ibi Maior 24 argumentis) tenet neminem posse solo libero arbitrio, & concursu Dei generali, sine auxilio eius speciali etiam moraliter tantum bene operari. Et quod licèt contrariam teneat Guil. Ocham. d. distin. 28. & videatur receptior apud recentiores: licèt item, nostra sententia, ei sit locus in operibus bonis, quæ suapte natura, & ex propinquo, ad solos virtutum moralium fines attingendos ratione naturali duce diriguntur (qualia sunt secundum rationem naturalem, honeste viuere, alterum non lędere, ius suum cuiq; tribuere: quale, quid liceat, qd deceat, quidue expediat, iuxta naturalem captum & rationem prouidere) necessario tamen tenenda est antiquiorum sententia in actibus moraliter bonis, quæ ex propinquo spectant ad iustificationem: quia sunt bene credere, sperare, diligere, pœnitere, qualia percupere cœlestia, contemnere terrena, & horrere infernalia. & id genus alia, arg. in directo sensu can. 3. sess. 6. Conc. Trid in hæc verba. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Qui sacer canon argum. à contrario sensu satis etiam probat opinionem recen

recentiorum quo ad alios actus modos. Secũdo considerando, quod pars scrupulorum nascitur ex quadam nimia confidentia propriarum virium, per quam fere quis putat se posse solis illis bene pœnitere, confiteri, communicare, bene precari, & alia id genus operari, & videns ea non tam rectè, ac vellet facere, pluries iterat ea non implorato, vt deberet, à Deo auxilio diuino, & postrema facit imperfectius quàm prima: & ita nunquã sibi plenè satisfacit, & turbatur tristitia erratorum, & timore errandorum. Huiusmodi ergo scrupulosi medicina fuerit considerare paruitatem & infirmitatem suam, & omnium communem, ob quam vix quis potest etiam moraliter tantum bene agere sine gratia gratum faciente, vel auxilio speciali Dei: & ita reputare sua opera qua parte sua sunt, non posse fieri tam perfectè, vt sint digna tanta maiestate & consequenter diffidere sibi & fidere infinitæ bonitati eius, qui pronior est ad miserendum quam vlciscendum. Et quod vt est austerus in eos, qui nimium sibi fidentes, & sine illo ei bene seruire posse putantes, & sic non satis de ipsius auxilio curantes, omnia perfectè suis viribus facere nituntur, & non faciunt: ita est clementissimus erga eos qui memores suæ imbecillitatis, & ipsius auxilij necessitatis, sine quo ei placere non possunt, illi se totos subiiciunt, & pro naturalibus sui liberi arbitrij viriculis, ac pro auxilio ab eo superaddito, bona fide obseruantiæ legum eius & Ecclesiæ suæ student, sperantes eum boni quique consulturum eam, quæ mediocris fuerit, etiam si nõ sit exacta. Qui enim hæc pio animo secum voluerit, contentus erit, quòd vel mediocriter obligationi suæ satis fecerit, & gratias aget Deo, quòd ad id ita sua diuina bonitate eum iuuerit, desiderans, sperãnsq; fore, vt in dies maiore ope auctus, melius id faciet, scrupulos abiget, animũq; serenabit.

291 Et quia Deus vt Deus nullam figuram, & ita neque vultum seuerum, neque gratiosum nisi metaphoricos habet, quippe qui longè, imo infinite simplicior est, quàm anima & Angelus, plurimũ scrupuloso conducet imaginari, vultũ illum speciosissimum, & benignissimum Reuerendissimæ & benedictissimæ humanitatis D.N. Iesu Christi, qualem Sancti contemplãtur eum cum olim doceret, concionaretur, & conuersaretur, exhibere solitum, nempe serenum, subhylarem, in sui amorem rapientem, consolantem, & lætificantem: immò & promittẽtem se à nobis fragilibus & humilibus nostræ paruitati parum fidentibus, eiúsque magnificentiæ plurimum confidentibus, & bona fide sibi seruientibus, non exacturũ adeo seueram rationem, quã nos condemnet, sed adeo beneuolam qua saluet. Amen.

Quoniam vero in cap. 21. num. 3. promisimus inserere hic tenorem cuiusdam Bullæ fœl. rec. Pij V. & moderationis eorum, de quibus in subiecta Greg. XIII. Bulla si exiret interea: quæ quia non exiuit, solam hanc illius summam subiicimus.

FINIS.

GREGORIVS

EPISCOPVS

SERVVS, &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN tanta negotiorum mole, quæ Roman. Pont. aßiduè præmitur, vix vitari poteſt, ne aliquæ interdũ exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis remedium adhibere. Cum itaque aliàs fœ. re. Pius P P. V. prædeceſſor noſter auditis grauaminibus, quæ Fratribus ordinũ Mendicantium ab Ordinarijs locorũ, & parochialium eccleſiarum Rectoribus multis modis inferri dicebantur ſuper ſacris concionibus & lectionibus habendis, confeßionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, Fratribus ad ordines promouendis, celebratione Miſſarum, cura animarum, ſacramentorum miniſtratione, ſepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemoſynis, collectionibus, aliſque huiuſmodi iuribus, necnon decimis, & diuerſis oneribus, ac etiam ſuper ſtatu, & regimine ſanctimonialium ipſis fratribus ſubiectarum, formatione proceſſuum, cenſurarum publicatione, proceſſionibus, præcedentia, locorum acquiſitione, certiſque alijs rebus tunc expreßis, multa per quaſdam ſuas litteras pro dictis Fratribus non

non [illegible]dò ſtatuerit, ſed & quæ iam in Concilio Tridentino decreuerant ad hæc pertinentia declarauerit: multaque præterea priuilegia eiſdem 17. Kal. Iunij, Pontificatus ſui anno ſecundo, & deinde illa diuerſis ordinibus, &c. conceſſerit. Poſtea, de Vicarijs perpetuis eccleſiarum quæ illis ſunt vnitæ &c. decreuerit. Demum animaduerſo quòd illa multas lites &c. inter eos, & Ordinarios concitauerant, primum ille reſtrinxerit. Deinde plenius prouidens priores litteras moderatus fuit, & alias inſtar earum conceſſas reuocauit, lites ad ſe aduocando. Poſtremo circa Confeſſariorum regularium approbationem aliqua declarauerit. Nos hac varietate cognita, & infra. Statuimus, de prædictis, & alijs omnibus litteris, & conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore eiſdem de rebus pro quorumcunque regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuſcunque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubiecta materia futuram eſſe, quæ ſiue ex iure veteri, ſiue ex ſacris dicti Concil. decretis, ſiue aliàs legitimè ante dictarum litterarum, & conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem ſuúmque priſtinum ſtatum, illa omnia reducimus. Quinetiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcunque alia noſtris ſtatuto, ordinationi & reductioni aduerſantia. Decernentes illa pro inſectis haberi, ac omnes lites, coram quibuſuis iudicibus, &c. motas necdum deciſas, & iam deciſas, ſi modò tractum habeant ſucceßiuum, & futura dubia quandocunque orientur, ad nos referenda eße. Necnon irritum, &c. Dat. Romæ Pont. noſtri. Anno primo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

COPIOSISSIMVS EORVM

QVÆ IN HOCCE MANVALI

CONTINENTVR.

ABortiens, vel aborendi periculum subiens, vel procurans. num. 14. cap. 15.

Absoluatur pœnitens ab omni excõmunicatione maiori, & minori sic. numer. 10. cap. 26.

Absolnendus quando quis, licet peccandi occasionem non vitet. num. 17. cap. 3.

Absoluendus non est miscens secatui lasciuo. num. 25. ibid.

Absoluenda quæ familiares peccantes cum cognatis, & heris. nu. 21. ibid.

Absoluendi qui aulici non sunt Reginarum mensis præsentes. nu 23. ibid.

Absoluendi potestas à censuris, & pœnis non extenditur ad irregularitatem. nu. 250. cap. 27.

Absoluere omnes omnis sacerdos iure diuino potest. nu. 260. cap. 27.

Absoluere quis potest à suspensione lata à iure, vel ab homine. nu. 162. cap. 27.

Absoluere ab omnibus etiam reseruatis in articulo mortis quilibet presbyter potest, nu 26. sine pœnitentia exteriori consulendo hoc. nu. 33. ad petenda alia sacramenta inducendo. nu. 34. cap. 26.

Absoluere non potest laicus excommunicatum etiam in morte. numero 272. cap. 27.

Absolui, vel communicari an deleat proximus morti vel alius loquela priuatus. nu. 27. cap. 26. & 269. cap. 27.

Absolui non debet sacramentaliter non confessus etiam non valent. num. 218. cap. 27.

Absolui quis potest ob impedimentum à reseruatis Papæ. num. 89. ibid.

Absolui qui possunt ab Episcopo à can. si quis suadente. 17. quæst. 4. ob enormem percussionem: & qui ob mediocrem: & quòd omnes possunt ob leuem. nu. 87. & seq. ibid.

Absolutio censuræ bullæ Papæ reseruata non continetur etiam in sua generali. nu. 72. cap. 27.

Absolutio peccatorum detur in hac forma, quamuis ad substantiam eius minus sufficit. num. 11. cap. 26.

Absolutio excommunicati ad cautelam quotuplex, Confessario vt dari potest. num. 27. cap. 27.

Absolutio conditionalis non detur. num. 12. & data a peccatis, censuris, & irregularitatibus, ab eo qui pœnitentem poterat absoluere ab omnibus, quas incurrisset, etiam oblita includit, &c. nu. 13. & cum datur ab eo qui non poterat, quid fiat, & an absenti dari possit. nu. 14. cap. 26.

Absolutio etiam iniusta valet, nisi adsit defectus substantialis. num. 2 cap. 9.

Absolutio à peccatis etiam iniusta excõmunicati communiter valet. num 4 & 5. ibid.

Absolutio carentis iurisdictione non valet nu. 6. & 7. cap. 9.

Absolutio sacramentalis, quòd sit actus iudicialis est de fide. num. 16. cap. 4.

Absolutio male absoluentis à censura bullæ, cur non reseruata. numer. 74. cap. 27.

Absolutio per bullam, quam formam requirat, & an extra confessionem detur. nu. 31. cap. 26.

Absolutio à censuris quid prosit mortuo. nu. 32. ibid.

Absolutio excommunicationis præcedat peccatorum absolutionem, ante illam faciat hoc, & hoc nu. 7. 8 & 9. cap. 26.

Absolutio excommunicationis à quo delegatur. num. 44 & 45. vide alia, verbo, excommunicatio. cap. 27.

Absolutio ad cautelam triplex, & quis & quomodo potest eam dare in vtroque, vel altero foro. nu. 272. cap. 27.

Absolutus Episcopus non potestate à se data nu. 260. cap 27.

Absolutus ob impedimentum, vel à Papa cum onere præsentandi se, faciat hoc. nu. 46. ibid.

Accidia quid, cur ita, & pigritia dicta, filias quinque parit. numero 124. capit. 23.

Accusare qui aut denunciare recusat, quando debet, &c nu. 25. cap. 14.

Actio, & passio eiusdem rei dantur contraria bona, & mala. nu. 247. cap. 17.

Actionis mater obligatio. nu. 22. præl. 7.

Actor aut accusator, vt peccat mortaliter mouens aut prosequens litem iniustam, aut ob malum finem, sententia iniusta vtens, discedens à lite, num 31. aut falso inrans, mentiens etiam pro iusta lite, non accusans, inrans non a cu-

sare. num 32. cap. 25.

Actus manens idem in genere entis nunc bonus, nunc malus nu. 16. præl. 7.

Actus nullus simul bonus, & malus, etiam diuersa ratione nu. 17. præl.

Actus bonus, & malus tripliciter, & quis bonus sine ordinatus simpliciter: & quare nullus in studiuduo indifferens, & quis ordinatus. nu. 1 cap. 23.

Actus humanus malus, & peccatum morale idem nu. 4 præl. 7.

Actus humanus & moralis idem. & quid num. 1 præl. 6.

Adulter potest non credere esse filium suum num. 49. cap. 16.

Adoratio imaginum, quæ illicita. num 32 cap. 11.

Adultera de ecclesia non extrahitur sine debita cautione. nu. 91 cap. 17.

Adulterans perdit ipso iure ius exigendi debitum, licite tamen petit. num. 23. cap. 12.

Adulterans perdit ius negandi debitum adulteranti. num. 23. ibi.

Adulterantis coniunx quando religionem ingredi potest. num. 24 ibi.

Aduocatus, vt mortaliter peccat, necessaria ignorans, aut scienter litem iniustam defendens, num. 28. Aut est in causa, quod aduersarius suam iustam causam perdat, aut ob nimias dilationes. & illicitas subornationes testium notabiliter illi officiens, &c. aut aduersario secreta sua partis pandens: aut pauperi non subueniens, num. 29. Aut stipendium immoderatum: aut ex eo, quod non debet, accipiens. Aut aduersæ parti fauens. Aut de suo stipendio sic, aut sic conueniens. nu. 30. cap. 25.

Aestimabile aurum etiam maximum, fama licet minima non item. num. 9. cap. 17.

Affinitas quid, & quantum restricta per Concilium Trid. nu 42 cap. 22

Aliena res male retenta cui perit. nu. 26. cap. 17.

Amandi proximi præceptum in malo statu vt impleatur. num. 8. 9. & 10. cap. 14.

Amans insequens amatam, vt peccat. nu. 11. cap 16.

Amari se velle amore mortali mortale. nu. 1. cap. 9.

Amat qui firmius aliquid, quàm Deum, peccat, non qui feruentius: numero 8. cap 11.

Amat quisnam Deum ob alia, quam ob ipsum, & quando amandus. nu 18. ibi.

Amat qui plus se, aut corpus quàm animam suam. 13. cap. 14.

Amat qui seipsum vel proximum cum offensa mortali Dei. num 24. ibi.

Ambitio quid nu. 11. & quæ mortalis. nu. 15 cap 23.

Ancilla qua dominus abutitur separetur ab eo nu 22. cap. 16.

Amor proximi charitatiuus & naturalis, qui etiam est duplex. nu 6. cap. 14.

Amor honestus inter virum & vxorem, per quid conseruetur. nu 10. ibid.

Amor sui huius mundi horror futuri, qui mortifer nu. 114. cap 23.

Amor Dei debet esse maximus quo ad firmitatem, sed non necessariò quo ad intentionem, & feruorem qui est super omnia, & obedientialis est virtualis contritio, nu. 2. 1. & 4. cap. 1.

Anima quid sit definitur. nu. 1. præl. 1.

Animæ potentia quid, & quot. nume. 1. præl. 2.

Anima rationis quas potentias habeat num. 1. præl 3.

Anima, & memoria non differunt re, nec intellectus & ratio. nu 2. ibid.

Anima plura nosci vi rationali, quam sensibili. nu. 13 ibid.

Anima vt se, & Angelos & vtrinsque actus nosci. nu. 14. ibid.

Anima rationalis quem in finem creata. mum 6. præl. 1.

Anima, & Angelus non cognoscunt per seipsos vt Deus. num. 13. præl. 1.

Anima cur appellatur intellectus, memoria intellectus agens, intellectus possibilis, & ratio tum superior, tum inferior. nu. 4 ibid.

Anima ratione appetitus & intellectus varie appellatur. nu. 5. ibid.

Anima tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. nu. 9. cap. 1

Anima sola rationalis habet liberum arbitrium. nam. 9 præl. 3.

Anima rationalis distinguitur à potentiis sensitiuis nu. 4. præl. 2.

Anima rationalis habet vim appetitiuæ animæ sensitiuæ. nu. 2 ibid.

Animæ sedem esse cor, & illam in sanguine habitare, & crescere, vt intelligendum num. 14. præl 1.

Animæ rationalis potentia quid: & quòd omnes potentias, & vires animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ habet anima rationalis num. præl. 2.

Animæ proximi salus preferenda corporis proprij saluti nu. 9. cap. 24.

Animam, Deum, & Angelos putare corporeos, an peccet, & sit hæreticus nu. 15. præl 1.

Animam qui dixere corpoream, aut mortalem, hæretici nu. ibid

Animam vnam tantum esse in homine, contra gloss. num. 4. ibidem.

Animam rationalem veram formam substantialem corporis esse. num. 4. ibid

Animam humanam imaginari parvulis membris distinctam, error. nu. 10. prælud 1.

Animam rationalem non esse formam essentialem hominis dicere, hæreticum num 12 ibid.

Animal laqueo captum inuentum cuius sit. nu. 176 cap. 17.

Animalia

Animalis aliena qui ferit, occidit, vel [illegible] nu. 120. & 128. cap. 17.

[illegible] plagi carne humana vescuntur. num. 122 cap. 23.

Apes & examina earum capiens. nu. 128. cap. 17.

Appellans ad futurum Concilium excommunicatus bulla Cœnæ. nu. 38. cap. 27.

Appellatio ab interloquutoria in quibus causis criminalibus hodie sublata. num. 15. cap 25.

Appellatur ab excommunicatione durante conditione etiam post decennium. nu. 273. cap. 27

Appetendi vis rationalis diuiditur, sicut sensu lis. nu. 8. præl. 3

Appetendi & noscendi vis intellectiua, vt differt à sensitiua nu. 6. præl. 3.

Aqua vt benedicenda, & vsui adhibenda tempore interdicti. nu. 174 cap. 27.

Argumentum à contrario sensu quando validum. nu. 71. cap. 17

Arma bellica quæ, & sunt offensiua & defensiua. nu. 63. cap 27

Ars magica vetita. nu 28 cap. 11.

Ars mechanica licet sit occasio malorum, vt bona nu. 43. cap. 14.

Ars notoria illicita, & quæ sit illa. nu. 38. cap. 11.

Articulus mortis quis dicitur. numero 31. c. 26.

Articuli fidei qui sint explicite credendi. nu. 22. cap. 11.

Assassinus quis sit proprie, & quis impropriè. nu. 136 cap. 27

Assecuratio licita & vtilis. nume. 285. cap. 17.

Assecuratur vt sors & lucrum in societate. nu. 254. & seq. cap 17.

Assecuratur quomodo capitale cum lucro nu. 254. & 255. ibid

Astutia quid. & quod duobus ministris vtitur. nu. 77. cap. 13.

Attentio ad horas sufficiens triplex, & sufficit virtualis. num. 105. cap. 25.

Attritio duplex, & quæ sufficit ad absolvendum pœnitentem. num 33 34. & 35. cap. 1

Attritio quæ agnoscitur non esse contritio non sufficit baptizando. numero 37. cap. 1.

Attritio, quæ sufficit ad Eucharistiam non valenti confiteri, & quæ ad absolvendum valenti confiteri nu. 44. ibid.

Attritus, vt sit contritus. & non attritio contritio. nu. 38. cap. 1.

Auaritia quid, & quæ contraria est iustitiæ. & charitati. nu 69 & 72. cap. 23.

Auaritia capitale vitium has septem habet filias nu. 72. cap 23.

Auaritia in vetmendo superflua, quæ mortalia. nu. 73. cap. 23.

Augurijs non credendum. nume. 37. cap. 11

Author ob nullas occupationes, vel morbos, omissa horas, nisi bis. 70. annis quibus recitat. nu. 01. cap. 25.

Authorum dicta, de passionibus animæ. vt interpretanda. num. 8. prælud. 5.

B

Baptismus quid: & quotuplex, & quæ illi substantialia. nu 5. & 22.

Baptismus à quocunque collatus valet nu. 7 ibid.

Baptismum sine concursu materiæ, formæ & intentionis non valet. nu. 7. ibid.

Baptismi errores Tridenti damnati nu. 6. ibid.

Baptismum ministrans, vel suscipiens in mortali peccat. nu. 6. ibid.

Baptizans chrismate veteri, vel non subdium, vt peccat. nu 7. ibid.

Baptizatus, aut baptizans vt irregularis, nu 246. cap. 17.

Beatitudo quid, & quotuplex. nu. 6. prælud. 4.

Beatitudo actus est non habitus, non potentia, nu. 8 præl. 4.
Beatitudo sine cognitione & amore Dei esse non potest. nu. 9 ibid.
Beatitudo duplex, perfecta & imperfecta. num. 10. ibid.
Beatitudo ab omnibus intenta paucis est nota. nu. 14 præl. 4.
Beatitudo creaturæ obiectiua increata, sed essentialis creata. nu. 11 ibid.
Beatitudo perfecta satiat animam cunctis cupitis. nu. 19 ibid.
Beatitudo essentialis est actus intellectus S. Thomæ, & actus voluntatis Scoto, nu. 5 præl. 4.
Beatitudo & beatitas olim nomina subdura, & quid, & quotuplex nu 5. ibid.
Beatitudo perfecta vt secura, & quid imperfecta nu. 12. præl. 4.
Beatitudo summa, & miseria ei contraria sunt explicite credenda. nu. 24. præl. 4.
Beatitudinis & miseriæ perpetuæ notio ad pœnitentiam calcar. nu. 1 præl. 4.
Beatitudinem perfectam viribus naturalibus quæri asserere hæreticum. num. 6. ibid.
Beatitudinem perfectam non facit cognitio Dei confusa, neque demonstrata, neque fidei, sed intuitiua. cum. 11. ibid.
Beatos non videre Dei essentiam asserere hæreticum. ibid.
Bellum ad iniustum pergens, vel in eo militans nu. 15. cap. 15.
Beatitudo humana duplex perfecta, & imperfecta. num. 17. ibid.
Beatitudo imperfecta quæ magis ad perfectam accedat. nu. 18 ibid.
Benedicat quis vestes sacras, stola pro cingulo seruit. nu. 84. cap. 25.
Benedictio nubentium quibus danda, & an præmittenda copulæ. num. 83. cap. 22.
Beneficiarius clericus vt mortaliter peccat per simoniam in beneficio propriam. num. 112. vel alienam. num. [illegible], licencia sine iusto titulo habens, vexa[illegible], vel pensionem male redimens, nu. 114. per simoniam acceptum nõ restituens, non relinquens incompatibile. num. 115. capiens beneficium curatum, aut dignitatem ante 25. annum, non suscipiens presbyterium intra annum post beneficium curatum obtentum, aut sine proposito sumendi presbyterium: & quid de dubitante, & accipiente non curatum, num. 116. & 118. vxore ducta beneficium retinens sponsalia contrahens. nu. 120. damnificãs bona beneficij. nu. 124. locans illa vltra triennium. num. 130. cap. 25.
Beneficiarius quæ profanè impensa non restituat. 94 cap. 17.
Beneficiarius vt peccat, nescions necessaria, & quæ sunt illa, non tenans peste infectum, capiens beneficium in excommunicatione, & irregularitate, & mortali. num. 132 non missans quoties, vbi, & quomodo tenetur. num. 134. cap. 25.
Beneficiarius superflua retinens, vel profanis impendens, peccat mortaliter. nu. 74. cap. 25.
Beneficiarius non perdit fructus ob peccatum regulariter, nisi quum est excommunicatus, vel non recitat, & tunc cui restituet, & an sibi pauperi retinere possit nu. 123. cap. 25.
Beneficiarij regularis & secularis quæ impensa recta. num 94 cap. 17.
Beneficiariorum malus electror vel collator, cui restituet. nu. 73 cap 17.
Beneficium appetendo quomodo quis peccat. num. 15 cap 25.
Beneficium spirituale in quem sensum est vendibile à Papa nu. 108. ibid.
Beneficium vendi quo ad partem temporalem, vt calix, & sacra. numer. 108. ibid.

Beneficium

Beneficium quodlibet residentiam requirit & quæ ab ea excusent. num. 121. cap. 25.
Beneficium vnicum sufficiens habendum, qua ex causa plura. num. 25. & 2. seq. cap. 25.
Beneficium ad retinendum, tam prodest consuetudo quàm dispensatio. num. 125. ibid.
Beneficium ad nullum detur accessus, regressus, mandatum, coadiutoria. n. 128 cap. 25.
Beneficij collatio excõmunicato etiam ignorãti facta nulla. nu 27 cap. 27.
Beneficij habẽdi ætas, curatus prædicet & profiteatur fidem, quod requirit gradum & ordinem sacrum. numero 135. & 136. cap. 25.
Beneficij collatio, vel procuratio non est debiti restitutio nu. 81. cap 17.
Beneficia incõpatibilia, vel plura quorum vnum sufficit non licet nu. 15. cap. 13.
Bigamia quid est triplex, & quelibet iuris humani delebilis à Papa, & similitudinaria etiam ab Episcopis: quæ non contrahitur à laico contrahente nulliter cum vidua. nu. 95. & 2. seq. cap. 27.
Blasphemia quid? & est duplex mentalis & vocalis. nu. 81. ibid.
Blasphemia est contraria confessioni fidei, nu 82. & 2 præcepto nu. 84 cap. 12.
Blasphemus an sit, qui cantilenas profanas diuinis admiscet. nu. 87. cap. 12.
Blasphemus quis iocando, aut turpiter nominando vt peccat. nu. 85. cap. 12.
Blasphemi absolutio vt facienda. nu. 362. cap. 17.
Bona quæ non omittenda ob scandalum. nu 44. cap. 14.
Bona quæ nullius, & quæ derelicta. num. 170. & 176 cap 17.
Bona facta in peccato mortali ad hæc multa prosunt, & nu. 167. cap. 27.
Bona vitæ, salutis, libertatis, & famæ, inæstimabilia quæ non est necesse reddere pro æstimabilibus, licet sit interdũ vile. nu. 87. cap. 7.
Bona incerta quæ? nu. 92. cap. 17.
Bona in peccato mortali facta quantum prosunt. nu. 3. præl. 7.
Bona in malo statu facta prosunt etiam ad præuia gratiæ nu. 8 cap. 3.
Bona honoraria quot, & quæ, & appetere illa de se non malum. nu 9 cap. 23.
Bona trium ordinum, vitæ, famæ, & pecuniæ multum differre. nu. 89. cap. 17.
Bonis in agendis ne sint mala, magna cura adhibenda. nu. 18. præl. 7.
Bonorum incertorum restitutio vt fieri possit à tenente ea, neque id Episcopus vetare potest nisi quatuor casibus. nu. 92. cap 17.
Bonis in quinque honorariis nocens vt peccat. nu. 17. cap. 18.
Bonum absolute consideratum obiectum potentiæ concupiscibilis, & cõsideratum vt arduum, potentiæ irascibilis. num. 4. præl. 5.
Bonum speciem mali habens omittendum, aut excusandum. nu. 44 cap. 14.
Bonorum, qui Ducem vrbem vastantem iuuit quantum restituet. nu. 20. cap. 17.
Bulla Pij V. de Cambijs. nu. 300. & 301. cap. 17.
Bullæ indulgentiarum, per incuriam quibusdam in morte non prosunt. num. 30. cap. 26.
Bulla quæ primo vsu expirat. numero 31. cap 26.
Bulla Pij V. de confidentia cum. 12. adnotationibus. nu. 110. cap. 13.
Bulla Cœnæ Domini quæ. num. 52. & iterata non multiplicat censuras. num. 55. cap. 17.
Bulla Gregorij xiij. reductionis litterarum Pij V. pro mendicantibus &c. ad terminos iuris communis &c. num. vlt. cap. 17.

Cæcitas precipitatio, inconsideratio, & inconstantia, quæ mortiferæ. nu.114.cap.23.
Cambia vsitata pecuniæ minoris pro maiore vt liceat.nu.297.& seq.cap.17.
Cambium tertium per literas licet, quatuor seruatis, & quòd merces cambientis incerta.nu.289. cap.17.
Cambium tertium de vno loco ad alium valet.sed non de tempore ad tempus.nu. 290. ibid.
Cambium quartum translationis realis licet nu.291.ibid.
Cambium quid, & quid sit siccum, & est septuplex nu.286.cap.17.
Cambium quintum ratione interesse veri, sed non falsi lucri nu.292.cap.17.
Cambium sextum per custodiam pecuniarum licet.nu.293.cap.17.
Cambium septimum præsenti pecunia pro absente licet hoc seruato.nu 294.ca 17.
Cambium primum per officium mutuandi licet sed non est in vsu.nu.288.cap.17.
Cambium secundum per minutum licet etiam primatis, etiam in Hispania.nu. 288.ibid.
Cambium etiã pecuaia pro pecunia vtrius que valorem æqualem requirit. num. 287 cap.17.
Campsor capit & reddit pecuniam dupliciter, re, & chyrographo. num. 293. cap.17.
Caritate annonæ gaudens an peccet.nu.23. cap.20.
Charitatis legem violans non restituit. nu. 19 cap.24.
Carne humana vesci non licet. num. 122. cap.23.
Canonicus regularis arma gestans an excommunicatus.nu.219.cap.27.
Castitas quibus modis seruatur.113.cap.23.
Castitati seruandæ hæc vera remedia. 195. cap.17.
Casus reseruatus quid.& quotuplex num. 259.cap.27.
Casus reseruatus dicitur quia tollitur quia non datur.nu 259.ibid.
Casus nullus reseruatus Papæ sine censura, qua sublata cessat reseruatio: secus in episcopali.nu.261.ibid.
Casus quos, & qui reseruantur Episcopis 261 ibid.
Casus fortuitus quid, & idem vni casui, alteri non nu.178. De quo nemo nisi in tribus casibus tenetur.nu.178.cap.17.
Causa etiam remota quæ obligat restituere.nu 49. cap.16.
Causa propinqua deformationis quid, & quotuplex, & multa illata. nu.211. & seq.cap.27.
Causa limitata limitatum producit effectum nu.62.cap.17.
Causa quæ iusta excusat circa legem humanam.16 præl.9.
Causa propinqua deformationis nouæ desinita nu.219.& seq.cap.27.
Causa non omnis sine qua non fieret actus est principalis.nu.101. cap.23.
Causæ sunt quatuor efficiens, formalis, materialis, & finalis. nu.119.cap.27.
Censura quid, & est triplex. numero 18. cap.17.
Censuræ non incurruntur per solum consensum.nu.15.cap.11.
Censuæ vt restituendæ nu.214.cap.17.
Cessatio à diuinis quid, & est duplex, & in his differt ab interdicto, num.188. cap.27.
Cessatio qualis, & cur ponatur post interdictum.nu.189 & 190 ibid.
Cestio qualis bonorum excusat à restituendo.nu.86.cap.17.
Christi anima quo tempore iusta effecta & beata.nu.9.præl.1.
Christi corpus totum in tota hostia, & totum in qualibet eius parte. num. 11. præl.1.

Chirurgus monachus. num. 22. & 228. nu 27.
Circunstantia alioqui necessario cõfitenda, quo casu tacenda.nu.3.cap 7.
Circunstantia quid. nu.1. & quæ sint eius species.nu.2.cap.6.
Circunstantia mutans speciem necessario confitenda.nu.3.ibid.
Circunstantia prohibita alia lege quàm ipsum peccatum, vt confitenda nu.4 ibid.
Circunstantia extenuans peccatum, quando confitenda.nu.5.ibid.
Circunstantiæ personæ & religionis quando confitendæ nu.13.ibid.
Circunstantia conscientiæ contrariæ quando confitenda nu.14 ibid.
Circunstantia numeri non est propriè circunstantia.nu.15.ibid.
Circunstantia, oblita potest confiteri peccato non confesso.nu.20 cap. 5.
Circunstantiæ, cuius defectu omnis actus sit malus.nu 24. præl.7.
Circunstantiæ quæ necessario confitendæ. nu.6 7.& seq. cap 6.
Clerici etiam alieni admittuntur ad diuina tempore interdicti, & an coniugati. nu.174.cap.27.
Clerici percussio quæ excõmunicat. nu 77. & quæ non.à num.80.& quis clericus quo ad hoc.nu.79.cap.27.
Clericis quibus quæsita sint quasi castrensia.nu 142 cap.17.
Clericos qui grauantes gabellis excommunicantur.nu.201.cap.17.
Clericus vt peccat ducens vxorem, cohabitans fœminæ. num. 108 eam tanisens. nu.109 Monasteria frequentans, habitum & tonsuram non deferens, arma gestans, ludens, mẽdicans, lanius, taberuarius, mercator, aut mensam non benedicens, aut faciens, quæ antiquo, & nouo iure hic relato vetantur, in quibus sunt omnia officia secularia, cum arte medica.nu.110.& 111. cap 25.
Clericus vt peccat alios clericos ad diuina officia admittẽs. nu.94. interdicta non seruans, excõmunicatos sepelieus, absoluens indebite confessum & non monens eum.nu.95.male vota cõmutans.nu.96. omittens aut volens omittere horas canonicas aut partem earum, male eas recitans non attendens ad eas &c. à nu. 69. vsque ad 103. Hostias multas consecrans nu 91. cap.25.
Clericus, vt peccat sacramenta in mortali ministrans, sacra tangens aut post notorium peccatum, etiam acta pœnitentia missans nu.73.& 74.cap.25.
Christere quis sundens non absoluendus. nu.26.cap.3.
Cognatio spiritualis non nascitur ex solennitate supplente baptismum. nu 39. & 40.cap.22.
Cognatio spiritualis quid. num. 36. & ad quos Tridenti, restricta. numero 37. cap.22.
Cognatio legalis quid.quotuplex & quousque impedit & dirimit. num.44. & 45 cap.22.
Cognatio ex catechismo non dirimit, & an restricta Tridenti nu.72.cap.22.
Cognatio spiritualis spontanea vt maior coacte contracta.nu.34 cap.16.
Collatio beneficij pura quod non possit pendere fallit hic.nu.104.cap.23.
Collatio beneficij facta irregulari nulla. nu.249.cap.27.
Collatio beneficij facta excõmunicato quæ valida.nu.272.cap.27.
Columbarium quod liceitum. num.126. & 127 cap. 7.
Comedens, vel propinãs notabiliter noxia. nu.13.cap.15.
Comedit qui in finem, &c.nu.15.cap.16.
Commissio, sicut mandatũ expirat morte committentis.nu 223.cap.27.
Commissum capitur iustè in conscientia, & etiam tacetur.nu 64.cap.23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Commodans vt peccat ante tempus repetens.nu.182.cap.17.
Commodatarius vt peccat non reddens, aut vtens, &c.nu.183.& 184.cap.17.
Commodatarius remittens per nuntium non videntem nu.185 & 186.ibid.
Commodatum à mutuo in eius redditione longe differt,nu.186.& seq.ibid.
Commune fierì, & communicandum longe differre.nu.61.cap 17.
Communicari potest absque cõfessione inopia confessarij.nu.6. cap.7.
Communicandum in Pascha aut ante, vel post octo dies, nisi &c.nu.41.cap 21.
Communicet, quàm citiùs poterit non communicans in Paschate.num. 46. ibidem.
Communicans alienum parochianum peccat nisi,&c. nu 52.ibid.
Communicans vel celebrans pluries quàm semel in die peccat.nu.54 ibid.
Communicare bene quis censura ligatus potest.nu.48.ibid.
Communicare non licet pœnulis, nec aliis sub vtraque specie, nisi celebrando.num. 57.ibid.
Communicare qui tenetur pluries in anno, & quoties expediat & deceat. nu. 57. ibidem.
Communicat quis scienter in mortali & ob id peccat.nu 46. ibid.
Communio confessionem actualem mortalium prærequirit, nisi, &c. num. 49. ibidem.
Communio quo esu vel potu eodem die præsumpto, impeditur.nu.53.ibid.
Communio quando ob peccatum occultum malè & ob publicum rectè denegetur. nu.55.& 56.ibid
Communio Christianorum triplex. quamnam tollit principaliter excommunicatio.nu.18.cap.27.
Communio, quod non requirat confessionem, disputare malum: num.10.cap.12.
Communionis omissio ob odium, &c. quæ mortalis,nu.50.ibid.
Communionem quæ copula vel pollutio incita, vel illicita impedit.nu.51.ibid.
Communionem non procurans iis, quorum curam gerit quando peccet.nu.57.ibid.
Commutatio omnis æqualẽ valorem commutatorum requirit.nu.187.cap 17.
Compositio de incertis, quæ iusta. num.93. cap.17.
Compensatio quæ sit pro vita, & fama non facit eas æstimabiles. numero 90. cap 17.
Concilio non derogatur, nisi expressè. num. 265. cap 27.
Concubinarij clerici pœnam innouat Concilium Tridentinum, addens nouam. num.109.cap.25.
Concubinarij, vt plurimum excommunicati.nu.23.cap 16.
Concubinarius verus, aut pro tali habitus, quis non debet absolui num.20. & 21. ibidem.
Concubinarij, qui non possunt absolui, & qui sic nu.19.cap 3
Concubinarius clericus, & fornicarius vagus, pares, non humantur in sacro num. 77 & 78 cap.15.
Concubinarius notorius, quis euitandus.nu. 80 ibid.
Concupiscentia inordinata rei notabilis mortalis est nu.1.cap.20.
Conditio non omnis impleta quo ad Ecclesiam impletur.nu.66. cap.22.
Conditio quid. & quotuplex in matrimonio quæ suspendit, quæ annihilat, quæ reiicitur. & quo differt à causa, modo, & demonstratione.nu.61. & 62 c.22.
Conditio si N voluerit an eo semel renuente vel tacente impleatur.nu.63.ibid.
Conductor partiarius non partiens domino locanti arbores,nu.199.cap.17.
Conductor non soluens, vel damnificans, &c. nu.198.cap.17.

Confessarij cur furi non iubent soluere impensas istas.nu 140.cap.17.
Confessarij dictum qui reuelans, peccat mortaliter.nu 44.cap.11.
Confessarij caueant, ne reos animas, vel vitas perdere faciant,nu.36 cap.15.
Confessarius confitentem patientes, quid moneat.nu.11.præl 5.
Confessarius quis perfectus, & quis sufficiens.nu.8.cap.4.
Confessarius debet habere potestatem, scientiam, & bonitatem.nu.1. cap.4.
Confessarius doceat confessum bne, & hoc, alium ad aliud exhortetur, alium laudet, alij nihil dicat.nu.1. hoc præstari faciat quinque casibus num.2. facile non iudicet esse mortale quod est controuersum. quid tunc faciet Non absoluat nolentem facere necessaria nu.3. Quid faciet quando pœnitens contrarium suæ opinionis habet.nu.4. quid quãdo vterque. Quid dicet ei, qui restituere debet. Quid ei qui alia vice restituturum se promisit, & non præstitit. num.5. Quid faciet in absolutione peccatorum reseruatorum cum breui resolutione.num.6. cap.2.
Confessarius audiens ex præcepto minori scientia indiget, quàm audiens sponte. nu.9. & 10.cap.4.
Confessarius potest esse quis idoneus vni loco & non alij. nu 11.ibid.
Confessarius non est sufficiens absque iusta scientia, & absoluendi potestate. nu.12. ibidem.
Confessarius imperitus qui excusatur à culpa nu.13.ibid.
Confessarius audiens multos pueros, vt peccat.nu.13 cap.8.
Confessarius an absoluat eum, qui semel iussus non restituit.nu 59. cap.17.
Confessarius quando iuste differt debitori solutionem.nu.65.ibid.
Confessarius deponens de sibi confessis, qui frangit Sigillum.nu.15.cap.8.
Confessarius dicens in tali loco committuntur grauia peccata male agit. num. 16. ibidem.
Confessarius quas pœnitẽtias imponit prudenter.nu.17.ibid.
Confessarius sic recipiat pœnitentem, & hæc interroget nu.1 & 2.cap.10.
Confessarius quæ dicet in principio, medio, & fine.nu.3 cap.10.
Confessarius quid admonebit cõfessum non satis contritum.nu.4 ibid
Confessarius quis per bullam electus tollit irregularitatem.254.cap.27.
Confessarius quæ debet interrogare sub pœna culpæ mortalis.nu.1.& 2.cap.5.
Confessarius interrogando hæc tria seruet. num.3.& circa peccata carnis hæc. nu. 4 ibid.
Confessarius non potens confiteri peccatum nisi reuelando confessionem taceat illud. nu 6.cap.8.
Confessarius absoluens in peccato peccat: sed absolutio valet nu.15.cap. 4.
Confessarius quid de impensis beneficij iudicabit nu.94.cap.17.
Confessarius pœnitenti absoluto hæc consulat.nu.25.cap.26.
Confessarius sic admoneat pœnitentem, qui votum violauit, &c. nu.331.cap.12.
Confessarius quantum debeat interrogare, circa peccata luxuriæ.nu.4.cap.6.
Confessarius vt sæpe confessionem detegit. nu.9. & 10 cap.8.
Confessarius antequam pœnitentiam iniungat, dicat hæc.nu.19.cap 26.
Confessarius quis prodesse possit, & non obesse.nu.7 cap.7.
Confessarius dubius an confessa sint mortalia, quid faciet. nu.2. . cap.23.
Confessarius quos reos se & consortes reuelare iubebit nu 18 cap.18.
Confessor vt scandalizari potest ratione circunstantiæ.nu.4.cap 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessor vt iuste neget adulteram non esse sibi confessam adulterium.num.19. ca.8.
Confessor non ostendat pauorem, nec sinat nominare complicem.num.6.cap.10
Confessor negligens in volentem palliare peccata quid noceat.nu.7.cap.10.
Confessor interrogando pœnitentem vnde incipiat.nu.cap.10.
Confessor potest dicere heredi restituenda mortui.nu.23.cap.17.
Confessio similitudinaria non inducit sigillum.nu.8.cap.9.
Confessio, quæ multis videtur & non est sacramentalis.nu.55.cap.18.
Confessio facta vni non sufficit, vt alter absoluat.nu.169.cap.27.
Confessio sacramentalis qua lege debet esse integra.nu.1.cap.7.
Confessio omnium mortalium intra annũ per seipsum necessaria, & interdum ante Quadragesimam: venialium vero vtilis tantum nisi &c. nu.33. & trib. seq.cap.21.
Confessio talis qualis eius finis, & quis principalis.nu.40.ibid.
Confessio facta excommunicato, suspenso, vel interdicto, quæ valet.num. 8. 9. & 10.cap.9.
Confessio facta Curato caueti omni titulo non valet.nu.11.cap.9.
Confessio facta nescienti, aut nolenti absoluere vt conuenit nulla.num. 18. ibidem.
Confessio sine proposito vitandi futura, vel non integra nulla nu.13. ibid.
Confessio omittentis aliquid cõfiteri iusta de causa valet nu.14.ibid.
Confessio sine debita cura reminiscẽdi quæ non valet,num.16 ibid.
Confessio non est interãda ob pœnitentiam non impletam, neque &c.num.17. & 18.ibid.
Confessio sacramentalis quid. num. 1. cap.2.
Confessio non fuit inducta iure naturæ sed diuino Iesu Christi D.N.
Confessio facta laico, non est sacramentalis.nu.4.ibid.
Confessio sacramentalis exigit multa in quibus multi errant.nu.5 6.7.& 8.alij.
Confessio quo tempore facienda lege diuina, quo humana, & quo extra illa. nu. 9.& 10.ibid.
Confessio sacramentalis: fuit instituta à Christo de omni mortali.& eius circũstantiis nu.12.cap.2.
Confitendo qui mentiens, vel nolens integre fateri peccat mortaliter num.37.& seq.cap.21.
Confitens, qui laico, vel qui confessionem iteranspeccat mortaliter.nu.21 ibi.
Confitens ei cui male confessus est, non tenetur confessa re confiteri num.19.
Confiteri peccatum mentis sine operis, non sufficit.sed contra sic num.30.prælud.7.
Confiteri an debeat qui negauit, & ad mortem damnatur.n.38.cap. 5.cap. 9.
Conficiens instrumẽtum de re illicita, scribens statuta vsuraria non retinens prothocollum sine regestum, faciens testamentum insano.stipẽdium nimium capiens, litteras ordinum carius tradẽs. num.54.cap.25.
Confidentia quid, quotuplex.num.109. cap.23.
Confidentia plus nocet quam simonia etiã realis num.190.ibid.
Confidẽtia inducit nouam reseruationem. num.109. ibid.
Confidentiæ huius mediator excommunicatur sicut simonia nu.109.ibid.
Confidentiam hanc non facit promissio cõferendi.num.109.ibid.
Confirmatio quid,& quod est vere & proprie sacramentum nu.8. cap.22.
Confirmatio Patrinum requirit, & ordinem præcedit.nu.9.ibid.
Confirma

Confirmationis minister ordinarius Episcopus, & quando presbyter. num. 8. ibid.
Confirmando, sic, vel sic peccat Episcopus. nu.9.ibid.
Confirmans existens in mortali, vel omittens ob contemptum, vt peccat.num. 9. ibid.
Coniuges qui se impudicè tãgentes & extraordinarie polluentes nu. 42.c.16.
Coniux vt peccat vetando cõiugi missam, & ieiunium.nu.19.cap.14.
Coniux percutiens, vel verbis infamans coniugem nu.14.ibid.
Coniux notabiliter contemnens coniugem. nu.20 ibid.
Coniux prouocans coniugem ad magnam iram, vel ad blasphemandum.num. 20. ibidem.
Coniux cognoscens suam, vt non suam, vt peccat.nu 23.& 24.cap 16.
Coniux recte reddit debitum male petenti interdum non.nu.14 ibid.
Coniux negans sine iusta causa coniugi debitum petitum.num.25. & 26.cap. 16.
Coniux non discedens à coniuge adulterãte vt peccat.nu.28 ibid.
Coniux conceptionem impediens, & ob id semen extra vas fundens.nu.33 cap. 6.
Coniux quifit patrinus filij per ignorantiam vel maritum.num.34.ibid.
Coniux cognatam noscens, vel cõiugi adulterandi licentiam dans num.35.ibid.
Consanguinitas quid, & impedit & dirimit intra quartum gradum.num. 41. cap.22
Conscientia quid, quotuplex, scrupulosa quam mala, nascitur ex sex causis.nu. 280.& curatur decem medicinis nu. 28 cap.27.
Consilium quis dicitur dare, & quod nocet danti.nu.51.c.27.
Conscientia contra legem quis dicatur peccare nu.9.prælud.6.
Consecrari quæ monacha non potest. num. 3.cap.16.
Consilium dolosum, vel damnosum, quod mortale.nu.1.cap.24.
Consilia spernens, vel non implens quando peccat mortaliter.num.10.cap.20.
Consilia Christi præparatione animi seruanda.nu.21.ibid.
Consulens suæ scientiæ ob hoc non multum confidat.num.112.cap.17.
Consultum à Christo statutum, non esse tã bonum ac contrarium asserere, hæresis. nu.21.cap.20.
Consilium contra Christiũm: an peccet monachus caritate annonæ gaudens.nu. 22. ibidem.
Consuetudo etiam circa sacramentalia induci potest.nu.81 cap.22.
Consuetudo dicendi, Dæmon te arripiat, diabolica.nu.10.c.14.
Consuetudo optima legis interpres. nũ. 59. cap.21.
Consuetudo excusat à pœna, licèt non excuset à culpa.nu.106.cap.27.
Consulere pro lucro an liceat festis. nu.12. cap.13.
Contemptus legis verus quid, & quis præsumptus.nu.42.c.23.
Contentio quid.nu.11. & quæ mortalis. nu.34.cap.23.
Contractus per quosdam transit dominium, & per quosdam non.num.186. cap. 7.
Contractus magis obligat cum, cuius gratia fit nu 199.ibid.
Contractus nominati, & innominati in hoc pares.nu.179 ibid.
Contritio quàm singularis requiratur de singulis peccatis.nu.22.& 23.cap.1.
Contritio singularis non necessaria de venialibus.nu.24.cap.1.
Contritio delet omne peccatum: etiam ante confessionem.nu. 24. quæ semper fuit

necessaria: mala tamen statim post peccatum nu. 25. & 28. cap. 1
Contritio in quibus casibus, & quando necessario habenda nu. 27. & 28 ibi.
Contritio vt habetur sine memoria peccati nondum remissi, nu. 29. ibid.
Contritio quid? nu. 1 vt non est essentialiter dolor nu. 3. & 4. ibid.
Contritio quem, de quo, & quantum dolorem requirat. nu. 6 ibid.
Contritio non est necessaria de futuris: sed propositum ea cauendi. nu. 7 ibid.
Contritio carens debitis circunstantiis non est contritio. nu. 32. cap. 1.
Contritio perficitur gratia, & ad eam mouent sex. nu. 39. ibid.
Contritio, quod non sit pars pœnitentiæ, vel attritio sit mala hæresis. nu. 41. ibid.
Contritio quæ sufficit, & quæ non ad absoluendum. nu. 44. & 45 ibid.
Contritionis effectus qui sint. num. 40. ibid.
Contritus non est, qui non odit peccatum plusquam alia mala. nu. 16. ibid.
Contritus virtute, vt tenetur conteri actu. nu. 11. ibid.
Contritus vt est, qui conatur esse contritus & non est. nu. 18. ibid.
Contumelia, conuitium, & improperium quid nu. 10. cap. 18.
Copula carnalis perfecta quid. & quæ generat affinitatem nu 43. c 22.
Correctio iusta qua contumelia carere debeat. nu. 2. c. 16.
Correctio fraterna quid & qui ad eam tenentur. num. 12. cap. 24.
Correctio fraterna quando non necessaria. nu. 16 c. 18.
Correctio fraterna de solis mortalibus facienda. nu 13. cap. 24.
Correctionis fraternæ ordo, & quando non seruandus. nu. 4. c. 24.
Corrigens intentione mortali, vel cum dãno notabili, vt peccat. nu. 15. ibi.
Credens quemlibet saluari in sua lege vt peccat nu. 22. cap 11.
Credens patrem in diuinis maiorem esse, silio vt peccat nu. 22. ibid.
Culpa quid, & quotuplex. nu. 177. c. 17.
Curiositas quid, & quod semper est peccatum, & quando mortale. num. 14. c. 23.
Custos qui non bene custodit nu. 136. c 17.
Custos, apparitor, & merinus, vt mortaliter peccant, non accusando inuentum, aut damnum nõ intimando, aut non restituendo hoc & hoc. nu. 34. cap. 25.
Cultos pascui, venatus, & piscatus &c. nu. 122. & seq. c. 17.
Custos ex officio vt plus tenetur quam alius. nu. 136. ibid.

D

Damnum datum à multis diuisis, vel vnius sub duce, vel sine illo. num. 130. cap. 17.
Damnum impedire cum periculo, qui etiã iudex non tenetur. nu. 21. cap. 17.
Damnum proximi etiam mediocre quando impediendum. nu. 22. cap. 24.
Damnum proprij boni, & lucri non restituere alienum. nu. 59. cap. 17.
Damnum debitoris, & creditoris, quod differt restitutionem. nu. 62. ibid.
Damnum quod formidatur reip. excusata restitutione nu. 63. ibid.
Damnum dans aliquid laudãdo, aut aliàs animans. nu. 132 ibid.
Damnum qui dat ministrans aliena hæ faciat. nu. 137 ibid.
Damnum datum cum impensis, & interesse est restituendum 140. ibid.
Damnum dandum qui impedit volentem illud impedire. & qui mittit ad terrendum ioco, si per incuriam damnum datur. num 140. ibid.
Damnum quod debitoris, eum à restituendo excu

de excusat. num. 59. ibid.
Damones bufariam inuocantur, expresiè, & cacitè. nu. 15 c. 11.
Dæmoni herbam; & musicam nil resistere nu. 38 ibid.
Datum ob maleficium, quo titulo retineri potest. num. 33. c. 17.
Debitor creditori posteriori prius petenti cur prius soluit. nu. 53 cap 57.
Debitor quoties non peccat nõ restituendo. num 55 ibid.
Debitor sciens se talem antequam damnetur restituat nu. 64. said
Debitor differre non potest soluendo paulatim. num. 66. ibid.
Debitor non liberatur specie perempta. nu. 80. ibid.
Debitor non omnis securus per condonationem quo ad peccatum, num. 78. ibid.
Debitor non excusatur licèt debitum non petatur. nu. 79. ibid.
Debiti remissio solutio quædam est. nu. 45. & 46. ibid.
Debitum facilius remittitur, dum res soluenda præsens non est. nu. 46 ibid.
Debitum ex contractu, vel quasi soluatur vbi dictum est, vel petitur. num. 43. cap. 17.
Debitum ex delicto, aut quasi soluatur vbi damnum passo fiat satis. num. 43. ibid.
Debitum tantum legale recuperationem occultam iustificat. nu. 114. c. 17.
Debitum in foro animæ, non debetur adulteranti nu. 22. c. 22.
Debitum condonatu, cui principaliter debetur. nu. 46. c. 18.
Debitum vt negatur ob ministrum, aut locum sacrum. nu. 32. c. 16.
Debitum negandi coningi quæ iusta causa nu. 27 ibid.
Debitum in India petitum alibi an cambiis minuendum. nu. 43. ibid.
Debitum omne soluendum si potest, sin minus, prius certum, quàm incertum. nu. 47 & 49. & prius res sua domino. nu. 49. quam illud, & illud 50. & 51. & prius talium, & talium contractuum, quam vsurarum. nu. 52 c. 17.
Debitum ex delicto, & contractu quoad quæ pars. nu. 58. ibid.
Debitum granum, qui nõ petit donec pluris valeat. 225 cap. 57.
Decalogus continet summam eorum, quæ agere & vitare tenemur. nu. 3 c. 11.
Decalogus etiam nunc durat, & est speculum baptizatis nu. 2. ibid.
Decimas ob retentas quis religiosus incurrat excommunicationem. num. 138. c. 27.
Decimæ quo ad quetam, iuris humani, quo ad sustentationem diuini, nu. 28 & ita quo ad illam tollitur consuetudine, & non quo ad hanc. nu. 30. c. 21.
Decima triplex, prædialis, personalis & mixta. nu. 29. ibi.
Decimam insolitam non imperat Papa. nu 30 ibi.
Decima personalis in quo à prædiali differt, & non soluitur nu. 31. ibi.
Decima soluenda non deducta impensa, nec semine. nu. 31. ibi.
Decimas debens, vel impediens, ante restitutionem non absoluatur. nu. 32. ibi.
Defendere omittens peccat si consentit, & etiam dissentiens si tenetur, etiam cum incommodo, nu. 17. cap. 24.
Defendere vitam & bona proximi, & impedire damna, vt tenemur. nu. 17. ibi.
Defendere qui lege iustitiæ tenentur. nu. 18. ibi.
Defendere omittens, non omnis consentit, & quis præsumitur consentire. nu. 18. ib.
Defendere omittens opitulando, peior simpliciter omittente. nu. 19. ibid.
Defendere quo emittit consentit, vt verum triplici opinione confutata. nu. 20. ibi.
Defendere omittens quis præsumitur con-

sentiri, & speculati. nu. 19 ibid.
Defendere proximum à damno magis præ cipium, quàm subuenire ei ad lucrum, nu 28 cap. 24.
Defensio iusta, inculpatæ tutelæ, nu. 3 c. 15.
Defensionis ex charitate omissio cur impu tetur foro exteriori. nu. 21. c. 24.
Defensionis quæ obtissio irregularitatem, & censuras inducit. nu. 22. ibi.
Defensionis omissio etiam sine consensu cur peccatum. nu. 20 ibid
Definitio genere, & differentia constare debet. nu 2 prælud. 1.
Definitio hæc peccati cur eligitur num. 8. præl 7.
Deformare hic capitur pro occidere, vel mutilare circa irregularem ex homicidio. nu. 206. & seq. cap 27.
Delectari quis potest de bono nascente de alterius morte. nu. 10. cap. 15.
Delectatio præsens de copula præterita, vel ventura, quando peccatum. nu. 20. c 16.
Delectatio quæ morosa, & concurrentibus quatuor mortalis. nu. 13. c. 11.
Delectationi malæ resistere est virtus, & consentire peccatum. nu. 4 ibid.
Delectatione. quam cogitando percipit, si lætatur. nu. 10 c. 16.
Deliberatio quæ ad obligationem sufficit. nu. 7. c. 18.
Delinquens non excusatur eo, quod alius id fecisset, nu. 10. cap. 17.
Dæmon per herbam & musicam resistitur. num 38. cap. 11.
Dæmones bifariam invocantur. nu. 25. c. 11.
Denunciator, vt mortaliter peccat denunciando quod, aut quo fine, vel modo non debet aut non denunciando quod debet. cum exemplis. nu. 13. c. 22.
Denunciator secum & cum alio teste probat. nu. 33. ibi
Deponens pecuniæ cum pacto, aut intentione lucrandi. nu. 42. cap. 17.
Deponens pecunias in scriptura mutui vel depositi, vt peccat. nu. 160.
Deponens qui apud campsorem gratis custodientem usurarius nu. 293. ibid.
Deponens mutuabile cum facultate utendi, &c. nu 180 ibid.
Depositarius ne de dolo teneatur, pactum non valet. nu. 181. ibid.
Depositarius vt peccat non reddendo, vel vtendo. nu. 181. c. 17.
Depositarius se offerens, non ad plus tenetur, nisi &c. nu. 181 ibi.
Derisio quid & quæ blasphemia, & quæ mortalis nu. 5. c. 18.
Desperatio filiæ acciditæ quæ mortalis. nu. 125 cap. 23.
Detectio mali proprij, & neglectio famæ quæ mortalis. nu 61. cap. 18.
Detractio quid? & quotuplex & quæ mortalis. nu. 18. & 18. ibi.
Detractor, qui suum crimen detegit etiam tenetur. nu. 29 ibi.
Detractor non est accusator, aut alias iuste crimen detegens. nu. 30 & 31. ibid.
Detractor, qui inventor libelli famosi illum legens. nu 34 & seq. ibid.
Detractor quis audiens vel referens mala, vel bona tacens. num. 36. 37. & 38. ibid.
Detractor quis iudex inquirens, nu. 38. interrogans, vel tabens denunciari, num. 33. vel visitans aut procurans occulta scire, num 40 & 41. ibi.
Detractor qui falsum imponès peccat mortaliter. nu. 21. 24. & 25 ibi
Detractor qui secretum detegit peccat mortaliter. nu. 26. & 27 ibi.
Deus totus in tota orbe, & totus in qualibet eius parte. nu. 11. præl. 1.
Deus vt Deus, nullius figuræ, quatenus homo gratiosissimæ & benignissimæ. n 291. cap. 27.
Dei visio intuitiua inseparabilis à gaudio, & delectatione. num. 13. præl. 4.

Deus

Deus est quicquid in eo est. num. 7. præl. 4.
Dijs Deabusque gentilium, aut planetis aliquid tribuere diuinitatis impium. n. 41. cap. ..
Discordia quid. nume. 11. & quæ mortalis. nu. 33 c 23.
Dispensat Papa aliter quàm inferior, etiam in quo vterque potest. numero 74. cap. 25.
Dispensat vt Episcopus in irregularitate peccati notorij. nu. 77. ibid.
Dispensatio danda gratis cum aliqua trium conjarum, alias non. nec cum ea in secundo nisi &c. nu. 87. c. 22.
Dispensat soli Prælati Ecclesiastici circa vota. nu. 75. c. 2.
Dispensare potest sed non solet Papa in irregularitate homicidij voluntarij, nu. 239 c 27.
Dispensare, commutare, & irritare votum differunt nu. 63 c 12.
Dispensare qui potest super voto, cur non potest super iuramento, numero 275. cap 22.
Dispensare nequit Episcopus cum irregulari ex homicidio iusto. n. 217. & cum male ordinato sic. nu. 241. cap. 27.
Dispensatio qualis excusat à mortali. nu. 13. præl. 9.
Dispensatio alia iusta, alia iniusta, alia nulla. nu. 14. ibid.
Dispensatio sine causa, quæ non est mortalis. nu. 14. ibid.
Dispensatio inferioris circa legem superioris, quæ valet. nu. 15 ibid.
Dispensat vt Episcopus in irregularitate notorij criminis, & in nulla Confessarius. nu. 5. cap. 27.
Dispensans & dispensatus super voto absque iusta causa, vt peccant. numer. 76. cap. 12.
Dispensandi vna causa in voto, est lenitas veniendi. nu. 77 ibid.
Dispensatus super voto per falsam aut iniustam causam. nu. 37. c. 12.
Dispensat quis ad ordines, & cum male ordinato. nu. 59. c. 25.
Dispensatio difficilius datur in contracto futuro, quam ad contrahendum. num. 86. cap. 22.
Dispensans super voto, vel commutans illud, qui peccat nu. 72. c. 12.
Disputare de fide Laico illicitum. num. 27. cap. 11.
Diuertere ob quæ potest, & debet coniux à coniuge. nu. 22 cap. 22.
Dives quis non tenetur quærere pauperes nu. 13 præl. 7.
Doctor vel Magister vt peccat mortaliter lauream immeritam, vel principaliter eam ob honorem petens, vel suscipiens.
Docens Theologiam in peccato mortali notorio.
Admittens excommunicatos, vel malos scholasticos. nu. 55. & 56.
Aut admittens religiosos, vel presbyteros.
Approbans ad lauream indignum. falsa docens, vel inutilia, aut malo fine mortali præsertim vltimo.
Subornans auditores, procurans, vt indignus ad munera studij deligatur. num. 57.
Prælegens die festo, seruans nouum festum, stipendium primatum acceptens, vel beneficium cum pacto legendi.
Castigans discipulos, aut contemnens simplices. nu 58. seq. cap. 25.
Doli actio non datur ob omnem quantitatem quæ mortalem culpam facit. nu. 3 cap. 17.
Dolia, & alia vasa vitiosa sciens vendens, aut locans. nu. 96. cap. 17.
Dolor qui pœnitentis vt non debet esse minor. nu. 20. & 21. cap. 1.
Dolus quid & quotuplex, nu. 177. c. 17.
Dolus & fraus quid, & sunt genus & species. nu. 77. cap. 23.

Domi ao

Dominus vt violat 4 præceptum erga subditos suos, nu.29.cap.14.
Dominus, cui restituenda sua res est, quis dicatur, nu.28.cap.17.
Dominus consumens suam rem interdum restituere tenetur, nu.62.ibid.
Dominus non sit rei, quæ vsu consumitur, & quod iure eam consumat. numero 62.ibid.
Domini terrarum à Sarracenis cultarum eis decimantibus hoc agant, num. 27. cap.26.
Domino restituendum quando cuius est suspectus, nu.28.cap.17.
Domino suo restituenda res regulariter: sed fallit hic, nu.29.ibid.
Dominium directum, & vtile definitur. nu.74.ibid.
Dominium rei quæsitæ per vsuras quærit vsurarius, nu 265 ibid.
Dominium rei emptæ ab vsurario quærit emptor, nu.265.ibid.
Dominij translatio per simoniam solo iure diuino non impeditur, nu 104.c.23.
Donatio à patre filio facta quatenus reuocanda. nu.141.cap.17.
Donatio facta à patre quæ valet, nu.144. ibid.
Donare licet vt reddat duplum, si moriatur intra tale tempus. nu.222.ibid.
Donatio coniugis facta coniugi, quæ valet, nu.149 ibid.
Dos tota vxori reddenda licet ornatus eius fuerit nimius, nu.155.cap.17.
Dotem ab vsurario datam retinendi remedium. nu.272.ibid.
Dotis ob solutionem dilatam, quid lucri capere liceat nu.213.ibi.
Dubia in meliorem sensum interpretanda & in clarum non esse locum coniecturis, nu.9.prælect.
Dubium de fide non facit scrupulus nec subreptio. nu.22.cap.11.
Dubijs in rebus pars tutior an necessario eligenda, nu.284.c.27.
Dubius, credens, & sciens, in hoc pares nu 55.c 22.
Dubius deponat dubium antequam iudicet, consulat, aut operetur nu.288. ibid
Duella mala, vel torneamenta iniens, vel eis adsistens nu.9 c.11.
Duella quæ inter particulares milites exercituum licent. nu.27. ibid.
Duella illicita exceptis duobus, & quæ prohibita per Conc. Trid. nu.39.c 11.
Duritia cordis quæ mortalis, & vt confitenda, num 76.c.23.

E

EBrietatem scienter sibi vel alij pro curare, mortale nu.121.c.21
Ecclesia vt dicatur polluta in 6. casibus, nu. 2.6. & seq c.27.
Ecclesia non punit interiora, nec exteriora sola intentione mala, nu.103.c.23.
Ecclesiæ Rom iura & bona nulla taciturnitate, vel patientia perdi. numero 72. cap.27.
Ecclesiæ immunitate qui gaudent, nu. 17. & 18.cap.25.
Ecclesiæ immunitate gaudet regulariter omnis christianus tantum, & non alij. nu.19 ibid.
Ecclesiæ facies quæ olim, quæ nunc, quando, extra eam etiam cum causa non contrahitur, nu. 70.c.12.
Ecclesiam non turbent strepitus, deambulatio & colloquia profana n.10. c. 21.
Eleemosyna actus misericordiæ, cur dicatur charitatis, nu.3.cap.24.
Eleemosyna spiritualis præstat corporali, quando vtraque præcepta nu. 5. & 8. ibid.
Eleemosyna in vita potius quàm post eam agenda nu.8.ibid.
Eleemosyna spiritalis, quando cum vitæ periculo præcepta, nu.9.10. & 11. ibid.

Eleemosyna danda egenti extremè nullam votum vel præceptum excusat, nu. 11.ibid.
Eleemosynã octo casibus vxor largiri potest, num.53.& seq.c.17.
Eleemosyna cur necessario fiat etiam inuito non egenti illa extreme, numero 23. cap.24.
Emendatur c. non inferenda. 23.q.3.num. 15.c.24.
Emens rem ab eo, quem suspicari debet furem caueat sibi nu 84.c.17.
Emens triticum, vinum, aut oleum quod elegerit, nu.217.ibid.
Emens minoris debita lege post soluenda, 130 & 231.ibid.
Emens vel vendens aliud pro alio, vel vilius pro pretiosiore, vt peccat, num. 89. cap.23.
Emens triticum, vel vinum tempore messis, vel vindemiæ vt excusetur num.91. ibidem.
Emens vel vendens monopolio, vel solus priuilegio, vt peccat. nu .92. ibi.
Emi, obligari, stipulari possunt futura, nu. 104.cap.23.
Emphyteosis quæ perditur biennio non soluendo, nu.193.cap.17.
Emphyteusis amissio pendet à volantate Domini cui amittitur, nu.104.c.23.
Empto liberi hominis alioqui periturj, licita, nu.98.ibid
Episcopalem iurisdictionem habens, an in hoc æquetur Episcopo. num.95.c.12.
Episcopi absolutionem eius, qui bona incerta habet vt reseruare possint, num. 91.c.17.
Episcopi inquirant, an clerici gabellis grauentur. nu.202.ibid.
Episcopus ordinans alienum aut suum sine titulo, vt peccat, nu.18.c 22.
Episcopus intra quot menses sub duplici pœna consecrandus, nu.118.cap.25.
Epistolæ clausa quæ apertio mortalis, numero 53.c.18.
Error multiplex personæ, conditionis, fortunæ, & aliarum qualitatum, nu. 32. & 33.c.22.
Error personæ, & conditionis derimunt, sed non alij, nu.34.ibid.
Error personæ vel conditionis seruilis annihilat matrimonium, nu.31.c.22.
Euagatio mentis quæ mortalis. num. 125. cap. 13.
Eucharistiæ sacramentum polynomium & quid, nu.10.c.22.
Eucharistiæ circa sacramentum errores, nu.10.ibid.
Excommunicatio conditione non trahitur retro, & appellatur ab ea durante conditione etiã post decennium, numer.273. cap.17.
Excommunicatio quid, diuiditur in maiorem &c. & minorem, quæ sint illæ, & quòd in dubio significatur maior. Diuiditur etiam in generalem, & specialem & generalis in latam à iure, & latam ab homine, numero 1. quo differant. Diuiditur etiam in iustam, & in iniustam & quid, & iusta quid effecit, nu. 2.cap 27.
Excommunicatio iniusta, quæ diuiditur in iniustã validã, & in iniustam nullã, iniusta valida in duas quæ differũt sic. iniusta nulla quid operatur, nu. 3. ibid.
Excommunicatio iniusta est nulla in his quinque casibus, nu 4.ibid.
Excommunicatio maior non feratur, nisi propter contumaciam mortalem, aut peccatum futurum &c. nu.9.ibid.
Excommunicatio quæ sine monitione sententia, & clausula iustificatiua est nulla, nu.10.& 12.ibi.
Excommunicatio de rebus perditis à solo Episcopo danda, & alia non nisi in subsidium, nu.10 ibi.
Excommunicatio annalis suspectum hæreseos facit, nu.10.ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Excommunicatio quibus verbis fit nu.12.
& conditionalis vel sine intentione ligandi an liget, nu 11 ibid.
Excommunicatio, vt tollat communionem interiorem, & exteriorem, & mixtam, nu.17. & priuet à sacramentis, & suffragijs nu.18 diuinis officijs.nu.19. & omni contento hoc versiculo, os, orare, &c.nu.20 facit & alia vndecim. nu. 29. & 3 seq.ibid.
Excommunicatio, & absolutio conueniunt in hic.nu. 37. & differunt in hic. nu.38.ibid.
Excommunicatio sine causa parum nocet, absoluto multum prodest, an falsa vtraque annihilet nu. 18.ibid
Excommunicatio minor solam participationem passiuam sacramentorum tollit, non missæ auditionem, &c.nu. 24. & 25.sic incurritur non æquatur mortali, tollitur à quouis presbytero, numero 26. non incurritur in his casibus num. 26. & 27.ibid.
Excommunicatio generalis non ligat impotentem parere neque eam qui scit &c. nec etiam specialis termino prorogato, nec tunc &c. numero 14. & 15 ibid.
Excommunicatio non ligat ignorantem eam, etiam super re illicita. nu.16.ibid.
Excommunicatio vt interpretanda, & lata in facientem, non includit regulariter consentientem.nu 51 ibid.
Excommunicatio non obligat eum qui clam sua recuperat. nu.114.c.14.c.17.
Excommunicatio pura quod non possit petere fallit hic.nu 104 cap 23.
Excommunicatio lata à iudice in participantes excommunicato à se, sine ista monitione nulla nu.36.cap.27.
Excommunicatio prima reseruata Papæ extra bullam Cœnæ, in canonum transgressores.nu 75. secunda in percussorem clerici.nu.76.ibid.
Excommunicatio prima bullæ Cœnæ in hæreticos.nu 56.
Secunda, in schismaticos.nu.57.
Tertia in appellantes ad futurum Concil.nu.58.
Quarta in Pyratas.nu 59.
Quinta in accipientes naufragorum bona.num.60.
Sexta in imponẽtes noua pedagia.n.61
Septima in falsarios nu.62.
Octaua in deferentes arma turcis.n 63.
Nona in impedientes necessaria Romam adducentes.nu 64.
Decima in male tractantes venientes & recedentes à curia.nu.65.
Vndecima in male tractantes Rompetas.nu.66.
Duodecima, in iniurios Cardinalibus. nu 67.
Decimatertia in impedientes cursum cursarum Curiæ.nu.68
Decimaquarta, in vsurpantes fructus &c.nu.69.
Decima quinta, in laicos cognoscentes de criminibus clericorum.nu.70.
Decimasexta, in occupantes bona Sed. Apost.nu.71.
Decimaseptima, in male absoluentes à censuris bullæ, quæ tamen non est reseruata.nu 74.ibid.
Excõmunicatio prima nemini reseruata in seculares nõ reddentes ius ecclesiasticis.
Secunda, in consentientem electioni de se in Papam malefactæ.
Tertia, in eum qui sic suscipit munus administrandi partem talis episcopatus.
Quarta, in scholasticos Bononiæ, qui sic conducunt nu.114.
Quinta in imponentes tributa, &c. ecclesiasticis nu. 115.
Sexta, in certos clericos qui audiunt leges aut medicinam nu.116.
Septima in clericos suscipientes præfecturas seculares.

Octaua,

Octaua, in schismaticos.
Nona, in capientes bona naufragorum nu.117.
Decima, in seruantes statuta contra libertatem Ecclesiæ.nu.118.
Excommunicatio vndecima nulli reseruata, & prima Sixti, in eos qui secreto mittunt. &c.
Cardinalibus quando sunt in Conclaui ad eligendum.
Duodecima, in dominos &c. qui in electione Papæ non faciunt obseruari, &c.num 121.
Decimatertia, in eos qui molestia afficiunt electores, eo quod non elegerint optatum ab eis nu.122.
Decimaquarta, in neue vsurpantes ius custodiendi aliquam ecclesiam sede vacante &c.nu.123.
Decimaquinta, in directorem electionis monialium, qui hoc vel illud facit.num.124.
Decimasexta, in eum qui procurat suum conseruatorem &c.
Decimaseptima, in facientes se motu absolui à censuris.
Decimaoctaua, in fingentẽ aliquid quo index vadat ad mulierem nu.125.
Decimanona, in compellentes submittere bona ecclesiastica.nu.126.
Vigesima in inuentores nouarum religionum.nu.127.
Vigesimaprima in exigente ab ecclesiasticis portoria nu.128.
Vigesimasecunda, in sic impedientes iurisdictionem ecclesiasticam num.129.
Vigesimatertia, in dominos qui prohibent subditis ne vendant, neue emant à clericis &c nu.130.
Vigesimaquarta in religiosos temere habitum deferentes nu 131.
Vigesimaquinta in religiosos ad studia sine licentia euntes, &c.nu.132.
Vigesimasexta, in Doctores docentes leges religiosos nu.133.
Vigesimaseptima in sepelientes hæreticos.nu.134.
Vigesimaoctaua in iudices non auxiliantes contra hæreticos &c. numero 135.
Vigesimanona, in interficientes per assassinos nu.136.
Trigesima ĩ pmittẽtes fœneratores n.136
Trigesimaprima in dantes represalias contra ecclesiasticos nu.136.
Trigesimasecunda in negligentes persequi iniurias Card.nu.136.ibid.
Excommunicatio non ligat extra Episcopatum etiam ipso volente.nu.273.c.27.
Excommunicatio trigesimatertia non reseruata, & prima clem. in frangentes sequestrum, vel impedientes &c.nu.137
Trigesimaquarta in sepelientes in loco interdicto.nu.137.
Trigesimaquinta, in religiosos qui sibi appropriant decimas nu.138.
Trigesimasexta, in religiosos adeuntes Aulas ad nocendum nu.138.
Trigesimaseptima in monachos habentes arma in monasterio nu.139.
Trigesimaoctaua, in impedientes visitationem monialium.nu.140.
Trigesimanona in imitantes statum delinquentium nu.140
Quadragesima in contrahentes matrimonium in sex casibus.nu.141.
Quadragesimaprima, in Inquisitores pecuniam accipientes &c. nu. 142.
Quadragesima secunda, in facientes statuta ad soluendum vsuras nu. 143.
Quadragesimatertia. in mendicantes, accipientes domos num.144.
Quadragesimaquarta, in religiosos dissuadentes decimas nu.145.
Quadragesimaquinta, in negligentes suadere decimas, &c.nu.145.
Quadragesimasexta, in religiosos non seruantes interdictum, nu. 46.

Quadrage

Quadragesimaseptima in impugnantes literas Papæ electi nu.247.
Quadragesimaoctava in interpretantem clementinam Exiui nu.147.
Quadragesimanona, in Bizoches aut Beguinos nu.148.
Quinquagesima, in imprimentes libros sine examine nu.148.
Quinquagesimaprima, in impedientes Nunciorum receptionem nu.149.
Quinquagesimasecunda, in alienantes vel locantes bona ecclesiastica nu.149.
Quinquagesimatertia in mulierum raptores &c.
Quinquagesimaquarta, in cogentes ad matrimonia minus libera.
Quinquagesimaquinta, in cogentes virginem &c. ingredi monasterium &c.
Quinquagesima sexta, in impedientes Virginũ sanctarum veli accipiendi voluntatem &c.
Quinquagesimaseptima, in concedentes locum ad duellum &c.
Quinquagesimaoctava, in committentes duellum &c.
Quinquagesimanona, in dantes consilium in causa duelli, & illius spectatores.
Sexagesima, in non habentes pro authenticis libros sacrorum bibliorum &c.
Sexagesimaprima, in mulieres ingredientes claustra monasteriorum.
Sexagesimasecunda, in male tractantes ministros Inquisitionis.
Sexagesimatertia in scientes & non revelantes iniurias Cardinalibus.
Sexagesimaquarta, in capientes fructus beneficiorum primi anni &c.
Sexagesimaquinta, in moniales exeuntes monasteria &c.
Sexagesimasexta, in capientes Christianos in seruos
Sexagesimaseptima, in non parentes inquisitioni generali nu.150. c.27.
Excommunicationis absolutionem huiusmodi satisfactio præcedat. num. 47. & seq. cap.27.
Excommunicationem qui procurat in finẽ, vt proximus damnetur. nu.24. c.14.
Excommunicatione à minore, & maiore lata à iure, vel ab homine hic absoluit, num.39. & 40. etiam sola tonsura initiatus licèt non soleat fieri cum magno interdum incõmodo. nu.41. & seq. cap. 27.
Excommunicationes iuris antiqui paucæ, nouæ multæ: nouissimæ quamplurimæ, nu.49. ibid.
Excommunicationes Episcopo reseruatæ sunt tres. & aliæ duæ aliquando, nu.12. & seq. ibid.
Excommunicans sine facultate causa, ordine, scriptura, vel monitione peccat. num.8. ibid.
Excommunicare potest regulariter omnis qui habet iurisdictionem ecclesiasticam, ordinariam, vel delegatam in foro exteriori nu.5. ibid.
Excommunicare nequit Episcopus extra suum episcopatum nec laici, nec mulieres neque quis se ipsum. nu.6. ibid.
Excommunicare an possit consuetudo, aut excommunicatus, suspensus, aut interdictus nu.7. ibid.
Excommunicato specialiter non denunciato præsente quæ missa continuanda. nu.33. & 2. seq. ibid.
Excommunicato ob iustum timorem participari potest sic, & non sic. nu.36. ibid.
Excommunicato non declarato quali confiscatur beneficium. nu.105. cap.13.
Excommunicato pro denunciato orari potest oratione priuata, non publica, &c. num.36. ibid.
Excõmunicato participare veniale. nu.29. nisi sex casibus. nu.30. & seq. ibid.
Excommunicati mortui cuius absolutio non petenda nu.271. cap.27.

Ex

Excommunicari solum potest homo baptizatus, & mortalis habens superiorem proinde nec diabolus, nec Papa, nec infidelis, nec locusta, licet possit adiurari, nn.13 ibid.
Excommunicatus est iumentum Diaboli, præter illum & illum, nu.18. & 19. ibi.
Excommunicatus vt infamis nu.21. & vt perdat debita seruitia nn.22. & 23 ibi.
Excommunicatus est qui dicto vel scripto affirmat contrariũ fidei, nu.22. cap.11.
Excommunicatus cõmunicat cum vxore, filiis, & famulis, non est vitandus donec denuncietur. num.27 cap. 27.
Excommunicatum etiam non confessum absoluit sacerdos etiam excommunicatus in morte nu.271. cap.27.
Excommunicatus notorius quis euitandus. nu.80. cap.17.
Excommunicatus qui clericum seipsum percutiens, nu.11. cap.15.
Excommunicatus an sit exterius faciens opus infidelitatis. nu.16. cap.11.
Excommunicatus contrahere & testari potest, vt ceteri nu 36. cap.17.
Exemptus hodie multo plus subiaceat ordinario quam olim. nu 13 cap.15.
Exequator testamenti, vt mortaliter peccat. non soluens legata & debita, vel nimis tarde, & qui ob hoc excommunicatus. num.65. non seruans rem pupilli. nu 66. eius pecuniam lucro iniusto deputans, transiens ad secunda vota nu. 67. ibi.
Extrauagãtis Pij V. edita super censibus tenor nu.233. & seq. cap 17
Extrauagantis, ad euitanda verus tenor. nu 35. ca. 27.
Extrema vnctio quid. & vnctio cum verbis concurrat nu 12 cap.22.
Extrema vnctio quas partes tangit, & quibus sit verbis. nu.13. & quare modo & nõ violẽter moriturisdatur n.12. ibi.
Extremæ vnctionis de sacramento multæ veritates Tridentinæ. nu 15 ibid.
Extremæ vnctionis contemptus, vel infirmitatis susceptio mortalis nu 16. ibid.
Extremè petenti satisfit etiam non donando. nu 81 cap.17.

F

FAllacia species doli. nu.177 cap.17.
Falsarius eus restituere qui nummos in substantia falsauit. nu 167 Qui circumcidit, aut attenuat nummos. Qui scripturam pondera, mensuras, aut sigillum nu 167. cap 17
Falsarij bullarum qui excõmunicati. nu. 169 ibidem.
Fama quid. vt hic accipitur & quotuplex. nu.19. cap.18.
Fama proximi seruanda quando aliter ipse potest seruari nu 56. ibid.
Fama bonitatis sola inæstimabilis nõ alia, nu 91 cap.17.
Fama per æquiualens nequit restitui secundum S. Tho nu.90 ibid.
Fama, vita, & libertas, & conueniunt, & æstimari non possunt. num. 89 cap.17
Fama non æstimatur pluspuam vita, licèt sic vt illa compensetur nu 90. ibid.
Famam mulier proba pluris quàm libertatem æstimat. nu.90 ibidem.
Famam qualis relator mali non restituit. nu.50 cap.18
Famam non læsam tentãs eam ladere, non restituat etiam si &c. nu.44. cap. 8.
Fama læsa mendacio, aliter quàm læsa vero restituenda. nu 45. ibid.
Famæ restitutio condonari etiam iuste potest. nisi, &c nu 46 ibid
Famæ damnum notabile quid nu.20. 22. & 23 ibid.
Famæ ablatio an compensetur ablatione reciproca nu.46 ibid.
Famæ debitam non tam facile tollitur, ac actio iniuriarum. nu.47. ibid.
Famæ restitutio excusatur vitæ vel salutis

periculo.nu.47.& diuione nu.48.& seq.ibid.
Fœminam qui manu ducens non absoluendus nu.27.cap.5.
Festa sanctorum non thuris sed bis exhibenda nu.20.cap.15.
Festa vt ociosè relaxentur ob necessitatē, quam ob pietatem.nu.4.cap.13.
Festa inducunt,tollunt,& moderātur lex & consuetudo.nu.5.ibid.
Festa sua omnis regio & morantes in ea debent obseruare.nu.5.ibid.
Festos dies, quos viator seruare teneatur. num.5.ibid.
Festi dies omnes Christianorum, sunt lege hominis inuenti.nu.1.ibid.
Festi obseruatio nunc non tam stricta, ac olim.nu.2.ibid.
Festis diebus præcipimur audire missam, & vetamur opus seruile facere.n.2.ibi.
Festis S.Cruc.Michaelis.Innocentium.& Syluestri licitè quis laborat.nu.15.ibid.
Festis contritio bona, sed non necessaria. nu.17.ibid.
Festo de violato, quædam accusandi consuetudo mala.nu.20.ibid.
Festū an violat mulier qui in eius vigilia mittit iumēta operari. num.12. cap.13.
Festum an violat,ob pietatem, vel necessitatem.vel sine illa, tradscribēs librum, pulsans lyram, canens, &c.nu. 13.& 14.ibid.
Festum an violat, ob necessitatem laborās, qui ludit.saltat,venatur, & otiosè tota die vagatur.nu.15.ibid.
Festum an violet qui omittit in eo opera præcepta.nu.10.cap.13.
Festum qui violat P. N. nisi aliquod horum excuset.nu.6.ibid.
Festum qui violat, vi, metu, præcepto,vel coactione.vt peccat.nu.6.cap.13.
Festum qui violat iter agendo, deferendo onera,&c.nu.7.ibid.
Festum violat,qui vendit,emit,commutat, &c. nu.8.ibid.
Festum an violat,tonsor,piscator, molitor, nu.9.ibid.
Festum an violat, qui laborat pro pauperibus.nu.10.pontibus, & viis reficiendis.nu.11.ibid.
Fidei articulos expresse, & in particulari non credens,quando peccat.nu.22.c.11.
Filiæ renunciatio cum enormi lesione vt valet 152.cap.17.
Filius qui patri nō obedit quoad regimen, & bonos mores,nu.12.ibid.
Filius qui parentibus in magna necessitate constitutis non succurrit nu.3.ca.14.
Filius,qui ob parentum subuentionem non egreditur religionem.nu.14.ibid.
Filius qui non ducit vxorem, quem pater vult.nu.19.ibid.
Filius qui parentum male parta non restituit.neq; legata adimplet.nu.16.ibid.
Filius vt peccat, qui de bonis patris eo nolente aliquid accipit,vel eo volente, vel donante vltra dimidiam.num. 158.& seq.cap.18.
Filius fruens fructibus, vel pecunia patris clam fratribus. nu 168.ibid.
Filius vt peccat mortaliter odiendo parentes aut eis malum cupiendo, aut eis amoris signa non monstrando. num. 11.cap.14.
Filius parentes feriēs, ad iram prouocans, eos accusans, execrans, contemnens, mortem exoptans,vel non liberans carcere.nu.12.ibid.
Filius,quæ alimenta studij computat in legitimam.nu.159.cap.17.
Filius donatum patri tenuiu nolens conferre nec fratris impensas studij soluere, nec perdita ludo,vel pœnam delicti non cōputat in legitimā.nu 162.& seq.ibi.
Filius matrimonij putatiui qui legitimus. nu.54.cap.22.
Filius patri seruiens quale mixtum peculium habeat.nu.144.cap.17.

Filius qui plus aliis patri seruit, quid plus habet.nu.148.ibid.
Filius studiorum impēsam à patre factam an constituat nu 159.ibid.
Filij legitimam non minuit ornatus sibi à patre datus.nu.19.ibid.
Filij lucra de patris pecunia facta.nu.161. & seq.ibid.
Filij proprij susceptio quæ impedit matrimonium.nu.74.cap.22.
Finis vitæ animæ.& bonis domini excusat à furto.nu.5.cap.17.
Finis malus, & bonum ex malo natum differunt nu.10.cap.12.
Finis præcepti alius ab eo non est in præcepto.nu.2.cap.13.
Finis principalis operis boni licèt non possit esse bonus eo minus potest tamen esse minus principalis modo non sit malum culpæ.nu.13.cap.14.
Finis quid vltimus & medius, & quid vterque nu.3 prælud.4.
Finis multiplex. verus falsus, cuius, & quo.& quid sint.nu 4.ibid.
Finis vltimus, & beatitudo idem num. 4.ibid.
Finis aptus spiritualium vil temporale est. nu.13.& 15.cap.22.
Finem vltimū non ponit in creatura quisquis mortaliter peccat.nu 19. prælud 9.
Fornicandi desiderium & delectatio morosa quando peccatum.nu.9.cap.16.
D. Fräciscus à Nauarra olim prior Roncesuallis pōst Archiepiscopus Valentinus laudatus nu.135.cap.27.
D. Franciscus Toletus societatis IESV insigniter laudatus.nu.239.ibid.
Franciscus Azoicueta Xauier Societatis IESV laudatur.nu.10.cap.14.
Fraus species doli.nu.179.cap.37.
Fructus pignoris quando bene capiantur. nu.2.13.& seq ibid.
Fugere quis an teneatur.nu.4.cap.15.
Fundi pignorati fructus qui bene capiantur.nu.217.ibid.
Fur,& alij res etiam paruas publicæ pœna restituant damna.nu 2.cap 11.
Furantem non impedientes quis restituet, nu.21.cap.17.
Furi cui non restituenda res furtiua.num. 29.ibid.
Furatur qui aliquid ab eo qui illud petitū dedisset aut multa parua. n.139.ca.17.
Furtum quid.& dividitur in mentale & reale nu 1.ibid.
Furtum genere suo mortale sed excusat ab eo paruitas.nu.1.ibid.
Furtum ad causandam mortale. quanta quantitas requiratur nu.2.ibid.
Furtum notabile, & furtum notabiliter nocens differunt nu.2 ibid.
Furtum pauperi & diuiti factum qualiter mittendum.nu.2.ibid.
Furtum propter omne mortale non fertur excommunicatio vbique.nu 3 ibid.
Furtum mortale hac quantitas facit. nu. 4.ibid.
Furtum à mortali culpa septem excusant. nu.4.& seq.ibid.

G

Gabella rerum quas homines ad suā necessitatem seruant nu 102.c.17.
Gabellas obmercedes delens sic verū pandat. nu.102 ibi.
Generatio, & processio in diuinis spiritualissimæ nu.9 prælud.3.
Gloria vana quid.nu.100.quot, & quæ filia eius.nu 11.& 12 cap.23.
Glossæ Clementinæ Exiui. de verb. sign. an prohibetum nu.147.cap.27.
Gratia gratum faciens quid, & quanti valoris.nu 2.præl.9.
Gratia in diuina se esse nemo scit, & quis piè credit esse.n.nu 47.cap.11.
Gratia & operibus & non sola fide saluari homines.nu.5.præl.1.
Gratiam vel gloriam æternā arbitrio liberō quærere præsumptio nu.14.cap.23.

Gratiam quæ tacitur vitas annihilat, & quæ expressio num 86.cap.22.
Gratiam gratum facientem primam nemo de condigno meretur.nu.11 prælud 3.
Gratia Dei quælibet sine dono perseverantiæ non sedet nu 11 ibid.
Gratiam primam nemo de condigno meretur.nu 8.prælud.1
Gratis qui debet facere,turpiter pro illo accipit 34 cap.17.
Gregorius XIII. feliciter cæpit feliciùs prosequitur fœlicissime perfecturus. nu. 54 cap.27.
Gula quid, & habet quinque species, & filias quinque.nu.9.cap.13
Gula non est edere carnes in terra aliena, vbi id licet,nu.120.ibidem.

H

Halitus quid, & quotuplex. nu 11. præl.5.
Hæres cum excommunicati absolutionem quærere non debet.nu 172.cap 27.
Hæresis & hæreticus quid, & vt excommunicatus.nu 22.cap.11.
Hæreticis credentes fautores, & receptatores.qui.nu 56.cap 27.
Hebetudo mentis quæ mortalis 123.ca.23.
Homicida liberi vel serui quid restituere debet.nu 22 cap 15.
Homicida an teneatur se carceri offerre. num 22 ibid.
Homicida quid teneatur soluere cognatis. nu.24 ibid
Homicida quas impensas tenetur restituere nu 23 ibid.
Homicidium voluntarium exactè definitum, num 239. & cum quod dispensat Episcopus nu.240.cap 27
Hominis liberi emptio regulariter illicita. nu.95 cap.23.
Homo imago Dei,quo ad naturam,potentias & actus nu.18 præl 3.
Homo qua via Deum vnum, & trinum melius cognoscit.nu.19. ibid
Homo est imago Dei quo ad mentem, & non quo ad corpus nu.16 ibid.
Honor quid & quæ inhonoratio mortalis. nu.11.cap.18.
Honorem ob tuendum, vt licet alium persequi.nu.4.cap.15.
Horariæ preces ob quas causas iustè omittuntur,nu.101.vsque ad 105.cap.15.
Horas ad quas tenëtur clerici sacri.nu.96. ad quas minores.nu.108.ibid.
Horas non recitans etiam pensionarius, cui restituet, & per extravag. Pij V. num.122.ibidem.
Hospita solent polui cum hospite quomodo potest absolui.nu.20.cap.3.
Hospitalarius vt mortaliter peccat. nu.67. cap.25.
Humilitas ad sui essentiam, non requirit expressam ad Deum subiectionem. nu. 6.cap.23.

I

Iacobus Sabellus Cardinalis multis nominibus suspiciendus nu.82. cap.25.
Iactantia filia primæ Vanæ gloriæ, quid. nu.11.& qua mortalis.nu.16.cap.23.
Ieiunij die qui ministrans cibos peccat. nu.16.cap.21.
Ieiunare quis licet edat mane, teneatur. nu.22.ibid
Ieiunium frangit præueniens horam, sed non vesperas,aut nonam nu.27.ibid.
Ieiunet famulus sed nemo die Dominica. nu.17. ibid.
Ieiunia determinantia ius naturæ omnia iuris humani.nu.11.& 12.cap.21.
Ieiunium non frangit potus,nec medicina, nec prægustatio nu.13.ibid.
Ieiuntum hora comestio, & colatio matutina frangit nu.14.ibid.
Ieiunij qui cibi vetiti.nu.15.ibid.
Ieiunio à seruando triplex causa,quos excusat,nu.16.ibid.

Ieiunio

Ieiunio liberat bonum etiam mercede sic exercitum.nu.17.ibid.
Ieiunium, quæ & peregrinatio, & cum vxore discordia tollit.nu.18.& 19.ibid.
Ieiunio non omnis solutus potest edere carnes.nu.23.cap.21.
Ieiunium ad frangendum quis inuitans peccat.nu.24.& 25.ibid.
Ieiunium, quæ causa tantum potativa & dubia tollit.nu.20.cap.21.
Ieiunium circa, etiam Episcopus, & alij Prælati sic dispensant. nu. 21. & 22. ibidem.
Ignorantia quæ facit actum non esse humanum.nu.8.præl.6.
Ignorantia,quæ excusat.nu.10.præl.9.
Ignorans cur non incurrit pœnam extraordinariam num.174.cap.27.
Ignorãtia quotuplex, & quæ vnaquæque illarum.45.& 46.cap.23.
Ignorantia interdum excusat à pœna legis,& ab ea.nu.47.ibid.
Illegitimus capiens beneficium sine dispensatione,vel pensione nu.517.cap.25.
Imago Dei est mulier,ac vir,n.17.præl.3.
Impedimentum ob quod absoluit quis à censura reseruata.nu.89.cap.21.
Impedimentũ impotẽtiæ quid, & dirimit, quid faciet sic impeditus.nu.59.cap.22.
Impedimentum iustitiæ publicæ non statis quid.& quam restrictum sit Tridenti. nu.5 ibid
Impedimenta dirimentia aut tollat consuetudo.85.cap.22.
Impediens malo animo cur non restituit, impediens autem metu sic.nu.73.ca.17.
Impediens consequendo aliquo bono, quis tenetur restituere.n.69 70.& 73.c.17.
Impediens cursum causarum Curiæ, vt excommunicatus.nu 68 cap.27.
Impedire furtum quis & quomodo tenetur.nu.136.ibid
Impensa omnis inordinata peccatum, sed magis clerici quam laici.nu. 94.ca.17.
Impensæ quæ, & quomodo commodatario soluendæ.nu.186.cap.17
Impressio & editio librorum vt prohibita. nu 148.cap.27.
Incantatio prohibita, & fide indigna.nu. 3 cap.11.
Incestus gradum cur necessario à confesso exprimendum.nu 3.cap 16.
Incestus tam cum cognata quam affine impedit matrimonium, sed Episcopus dispensat.nu.74.& 75.cap.22.
Indignatio quæ christiano mala.nu.118. quæ mortalis.nu.11.cap.23.
Infante cum tenere in eodem lecto dormiens.nu.13.cap.15.
Infantis hospitali expositi expensas quis soluet.nu.48.cap.16.
Infidelis duplex positiue & negatiuè, hic non peccat ille sic nu.23.cap.11.
Inimico an quis debeat amoris signa ostendere nu.25.cap 14.
Iniuria non omnis affectus eam remittere potest.nu.25.ibid.
Iniuriam inferre imbecillitas, propellere virtus.nu.16 cap.24.
Iniuriæ veniam vter offensorum petere debeat.nu.25.cap.24.
Iniustitia omnis genere suo mortalis.n.72. cap.23.
Inobedientia quæ mortalis.num.35.& 36. cap.23.
Inquisitores ob acceptam pecuniam quomodo excommunicati. num. 143. cap. 27.
Instrumenta ad viuendũ necessaria quando non restituenda.nu.59.cap.17.
Intellectus cap. de hoc. de simon. num.32. cap.17.
Intellectus,& inductio cap.officij de pœnitent.& remi.nu.90.ibid.
Intellectus dicti Pauli de interiore & exteriore homine nu.12.præl.1.
Intellectus nouus. cap. quantæ. de sentent. excommu.nu.21.cap.24.

Universidad de Deusto Biblioteca

Intellectum l.1. §. Item que. ff. de aqua pluu. arcen. nu. 71. cap. 7.

Intellectus veri ne cap. fin. de simo. & eius dare dicti. 7. nume. num. 102. cap. 23.

Intellectus an petat voluntate, vel voluntas intellectu. nu. 7. prol. 1.

Intellectus verum cap. per vestras de donat. probans lucrum sine periculo. num. 256. cap. 17.

Intellectus illius dicti, Bonæ mētis est timere cuipā, vbi non est. n. 284 c. 17.

Intellectus l. 4. §. sed & quod meretrici. ff. de condict. ob turp. cau. nu. 14. cap. 17.

Intentio virtualis, ecialiter necessaria ad irregularitatem tantam, quam ininsta. num. 213 cap. 27.

Intentio secundaria nec vsuram, nec simoniam facit. nu. 209. cap. 17.

Interdictu ingressu ecclesiæ. nu. 73. rebaptizandi. chrismate veteri vngens, peste tibum celebrans nu 75. non confessus, concubinarius notorius. nu. 76. cap. 25.

Interdicto in loco, & etiam in ecclesia clerici recitēt horas nu. 75. & 176. & vt campanæ pulsatio. Episcopi benedictio, & sacramentalium vsu liceant, confessio item, & alia plurima. nu. 177. & 178 cap 27.

Interdictorum multorum priuilegia an prosint 189. ibid.

Interdictū iure suspenditur quatuor festis, & an priuilegio alijs n 182. & 183. ibi.

Interdictum non denunciatum nō obligat. neque nullum, & quando tale & vali dum violando qui laici & moniales peccant. nu. 187. ibid.

Interdictum hic non generaliter sed specialiter sumitur: quo conueniat, & differat ab excommunicatione, & suspensione, num. 164 & 165 cap. 1.

Interdictum triplex & quid vnumquodque includat. num. 166. & 67 ibid

Interdictum ciuitatis includit suburbia, & ecclesias, sacella, & cametria contigua. num 167 ibid

Interdicti communiter qui excōmunicat, & suspendit, & contra nu. 128. ibid.

Interdictum fertur ob culpam alienam, sed non ob culpam delict. num. 168. & 169. ibid.

Et ponitur ipso facto à iure his casibus. n. 169. Et quæ opera prohibeat n 120. ibi.

Interdicta quæ priuilegia particularia relaxant 179. & duo seq. ibid.

Interdicto vetantur omni. diuina, sacramenta, & sepultura, præter expressa nu. 171 ibid.

Interesse quid, quotuplex & quod peti potest nu. 211 cap 17.

Interesse lucri cessantis petitur sine his conditionibus. num 212. ibi.

Interrogatus quod scit, qui vt iuste negat. nu 88. cap 12.

Inuentio nouitatum secunda filia vanæ gloriæ, quid nu. 11. & quæ mortalis. nu. 18. cap. 23

Inueniens aliquid vi fluminis in suum fundum tractum num 7 cap. 17.

Inueniens aliquid vt peccat, si non restituit, aut non quærit num 50 ibid.

Inuidia quid, & genere suo mortalis num. 118 cap 23.

Inuocatio Dæmonum tacita fit quinque modis nu 21. cap 11.

Ira sæpius passio, & est vitium capitale. num 115 cap 23.

Irregularitas quid, humanum inuentū est, tollitur manente peccato. n. 191. & 192. & est quintuplex, nulla mentalis tantum. num 192. cap 27.

Irregularitas ex quali defectu membri. vel visus noscatur. n. 198, & quæ quoad vsū officii & non quo ad aliud In qua solus Papa dispēsat. n. 199. & 200. c. 27.

Irregularitas illegitimitatis quos notat, & à quo tollitur. nu. 201 ibid.

Irregularitas non tollitur alioquē commissione speciali. 194. c. 27.

Irregularitas pœna maior, quam excommunicatio minor. nu. 143. ibid.

Irregularitatem non duplicat celebratio, nec tollit bulla communis nu 94. ibid.

Irregularitatem quis confessor per bullam electus tollit. num. 250 ibid.

Irregularitatē an cōtrahit excōmunicatus ignorans, vel non declaratur. 105. c. 13.

Irregularis an omnis incapax beneficij nu. 251. cap. 27.

Irregularis per deformationem illicitam est omnis & solus ille &c. nu. 3. & c. 27.

Irregularis sit quis propter abortum procuratum. num. cap. 14. 15.

Irregularis vt sit ordinat⁹, aut ordine vtēs in censuris, aut ab Episcopo censurato, aut extra tempora, aut vtens ordine nō habito. num. 141. & 2 seq. cap. 27.

Irregularem facit omnis deformatio illicita mere intenta, & nulla mere casualis, mixta vero facit contentum in hac regula 28. Corollarium ornata à num. 120 de monacho chirurgo, abortiente volunrante, & non deformante, ministrante arma, iuuante & hortante, accusante sine protestatione, detinēte furem, alente feram, medico, dormente & ebrio, non contradicente, consulente &c. de non denunciante magistro castigante, ludente illicite, clerico venāte, aurigero equitante, & de adulterante à nu. 121. vsque ad num. 139. cap. 27.

Irregularis est ex defectu perfectæ lenitatis omnis & solus qui &c. num. 207. & 208. & ita iudex accusator, testis &c. qui fuerunt causa deformationis sequitur num. 109. & seq. cap. 27.

Irregularis non est sic dans arma hortans, pugnans & contra Aluarū Pelag. nu. 214. Et quis ferens ligna, parans funes & alia ad deformandum. num. 215. c. 27.

Irregularis deformans ob defensionem parentum & patriæ &c. non autem denuncians &c. nu. 219. cap. 27.

Irregularis quis minor. num. 201. æger, ob fessus, lanaticus furiosus, hæreticus, phreditus. num. 203. seruus, infamis & abstemius. nu. 204. cap. 27.

Irregularis est bis baptizans, aut bis baptizatus. num. 146. & 147. cap. 27.

Irregularis non est simpliciter consentiens homicidio facto, vt faciendo. num. 16. cap. 24.

Irregularis quis Idiota, Neophytus, & Infidelis, & quis dispensat. num. 205. c. 27.

Irregularis vt sit censuratus celebrando, aut actum ordini proprium agendo nu. 144. cap. 27.

Irregularis est occidens maritum alicuius fœminæ ob sui defensionem. nu. 7. c. 15.

Irregularis nemo in dubio iudicandum in foro exteriori, sed sic in interiori. num. 193. cap. 27.

Irregularem facit sola enormitas peccati non facit. num. 148. quid aliud requiratur. nu. 149. cap. 27.

Iudex nau cogens restituere reip. aut priuato. num. 156. cap. 17.

Iudex qui reum deseruit & consortium interrogando, & terquendo peccat. num. 59. cap. 18.

Iudex secularis eiciens Episcopum à suo Episcopatu, &c. excommunicatur. nu. 67. cap. 27.

Iudex non auxilians contra hæreticos vt excommunicatus. nu. 35. cap. 27.

Iudex vt peccat mortaliter suscipiendo officium, cui est impar nu. 12. cap. 25.

Iudex iudicans iniuste aut accipiens pretium pro sententia etiam iusta, vt peccat. nu. 12. ibid.

Iudex vsurpans iurisdictionem non seruās ordinem iudiciarium, vt peccat. num. 13 ibid.

Iudex male capiens & victum non condēnans in expensis peccat.num 11.ibid.
Iudex non facit studens, nec consulens, affectio comedendi, & miseru non deserēs vt peccat.nu 13 ibid.
Iudex appellationi non deferens, vel eam non admittens, vt peccat. num 14. ibid.
Iudex pœnam legis augens, vel diminuēs, vt peccat nu 4.ibid.
Iudex sententiam nullam superioris exequens, vt peccat nu 15.ibid
Iudex non obediens Ecclesiæ, non seruans interdicta, prabendens iudicem ecclesiasticum, qui eum excommunicauit, cogēs absoluere libertatem Ecclesiæ minuens, res intra ecclesiam capiens, vt peccat num.16 ibid.
Iudex extrahens quem ab ecclesia, approbans falsitatem officiarij, negans damnato confessionem vt peccat.nu.17. & seq.ibid.
Iudex partibus æquales aduocatos non assignans, non visitans carceres, excommunicatum admittens, clericum suo iudici non reddens, indicās die festo, iura nimia exigens, fingens quo fœminam adeat procedens sine accusatore, vt peccat nu.24 & seq ibid.
Iudex non inquirens generaliter, non interrogans, & inquiren specialiter, vt peccat.nu 25.ibid.
Iudicium temerarium quid? & crebro parit mendacium nu.9.cap.18
Iulius Auc ou Sauctorius Cardinalis S. Severinæ laudatus num 83.cap.22.
Iuramentum sine tribus comitibus peccatum, & est duplex nu.3.cap.11.
Iuramentum res parua, an obliget ad mortale.nu. 0 ibid
Iuramentum conditionale quod ligat. nu. 1 & 12. & quod factū sine animo adimplendi.nu.3. & quod factum contra consilia.n.15 & 16. & quod dolosum,n. 13 14 & quod factum de re vana. nu.17 ibid.
Iuramentum de redeūdo in carcerem, quod ligat.nu.18. & quod factum secundum intentionem remotam eius cui iuratur. num.19.ibid.
Iuramentum de secreto seruando, quando ligat.nu.22. & 23.ibid
Iuramentum, quod ligat post, ad quod non ligat cum fit.num.89.cap.12.
Iurans falsa vt peccat.nu.4. & seq.c.12.
Iurans solucre ludo perdita, quid faciet.n. 17.cap.20.
Iurare quid sit num 1. & est actus latriæ, & religionis.num.2.cap.12.
Iurare nunquam licere dicere hæreticum. nu.4 ibid.
Iurare per creaturas quando blasphemia. nu 4.i id.
Iurare secundum suam intentionem, & non illius cui iuratur, vt peccatum.8. & 4.seq.ibid.
Iurat vt per falsum Deum & ethnicus velle malum: sed non vt iuret: licet sciat iuraturum per falsum Deum.num 39. cap.14.
Iurium illicite impositorum exactor vt peccat nu.201.cap.17.
Iurisdictionem alienam vsurpare mortale nu 14.cap.23.
Iustificatus nullus nisi per merita Christi, neque per illa lege priuata, nisi sic, & sic communicata.nu.5.præl.1.
Iustitia distribuendi beneficia & officia publica multum differt iustitia distribuendi communes pecunias Communitatis singularibus eius.nu.72.cap.17.
Iustitiam originalem sibi & posteris perdidit Adam.nu.5.præl.8.

L

LAtro diurnus & nocturnus in quo differant.nu.5.cap.15.
Laude falsa vel alias inordinata gaudere non semper malum.num.13.cap.13.
Laudimium soluere non tenetur denans, sed sic vendens.nu.85.ibid.
Laus, honor fama, gloria, & reuerentia, quid.nu.9.cap.23.
Legare num.mpi, vt de reditu missæ dicantur, an liceat.num.257.cap.17.
Legatum à patre relictum filiæ cui dos debetur, an compensetur.nu.150 cap.17.
Legatum pium male solutum.nu.117.c.17
Legati qui impedit receptionem est excommunicatus.nu.139.cap.27.
Legitima filiorum varia in variis Regnis. num.50.cap.16. & 18.cap.17.
Latitia nimia quæ mortalis.num.123. 23.
Lege Nauarrorum & Aragonum pater filium sine causa cure exhæredare queat. nu.58.cap.26.
Legem non arguit malam malus eius vsus num.43.cap.14.
Legis intentionis optima interpres consuetudo.nu.59.cap.23.
Legum duarum contrariarum, vtra potior.num.1.cap.7.
Leges multæ naturales ad solum veniale obligant.nu.51.cap.23.
Legis nullam vnicum verbum originario significatu signat mortale.50.ibid.
Legis rigor temperatur per æquitatē quinque modis.num.282.cap.27.
Legis obligantis ad mortale etiam receptæ transgressionem, quæ excusant.num.43. & 44.cap.23.
Lex æterna quid & quid ei contrarium.
Lex non cessat cessante fine: sed sic cessante inconuenientc legis.nu.36.cap.16.
Lex super metiente trahitur ad mensum. si est eadem ratio.num.71.cap.12.
Lex an villa iuris communis ludi obliget ad mortale.nu.6.cap.20.
Lex concepta verbo constitutiuo & non præceptiuo quid faciat.nu.49.cap.23.
Lex pari re recepta ad eam rē tum ligat nu.69.cap.23.
Lex ecclesiastica verbis præceptiuis maxime istis vtens, ad mortale obligat, secus de seculari: quæ tamen non tollet pœnā per aliam statutam.nu.59. & 5.seq.ibi.
Lex pura pœnalis, & mixta, vt differunt. nu.56.ibid.
Lex quod nemo vēdat prædium nisi tributario valida nu.130.cap.27.
Lex quæ amissum in mari tribuit &c.N. inuēta.num.117.ibid.
Liberalitas virtus, inter quæ vitia media. nu.69. & 70.cap.23.
Liber homo quis vendi possit, à se, licet nō possit ab alio.nu.28.cap.17.
Libertas ecclesiastica quæ, quis eam violat num.219. & 120.cap.27.
Libertas animi non tam minuitur blanditiis, ac metu num.16.cap.17.
Liberum arbitrium vt sufficit ad cadendū non ad surgendum.nu.10.præl.3.
Libri qui purgandi. & qui prælegendi pueris.nu.30 cap.23.
Literæ Apostolicæ an dicātur signatura: & aliud fallere, aliud falsis vti. num. 62.cap.26.
Locans domum in malos vsus.nu.195. vel dotium vitiosum.nu.196.cap.17.
Locat qui bona ecclesiastica vltra tres annos an excommunicatus.nu.147.c.97.
Locare domum proretrici, aut alij peccatu ro in ea, vt liceat nu.19.cap.16.
Locator non reddens pensionem pro relocata perdita.nu.187. & seq.ibid.
Locator quatuor casibus potest auferre locatum num.193.ibid.
Ludens ludo, vetito sibi, lege ad mortale obligante, & etiam licito ab impotente donare, vel coacto, vel dolo, mortaliter peccat.num.5. & 12.cap.10.
Ludens, dissimulans peritiam fallens, & non monens, vt peccat.nu.17.ibid.
Ludens credito ni iuret, non soluat, & tunc &c.nu.17.ibid.

Ludentium susceptores &c. vt peccant nu. 15. cap. 20.
Ludere quis dicatur coactus nu. 13. ibid.
Ludi spectator clericus magis peccat quàm laicus num. 14. ibid.
Ludo quæsita non restituenda, nisi &c. nu. 18. & 19. cap. 20.
Ludus quid, & duplex, & quis venialis, & quis mortalis, num. 1. ibid.
Ludus causa principalis lucrandi negotiationis & communiter mala. num. 3. ibid.
Ludus omnis aleæ & principaliter ob lucrum prohibitus. nu. 7. cap 20.
Ludus omnis etiam industriæ principaliter ob lucrū, saltē venialis. n. 7. & 8. ibi.
Ludus aleæ rei notabilis clerico sacrato, & monacho mortalis. nu. 9. & 10. ibi.
Ludus de se nullus laico mortalis, & quis ei gloriosus. num. 11. cap. 20.
Luxuriam an ignorantia, metus, aut vis excuset. num. 1. cap. 16.
Luxuria omnis reducitur ad has sex species, & an sint plures, & admissa cū moniali vt est varia ob varias causas nu. 3. ibi.
Luxuria loci & personæ sacræ est sacrilegium. num. 4. cap. 16.
Luxuria quid in genere & quid in specie. nu 112. cap. 23.
Luxuria vitium capitale gignit has octo filias nu. 113. ibid.
Luxuriæ quibus modis maxime resistitur num. 112. cap. 23.

M

Magister poetas gentiles prælegens vt peccat. nu. 40. cap. 11
Maledicens creaturas quis blasphemus. nu. 86. cap. 12.
Maledictio sui, vel Diaboli, vel irrationalis creaturæ, quæ mortalis. nu. 117. c. 23.
Maleficium an maleficio tolli possit. num. 29. cap. 11.
Maleficio pro aliquo quod limitatur. nu. 41. cap. 17.
Mandans vel consulens hoc differunt, nec refert an cito, an tarde executio fiat. nu. 333. & seq. cap. 27.
Manifestare alienа peccata, quæ lege prohibitum. nu. 1 cap. 7.
Mariæ, Ioannis, & Ieremiæ animæ quando iustè factæ. nu. 9. præl. 1.
Maria à Mendoza laudata nu 39. c. 26.
Maritus cur non nocet vxori in paraphernis, vt in lucris. nu. 135. cap. 17.
Maritus vt peccat si accipit ex bonis vxoris paraphernis. num. 133. cap. 17.
Maritus vxorem in quibus casibus accusare potest. nu. 29. cap. 16.
Maritus sine vxore quid potest, vbi omnia bona communicantur. nu. 135 c. 17.
Martyrio se ob tædium vitæ efferens, aut optans se non fuisse natum. nu. 12. c. 15.
Martyrium pati quando crimen mortale. num. 40. cap. 11.
Mater, quæ filium paruulum secum admittit in lectο. num. 13. cap. 5.
Mater quæ filios non lactat propriis vberibus vt peccat nu 17. cap. 14.
Matthæus Cantarellus Card. & S. D. N. Datarius laudatus nu. 250. cap. 27.
Matrimonium conditionale solui per turū ante conditionem impletam. n. 64. c. 22.
Matrimonium clandestinum quando licet. nu. 57 cap. 16.
Matrimonium nolle publicare cur peccatum nu 38 cap. 16.
Matrimonium cum dualus contrahens quid faciet. nu. 19 ibid.
Matrimonio ab erroneo quæ auctoritate recedatur nu. 33. cap. 22.
Matrimonio seruorum consentiens dominus liberat eos? & an vendere possit eos & arcere à debito reddendo. n. 14. ibidem.
Matrimonio sufficit consensus diuerso tempore sic datus, nu. 80 ibid
Matrimonio inualido coniuncti, vt possint licitè cohabitare. nu. 16. cap. 3.

Matrimo-

Matrimonio qui occulte ante benedictionem vtitur nu 38 ibid,
Matrimonium, quæ cecisio, & quod adulterium impedit & dirimit. nu. 46. & 47 cap. 22.
Matrimonium contra simplex castitatis votum contrahens, vel consummans. nu. 30. cap. 16.
Matrimonium ficte contractum nullum coram Deo, & quo validatur, & quo creditur deceptio nu. 76 ca. 22.
Matrimonium secundum contrahens, de cepta quid agere debeat. nu 77 ibid.
Matrimonium vel sponsalia à parentibus contracta quando valent nu. 58 ibi.
Matrimonium metu iusto cōtractum imo consummatum, nullum nu. 10 ibid
Matrimoniū impediunt sed non dirimunt septem delicta, & quæ sint illa, num. 74 ibid.
Matrimonium clandestinum contrahens sine iusta causa, & quæ sit illa. nu. 36. & 37 cap. 16.
Matrimonium qui cum duobus contrahit, quid faciet nu 19. ibid.
Matrimoniū contrahens ante scitam coniugis mortē quid faciet nu. 40. & 41. ibidem.
Matrimonij omne sive impedimentum humanum, & cur Papa semper non tollit. nu 84. c. 22.
Matrimonij omnia impedimenta non dirimentia tollit Episcopus nu. 8. ibi.
Matrimonium clandestinum de licentia Episcopi hodie contrahitur. nu. 85. ibi.
Matrimonium impedimento sublato denuo contrahendum. nu 86. ibid.
Matrimonium quatenus sacramentum quid, & quare est apud infideles. num. 19 cap.
Matrimonij sacramentum conferre gratiam est de fide. nu. 20 ibid.
Matrimonij materia, & forma quæ cum exemplis. nu. 20. ibi.
Matrimonium indissolubile regulariter sic in totum sic in partem solutum nu. 21. ibi.
Matrimonium clam, vel contra interdictum superioris contrahens, vt peccat. nu. 68 cap. 22.
Matrimonia clandestina quæ hodie nulla cum aliis Tridentis statutis nu 69. ibi.
Matrimonium & sponsalia contrahendi quæ ætas legitima. nu. 29. cap. 22.
Matrimonij regulariter omnis iustæ ætatis iudicij contrahere potest. nu. 29. ibi.
Matrimonij impedimenta quot, & quæ dirimunt, & quæ non. nu. 19. ibid.
Matrimonij circa sacramentum errores Tridenti damnati nu. 30 ibid.
Matrimonium contrahens peccat ob ætatis defectum nu. 31 ibid.
Matrimonium quæ infidelitas impedit, quousque dirimit. nu. 48 & 49. c. 22.
Matrimonium quod inter infideles nullum, & quod annullandum. nu. 49. ibi.
Matrimonium contrahens cum secundo viuente prima clam ducta vt peccat: & quid agat fama mortis prioris audita. nu. 13 & seq. c. 22.
Matrimonium contrahens secundo, putās mortuam primam, quid agat pulchrè, nu. 54. ibid.
Matrimonium præsumptum cessat & coram quo parocho contrahendum, sine cuius præsentia contractum nullum, nu. 144. c. 25.
Matrimonium contrahens religiosus vel coniugatus vt excommunicatus. num. 244. c. 27.
Matrimonium cōtractum à credente illud non valere, an valeat. num. c 6. cap 22.
Matrimonium contrahens servus, an dominum vxori præfert. nu. 14. ibid.
Matrimonij contractus, qui ob finem malum mortalis vel venialis nu 79. ibid.
Matrimonio sufficit consensus diuerso tempore sic datus nu. 80 ibi.

Matrim-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matrimonij contractus in excommunicatione vel mortale peccatum est, sed valet nu 82 ibid
Matrimonij vsum impedit scientia nullitatis eius superuenies nu 82.ibid.
Matrimonij impedimenta non denuncians, vt peccat, & vt id facere debeat, n 83.ibi.
Matrimonij contractus in excommunicatione, vel mortali, est peccatum, sed valet, nu 83 ibi.
Mediator simoniæ, & capiēt sibi vt reget, simoniacus nu 106 c. 23
Medico mutuare, vt medeatur gratis an liceat nu. 223 c.17.
Medicus, & chirurgus vt mortaliter ob ignorantiam peccant nu. 60 c. 25.
Medicus non curans secundum præcepta & negligens visitare, vel studere. ibi.
Medicus præbens medicinam dubiam, & deserens ægrotum, vt peccat ibid.
Medicus abscindens membrum, minuens sanguinē, & non admouens confessionem, vt peccat nu 61.ibid.
Medicus medicinas non eligens, aut curationem differens nu. 61. ibid.
Medicus consulens, vel concedens animæ noxia pro salute corporis nu. 62.ibi.
Medicus nō admonens mortem vicinam, & tali casu nimium stipendium petens nu. 63 ibid.
Medicus nimias medicinas ordinans pauperi non medens, aut diuiti nolenti soli viuere, vt peccat. nu 64 ibid
Medicus detrahens alijs medicis vt peccat nu 65 ibid.
Mendacium quid? quotuplex, & quod mortale, etiam in iudicio nu. 3 cap 18.
Mercator quis, qualis nō est monasterium asportans terram &c nu. 128. c.27
Mercenario & famulo male soluens nu. 103. vsque ad nu. 11 2 c. 17.
Meretrix, neque aliæ mulieres solutæ, coniugatæ vel sacræ tenentur de præcepto ad restitutionem, nu 31 & 34.c.17.
Meretricis opera an aliquid valeat in genere entis, licet non in genere moris. nu. 3, cap 17
Meretricum permissio vt licita & domus eis vt locandæ, & an id expediat, num. 195.cap. 17.
Meretrices peccant accipiendo sed non tenentur restituere nu 38 ibid.
Meretrici & impudico confessarij consulant circa eis promissa nu. 41. ibid.
Meritum quid & quotuplex nu.1 præl.7.
Merx penes vnum cur pluris valet quàm penes alium nu. 79 cap.23.
Metus minor iusto attenditur in foro cōscientiæ nu.1. cap. 1.
Metus infamiæ, vt excusat adulteram vel supponentem partum nu.90 ibid.
Metus iustus à testificando, & denuncian do, vt excusat nu. 33 cap. 27.
Metu facta regulariter valere, sed rescindi posse, nisi &c.nu 4 præl.6.
Metus quis iustus nouè definitus & declaratus.nu 51 c. 22.
Metus qualis excusat quo ad forum conscientiæ nu 20 cap.17.
Metu factum rescinditur non autem blandicijs extortum nu.7. præl 6.
Miles volens redire ad bellum, quod credit iniustum, non est absoluendus, nu. 18 c 3.
Miles, & negociater non tenentur abstinere ab arte sua.nu. 11 cap 3.
Ministrum à restituendo non excusat iussus domini.nu.19 cap. 17.
Miracula falsa & vitam Sanctorum fictam prædicans nu. c. cap.18.
Misericordia opera spiritualia septem, corporalia totidem nu. 4 cap 24.
Misericordia quid, & est virtus moralis maxima nu 2.ibid.
Misericordia quæ est virtus cōiuncta charitati non est pietas nu. 1.c.14.
Misericordia omnibus etiam pauperrimis communis. nu 270.c 27.
Miseria quid & quotuplex, & eius partium definitio.nu 20 præl.4.
Miseriam inferni interminabilem esse, de fide est nu 22 ibid
Miseriæ summæ quatuor gradus n. 23.ibi.
Missam extra locum sacrum celebrādi facultas non datur. & vt peccat si celebrat intra illam nu. 82. & vt si in Ecclesia interdicta. si super aram fractam, si ante preces matutinas nu. 83. si sine alijs necessarijs, etiam timore mortis. n. 84. si sine lumine aut aqua, si in pane, & vino corruptis. si in omphacio, si noctu si post meridiem nu 85. & 89. si plures quā semel eodem die. nisi his septem casibus nu 87 si non bis aut ter in anno, si effundit sanguinem. si reliquias corporis post ablutionem sumit n. 89 cap. 25.
Missa quid, non est dictio noue ficta, vnde deducta.nu. 1 1 c 25.
Missa vna singulis hebdomadis licita in interdicto speciali nu.173 c 27.
Missa pro nouo nil detur, nec merces pro alijs ignotus non misset, nec quis extra sacrum nu. 68 c 25.
Missa cui & quomodo applicanda.nu. 92. Non dicenda à ligato censura. nu 93. nec coram interdicto.nu.94.ibid.
Missa pro dicenda non potest statui quid certum. nu.106 c 23.
Missæ triplicis faciendæ die Natiuitatis quis optimus modus nu 87.c.25.
Missam quotidie audiat Episcopus, nemo eam nisi semel in die faciat, nisi bis septem casibus, nec in his vnquam ter. nu.87. nec semel die Parasceues & sabbato sancto nu 88 ibid.
Missam audire sine attentione debita non sufficit, nu.6. & 8. 21.
Missa ab audienda excusatus an teneatur supplere &c nu 7 ibid.
Missa ab audienda quæ familia, vel menstruosa excusatur nu. 9. ibid.
Missam tangentes plurimi errores n. 10. ibid.
Missæ & diuinorum cantui nulla loscinia & profana miscenda nu. 10 ibid.
Missam vnam totam non audiens sine vesperis. vt peccat. nu.1.ibid.
Missæ quæ pars notabilis, & tantum festum audienda necessario. nu.2 ibi.
Missæ omittendæ. quæ causæ iustæ, & an interdictum nu.3.ibid.
Missa ab audienda quæ vidua excusatur, vel laudatur nu.4. & 5.ibid.
Missa an audienda in parochia. nu.5 ibid.
Missam concubinarij audire vt mortale, & cur melior boni quàm mali. nu. 78. & 79 c. 25.
Missæ triplex valor, quis cui applicandus, quid de vna dicta pro multis n.92. ibi. Missas constituere episcopus, Generalis, & Abbas, minuere possunt n.137.ibi.
Missans pro duabus pitantijs non alēdus ob missam. nu. 92.ibid.
Missans cui sanguis effunditur quid aget nu.86 ibid.
Missam quis irregularis iuste dicat n.139 cap. 27.
Missans post cibum vt peccat.n.75.cap.25
Missans sic sumat reliquias calicis, patenæ, & oris nu. 90 & suppleat defectū vini, nu. 91 ibid.
Missæ præceptæ tempore canens, saltans, &c nu. 16.cap.14.
Mohatra qua res credito emitur, vt ex reuenditione pecuniæ cogantur. num. 91. cap.23.
Moniales an incurrant simoniam ob pacta ingredientium nu.106.cap.27.
Monitio extra iudicialis non debet esse necessario trina 126 c. 27.
Monitus sub excommunicatione denuntiare, vel reuelare, quid faciet nu. 134. cap.17.
Monitus reuelare ad quos tenetur, quàm monitus

monitus denunciare. 135. ibid.
Montes pietatis licite nu. 113. cap. 17.
Morientis qui non sit prehendus. nu. 12. quid admoneatur, ad quid inducetur num. 33. 34. 35. cap. 26.
Morientis casus quo ipsa cur non absoluendus sacramentaliter nu. 270. cap. 7.
Mortui excommunicati heres, vt debet, vel possit petere absolutionem. nu. 271. ibidem
Mortis articulus, & mortis periculum eadem, cum multis ad conditionalem censuram ferendam vel soluendam pertinentibus nu 27. & seq. ibid.
Mors triplex animæ signata per tres mortuos suscitatos nu 3 præl. 9
Mors aliena pro medio defensionis propriæ, an sit licita. nu. 3 cap 15.
Mortem alienam desiderans, vel ea se delectans nu 10. & 12. cap. 15.
Mortem propriam iratus exoptans, aut vitam abbreuians nu. 10. ibid.
Mortem ad inuitam pergens, vel ab ea non liberans nu 6. & 17. ibid.
Mortuus absolui & excommunicari an possit nu. 27. cap. 27.
Mulier fingens se prægnantem, vt absoluitur nu. 42. cap 6
Mulier testans vt potest iniste spurium filium appellare. num. 48. ibid
Multiloquium quod mortale. num. 123. cap. 23.
Mutuans pecuniam argenteam pro aurea vel e contrario nu. 226. cap. 7.
Mutuans mutuo accepta pro vsura ob illa promissa nu. 231. ibid.
Mutuans sub vsura pro re pauperi danda, vel pro iniuria remittenda num. 238. ibidem.
Mutuans pecuniam alicubi, quando plus recipere potest alibi. num. 295. ibidem.
Mutuare regibus sub vsuris vt licitum nu. vlt ibid.
Mutuare aut vendere granum pro grano, vt liceat num. 225 cap. 17.
Mutuum qui non soluit æque bonum, & statu die, vt peccat. nu 214. ibid.
Mutuum duplex verum, & palliatum, & differt à commodato. nu 206 ibid.
Mutuum quoduis cum pacto, vt mutuans asse uret vsura. nu. 284 ibid.
Mutuum pecuniæ ab vno numerata assecurando cum absque pacto. n. 285. ibid.

M

Naufragorum bona accipientes excommunicati. num. 66. etiam ante monitionem restituendi nu. 117. c. 22.
Necessitas extrema quæ sit. nu 5. cap. 24.
Necessitas extrema excusat à peccato, sed non a restitutione. n. 118. & 119. c. 17.
Necessitas extrema non tollit restitutionem nu. 60 & 61. cap. 17.
Necessitas extrema non tollit restitutionem etiam eius quod in ea capitur, & ea maior minus nu. 62. ibid.
Necessitas decentis status differt restitutionem nu. 62 ibid.
Nemesis quid, & quæ mortalis. num. 118. cap. 23.
Notarius vt peccat. num. 52. faciens instrumentum falsum, rescindens vel delens verum, male componens, non tradens illud, non informãs satis renunciãtem, transcribens die festo, non seruiens pauperi vt debet nu. 52. & 53. c. 25.
Notarius cum sit quæ, & quot capitula iurat num. 52. ibid.
Notarius conficiens instrumentum de re illicita, scribens statuta vsuraria, non retinens protocolla sine regestum, faciẽs testamentum insano, stipendium nimiũ capiens, literas ordinum carius tradens nu. 54 cap. 25.
Notorium quid dicatur. nu 73 cap. 25.

Nupti.s

Nuptias benedicendi tempus Tridenti am pliatum. nu. 71. cap. 22.
Nuptiæ primæ benedicendæ, secundæ non item nu 83. cap. 22.

O

Obedientia, & inobedientia specialis & generalis quid nu. 5 c. 19,
Obediendum in quo non est superiori. nu. 37 & 4. seq ibi.
Oblatio in missa quando necessaria num. 19 cap. 13.
Obligatio quæ lapsu termini implendi præceptum finitur nu. 45 cap. 21.
Obseruantia virtus coniuncta iustitiæ. nu. 2 cap 4.
Obstetrix ignorans formam baptizandi peccat num. 6. cap. 22.
Occasio, quæ necessario vitanda pœnitenti vt absolui possit nu. 32. cap. 14
Occasio, quæ est propinqua peccandi vni non semper est alteri. nu. 12 c. 3.
Occasio peccandi propinqua cauenda, non remota. nu. 10. ibid
Occasio propinqua studiose definita. num. 14. ibidem.
Occasione de qua credendum, quod raro inducet ad mortale nu. 15. ibid.
Occasionem dare ad veniale veniale tantum est. num. 35. c. 14
Occasio peccandi per actus de se bonos quæ vitanda. nu. 25 cap. 14.
Occidens feriens, procurans, & eo gaudẽs, nisi id faciat se, vel alium vel sua bona defendendo, vel sit latro, nu. 4. cap. 15.
Occidens casu, & exponẽs se periculo mortis corperalis. nu. 6 ibi.
Occidens, aut feriens ministros iustitiæ, etiam se defendendo nu 8. ibid.
Occidens defendendo se sine moderata tutela punietur militum, quam aggrediens, sed restituet quantum ille nu. 26 ibid.
Occidens iuste bellans iustè, & se vel alium defendens. nu. 2 ibid.
Occultum & pene occultum quid, & quo tuplex nu. 25. cap. 27.
Odium Dei vt genere suo maximum peccatorum num. 18. cap. 11.
Odium & rancor duplex nu. 25. cap 14.
Odium, aut rancorem malum quis dicitur habere nu. 25 ibidem.
Officium per profanum quando fit restitutio. num. 81. cae 17.
Officium vel artem sine peritia, & scientia iusta exercens quis peccat. nu. 48 c. 25.
Officia diuina quæ nu 172. & permissa vt in interdicto generale. 174. ca. 27.
Omissio pura quid nu 3. præl. 6.
Omissio pura cur dicitur factum negatiue. nu. 6 præl 7.
Opera meretricis & aliorum delinquentium in foro Dei æqualis. nu 36. & 39. & permissa in foro exteriori tantum quo ad hoc æquantur nu. 37 cap 27.
Operarius qui non laborat iustè conducto ri nu 196 cap. 17.
Opinio communis quæ, & quando alteri præiudicat. nu 285 cap. 27.
Opinio deponat dubium antequam iudicet, consolaretur nu. 286 ibidem.
Opinio quæ deligenda late & resolute. nu. 286. cap. 27.
Opitulans damnum danti, qui totam, qui partem qui nihil restituat nu 20 c. 17.
Oratio Dominica continet summam potentiarum a Deo nu. 1. cap. 11.
Ordinando prima tonsura hæc sunt necessaria, & hæc ordinanda minoribus faciens nu 68 cap. 25.
Ordinando cui Capitulum, vel alius sede vacante non potest dare licentiam. nu. 68 ibid
Ordinandi facultas Papæ quæ legitimæ & qualiter intelligenda, nu. 68 ibid.
Ordinandi ætas mutata, & multa noua ab ordinato, & ordinandis facienda, num 68. ibid.

Ordina

Ordinatus sub Episcopo titulari, vel contra Prælati voluntatem vt peccat nu. 18.cap.22.
Ordinatus non renunciet nec alienet titulum nisi sic &c.nu.18.ibidem.
Ordo in genere quid, & quis ecclesiasticus, & quis ordo sacramentum nu.17.ibid.
Ordo Theologis septemplex, Canonistis nouemplex nobis octuplex nu.18.ibi.
Ordinis circa sacramentum errores Tridenti.nu.18.ibid.
Ordo sacer cur impedit, & dirimit matrimonium &c.nu.51.ibidem.
Ordinem sumens vt peccat, si est indignus per simoniam. nu.68. si ab Episcopo excommunicatio, si existès illegitimus etiam occultus nu.69. Si extra tempora legitima, si ante iustam ætatè, si sine iusta licentia, si furtim, aut per saltum, nu.60. si non supplet supplenda, si eodè die multos ordines sumit, nu. 71. si deformis, si energumenus, epilenticus, aut insanus, excommunicatus, aut mortali infectus nu.72.ibid.
Ordinem, & eius vsum, quod peccatum notorium impedit nu.63.ibid.
Ornans se & insidens fenestris eamdem aut videns qui peccat.nu.14 c.16.
Ornans se vt in coniugem appetatur, vel veste incongrua sexus quis peccat. num. 22.cap. 23.
Ornans se ornatu ad peccandum prouocante nu. 37.cap.14.
Ornatus fucus fictio, & auctio pulchritudinis quare mortalia.nu. 20.cap.23.
Oscula quæ peccata num.11.& 12.cap.16.
Otiosum omne malum, 24.præl. 7.

P

PActum ne depositarius de dolo teneatur non valet.num.181 cap.17.
Pactum de retrouendendo quid. Quod iustum, & quod vsurarium, & minus de pretio, sed fructus non admittit ementinum 248.& seq.ibidem.
Papa, & alij Prælati vt possunt spiritualia profanare.nu 108 cap. 23.
Papa, & Episcopus vt possunt rem spiritualem integram vendere.nu.108. ibi.
Papæ beneplaciti reseruatio nil prodest antequàm ei placeat nu 108.ibid
Papa iurisdictionem immediatè sumit à Deo in omnes.nu.263.cap. 27.
Papa absoluit ab omnibus sibi, & alij reseruatis nu.265.ibid.
Papa à quo & qua potestate absoluitur. nu.260.ibid
Papa solus dispensat super voto solenni, & aliis quinque.nu.75.cap.12.
Papa simul ac electus est, est confirmatus, à Deo.nu.147.cap.27.
Paraphrenalia bona quæ sunt. num. 153. cap.17.
Parochus non ministrans sacramenta subdito ad ea non obligato remissiue.nu.13. cap.25.
Parochialis ecclesia, etiam reseruata per concursum conferatur.nu.139 cap.25.
Paruitas rei vt excusat, & quæ sit illa remissiuè nu.12.præl.9.
Passio animi quid. & nulla est propriè in appetitu intellectiuo.nu.1.præl.5.
Passiones principales quatuor, & aliæ quot & quæ.nu.2.ibid.
Passiones sex in appetitu concupiscibili sensitiuo, & quinque in irascibili, & earum subordinatio.nu.3.ibidem.
Passiones animi omnes esse morbos falsum.nu.7.ibidem.
Passionum confessio sacra qualis esse debeat. nu 10.ibid.
Passionum alia bona, alia mala suapte natura.nu 5 ibid.
Pater minuere non potest legitimam vere donando, sed remunerando, & faciendo pia sic nu.39.cap.26.
Pater an solus succedat filiis nu.143 & 17.

Pater cur non tenetur præelegere filium digniorem, vt gubernator publicus, numero 30.cap.26.
Pater circa bona filiorum peccat his modis mortaliter.nu.151 cap.17.
Pater, & mater peccant non succurrendo filiis.nu.17.cap.12.
Patres in tribus honorandi sunt sed minus quàm Deus nu.4.cap.14.
Patres qui exponunt filios ad ianuas aliorum, vel Xenodochiorum.nu.17.ca.14.
Patres qui irritant vota filiorum, in quæ iam consenserant.nu.17.ibid.
Patres qui dolo aut timore filios extrahũt à religione, aut in eam inducunt. nu.7. ibidem.
Patres qui cogunt filios ad matrimonium contra eorum vota.nu.17.ibidem.
Patres, qui sinunt filias suas amare, vel amari ob malum finem, vel iam desponsatas habere tactus impudicos. nu. 18.idid.
Patres qui dicantur in hoc quarto præcepto.nu.3 cap.14.
Patris hæredes quod damnum datum filio restituent.nu.151.cap.17.
Patrini sunt soliũ hodie designati, & quot designandi.nu.37.cap.22.
Patrinus an fiat omnis tangens eum nemo designatur.nu.40.cap.22.
Paulum, & Moysem non fecit beatos visio Dei transitoria nu 52.præl 4.
Pauper pauperi restituendum an possit sibi restituere.nu 171.cap.17.
Pauperem dici omnia pia opera: & pro suo statu egentem.nu 93.cap 17.
Pauperibus restituendum, vt potest tenenti restitui.nu 93 cap.17.
Peccare faciens qui, & quid restituet.nu 14.cap.17.
Peccata omnia esse mala, quia prohibita, vt defendatur.nu.12.præl.7.
Peccata futura includit potestas absoluendi. nu 80.cap.12.
Peccata an sint vrlanè dicta in peccata mouentia.nu.41.cap.14.
Peccata ortu cordis & operis eiusdẽ speciei. nu 9.cap.16.
Peccata in Spiritum sanctum sunt desperatio, præsumptio, impœnitẽtia, obstinatio, impugnatio agnitæ veritatis, & invidia fraternæ gratiæ & cur irremissibilia.nu.116.cap.23.
Peccatur quibus modis circa peccati cognitionem nu.15 præl.7.
Peccatur quibus modis circa credenda de anima.nul.16.præl.1.
Peccatum quoddã simplex, quoddam multiplex.nu.20 præl 9
Peccatum vt aliud in genere naturæ, & aliud in genere moris nu.15.præl.7.
Peccatum originale quomodo voluntarium. nu.10 præl.7.
Peccatum originale non esse reatũ & cum eo nasci omnes.nu 9 præl.8.
Peccatum originale non est ea multa quorum nomine appellatur.nu.7. ibid.
Peccatum originale excludit omnes à vita æterna.nu.8.ibid.
Peccatum mortale, & veniale specie differunt.nu.3.præl.9.
Peccatum veniale qua ratione vere peccatum nu præl 7.
Peccatum ad mortale possunt obligare leges humanæ.nu.8. ibid.
Peccatum veniale potius omni malo pœnæ, & disponit ad mortale. num. 37. cap.14.
Peccatum mortale est contemptus consilij diuini.nu.17.& salutis proximi.nu.18. præl 9
Peccatum in Spiritum sanctum quid, & est septuplex, & cur dicatur irremissibile.nu.116.cap.23.
Peccatum duplex, originale, & actuale quid originale.nu.1.præl.8.
Peccatum aptius genus ad originale, quã carentia iustitiæ originalis.nu 1 ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum originale tollitur per baptismū, sed non concupiscentia, &c. nu 3. ibid.
Peccatum quod primi parentis & vt transfusum in ipsos descendentes. nu. 4. præl. 8.
Peccatum actuale quid, & quæ eius species, secunda consideratio nu. 1. præl. 9.
Peccatum dicitur septē modis, in cordis, oris, & operis. nu. 2. cordis facti & consuetudinis nu. 3. & in septem capitalia nu. 4. In Deum, proximū & se ipsum. nu. 5 In peccatum per excessum, & defectum. nu. 6. & in peccatum mortale, & veniale. nu. 7 ibid.
Peccatum licet contritum, est tamen confitendum nu 10. cap. 1.
Peccatum rectè cōfessum semel, non est necesse iterum confiteri. nu. 1. cap 9
Peccati numerus vt augetur iterando continuando, vel interrumpendo. nu. 16. 17. & 18. cap. 6.
Peccati diuisiones in quod præsupponit confessarius. nu 2. præl. 9.
Peccati causam, qui dat arma, vel alia commodando. nu. 38. cap. 14.
Peccatum, & delictum, in proposito idem. nu. 9. præl 7.
Peccatum vsuræ duplex, sed neutrū vsura mentalis. nu. 208. cap. 17.
Peccatum mortale alterius, qui non impedit cum possit absque suo nocumento, nu. 27. cap. 14.
Peccatum per minus arcere à maiori vt bonum. nu. 40. cap 14.
Peccatum non est ad minus peccatum inducere. nu. 203. cap. 17.
Peccatum cordis, oris, & facti in genere mortis unum tantum esse nu. 19 præl. 7.
Peccatum verborum sex duplex, & præcipuè ex intentione iudicandum. num. 3. & 4. cap. 18.
Peccatum quod nō est omne in Deum potest referri. nu. 23. cap. 20.
Peccatum quando non est inuitare ad alium, qui peccatum est. nu. 25. cap. 11.
Peccatum mortale vt solum repugnat charitati. nu. 15. præl. 5.
Peccatum non esse, licet aliquando sic vocetur. nu. 13. & 21. præl. 7.
Peccatum non est vitiū & quibus constat. nu. 14. ibid.
Peccatum mortale quid latè, nu. 5. præl. 7.
Peccatum circa originale qui sic, & sic erant hæretici nu. 10. præl. 8.
Peccatum reseruatum cui & quomodo confitendum & soluendū nu 6. cap. 25.
Peccati alterius, qui est causa nisi, &c. nu 27. ibid.
Peccato originali vt carnit Christus, & mater eius. nu. 9. præl. 8.
Peccat qui mortaliter vel speciem eius rei præstat vt alius ita peccet. nu. 28. c. 14.
Peccat qui venialiter, vt alium sic peccare faciat. nu. 29. ibid.
Peccat suadens alij peccatum licet nolit vt faciat illud. nu 38 & 42. cap. 14.
Peccat quando petens bona ab eo, qui dando peccabit nu 40 ibid.
Peccat mortaliter, qui proximi mortale non impedit nu. 2. cap. 14.
Peccat petens quod peccatum est, etiam ad id parato & alioquin bonum. num. 39. & 40. ibid
Peccantium ministri quando peccant. nu. 26. cap. 20.
Peculium filiorum quadruplex. num. 141. & seq. cap 17.
Pecunia præsens tanto plus valet absente, quanto distantior nu. 295. & 296. ibi.
Pecunia dicitur numerata, & qui quid ea est æstimabile. nu. 71. cap. 23.
Pecunia eadem numerata plus alij quam alij valet. 286. cap. 17.
Pecunia vt merx est vendibilis, sed non vt est pretium. nu. 191. ibid.
Pecunia cur maiori pretio præfixo exponi potest. nu. 288. ibid.
Pecunia vna octo de causis plus valet quā alia nu. 194 ibid.

Pecu

Pecuniæ pretium authoritate priuata vt mutari potest nu. 295. ibid.
Pecuniæ finis peculiaris quis, & qui alij septem in quos lucari potest pretio, licet non mutuari vel commodari. nu. 287. ibidem.
Pecuniæ publicæ Custos ea emēdo & vtendo vt peccat. nu. 92. cap. 23.
Pedagia noua quis perse imponere, vel augere. nu. 61. cap 27.
Pensio, cui quis per se cōsentit, statim tenet. nu. 274. cap. 27.
Pensio constituta personaliter, in quo grauior cōstituta per alium. nu. 272. c. 17.
Pensio quanta poni possit super Episcopatu & parochiali. nu. 137. cap. 25.
Pensio à Papa ob pauperatem cōcessa laico licita, & quare. nu 119. ibid.
Pensio emphiteusis duplex, & quæ minuitur. nu. 190. cap. 1.
Pensio beneficialis non potest emi, nec redimi, sed remitti sic, quia est spirituale dependenter nu. 111. cap. 23.
Pensionarius solo lapsu termini non excommunicatur. nu. 104. cap. 23.
Pensionis emptio si simoniaca est, nō valet, sed non excommunicat nu. 11. ibid.
Perceptio enormis mediocris, & leuis, quæ dicantur. nu. 91. & 92. cap 27.
Periculo peccandi se exponens, vel agens contra conscientiam nu. 26. cap. 14.
Permissio peccati nulla cum participatione lucri licita. nu. 293. cap. 7.
Permutatio antiquior emptione, & licita etiam in pecunia. nu. 287. cap. 17.
Permutari id quod est pro eo, quod nondum est. nu. 287. ibid.
Pertinacia quid. num. 11. quando mortalis. nu. 31. cap. 13.
Pertinax quisnam sit nu. 22. cap. 11.
Peste infectum non iuuans qui peccat. nu. 132. cap. 25.
Philtra quæ illicita nu. 32. cap 11.
Pietas quæ est virtus annexa iustitiæ, non est misericordia. nu. 7. cap 14.
Pignoris qualis vsus peccatum. nu. 203. cap. 17.
Pignoris fructus quando bene capiantur. nu. 217. ibid.
Pignoris fructus capere quando vsura nu. 205. ibid.
Pignus cum pacto commissario capere an liceat. nu. 204. ibid.
Pignus vendere an liceat, & quo ordine. nu. 204. ibid.
Pignus ab vsurario emptum restituēdum. nu 265. cap. 17.
Pignore vendito minoris vel maioris debito, &c. nu 205 ibid.
Pignoris industrius cultū fructum retinere an vsura. nu. 216. ibid.
Piscatorum ac diuitum eiusmodi societas vsuraria. nu. 282. & 283. cap. 17.
Pœna peccati temporaria in quam æterna mutatur an per bona opera in malo statu facta tollatur. nu. 7. cap. 3.
Pœna vnius correlatiui extenditur ad alterum si eadem est ratio. nu. 74. cap. 22.
Pœna summe miserorum sepremi gradus septuplex nu. 24. præl. 4.
Pœna ipso iure incursa quando soluenda in foro conscientiæ nu. 118. cap. 25.
Pœna exclusionis à collegio ipso iure incursa non tenetur quis in conscientia. nu. 63. cap. 23.
Pœna etiam ipso iure imposita nō debetur in conscientiæ foro nisi, &c. nu. 66. ibi.
Pœna magna vt potest esse iusta sine culpa nu. 57. & 58. cap. 23.
Pœne cuius statute ignorantia excuset scientem statutum nu. 272. cap. 27.
Pœnam qualem ignorans non incurrerit. nu. 272. cap. 27.
Pœnitēs, quod efficiū relinquet. n. 24. c. 16.
Pœnitens non tenetur credere se non peccaturum in arte sua nu. 13 cap 3.
Pœnitens quomodo confessionem inchoabit. nu. 19 cap 30.

Universidad de Deusto

Pœnitens quis debet petere facultatem confitendi alteri.nu.3.cap.7.
Pœnitens quando mutatis habitu confitebitur.nu.5.ibid.
Pœnitens non debet nominare personam cum qua peccauit nu 2. ibid.
Pœnitens velle peccare data certa occasione non absoluendus.nu.19 cap.1.
Pœnitens potest vel vnico verbo mille peccata confiteri.nu.19.cap.16.
Pœnitens non tenetur credere se mortaliter non peccaturum.nu 10 cap.1.
Pœnitentia quid generaliter & aliqua sine dolore, & aliqua cum eo. num. 1. præl.10.
Pœnitentia verbum latinum. quid propriè & quid improprie significat.nu.2.ibid.
Pœnitentia alia mala, alia bona.nu.3.ibi.
Pœnitenti pro se, & contra se in foro conscientiæ creditur nu.240.cap 17.
Pœnitentia sollennis vt impedit matrimonium.nu.74.cap 22.
Pœnitentia satisfactoria alia necessaria culpæ delendæ.& quæ eorum acceptanda.nu.20.cap.26.
Pœnitentiæ ex causa diminui & mutari potest nu.21.& 22.ibid.
Pœnitentiam per opera aliàs debita fieri. num.23.ibid.
Pœnitentia iusta est imponenda, alia cur falsa dicta: omnibus eadem leuis necessaria, & alia grauis indiscretè ponitur. num.15.ibid.
Pœnitentia iusta quid eam Deus solus nouit.nu. 16. & septennis vnicuique peccato mortali non debetur in foro interiori.nu.17.ibid.
Pœnitentia arbitrio cõfessarij relinquitur non ad hunc effectum sed ad istam & in imponendo consideret hæc: si conueniens quales non sunt hæ.nu.18. ibid
Pœnitentia quid: & quot, & quæ partes eius nu.22.cap.22.
Pœnitentiæ circa sacramentum multa definita Triden nu.11.ibid.
Pœnitentiam in mortali sumens vel ab eo qui est in illo: vt peccat.nu.11.ibid.
Pœnitentiam iniunctam, qui non implens peccat mortaliter.nu.43.cap.21.
Pœnitentiæ sacramenti à Christi institutæ tres actus de fide est.nu.4.præl.10.
Pœnitentia maior sufficit baptizando, quàm absoluendo nu 6.cap 1.
Pœnitendo peccati est nolle admisisse.nu 2. ibidem.
Pœnitudo maior de maiori peccato bona, sed non necessaria.num.35. & illa quæ caret debitis circunstantiis, non est contritio.nu.36.cap.17.
Polluta Ecclesia, pollutum est cœmeterium contiguum, sed non contrà.num. 257. cap.17.
Pollutio vel copula carnalis, quæ communionem impedit nu.51.cap.21.
Pollutio voluntaria, & inuoluntaria variorum casuum.nu.c.& 7 cap.16.
Pollutionis incurrendæ periculo consentiens.nu.6.ibid.
Pollutio dormienti aduenies &c. an possit placere ob finem bonum nu.7.& 8 ibi.
Pollutio præterita & futura in quo differant nu.8 ibid.
Potentiæ sentiendi exteriores quinque interiores quatuor nu.2.& 3.præl.2.
Præcepta de diligẽdo Deũ, & proximum maiora omnibus præceptis Decalogi & quando adimplẽda.nu 6.& seq cap.11.
Præcepta Dei non impleri posse in statu malo in quo sensu est de fide.nu.17.c.11.
Præcepta affirmatiua, & negatiua non æque ligant nu.54.cap 17.
Præcepti transgressio omnis mortalis: nisi, &c nu 4.cap.11.
Præceptũ transgressio etiam mentalis tantum.quæ mortalis.nu 1.& 12.ibid.
Præceptũ de diligẽdo Deum super omnia, & proximum sicut seipsum cur non sit de decem Decalogi.nu.5.cap.11
Præceptum diligendi Deum quis frangit. nu.18. ibid.
Præceptum sextum de non fornicando, vel decimum quis frangit.nu.5.cap.16.
Præceptum de colendo Deum frangitur. 38.modis præter participantes, à nu 26. vsque in finem.cap 11.
Præcepti de diligendo proximo ad quid pro semper obligare.nu.7 cap.14
Præceptum colẽdi Deum, vt differt à præcepto diligendi. & credẽdi,nu 22.c.11.
Præceptum credendi, & præceptum diligendi differunt vt fides, & charitas. nu.21.cap 11.
Præceptum credendi frangit, quæ credit non esse catholicum quod credere tenetur esse tale nu.22 cap 11.
Præceptum diligendi proximũ non est ex decem, & vt ex eo septem nascuntur. nu.55.cap.14.
Præceptum Ecclesiæ totum, aut pro parte quæ potest, seruandum.nu 22 cap.21.
Præceptum non furandi, quæ & quod prohibet,nu.1 cap.17.
Præceptum cẽsurum quid principaliter, & quid fecũdario prohibeat. nu 1 c.18.
Præceptum quintum vetat mortem corporis, & non animæ nu.5.cap.15.
Præceptum sextum de non fornicando, & de non cõcupiscendo quæ vetãt.n 1.c.16.
Præceptum secundum Decalogi quid per nomen Dei comprehendat. nu.1 ca.12.
Præceptum contra septimum peccat mortaliter, qui accipit alienum.num.95.& seq cap.17.
Præceptorum multorum transgressio, quæ vnicum peccatum.nu 4.cap.11
Prædicans vt peccet si id facit sine facultate quam is dare potest, & aduertens se esse in mortali, mẽtiens. nu. 41.c.25.
Prædicans vt peccat miscens ridicula, detrahens prælatis, decimare dissuadens. nu.142. si religiosus sine consensu Episcopi.nu.143.cap 25.
Prædicandum quid, quoties, quibus & à quibus.nu.143.ibid.
Prædicans prophetias non sacras an excommunicatus nu 143.ibid.
Prælato distipanti quæ res ecclesiastica restituenda.nu.19.cap.17.
Prælato præcipienti audire cõfessiones quis subditus non paret.nu.14 cap.4.
Præscriptio quæ à restitutione excusat. nu. 85.cap.17.
Præsentatio fratrum ad audiendas confessiones &c. à nu.260. vsque ad nu 299. cap.27.
Præsentatus semel, & admissus noua præsentatione non indiget. nu.266 ca.27.
Præsumptio quid.nu.11. & quæ mortalis. nu 14.cap.21.
Præuaricator est aduocatus, qui parti aduersæ fauet.nu.29.cap.25.
Præsbyteratus idium, vt impedit matrimonium.nu.74 cap 22.
Pretium auget,nec minuit dilata solutio. nu 82.cap.23.
Pretium non augetur periculo recipiendi rem creditam.nu.83. ibid
Pretium auget, vtilitas venditoris, sed non vtilitas, vel necessitas ementis. nu. 83 ibidem.
Pretium rerũ iustum quid, & est triplex. nu.78.cap.23
Pretium minuit copia venditorum, & auget paucitas eorum nu 84 ibid.
Pretium quando taxãdum, & taxatum, vt seruandum nu.88. ibid
Pretium iustum triplex, imum, medium, summum nu 228.cap.17.
Pretio maiore vel minore dimidio vt peccatur nu 85.cap.23.
Pretio minore iusto emens, qui non peccat. nu.87 ibid.
Primitiæ vt decimæ soluendæ nu.32.c.21.
Priuatio præsupponit habitum.n 69 c.17.
Priuilegium remuneratorium, & per contractũ iustũ de causa tollitur n 73.c.27.

Prodigalitas quid, & quæ mortalis. num. 70 cap. 3.
Prodigitas etiam famæ regulariter non est mortalis. nu. 28 c 18.
Professio nulla vt sacris ratificetur. nu. 31. c. 21.
Promissio quæ obligat ad mortale late. num. 6. cap 18.
Promissio reciproca siue scommessa vel apposita quæ licita. num. 18. cap. 20.
Propositum virtuale vitandi furta, quãdo sit pœnitentis, & quod satis est oranti, sacrificanti, & bona in Deum referenti. num. 11. & 13 cap. 1.
Protestatio contraria facto inualida, & quæ nocet matrimonio. nu. 78. c. 22.
Proxeneta vsurarum qui peccat. nu. 266. cap. 17.
Proxeneta vendens pluris quam sit mandatum quando illud restituere. num. 97. & 98. c 23.
Proximus qui desiderat, vt aliquis mortaliter peccet, vel condemnetur. nu. 24. cap. 14.
Proximi quonam pacto comprehendantur in quarto præcepto. num. 3. ibid.
Proximus, qui non diligit se aut proximum, cum tenetur. num. 33. ibid.
Proximus, quis aliam exipit à suis orationibus generalibus. num. 23. ibid.
Proximus, qui non diligit proximum cum tenetur nu. 13. ibid.
Proximus, quis facit aliquid, ob quod creditur alium mortaliter peccaturum. nu. 30 ibid.
Proximus familiaris alicuius cum scandalo alterius. num. 30. ibid.
Proximus qui rancorem, aut odium non remittit, ne sibi detrahatur nu. 31. ibid.
Proximus, qui scandalum præbet edendo carnes, vel non insinuans. nu. 31. ibid.
Proximus non honestus, quis violat hoc quartum præceptum. nu. 23. cap. 14.
Prudentia vera carnis, seu mundi quid, & quo differant. nu. 77. cap. 13.
Publici conventus in bonum finem iusti & licati. nu. 44. cap. 14.
Publicum quid, & quotuplex. num. 255. cap. 27.
Pusillanimitas filia accidiæ quæ mortalis. num. 125. cap 23.
Pyratæ qui excommunicati in bulla Cœnæ. num. 59 cap 27.

Q

Qualitas iuncto verbo iuxta eius tẽpus intelligitur num. 255. cap. 27.
Quæstus turpis reliquarum quis est. num. 169. cap. 17.

R

Rancor & odiũ duplex. nu. 2. c. 14.
Rancor filia accidiæ qui mortalis. n. 225 cap. 23.
Ratum habens damnum suo datum. num. 133. cap. 17.
Ratificans suo nomine factum delictũ sem per punitur. nu. 33. cap 17.
Raptus vi impedit matrimonium. nu. 74. cap. 22.
Reatus quid propriissime, & ad quæ trãsfertur nu. 2. prol. 7.
Reatum pro obligatione ad pœnam esse filium peccati, & triplicem nu. 23 ibid.
Reincidentiæ cum onere quis potest absolui. nu. 272. cap. 27.
Religio est virtus annexa iustitiæ. num. 1. cap. 14.
Religio aliquando vocatur pietas, imo & obseruantia. nu. 2. ibidem.
Religionis de ingressu an consulendum. n. 49 cap. 12.
Religionis habitum qui reliquit quando peccet M. & est excommunicatus. nu. 132. cap. 27.
Religionem relaxatam ingrediens. n. 50 & vel in eam filios intrudens. nu. 51. ibid.
Religionem spectant tria præcepta, quatuor pietatem, & obseruãtiam. n. 2. c. 14.

Regularis

Regularis beneficiarij impensa quæ iusta, & quæ non. num. 94. cap. 17.
Religiosus ès Canonicus testari nequit, sed tale memoriale facere sic n. 270. c. 27.
Religiosus vt frangit votum paupertatis remissiuè nu. 240. cap. 25.
Religiosus qui testans non absolnendus. num. 270. c. cap. 27.
Religiosus dispensatus per hanc subreptionem nom. 72. cap. 12.
Religiosus quis exire potest ob parentes inopes. num. 14. cap. 4.
Religiosi Doctor qui excommunicatus. num 134. cap. 27.
Religiosus quis loca ad habitandum accipiens excommunicatus. nu. 144 ibid.
Religiosus quis dissuadens vel non suadens decimas est excommunicatus nu. 145. ibidem.
Religiosi non seruantes interdictum ecclesiæ matricis excõmunicantur. n 146 ib.
Religiosus adiens Regiam ad necendum prælato vel monasterio. num. 138. ibid.
Reliquiæ, nomina, & breuia, vt gestãda. num 34. & 35. & cap. 11.
Reliquiæ vel miraculis falsis, vel veris malum finem vtens. nu. 169. cap 17.
Remissio siue rei soluendæ præsentia sufficit ad restitutionem. nu. 44. cap. 17.
Renunciare beneficio intentione vt detur. N. licet, eo non expresso. nu. 107. c. 23.
Renunciatio per simoniam realem facta non valet. num. 105. cap. 23.
Repræsaliæ quis concedat contra clericos &c. num 136. cap. 27.
Reseruatio censuræ hæreseos in quo maior alias. num. 273. cap. 27.
Reseruari non posse casum contra ius diuinum est 254. cap. 27.
Residentia episcopo & curato iuris diuini, & quæ excusant ab ea. nu 121. c. 25.
Restituenda res, si valor incertus est, quid fiet. num. 17 cap. 17.
Restitutio quid cum diffinitionis declaratione. nu. 6. cap. 17.
Restitutio duplex formalis & virtualis, qualis est remissio. nu. 11. ibid.
Restitutio est actus iustitiæ veræ. nu. 6. & 7 ibid.
Restituenda res aliena etiam non restituto pretio nu. 7 8. & 9. ibidem.
Restituenda ipsamet res aliena subrepta num 10. ibid.
Restituendi necessitas ex qua lege nascitur. num 11. ibid.
Restitutio statim facienda nisi hæc excusent. nu. 54. ibid.
Restitutio quatis facienda patri ab eo qui eius filium deflorauit. nu. 19 cap. 1.
Restitutio bonorum incertorum vi reseruata episcopo. nu 92. cap. 17.
Restitutio onerum incertorum cui & à quo facienda. nu. 92. & 93. ibid.
Restitutio pauperibus debita, an ecclesiis fieri possit. nu. 29. cap. 16.
Restitutionem excusat metus probabilis peccatorum. nu. 63. cap. 17.
Restitutio faciendo eo modo, quem causa cur debetur postulat. num. 44. ibidem.
Restitutionem debiti qui fauore vel consilio impedit. num. 131. & 132. ibid.
Restitutione à delata excusant hæc nouem. nu 75. ibid.
Restitutione ob qualem ignorantiam quis excusatur. num. 82. & 83. ibid.
Restitutio pauperibus facienda quando de præcepto. num. 30. ibid.
Restitutio rei alienæ fiat vbi sita est, si bona fide possidetur. nu. 42. ibid.
Restitutio rei lucrifactæ in bello iniusto. nu 15. cap 15.
Restitutio præsupponit debitum legale. nu. 69. cap. 17.
Restituere non obligant opera sola intentione interiore mala nu. 103. c. 23.
Restituere famam vel alijs compensare lesor & hæres tenentur. n. 41. & seq. c. 18.

Restituat res sibi, vel Iudex acceptum, pro testimonio, aut sententia. nu. 34. cap. 17.
Restituere plures tenentur delinquens, quam coniratus, & consentiēs n. 17. & 18. ibi.
Restituere vendēs res maioris partis capiat aut minoris. n. 25. ibid.
Restituere quis confessarius negligens. nu. 22. & 23. ibid.
Restituere qui domini iubent inutiliter. nu. 121 ibid.
Restituatur alienum, idem ipsum & fructus, & interesse. nu. 24. & 25. ibid.
Restitui non debent bona minoris ordinis cum damno maioris. num. 57. cap. 17.
Restitui cur non debeat damnum ob eleemosynā denegatā consecutū. n. 7. c. 24.
Restituendum quod accipitur pro eo quod gratis tenetur dari, vel debet fieri. num. 53. cap. 17.
Restituendum quod male accipitur, sed non male datur. nu 32. & 33. ibid.
Restitui non debet res familiaris cum fame propriæ iactura. num. 44. cap. 16.
Restituatur quanti æstimatur damnum certum aut arbitrarium nu 27. cap. 17.
Restituet damnum, qui tradit filiū suum ad parcum suppouendum. nu. 48. c. 16.
Restituet qui per alium quando, & per quem faciet. nu. 67. cap. 17.
Restituere cur magis teneatur qui accipit, pro eo quod tenetur facere, quam quod accipit pro eo quod tenetur non facere. num. 31. cap. 17.
Restituent qui suffragantes siue votantes nu. 74. ibid.
Restituere quis teneatur late. num. 12. 13. & 14. ibi.
Restituere contra ordinem præceptum non sufficit. nu. 52. ibidem.
Restituendi obligatio non contrahitur solo consensu. nu. 16. cap. 11.
Restituendum an regulariter male datum & male acceptum. nu. 30. cap. 17.
Restituet quo pacto, qui proximum damnificauit in bonis animæ. num. 45. cap. 14.
Restituat fur, & malefactor impensas factas ob ablata, & interesse. num. 140. c. 17.
Restituetur quantum filio læso ob spurium ignotum. nu. 50. cap. 26.
Reuelatio mali, & neglectus famæ quæ mortalis. num. 61. cap. 8.
Retrouendendi pactum minuit pretium. num. 86. cap. 23
Reus negans quis nō infamat accusantem num 49 c. 16.
Reus quis crimen confitendo nō peccat. nu. 5. cap. 18.
Reus qui consortes tegere aut detegere debet. nu 58 ibid
Reus accusatus, & in carcerem coniectus, vt mortaliter peccat causam iniustā defendēs. nu. 35 & qui interrogatus negat veritatē. n. 35. & 36. & nō detegens tales, & tales socios, aut non parens literis excommunicationis solutis nu. 37. & 38. aut se mendacij defendens, aut à iusta sententia appellans. nu. 39. cap 25.
Rex vt peccet alienacapiens, capiā non restituens, malē, vel ob malum finem gubernans. nu. 1. cap. 25.
Rex seditiones excitans, vel subditos non exercens peccat. nu. 1. ibid.
Rex arces non muniens, vel armentis carens, vt peccat. nu. 2. ibid.
Rex legem pœnalem ferens vel vias, & lites negligens, vt peccat. nu. 4. ibid.
Rex disponens circa legem naturalem, vel suam, vt peccat nu. 5 ibid.
Rex tollens subditis bona, & libertates vt peccat. nu. 6 ibid.
Rex bellans iniusto, vel malo fine vt peccat. nu. 6 ibid.
Rex iura noua inducens, & visitantes impediens vt peccat nu 6. ibid.
Rex cogens operari subditos, & eorum delicta non puniens vt peccat. n. 7. & 8. ib.

Rex

Rex officia sua vendens & indignis conferens peccat. nu. 8 ibid.
Rex matrimonium contrahere cogens vt peccet nu 8 ibid.
Rex beneficia indignis cōferēs, & malam consuetudinē seruans vt peccat. num. 9. ibid.
Rex damnās inauditum, vel auditum male peccat. nu. 10. & 11. ibid.
Regis operibus Præfecti, sæpe hoc modo peccant. nu. 263. cap. 17.

S

Sacerdos in articulo mortis ab omnib⁹ absolut, & à nullis lateus. nu. 271. cap. 27.
Sacerdos non omnis potest audire confessiones. num. 2. cap. 4.
Sacerdos non omnis habet iurisdictionem actualem. nu 3. ibid.
Sacerdos in articulo mortis quoliket absolvit n. 4. & quē extra illum. n. 56. ibi.
Sacerdotij malo ad missandum inductio, quæ peccatum. num. 41 cap. 14.
Sacramentum quid & vt gratiam ex opere operato confert num 1 cap 22.
Sacramenta septem, tria non iteralilia, quatuor autem sic. num. ibidem.
Sacramenta collata excommunicato regulariter valent. nu. 3 cap. 9.
Sacramenta circa septem undecim errores Trideuti damnati. nu. 2. cap. 22.
Sacramentis alia sunt de essentia eorum, alia de præcepto. nu. 2 ibid.
Sacramenta non credens vt det, ea dans, aut sumens in mortali peccat. nu. 3. ibi.
Sacramenta sumens ab excōmunicato &c. & dans vel sumens in mortali, & inuitans malum ad dādum, & inhonorans ea verbo, aut facto, vt peccat. nu. 4. ibid.
Sacramenta baptismi per se tendit in peccatū. Eucharistia per accidēs. n. 43 c. 1.
Sacramenta, quæ metu facta, valent. num. 7 præl. 6.
Sacrilegium cur nō sit violatio dormitorij, & ecclesiæ sic. nu. 3. cap. 16.
Satisfactio quid sit. nu. 1. & ist necessaria etiam post restitutionem. nu. 2. cap. 3.
Satisfactio sit etiam opere, aliās debito, & cur melior imposita. nu. 4. & 5. ibi.
Satisfactio sacramentalis in mortali peccato facta quid prodesit. nu. 1. 2 id.
Satisfactio vna pensat offensam factam, alteram caueat faciendam. num. 3. ibid.
Satisfactio triplex non est necessaria ob triplex genus peccati. nu. 1. cap. 3.
Scandalum ob quod non omittenda præcepta, vel consilia. nu. 64 cap 14.
Schisma quid quo differt ab hæresi, & excōmunicatur in bulla Cœnæ 57. c. 27.
Scientia sola apparatus delicti, cur interdum morte plectitur. num. 21. cap. 24.
Scientia, fides, opinio, dubium, & scrupulus quid, vt differant, & conueniant num. 279. & seq. cap. 17.
Scientiæ licet ob eas dentur gradus, & cathedræ licita. nu. 43 cap 14.
Scientiæ malus vsus non efficit eam malā. num. 45. ibid.
Scholarum gradus, & præmia Minerualia cur licita. nu. 47 cap. 14.
Scholasticus vt mortaliter peccat, ob finem mortalem studens, non seruans præcepta studij discens vetita, auocans auditores concurrēs, negligenter studens, male insumens viaticum, non soluens salarium, arrogans falsè gradum. nu. 59. cap. 25.
Scrupulos mitigat sibi parum, & multum Christo fidere & eum talem imaginari. nu. 290. cap. 27.
Scurra, vel alius peccans causa nimis ridēdi ridendi. & c. nu 37 cap. 14.
Scurrilitas quæ mortalis nu. 113. cap. 23.
Secretum confessionis non reuelandum, etiā metu mortis, nisi vno casu. num. 5. c. 18.
Secretum quid, & quotuplex, & cuius de rectio mortalis nu. 52. ibid.
Secretum nulli noxium, etiā iudici inbēti

non reuelandum,num.60.ibid.
Secreti promissi decretio peior quam non promissi num.62.ibid.
Secreta perniciosa reuelanda, non autem alia.num.54.ibid.
Sensualitas vocatur vis appetens sensibilem concupiscibilis, & irascibilis, & vt rationi parent.num.5.prael.2.
Sensus exteriores quinque, & quis eorum vsus malus, & mentalis num.1.cap.24.
Sepelient excommunicatum, vel notoriè malum, vel ad sepulturam adigēs &c. num.132. cap.25.
Sequestra infringens cur hodie excommunicatus.num.127.cap.27.
Seruilia opera quæ sint.nu.2 cap.13.
Seruilia septem opera permittuntur, quinque non seruilia prohibentur nu.3 ibid.
Sigillum confessionis etiam post mortem durat,num.7.cap.8.
Sigillum confessionis quando non violatur, num.11.12.& 14.ibid.
Sigillum confessionis quid sit,& quare ita vocetur.num.1.ibid.
Sigillum secreti duobus modis sumitur,& quid sit.num.2.ibid.
Sigillum confessionis quæ includat.nu.5. & quos obligat.num.4.& 7.ibidem.
Sigillum omne confessionis est sigillum secreti non è contrario.nu.5.ibi.
Simonia omne datum spirituale propretio. num.110.cap.13.
Simonia non est dare pecuniam pro alimēto,pœna,vexationis redemptione,missa, precibus,vel laude.num 102 ibid.
Simonia triplex mentalis, conventionalis, & realis.nu.103.ibid.
Simonia mentalis duplex,& vtraque mortalis.nu.103.ibid.
Simonia mentalis nō obligat ad restitutionem,etiam si sit diuinitus prohibita.n. 103.ibid.
Simonia absque temporali formaliter inuenitur num.100.ibid.
Simonia non est emptio,vel venditio artis vel consilij num.100.ibid.
Simonia realis quid,& in quo peior mentali num.105.ibid.
Simonia realis omnem dispositionem beneficialem annihilat.num.105.ibid.
Simonia conventionalis non sit realis, nisi sit vtrinque completa.num.104.ibid.
Simonia conventionalis est promissio sine animo soluēdi,& quando realis.n.105. ibidem.
Simoniæ definitio declarata.nu.100.ibid.
Simoniæ quædam vsitatæ in curia inter præsentes,& absentes.num.107.ibid.
Simoniam nullam mentalem obligare restituere definitum.num.103.ibid.
Simoniam vt non facit causa minus principalis,num.101.ibid.
Simoniam an faciat obligationis antidoralis remissio.num.106.ibid.
Simonia cōventionalis quid,& peior mentali tantum.nu.104.ibid.
Simoniacus non est conferens ob consanguinitatem,amicitiam, vel preces etiam indigno,nisi,&c.nu.107 ibid.
Simoniacus ante completam vtrinque celebrans an irregularis.nu.104.ibid.
Simoniacus quis ipso iure suspensus vel excommunicatus.nu 111.cap.23.
Simonia omnis mortalis: quæ suspendit, quæ excommunicat,quæ dimittere obligat.num.111.ibid.
Simonia quædam vsitata in Curia,inter præsentes,& absentes num.107.ibid.
Simoniam committit emens cartas obspirituale annexum,sed non excommunicatur.nu. 11.ibidem.
Simoniam interdum Papa incurrit,pœnā eius nemquam nu.108.ibid.
Simoniam quam Papa incurrit,num.108 cap.23.
Simoniacus an sit qui constituit certum salarium donec conferat ei aliquod beneficium.nu.113.cap.23.

Somniis

Somnijs,quibus non credendum. num.33. cap.11.
Simulatio & hypocrisis mendacia factorum,& quæ mortales nu.8.cap.18.
Socius industriam adhibens quid de suo impendere debeat nu.183.c.17.
Societas in animalibus, & locatio eorum quæ licita,nu.260.& 261 cap,17.
Societas quid & quæ licita,nu.51.& vt iucunda,nu.252.& seq. ibid.
Sodomita non est irregularis,sed hodie grauissimè punitur nu.249.cap.27.
Sorte salua qui lucratur in Gallia,& Italia nu.157.cap.17.
Sortes quæ prohibitæ,& quæ licitæ.num. 30 cap.11.
Spirituale etiam vt hic sumitur multiplex nu 99.cap.23.
Spirituale alterum à Deo solo, alterum ab eo & homine,sed vtrumque iure diuino vendi vetatur.nu.99.ibid.
Spirituale humanum antecedēs,& consequens nu.99.ibid.
Spirituale purum & mixtum, & hoc vt vendi potest. nu.99.ibid.
Spirituale pro præstito dare consuetum potest nu.106.ibid
Sponsa Dei est anima viri sicut & fœmina nu.3.cap.16.
Sponsalia quid & quibus modis soluuntur nu.25.& seq,cap.22.
Sponsalia omnia ipso iure soluuntur per causam votoriam.nu.28.ibidem.
Sponsalia duobus modis transeunt in matrimonium.nu 28.ibid.
Sponsalia clandestina post Concil. Trid. complens, & vtens matrimonio præsumpto, &c. vt peccat,num. 144. cap.25.
Sponsalia inualida etiam publica.non impedunt matrimonium vllum, num.58. cap.22.
Stanyslaus Hosius Cardinalis,summus Pœnitentiarius,laudatur,nu.272.cap.27.
Status decenter conseruandus, vel mutandus.nu.7.cap.24.
Sterilitas quæ, & quando minuit pensionem.nu.198.& seq.cap.17.
Sterilitas non dat remissionem his casibus nu.198.cap.17.
Stipendium aduocati quale iustum quando in pactum deduci potest. num.30. cap.25.
Striges,& fagas reprobatas nu 38.c.11.
Subditus an excommunicetur extra episcopatum,& alia de excommunicatione conditionali,nu.6.& 272.c.17.
Subreptio,quæ excusat,nu.11 præl.9.
Superbia quid, & quotuplex & eius etymol.nu 5 cap.23.
Superbia sola de se mortalis contemptum subiectionis Dei actu requirit.nu.6.ibi.
Superbia quatuor species quæ potius sunt eius effectus, & interdum hæreses.nu. 8 cap. 23.
Superfluum duplex, naturæ tantum, & naturæ & status.nu.6 cap.24.
Suspensio ab vno non est ab alio, & sic a iurisdictione non est ab ordine,nec contra, & a beneficio non est ab ordine,nec vel iurisdictione,nec quæ ab officio est a beneficio.nu.160 & 161 cap. 27.
Suspensio quid,an peccatum,excommunicatio,irregularitas, vel depositio. num. 151.& 152.cap.27.
Suspensionis transgressor quis irregularis. num 162.& vt peccat particeps.nu. 163 ibid.
Suspensio vera non tollitur sola pœnitentia.nu.153.& est triplex.nu.154.ibid.
Suspendere & suspensi quis potuit requiritur monitio scripta,& peccatum non certa verba generalis non incurritur ab Episcopo,qua forma tollitur.num. 159. & 160.cap.27.
Suspēditur ipso iure clericus notorius fornicarius,eligens talem in Episcopū, ordinatus sine licētia,vel extra tempora, vel sine

vel sine legitima ætate. nu. 155. & 156.
An in duello pugnãs, excommunicatus sine monitione vel sine scripto, capiens fructus vacantis ecclesiæ nu. 46. Conservator excedens, Iudex ecclesiasticus in Ludouicians concurrentibus quatuor admittens ad sacramenta tempore interdicti, mendicantium Prælatus admittens ad professionem ante annum. Clericus vestem versicolorem deferens. Religiosus sic alienans. num. 157. ordinatus cum pacto non petendi alimenta num. 158 cap. 27.
Susurratio quid quæ mortalis, & differt a detractione & contumelia. num. 13. & 14. cap. 18.
Superstitio est maximum vitiorum mortalium nu. 23. cap. 11.
Superstitio quadruplex & qualibet lethalis præter primam nu. 24. ibid.
Symbolum Apostolicum est summa Christiana credendorum num cap. 11.
Synagogas, Mezchitas, & idola, qui facit, aut reficit, nu 36. cap. 14.

T

TActus quæ peccata num. 13. cap 16
Tactus mamillarum, & quidamalij quasi occasio peccandi nu. 42. cap. 14.
Taurorum agitatio Gallis, & olim Nauarris inconsueta nu. 18. cap. 15.
Taurorum agitatio quando Auctori visa valde crudelis nu 18. ibid.
Taurorum agitatio per Pium. V prohibita vt intelligenda. nu 19. ibid.
Taurorum agitationi duellis æquatæ, qui prohibentur interesse nu 19 ibid.
Taurorum agitatio torneamentis æquata, & moderata licet. nu. 50 ibid.
Tempus decem annorum est longum tempus nu. 126. cap. 28.
Tentare Deum illicitum etiam per martyrium nu. 40. & 41. cap. 1.
Testamentum cur a sano, vel initio morbi & statu gratiæ faciendum nu 36. c. 26.
Testamentum vel legatum qui facit mutatis, tenetur restituere. nu. 88 cap 17.
Testans ignotum esse verum vt peccat. nu. 2 cap. 18.
Testans, qui potest statim restituere non sufficit legare nu. 68 cap. 17.
Testari impediens vt peccat. & quibus cognatis pauperibus stabitur n. 26 c. 26.
Testis nocens alij tacendo verum, vt peccat, nu. 123. cap. 17.
Testis vt mortaliter peccat asserens falsum, tacens verum, dubitans non reuocans suam dictum. nu. 40. verum quod putat falsum testans, iurans se testiẽ non fore, excusans se illicitè, obsentans se. num. 41 detegens quod non debet nu. 42 mercedem accipiens num. 45. non parens edicto imbens testari sine aliqua cõo excusationum quibus non se excusat inhabilis. nu. 45. & 46. cap. 25.
Testis quid faceret interrogatus de eo. quod tacere debet nu 43. ibid.
Testis quis tenetur se offerre, & quis tenetur non se offerre, & quis potest & non tenetur nu. 48 49 & 50 cap. 25.
Testes quando dicuntur deesse, vt admittantur inhabiles & cogantur priuilegiari nu. 49, ibid
Testis falsè stans non restituit fisco bona quærenda ei, si verum testatus fuisset nu 51. ibid.
Testem ad condemnandum nemo tenetur se offerre nu. 17 cap. 25.
Thesaurum quid & inuentus cuius sit. nu. 172 & seq. cap. 17.
Thesaurus non est pecunia omnis abscondita nu 75. ibid.
Thesaurum prædij empti non reddit emptor etiam sciens nu. 175 cap. 17.
Thesauri restitutio etiam ante sententiam faciendam nu. 125 ibid.
Torneamenta quædam sunt licita. nu. 9. c. 15.

Tributa

Tributa & iura Regia, qui non soluit vt peccat nu. 100. cap. 17.
Tributa sine auctoritate imponens, aut exigens vt peccat nu. 201. ibid.
Tributum Meretricum tanquam fœdum ab Anastasio sublatum. nu. 95. c. 17.
Tyrannum regare pro iustitia vel gratia non est peccatum nu. 31 c. 14.

V

VAlor rei iustus est: quo præsenti pecunia venditi potest nu. 80. c. 23.
Venator quis violat festum nu. 21. c. 13.
Venatus & piscatus prohibitus, & an restitutio excusat nu. 220 & 125 c. 7.
Vendens aliquid, quod renouandum est, & emens illud nu. 141 cap. 17.
Vendens equum maiorũ, quam valet, licet postea tantum valeat nu. 213 c. 17.
Vendens vtilia Infidelibus vt peccat, & est excommunicatus. nu. 9 cap. 23.
Vendens arma inimicis bellaturo, vel alia nocima vt peccat nu 90. ibid.
Vendere pluris ob dilationem, aut minus ob anticipationem nu. 212. cap. 17.
Vendere quis tenetur minus quàm emit, nu. 228. ibi.
Vendere vt plus Maio valebit, sit contentus medio cius, quod toto valebit, num. 230 cap. 17
Vendere per se vt sit inuendibile ratione adiuncti nu 40. cap. 17
Verecundia non est iusta causa adeundi extraneum confessorium. nu. 8 ca. 7.
Verba illa dictum factum & concupitum quomodo accipiantur nu. 7 præl. 7.
Vestitus qui licitus, qui venialis, & qui mortalis nu. 18 & 19. cap. 23.
Vestiens se habitu religioso quis mortaliter peccat, 22. & 23 ibid.
Vicaria spiritualis venditio simoniaca, sed non excommunicat. nu. 111. ibid.
Vicariæ aliud iurisdictionis secularis emptio valet. ibid.
Vidua fornicata peccat fruendo re à marito relicta vt ei ste viuat nu. 62. ibid.
Viduus aut vidua cui aliquid relinquitur quoad caste vixerit, num 61 cap 25.
Vindictam non vetans consentiens illi, vel morti alicuo ex nouem modis nu. 17. c. 11.
Violentum quid, & quo à meto differt, num. 2 & 5. præl 6.
Violentus nullus est actus elicitus, sine interior num. 5. præl 6.
Virginem qui defloratã restituet si dolo, aut importunitate, & c. nu. 16. & 17. c. 16
Virgini qui promittit se eam ducturum in vxorem, num. 8 ibidem.
Virgini corruptæ, quæ putatur virgo, & æque bene nubit vt restituetur. n. 9. ibi.
Virtus quid, & quomodo non repugnat peccato. nu. 14 præl 5.
Virtus vitium & habitus quid, & quotuplex. nu. 1 cap. 13.
Virtutes in medio vitiorum, ideoque illis duplo pauciores nu 2. cap. 21.
Visitationem monialium impediens est excommunicatus nu. 140. cap. 27.
Vita proximi quando plus æstimanda, quam res propria, nu. 3. cap. 15.
Vita non est amittenda propter famam illustris familiæ. nu. 91. cap. 17.
Vitia capitalia re quibus non est superbia, septem hoc verbo signata, cum. 3. & 4. cap. 23.
Vitium quid, & quomodo non repugnat merito, nu. 14. præl. 5
Voluntas, & intellectus vario modo animam mouent, nu. 7. præl. 3.
Viuere, qui velit semper hanc vitam peccat, nu. 20 cap. 11.
Voluntarium simpliciter, & secundum quid, nu 3 præl. 6.
Voluntas etiam à Deo non cogitur violenter, num. 7. ibid.
Voluntas non fertur in incognitum, nu. 269. cap. 27.

Vota

Universidad de Deusto

Vota secularis per professionem tolluntur. nu. 65. cap. 2.
Vota religiosorum, quæ valida, & quæ a nutu pendent superioris nu. 67. ibid.
Vota religiosorum, & minorum quomodo differant, & conueniant 69. ibid.
Vota inualida ratificantur nisi &c. num. 71. ibid.
Vota nouitij nõ irritat superior. n. 75. ibi.
Vota defuncti qui non adimplet aduncliis exemplis nu. 36. ibid.
Vota futura includit potestas dispensandi nu. 80. ibid.
Voto res obligata, cui debetur facta dispensatione nu. 78. cap. 12.
Votum qui commutare potest, an possit dispensare nu. 79. ibid.
Voti commutatio vi cruciatæ faciendæ est in eius vtilitatem. nu. 80. ibid.
Voti quem pœnitet, vel dubitando de voto an valeat, ipsum violat. nu. 54. ibid.
Votum qui non adimplet per alium, quod per seipsum non valet nu. 55. ibid.
Votum ab alio factum, & a se ratum non implet nu. 7. ibid.
Votum de non nubendo minus est voto continentiæ, nu. 76. ibid.
Votum irritatum non iterum resurgit per mortem irritantis, nu. 66 cap. 12.
Votum potentium ad matrimonium, quæ irritari possunt. nu. 70. ibid.
Votum castitatis bis frangit, qui nubit, & consumat. nu. 80. ibid.
Voto a quolibet dispensandi potestas, non extenditur ad iuramentum, num. 273. cap. 27.
Voto castitatis de consensu coniugis astricto coniux qui petit, vel reddit debitum peccat: secus si absque coniugis consensu vouit nu. 31 cap. 16.
Votum simplex castitatis non dirimit matrimonium, & quatenus seruandum. nu. 73 cap. 22.
Votum religionis impediens, vel ab illa abstrahens, ad quid teneatur, nu. 44 c. 12.
Votum religionis suadens, vel ingressum ordinis dissoluti &c. nu. 45 ibid.
Votum mariti & vxoris sine licentia, quãdo valet, nu. 10 cap. 12.
Votum propriæ non est malorum renunciatio quæ fit in baptismo nu. 32. c. 12.
Votum est duplex, nempe solenne & simplex, nu. 32. ibid.
Votum plus obligat quam iuramentum, cum concordia contradicentium, num. 32. ibid.
Voti opus melius est, quam voluntarium quod sic est limitandum nu 32. ibid.
Votum solenne castitatis impedit, & dirimit matrimonium, nu. 35. cap. 22.
Votum post solenne contrahens nulliter cõtrahit, & excõmunicatur, nu. 35. ibid.
Votum quid sit, de re mala non valet: sed de præcepta sic nu. 24 ibid.
Votum obligat ad implementum sui sub reatu mortalis culpæ, nu. 26. ibid.
Votũ non facit propositũ solum, nu. 26. ibi.
Votum mentale quid sit, & qualem deliberationem requirat, nu. 26. ibid.
Votum coniugum de abstinendo, & pactũ an paria, nu. 59. & 60 ibid.
Votũ de ingressu religiõu generale an tollat refutatio vnius superioris, n. 62. ibi.
Votum de nunquam peccando venialiter non valet, nu. 65 ibid.
Votum de nunquam peccando mortaliter valet sed facile soluitur nu. 65 ibid.
Votum de non peccando hoc, vel illud veniale vt valet. nu. 65 ibid.
Votum religiosi de non peccando irritat superior nu. 65 ibid.
Votum qui superior post approbatum irritat, nu. 73 ibid.
Votum vel partem eius, qui recte frangit ob causam, nu. 39. & 40 ibid.
Votum absq; animo adimplendi quomodo obligat ad sui cõplementũ, nu. 26. ibid.
Votum de re necessariò futura, & de re illicita, & de indifferenti vt indifferens est. & de eo, quod est contra consilium Christi non valet. nu. 28 & 29. ibid.
Votum in finem malum non valet, sed sic in bonum ex illo exortum nu. 30. & 3 ibi.
Votũ omne tollit professio religiõis. n. 77. ibi.
Vouens ingredi religionem & quia non recipitur vt ipse vult &c nu. 46. c. 12.
Vouens intrare religionem, an teneatur extra prouinciam. nu 276. cap. 27.
Vouens ingredi & profiteri, & postea exit nu. 47 ibid.
Vouens religionem strictiorem, & laxiorem intrat. nu. 48 ibid.
Vouens rem mortalem, vel venialem, vt peccat nu. 3. cap. 12.
Vouens aliquid quod est præceptum, vel contra consilium, nu. 34. 35. & 36. ibi.
Vouens stulta vota vt non pellendi se, non laudandi, nu. 37 ibid.
Vouens, quod sciebat se non posse præstare, nu. 38 ibid.
Vouens præ timore mortis spiritualis, aut corporalis vel alterius mali nu 52 ibi.
Vouens rem dignam voto, quæ tamen maius bonum excludit, nu. 53. ibid
Vouens nõ bibere vinũ, & crebo id violat vel facere aliquid in tempore certo, quo trãsacto id nõ adimplet n. 54. & 55. ib.
Vouens qui tenetur statim implere, vel ad certum tempus nu. 41. ibid
Vouens sub conditione, & satagens ne adimpleatur illa, nu. 42. ibid.
Vouens si perpetrauerit illud aut illud crimen, nu 42. & 43 ibid.
Vouens ob malum finem, vel ob bonum quod nascitur ex malo, nu. 43. ibid.
Vouens virginitatem, & eam postquam violauit non obseruat. nu. 43 ibid
Vouens se vxorem ducturum, & postea nõ ducit. nu 43. ibid
Vouet qui ligatus est matrimonio, absque coniugis præiudicio, nu. 61. ibid.
Vouens cũ licentia coniugis, vel sine illa terræ sanctæ auxiliũ præbere, n. 62. ibid.
Vouentem religionem an statim ligent onera eius nu. 46. ibid.
Vouere qui pertinaciter tenet esse malum, nu. 58 ibid.
Vouere potest, qui potest peccare vel mereri. nu 68. ibid.
Vsura quid, duplex, vera, & palliata, nu. 26 cap. 17.
Vsura vtraque pagina speciatim vetita, eam probans hæreticus. nu 207. ibid.
Vsura emerea non habente, & eidem locare. nu. 229 ibid.
Vsura quando emere vel locare rem minoris quam valet &c. nu. 230 & 231. ibidem.
Vsura est lucrum ob dilationem solutionis nu. 210. ibid.
Vsura mutuare pro re pauperi danda, non pro iniuria remittẽda, &c. nu 237. ibi.
Vsurã dare ad lucrum saltu sorte, vel non negotiaturo, nu. 258. ibid.
Vsura non est marito vsus pigneris pro dote dati, &c. nu. 273. & 274. ibid.
Vsura centesima quæ &c. nu. 208 ibid.
Vsura circunspecte definita, & declarata, nu. 214 ibid.
Vsuræ quis iudex iubet solui aut non restitui, & aduocatus, procurator, & testis qui ad id auxilium præbent, restituere tenentur, nu. 275.
Vsurarius confiteatur quoties voluit fenerari, nu. 214 ibid.
Vsurarium instrumentum faciens, vt peccat. nu. 276. ibid.
Vsurarius vsuras & fructus pigneris restituat, nu. 278. ibid.
Vsurarius quis manifestus, & a quo absoluendus, nu. 280. ibid.
Vsurarij testamentum nullum nisi hæc præcedant, nu 279. ibid.
Vsura an sit mutuare rem, vt reddatur cũ pluris valebit, nu. 219. ibid.

INDEX.

Vsurario manifesto nullum detur sacramentum nisi &c. nu.279. *ibid.*

Vsura vt sit mutuare, vt molatur in suo molendino &c. nu.220. *& seq. ibid.*

Vsura minoris emere ob solutionem anticipatam vel pluris ob dilatam nu.228. *ibidem.*

Vsuram qui non credit esse peccatum mortale hæreticus. nu.214 *ibid.*

Vsurarius confitatur quoties voluit fœnerari, nu.214. *ibid.*

Vsura quando mutuare, proposita pœna &c. nu.215. *ibid.*

Vsura non est mutuare ob interesse damni, aut lucri. nu 139 *ibid.*

Vsura quando non est vendere carius propter impensas nu 239. *& 240. ibid.*

Vsura quando non est vendere vno tempore, quo soluatur alio, n 241. *& 242. aut pretio maiore quam præsenti ob dilationem* nu.242. *ibid.*

Vsura in deponendo & à depositario accipiendo nu.242. *& seq. ibid.*

Vsura soluere famulis alicuius, vt post auctarium capiat. nu.244. *ibid.*

Vsura soluere ante diem statum ob lucrum, nu.245 *ibid.*

Vsuram iuratam non soluere quando peccatum nu.246 *ibi.*

Vsura lege ciuili vetita, sed valde clam exercita: quæ num.208. *ibid.*

Vsuram quæ intentio sine facto faciat. nu. 208. *ibid.*

Vsuras nauticas esse nunc vetitas quo sensu. nu.285. *ibid.*

Vsura non est aliquid pro fideiussione accipere. nu.286. *ibid.*

Vsuram qui suadet, aut sub ea petit, vt peccat. nu 262. *& 263. ibid.*

Vsurario non volente restituere, qui accipit solutionem crediti in malos fines, vel impedit, ne gratis mutuetur. n.262 264 *ibid.*

Vsurario rem vt vendicat, qui dedit num. 265. *ibid.*

Vsurarij bona non sunt obligata, & sunt ementiu. nu.265. *ibid.*

Vsuræ pro alio exercens etiam famulus obligatur. nu.266 *& 267. ibid.*

Vsurarij vxor quæ peccat viuendo de bonis sui mariti nu. 268. *& 27 . ibid.*

Vsurarium filij & famuli qui peccant de bonis eorum viuendo. nam.270. *ibid.*

Vsus fructus nummorum legatur. & vt sit perpetuus. nu 257. *cap.* 17.

Vsurarij gener recipiens ab eo dotem, vt peccat nu.271. *ibid.*

Vsurario carenti pecunia commendans illam vt peccat. nu.40. *cap* 14.

Vxor tollens obedientiam marito, nolens ire, quo ille vult. nu.20 *cap.* 14.

Vxor quid faciat vt non se infamet, & iusto filio non noceat nu 44 *cap.* 16.

Vxor etiam valde dotata non potest donare 40 *scuta* nu.155. *cap.* 17

Vxor quorum iocalium domina, & quorum vsuaria nu 165. *& seq. ibid.*

Vxor vt peccat, si accipit ex bonis mariti etiam ad pia, nisi octo casibus. num 153. *& seq.*

Vxoricidium, & mariticidium impediunt matrimonium nu.74 *cap.* 22.

FINIS INDICIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca